De Confeſſarij electione iuxta Priuileg. Cap. *Fin. de Pœnitentia.*

AN Cardinales Epiſcopi, & Cardinales Legati poſſint ſibi eligere Confeſſarium, qui à proprio Epiſcopo non ſit approbatus. Deciſio 85.

An Epiſcopi non Cardinales poſſint ſibi extra Diœceſim eligere Confeſſarium non approbatum à proprio Ordinario. Deciſio 86.

An Epiſcopi Titulares gaudeant dicto priuilegio Cap. Fin. de Pœnitentia. Deciſio 87.

An Epiſcopus confirmatus, ſed nondum conſecratus, gaudeat dicto priuilegio Cap. Fin. de Pœnitentia. Deciſio 88.

An Epiſcopus electus, ſed nondum confirmatus, gaudeat dicto priuilegio. Deciſio 89.

An Epiſcopus ſuſpenſus, aut depoſitus gaudeat dicto priuilegio, & quid de excommunicato. Deciſio 90.

An Epiſcopus degradatus fruatur dicto priuilegio. Deciſio 91.

Quinam ſint Prælati exempti, quibus conceditur Priuileg. dictum Cap. Fin. de Pœnit. Deciſio 92.

An cæteri Cardinales non Epiſcopi, nec Legati poſſint ſibi eligere Confeſſarium non approbatum à proprio Ordinario ipſius Confeſſarij. Deciſio 93.

An Cardinales poſſint eligere pro ſua familia Confeſſarium non approbatum ab Ordinario loci. Deciſio 94.

An qui ſunt de familia Cardinalium poſſint ſibi eligere Confeſſarium non approbatum ab Ordinario loci de licentia ipſorum Cardinalium. Deciſio 95.

An Generales poſſint ſibi eligere Confeſſarium non ſubditum, qui non ſit approbatus à proprio Ordinario. Deciſio 96.

An Superiores Regularium inferiores Generalibus gaudeant priuilegio Cap. Fin. de Pœnitentia. &c. in electione Confeſſarij. Deciſio 97.

An omnes Superiores locales Regularium gaudeant priuilegio Cap. Fin. de Pœnitentia. pro electione Confeſſarij. Deciſio 98.

An Vicarij Abbatum, Priorum, Guardianorum, & cæterorum Superiorum Conuentuum poſſint ſibi eligere Confeſſarium aliàs non approbatum. Deciſio 99.

An

Digitized by Google

An ſi prædicti Vicarij, aut alij Superiores habeant Conſtitutiones, ſeu Regulas, aut Decreta Religionis, quibus ipſis prohibeatur confiteri extero, poſſint nihilominus ſibi eligere externum Confeſſarium. Deciſio 100.

Quid dicendum de Superioribus Clericorum Regul. Theatinorum. Deciſio 101.

An Superiores Clericorum Regularium Theatinorum renuncient dicto priuilegio Cap. Fin. de Pęnitentia. Deciſio 102.

An Vicarij Superiorum, Regularium localium gaudeant priuilegio Cap. Fin. de Pœnitentia pro electione Confeſſarij etiam in præſentia Superioris: Deciſio 103.

An Præpoſiti Cler. Regularium Theatinorum poſſint eligere in Confeſſorem ſimplicem Sacerdotem non approbatum à Generali. Deciſio 104.

An Parochi, ſeu Curati poſſint ſibi eligere Confeſſarium ex priuilegio Cap. Fin. de Pœnitentia. Deciſio 105.

An Plebani, Decani, Archipresbyteri, & alij, qui habent in Eccleſia prærogatiuam, & gradum honorificum, gaudeant priuilegio dicti Cap. Fin. de Pęnit. Deciſio 106.

An virtute priuilegij Cap. Fin. de Pęnitentia poſſit quis eligere Confeſſarium Regularem non expoſitum ad audiendas Confeſſiones à proprio Superiori. Deciſio 107.

An requiratur, vt Prælatus exemptus habeat iuriſdictionem in foro Pœnitentiali, vt poſſit ſibi eligere Confeſſarium iuxta indultum Cap. Fin. de Pęnitentia. Deciſio 108.

An Prothonotarij Apoſtolici gaudeant priuilegio Cap. Fin. de Pęnitentia. Deciſio 109.

An Referendarij gaudeant priuilegio Cap. Fin. de Pęnitentia. Deciſio 110.

An Auditores Rotæ Romanæ ſint participes priuilegij Cap. Fin. de Pœnitentia. Deciſio 111.

An familiares Papæ gaudeant præſenti priuilegio. Deciſio 112.

An præſens priuilegium extendatur etiam ad Magiſtrum Sacri Palatij. Deciſio 113.

An Inquiſitores contra hæreticam prauitatem ſint capaces præſentis priuilegij Cap. Fin. de Pęnitentia. Deciſio 114.

An Aduocati Conciſtoriales ſint participes præſentis priuilegij. Deciſio 115.

An cæteri, qui habent titulos honorarios Eccleſiaſticos, poſſint eligere Confeſſarium iuxta priuilegium Cap. Fin. de Pœnit. Deciſio 116.

An, qui non habent iuriſdictionem proprio titulo, ſed tantùm alieno, vt ſunt Vicarij Epiſcoporum, gaudeant priuilegio Cap. Fin. de Pęnitentia. Deciſio 117.

De Commendatione.

QVando illicita ſit commendatio etiam generalis. Deciſio 118.

An quando commendatio generalis eſt cauſa damni, teneatur commendans ad reſarciendum. Deciſio 119.

An quando ex commendatione ſequitur damnum, competat læſo actio contra commendantem. Deciſio 120.

Quid requiratur, vt commendatio ſpecialis ſit licita. Deciſio 121.

An ex commendatione ſpeciali oriatur obligatio reſarciendi, quando damnum inde alicui ſequitur. Deciſio 122.

An quando commendatio ſpecialis eſt cum damno tertij, teneatur commendans in foro externo reſarcire, etiam ſi bona fide proceſſerit in commendando. Deciſio 123.

An licita ſit commendatio in ijs, quæ non ſunt arbitraria, ſed ſecùndum iuſtitiam, vel aliquam aliam legem debent adminiſtrari. Deciſio 124.

An in rebus arbitrarijs licita ſit commendatio Magnatum, ac Potentium facta inferioribus. Deciſio 125.

An in commendatione circa res arbitrarias liceat adhibere minas. Deciſio 126.

An quando perſona Principis ſuſcepit aliquem commendandum inferiori, poſſit perſiſtere, etiam ſi difficultates reperiat, ne propriæ auctoritati præiudicet. Deciſio 127.

De Epiſcoporum Regularium bonis.

AN Epiſcopus Regularis tranſlatus de vna ad aliam Eccleſiam poſſit ſecum deferre bona acquiſita proprio, & peculiari titulo. Deciſio 128.

An Epiſcopus Regularis tranſiens ad aliam Eccleſiam poſſit ſecum deferre bona acquiſita ex redditibus prioris Eccleſiæ. Deciſio 129.

Ad quemnam ſpectent bona Epiſcoporum Regularium Titularium. Deciſio 130.

Ad quem pertineant bona Epiſcoporum Regularium, qui dimiſerunt Epiſcopatum, & ad nullum alium tranſlati ſunt. Deciſio 131.

Quo tempora Regularis factus Epiſcopus deſinat acquirere Monaſterio. Deciſio 132.

An Epiſcopus Regularis nominatus, ſed nondum confirmatus, poſſit ad libitum diſponere de ijs, quæ acquirit intuitu Epiſcopatus, an verò pertineant ad Monaſterium. Deciſio 133.

De Epiſcoporum Regularium Priuilegijs.

AN Epiſcopi Regulares gaudeant adhuc priuilegijs ſuæ Religionis. Deciſio 134.
An Epiſcopi Regulares gaudeant priuilegijs Prælatorum ſuæ Religionis. Deciſio 135.
An Epiſcopi Regulares gaudeant priuilegijs ſuæ Religionis concernentibus forum conſcientiæ tàm in ordine ad abſoluendum, quàm in ordine ad diſpenſandum, & commutandum. Deciſio 136.
An Regularis nondum expoſitus audiendis confeſſionibus, ſi fiat Epiſcopus, gaudeat dictis priuilegijs concernentibus forum conſcientiæ in ordine ad alios. Deciſio 137.

De ijs, quæ feſto die licent.

AN liceat Doctori conſulere die feſto. Deciſio 138.
An liceat ſcribere die feſto ob lucrum. Deciſio 139.
An licitum ſit die feſto tranſcribere propter lucrum. Deciſio 140.
An liceat die feſto pingere addiſcendi gratia, & tranſumere picturas ex peritorum exemplaribus. Deciſio 141.
An exercere artem pictoriam ſit licitum die feſto. Deciſio 142.
An aucupari, & venari prohibeantur die feſto. Deciſio 143.
An piſcatio licita ſit die feſto. Deciſio 144.
An liceat militibus pugnare die feſto, & alia munia militaria exercere. Deciſio 145.
An iter die feſto ſit prohibitum. Deciſio 146.
An liceat die feſto deſignare in chartis, quæ poſtea ſunt executioni mandanda. Deciſio 147.
An acu pingere, vulgo Ricamare, ſit opus licitum die feſto. Deciſio 148.
An Typographia ſit licita die feſto. Deciſio 149.
An liceat die feſto rationes ſubducere, vulgò Far conti. Deciſio 150.
An die feſto liceat torneamenta, choreas, & alios ſimiles ludos exercere. Deciſio 151.
An liceat tabellionibus, ſeu notarijs facere ſcripturas publicas die feſto. Deciſio 152.

De Fidei confeſſione.

AN peccet contra confeſſionem externam Fidei, qui vtitur veſtibus inſtitutis ab infidelibus, aut hæreticis ad diſcernendam propriam religionem. Deciſio 153.
An ſit contra confeſſionem Fidei exteriorem deferre veſtes infidelium habentes depictas figuras idolorum, vel auctorum falſæ ſectæ. Deciſio 154.
An vſus veſtium, quæ directè inſtituta ſunt ad profitendam falſam fidem, ſit contra exteriorem confeſſionem fidei. Deciſio 155.
An ſit contra exteriorem confeſſionem fidei relinquere ſignum impoſitum à Principe ad dignoſcendos Catholicos. Deciſio 156.
An peccet contra exteriorem confeſſionem fidei qui latens ſub veſtitu Turcarum, dicit ſe eſſe Turcam, intelligendo quò ad externam apparentiam. Deciſio 157.

De Hæreſi, & Hæretico.

AN crimen hæreſis ſufficienter probetur per teſtes ſingulares. Deciſio 158.
An hæreſis ſufficienter probetur per teſtes diſcordantes in verbis propoſitionis hæreticalis. Deciſio 159.
An in crimine hæreſis ſufficiant teſtes ſingulares, vt procedatur ad inquiſitionem, & torturam. Deciſio 160.
An poſſit puniri vt hæreticus, contra quem teſtes ſingulares deponunt diuerſos actus, & ſpecies hæreſis. Deciſio 161.
An ſi proferens propoſitionem hæreticam ex ignorantia, eam defendat contra admonentem eſſe hæreticam, ſit hæreticus. Deciſio 162.
An ſi admonitus ab Inquiſitoribus, & ab Epiſcopo adhuc perſeueret in errore contra fidem cenſendus ſit hæreticus pertinax, etiam ſi ipſis non credat. Deciſio 163.

De celebratione Miſſæ extra Eccleſiam, & publica Oratoria.

AN poſſit Epiſcopus concedere licentiam celebrandi extra Eccleſiam, & publica Oratoria, poſt Concil. Tridentinum. Deciſio 164.
An ſi Oratorium priuatæ domus ſit tantùm diuino cultui dedicatum, atque permanenter, poſſit Epiſcopus concedere licentiam, poſt Concil. Trident. vt in ipſo Miſſa celebretur. Deciſio 165.
An in caſu neceſſitatis poſſit Epiſcopus concedere licentiam celebrandi in priuatis domibus, aut in alio loco non deputato cultui diuino. Deciſio 166.
Quanta debeat eſſe neceſſitas, vt poſſit Epiſcopus concedere licentiam celebrandi extra loca deputata. Deciſio 167.
An quando adeſt neceſſitas ſit neceſſaria licentia Epiſcopi, vt poſſit celebrari extra loca deputata. Deciſio 168.

Digitized by Google

An ſi in aliquo oppido corruat Eccleſia, nec ibi alia ſit, poſſit extra loca deputata, ratione neceſſitatis, celebrari. Deciſio 169.

An poſſit Epiſcopus concedere licentiam celebrandi in priuata domo ex cauſa infirmitatis. Deciſio 170.

An in aliquo alio caſu poſſit Epiſcopus concedere licentiam celebrandi extra loca deputata. Deciſio 171.

An tempore peſtilentiæ poſſit Epiſcopus concedere licentiam celebrandi in publicis vijs, & in priuatis domibus. Deciſio 172.

An ſi Oratorium priuatæ domus ſit permanenter dicatum cultui diuino, & habeat ingreſſum expoſitum, vt quilibet ingredi poſſit, Epiſcopus poſſit concedere licentiam, vt in ipſo celebretur. Deciſio 173.

An Regulares poſſint celebrare, & erigere Altaria in quolibet decenti loco ſui Monaſterij. Deciſio 174.

An liceat Regularibus in ſuis, quas vocant Grangiat, erigere Cappellas, & Altoria ad celebrandum. Deciſio 175.

An liceat Regularibus celebrare in cellis, ſeu cameris ſuorum infirmorum. Deciſio 176.

An ſi infirmi Regulares gaudentes dicto priuilegio reperiantur extra clauſtra in domibus ſecularium, poſſint nihilominus facere celebrare in ſuis cubiculis. Deciſio 177.

An Moniales ſubiectæ Regularibus communicantibus in priuilegijs, gaudeant dicto priuilegio celebrandi in cubiculo infirmarum. Deciſio 178.

An Moniales Sapientiæ Ciuitatis Neapolis commiſſæ regimini Clericorum Regul. Theatinor. gaudeant dicto priuilegio. Deciſio 179.

Annon ſolùm Regulares loci, ſed etiam externi poſſint celebrare in Cappellis, & Altaribus erectis intra monaſteria ab ijſdem Regularibus. Deciſio 180.

An ratione neceſſitatis liceat celebrare in flumine, vel in mari. Deciſio 181.

De Monte Pietatis.

AN Montes Pietatis immunes ſint ab vſura, atque adeo liciti. Deciſio 182.

An liceat deponere pecunias in Montibus Pietatis, & ex illis percipere quinque pro centum. Deciſio 183.

Quo titulo lucrum ex depoſitis ſupra Montem Pietatis iuſtum euadat. Deciſio 184.

Reſoluuntur nonnullę aliæ difficultates circa iuſtitiam lucri ex depoſitis ſupra Montem Pietatis. Deciſio 185.

An poſſit Mons Pietatis exigere à mutuatarijs non ſolùm quod eſt neceſſarium pro expenſis miniſtrorum, ſed etiam pro illa ſumma, quam tenetur ſoluere depoſitantibus pecunias. Deciſio 186.

An, ſi Mons Pietatis ſoluat annuatim quattuor pro centum pro paranda pecunia; poſſit à mutuatarijs exigere quinque, aut plus pro centum, vltra alias expenſas neceſſarias. Deciſio 187.

An poſſit Mons Pietatis exigere à mutuatarijs non ſolùm quod eſt neceſſarium pro miniſtrorum impenſis, pro paranda pecunia, &c. ſed etiam quod eſt neceſſarium pro paranda, & inſtruenda domo, in qua conſeruentur quæ pertinent ad Montem. Deciſio 188.

An Mons Pietatis poſſit exigere omnes expenſas pro miniſtris à mutuatarijs. Deciſio 189.

An poſſit Mons Pietatis plus exigere vltra ſortem ab ijs, qui diutiùs vtuntur mutuo. Deciſio 190.

An Montes Pietatis fundati pro mutuando pauperibus poſſint etiam mutuari diuitibus. Deciſio 191.

Quomodo ſe gerere debeant miniſtri Montis Pietatis in mutuando, quando non conſtat de paupertate mutuatariorum, ſi Mons poſſit tantùm pauperibus mutuari. Deciſio 192.

An peccet, qui petit mutuum à Monte pauperibus tantùm mutuante, ſi non ſit pauper. Deciſio 193.

An, & cui facienda ſit reſtitutio, quando diues accipit mutuum à Monte Pietatis cum graui præiudicio pauperum. Deciſio 194.

An, ſi Mons mutuaretur tantùm pauperibus determinatam ſummam, quis maiori ſumma indigens poſſit facere, quòd alter quoque mutuum petat nomine proprio, & poſtea ſibi det pecuniam mutuatam cum onere reſtituendi. Deciſio 195.

An Montes Pietatis inſtituti pro ciuibus poſſint etiam ruſticis, & forenſibus pertinentibus ad ciuitatem mutuari. 196.

An Mons inſtitutus pro ciuibus pauperibus, poſſit mutuari illis, qui ciuitati ſubijciuntur tantùm quò ad ſpiritualia, nempe ſoli Epiſcopo, non autem quo ad temporalia. Deciſio 197.

An quando Mons Pietatis habet pecuniam ſibi ab aliquo deputatam pro mutuando pro certo aliquo tempore ita, vt non transeat in dominium Montis, poſſit tunc à mutuatarijs aliquid exigere intuitu expenſarum, &c. Deciſio 198.

An perſona priuata poſſit erigere Montem Pietatis. Deciſio 199.

An ſi priuata perſona erigat Montem Pietatis, & retineat dominium pecuniæ expoſitæ ad mutuandum, poſſit à mutuatarijs exigere expenſas pro miniſtris, & conſeruatione Montis. Deciſio 200.

An Mons Pietatis poſſit exigere expenſas pro miniſtris etiam ab ijs, qui dant pignora, quæ

non

non indigent labore, vt conſeruentur: vt ſunt vaſa argentea, &c. Deciſio 201.

Apud quem ſit dominium Montis Pietatis. Deciſio 202.

An Reſpublica, ſeu Princeps poſſit in alios vſus conuertere pecuniam Montis Pietatis. Deciſio 203.

An Mons Pietatis poſſit aliquid accipere à mutuatarijs in ſui ipſius augmentum. Deciſio 204.

An Mons Pietatis inſtitutus pro pauperibus loci poſſit pauperibus aduenis mutuari, dum ibi manent. Deciſio 205.

De Penſione.

AN Reſeruatarius cedens, durante propria vita, alicui penſionem pro certa ſumma pecuniæ poſſit in aliqua Religione profiteri. Deciſio 206.

An penſio poſſit vendi, & redimi abſque ſimonia. Deciſio 207.

Quænam penſiones in particulari non poſſint vendi, aut redimi. Deciſio 208.

Quo iure ſit vetitum præfatas penſiones vendere, aut redimere. Deciſio 209.

An pro certa ſumma pecuniæ poſſit quis cedere penſionem, durante propria vita, alteri, nullo iure ſibi reſeruato, ad habendum, tenendum, & liberè diſponendum, conſtituendo ipſum perpetuum, & irreuocabilem procuratorem, cum facultate expreſſa caſſandi penſionem anticipatis ſolutionibus. Deciſio 210.

De Teſte præſertim ſingulari.

AN teſtis legitimè interrogatus poſſit non reſpondere, ſi ſciat ſe eſſe inhabilem. Deciſio 211.

An teſtes ſingulares aliquando plenè probent. Deciſio 212.

An teſtes ſingulares aliquid probent in genere. Deciſio 213.

An teſtes ſingulares plenè probent, quando agitur de re permanenti. Deciſio 214.

An teſtes ſingulares ratione multitudinis, aut integritatis faciant plenam probationem. Deciſio 215.

An teſtes ſingulares ſufficiant ad infligendam leuiorem pœnam ordinaria. Deciſio 216.

An ſufficiant teſtes ſingulares, vt poſſit iudex aliquando ex iuſta cauſâ ſecùndum ipſos ſententiam ferre. Deciſio 217.

An teſtis habens aliqualem probabilitatem, quòd iudex non legitimè interroget, teneatur teſtificari contra reum. Deciſio 218.

An in dubio, quod iudex legitimè interroget, teneatur teſtis reſpondere, & fateri veritatem. Deciſio 219.

An teſtis teneatur reſpondere iudici in præiudicium affinium, & conſanguineorum. Deciſio 220.

De Virginitate probanda.

AN ad teſtificandum de Virginitate requirantur ſeptem, quæ inſpexerint. Deciſio 221.

An ad inſpiciendum, & teſtificandum de Virginitate ſufficiat vnica Matrona. Deciſio 222.

An poſſint plures Matronæ delegari ad inſpiciendum de Virginitate. Deciſio 223.

De Electione, Electore, & Eligendo.

AN electores committant ſimoniam paciſcendo: Elige tu illum, & ego eligam iſtum, quem tu mihi proponis. Deciſio 224.

An liceat electoribus inuicem paciſci de commodis electionis. Deciſio 225.

An poſſit aliquis electorum ita cum alio conuenire: Elige me in Generalem, & ego eligam te in Priorem; aut è contra: ſi promittis te me electurum in Priorem, ego eligam te in Generalem. Deciſio 226.

An cum elector vult eligere indignum, aut minùs dignum liceat offerre pecuniam ne eligat. Deciſio 227.

An cum electores volunt eligere indignum, aut minùs dignum liceat offerre pecuniam, vt eligant aliquem dignum determinatè. Deciſio 228.

An quando ex eligendis vnus eſt tantùm dignus, liceat offerre electoribus pecuniam, ne eligant indignos, aut minùs dignos, ſed vt eligant illum, qui eſt dignus. Deciſio 229.

An quando electores ſubornantur vi, aut fraude, poſſim redimere pecunijs hanc vexationem. Deciſio 230.

An quando electores ſubornantur precibus, aut muneribus, ne quis eligatur, poſſit ipſe redimere precio hanc vexationem. Deciſio 231.

An liceat precio obtinere, quòd electio iuridicè fiat etiam pro determinata perſona. Deciſio 232.

An ſi elector accepit à meo competitore pecunias, aut munera, liceat mihi munera, & pecunias dare. Deciſio 233.

An ſi electione iam facta à maiori parte, detur aliquid electori contradicenti, vt ceſſet à contradictione, committatur ſimonia. Deciſio 234.

An electus poſſit precio redimere vexationem iniuſtam, quam patitur in confirmatione electionis. Deciſio 235.

An quando quis apud electores iuſtè vexatur, poſſit redimere vexationem, vt tollat impedimentum propriæ electionis. Deciſio 236.

An quando iuſta vexatio iuſto modo fit ab ijs, ad quos non pertinet de electione, poſſit precio redimi. Deciſio 237.

An quando iuſta vexatio eſt ab ijs, ad quos pertinet de electione, poſſit precio redimi. Deciſio 238.

An vt vexatio precio redimi poſſit in ordine ad electionem, neceſſe ſit, vt aliter vitari non poſſit. Deciſio 239.

An, vt in electione vexatio pretio redimi poſſit, debeat eſſe actualis, an verò ſufficiat, quod probabiliter timeatur. Deciſio 240.

An quando aliquis electorum accipit pecuniam, vt ceſſet à vexatione, electio ſit ſimoniaca, atque adeo nulla. Deciſio 241.

An cum quis ex eo, quòd prodeſſe poteſt, mouetur ad vexandum, vt mediante vexatione obtineat pecuniam, committat ſimoniam, & electio ſit nulla. Deciſio 242.

An, ſi electus vexetur in ordine ad poſſeſſionem, poſſit precio redimere vexationem. Deciſio 243.

An quando ius ad poſſeſſionem eſt dubium, liceat precio redimere vexationem contra poſſeſſionem. Deciſio 244.

An, ſi electus vexetur in poſſeſſione acquiſita virtute electionis, aut deturbetur ab ipſa, aut in ijs, quæ conſequuntur poſſeſſionem; poſſit precio vexationem redimere. Deciſio 245.

An ſi electus vexetur per viam iuris circa poſſeſſionem iam habitam, poſſit precio redimere vexationem. Deciſio 246.

An dare pecuniam alicui, ne mihi in electione exceptionem opponat, quam iurè poteſt opponere, ſit licitum, an verò ſimoniacum. Deciſio 247.

An ſi vnus ex concurrentibus det alteri pecuniam, vt à concurſu deſiſtat ob impedimentum tollendum committat ſimoniam, & peccet. Deciſio 248.

An pactum cum alio, quòd non concurrat mecum in ordine ad hanc electionem, & ego non concurram ſecum ad ſubſequentem, licitum ſit. Deciſio 249.

An, ſi quis det alicui pecuniam, vt metum incutiat competitori, vt deſiſtat à concurſu in ordine ad electionem, ad quam ipſe quoque concurrit, committat ſimoniam. Deciſio 250.

An in electione liceat vti ſubornatione contra ſubornationem. Deciſio 251.

An ad vitandam ſubornationem in electione, poſſit induci conſuetudo, quòd nullus adhibeatur tractatus. Deciſio 252.

An, quando duo tantùm ſunt electores, & vnus de collegio eligendus eſt, poſſit ſequi electio Canonica. Deciſio 253.

An in Congregatione Clericorum Regularium, ſi electores pro eligendo vocali Capitulo Generali interfuturo ad duos reducantur, poſſit qui poſterior ſchedulam mittit, ipſi inſcribere, ſe conſentire electioni ſuæ. Deciſio 254.

Quænam ſuffragiorum procuratio, ſiue ſubornatio ſit in electione prohibita. Deciſio 255.

An, quando in electione ſeruanda eſt iuſtitia diſtributiua, poſſit eligi minùs dignus, relicto digniori, vt vitetur electio indigni. Deciſio 256.

An non ſolùm poſſit elector eligere minùs dignum, relicto digniori, ad vitandam electionem indigni, ſed etiam teneatur eligere, etiam ſi in electione ſit ſeruanda iuſtitia diſtributiua. Deciſio 257.

An quando ſeruanda eſt iuſtitia diſtributiua in electione, & non poſſum eligere digniorem, poſſim eligere mediocrem, vt ſic impediam electionem minùs digni. Deciſio 258.

An in eodem caſu, quando eligetur minùs dignus, ſi ego non ſuffragor mediocri, ſed digniſſimo, tenear ſuffragari mediocri. Deciſio 259.

An ſi quattuor, vel plures electores conueniant ad electionem faciendam, & aliquis illorum contendat, non poſſe alium interuenire, quia amiſerit ius eligendi: alius verò contendat debere ipſum quoque admitti ſaltem cum proteſtatione: atque excludens nullo modo conſentiat, vt admittatur, & vocato ſocio ſimul cum ipſo eligat, reclamantibus cæteris duobus, electio ſit valida. Et quid, ſi, facta tali electione, alij duo, vel plures aliam electionem faciant, contendentes priorem fuiſſe nullam. Deciſio 260.

An ſi quis det alteri ex electoribus propriam ſchedulam ab ipſo in vrnam mittendam, plicatam tamen, faciat contra ſecretum electionis, in qua præcipitur, ſuffragia non publicari. Deciſio 261.

An ſit contra ſecretum ſuffragiorum electionis, ſi quis ante electionem dicat, cui ſit ſuffragaturus, aut poſt electionem, cui ſit ſuffragatus. Deciſio 262.

An ſi quis vni tantùm ex ſocijs oſtendat propriam ſchedulam, qua in electione ſuffragaturus eſt, ſit irrita electio. Deciſio 263.

An ſi vnus ex electoribus oſtendat alteri propriam ſchedulam, qua eſt ſuffragaturus, id permittente Capitulo, ſeu Collegio, electio ſit irrita. Deciſio 264.

An ſi vnus elector oſtendat alteri electori, aut etiam non electori ſub ſecreto ſchedulam, qua ſuffragaturus eſt, peccet mortaliter. Deciſio 265.

De

De Epiſcoporum Regularium votis.

AN in Epiſcopis Regularibus ceſſent vota ſpecialia ſuæ Religionis, quando illa habet. Deciſio 266.

An Epiſcopi Regulares teneantur voto paupertatis. Deciſio 267.

An Epiſcopus Regularis abſoluatur à voto obedientiæ. Deciſio 268.

An Epiſcopus Regularis abſoluatur à voto caſtitatis. Deciſio 269.

An ex natura rei, an verò ex diſpenſatione ceſſent vota Regularium, quando fiunt Epiſcopi. Deciſio 270.

An etiam in Epiſcopis titularibus ceſſent vota, ſicut ceſſant in alijs. Deciſio 271.

An Religioſi Sanctæ Mariæ de Mercede aſſumpti ad Epiſcopatum obligentur voto de redimendis captiuis. Deciſio 272.

An Fratres Minimi S. Franciſci de Paula aſſumpti ad Epiſcopatum abſoluantur à voto quadrageſimalis vitæ, quod ipſis eſt ſolemne. Deciſio 273.

An votum ſolemne Patrum Societatis Ieſu, quo ſe obligant obedire Pontifici circa miſſiones, permaneat in Epiſcopis aſſumptis ex ipſis Patribus. Deciſio 274.

An votum ſimplex Societatis Ieſu de non laxanda paupertate, ſed potiùs reſtringenda, maneat in Epiſcopo aſſumpto ex tali Societate. Deciſio 275.

An votum de non procuranda, & ambienda dignitate, quod emittunt Patres Societatis, obliget Epiſcopos aſſumptos ex ipſis. Deciſio 276.

An votum de denunciandis ambientibus dignitates, quod emittunt Patres Societatis, maneat in Epiſcopis aſſumptis ex ipſis. Deciſio 277.

An votum de non acceptanda dignitate extra Religionem, niſi ex præcepto obedientiæ, obliget Epiſcopos, qui ſemel ex obedientia aſſumpti ſunt ad Epiſcopatum ex Societate Ieſu ad non acceptandas alias dignitates, niſi accedat ſimile præceptum. Deciſio 278.

An votum, quod emittunt Patres Societatis, de audiendis conſilijs P. Generalis, ſi eligantur in præſidem alicuius Eccleſiæ, verè obliget Epiſcopos ex ipſis aſſumptos. Deciſio 279.

An, ſi huiuſmodi votum haberet ſuam validitatem, obligaret Epiſcopos aſſumptos ex eadem Societate. Deciſio 280.

An Epiſcopus Regularis deponens Epiſcopatum maneat à votis exemptus ſicut antea. Deciſio 281.

An Epiſcopus degradatus remaneat cum eadem exemptione à votis, quam antea habebat. Deciſio 282.

Quo tempore Epiſcopus Regularis eximatur à votis. Deciſio 283.

De Operibus ſeruilibus quatenus licitis in die Feſto.

QVæ, & quanta debeat eſſe neceſſitas, vt reddat licitum opus ſeruile. Deciſio 284.

An ceſſatio magni lucri tranſitorij, & extraordinarij ſit cauſa ſufficiens, vt poſſint abſq; peccato exerceri in die Feſto opera ſeruilia. Deciſio 285.

An ratione pietatis ſint licita opera ſeruilia in die Feſto, vt ſi exerceantur in fauorem Eccleſiæ, vel ob pauperes alendos. Deciſio 286.

An ſint licita opera ſeruilia pertinentia ad ornatum, & cultum Eccleſiarum, vt ornare templa, mundare, &c. Deciſio 287.

An liceat in die Feſto lauare Vaſa ſacra, Purificatoria, & alia huiuſmodi pro notabili tempore aliàs ſufficienti ad peccatum mortale. Deciſio 288.

An liceat barbitonſoribus tondere in die feſto accedentes ad barbam, vel capillos tondendos. Deciſio 289.

An liceat in die feſto ſartoribus perficere veſtes, & alijs artificibus ſua opera, quæ in eodem die feſto inſeruire debent. Deciſio 290.

An liceat in die feſto laborare in opere ſeruili circa veſtes, tabulata, & alia id genus, quæ inſeruiunt pro publica lætitia, aut pro aliquo Principe publicè honorando. Deciſio 291.

An Muliones poſſint cum beſtijs, & rhedis onuſtis iter facere in die feſto. Deciſio 292.

An excuſentur Piſtores, & Furnarij facientes, & coquentes panes in die feſto. Deciſio 293.

An liceat in die feſto molere triticum. Deciſio 294.

An excuſentur coquentes vitrum, calcem, lateres, ollas, & alia huiuſmodi in die feſto. Deciſio 295.

An excuſentur exercentes opera ſeruilia in die feſto ob neceſſitatem ſuſtentandi ſe ipſos, & familiam. Deciſio 296.

An excuſentur Agricolæ exercentes in diebus feſtis opera ſeruilia. Deciſio 297.

An excuſentur ſubiecti, vt ſerui, filij, vxores, & alij, ſi exerceant ſeruilia opera in die Feſto, cogentibus ijs, quibus ſubijciuntur. Deciſio 298.

An liceat laborare in die feſto ad vitandum ocium. Deciſio 299.

Ad quantam temporis partem extendatur paruitas materiæ excuſans à mortali in exercitio operum ſeruilium in diebus feſtis. Deciſio 300.

An, ſi quis efficiat, vt multi in die feſto exerceant opera ſeruilia pro eo tempore, pro quo ſinguli ſeorſim non peccent mortaliter, peccet ipſe mortaliter. Deciſio 301.

An, ſi quis efficiat, vt plures, ſed ſinguli aliquid modicum laborent in die feſto, ita vt non pertingat ſeorſim ad mortale, ob lucrum quod

inde percipit, peccet mortaliter. Deciſio 302.

An, ſi opus ſit continuum per totum diem, & plures ſucceſſiuè circa ipſum laborent, ſed ſinguli pro ſolo tempore, quod ratione paruitatis excuſat à mortali, peccent ipſi mortaliter, & ille quoque, qui facit eos laborare. Deciſio 303.

An, ſi quis habeat intentionem exercendi opus ſeruile ſingulis diebus feſtis, ſed pro modico tempore, excuſetur à mortali. Deciſio 304.

An excuſetur à mortali, ſi quis pluribus vicibus, ſed ſingulis modico tempore laboret circa opus ſeruile in die feſto. Deciſio 305.

An peccet mortaliter, qui exercet opus ſeruile in die feſto putans ſe habere legitimam cauſam, licet reuera non habeat. Deciſio 306.

An ſi quis è loco, in quo celebratur Feſtum, ſe conferat ad alium, in quo non celebratur, poſſit ibi exercere opus ſeruile. Deciſio 307.

An, qui è loco, in quo celebratur dies feſtus, ſe transfert ad alium, in quo non celebratur, vt ibi exerceat opus ſeruile, peccet mortaliter. Deciſio 308.

An liceat imponere amentibus opera ſeruilia diebus feſtis exercenda. Deciſio 309.

An liceat imponere ſeruo infideli opera ſeruilia in die feſto exercenda. Deciſio 310.

De Ieiunio neceſſario pro Euchariſtiæ ſumptione.

AN in nocte Natalis Domini Cardinalis celebrans primam Miſſam poſt Matutinum coram Pontifice, celebret abſque ieiunio ex diſpenſatione. Deciſio 311.

An ſi deglutiatur aliquid non comeſtibile ex natura ſua, vt parum papyri, impediat ſumptionem Euchariſtiæ ſoluendo ieiunium neceſſarium. Deciſio 312.

Quid nomine cibi, & potus ſoluentis ieiunium naturale intelligatur. Deciſio 313.

An ſit regula vniuerſalis, quòd illud non frangat ieiunium naturale, quod integrum in excrementis emittitur, nec à ſtomacho alteratur. Deciſio 314.

An ſumere terram, & traijcere in ſtomachum, vel ob delectationem, vel ob minuendum colorem, vt faciunt fœminæ, ſoluat naturale ieiunium neceſſarium pro ſumenda Euchariſtia. Deciſio 315.

An, ſi quis non aduertenti mittat in os aliquid sibi, & caſu transglutiatur, ſoluat ieiunium neceſſarium pro ſumptione Euchariſtiæ. Deciſio 316.

An, ſi quis reſpirando traijciat aliquid, quod poſſit eſſe cibus, vt culicem, ſoluatur naturale ieiunium, & impediatur à ſumptione Euchariſtiæ. Deciſio 317.

An aqua hauſta per nares ſoluat ieiunium naturale, & impediat ſumptionem Euchariſtiæ. Deciſio 318.

An odor, & ſuffitus carnium frangat ieiunium tam naturale, quàm Eccleſiaſticum. Deciſio 319.

An, ſi quis caſu deglutiat, & traijciat in ſtomachum notabilem quantitatem aquæ, vt ſi cadat in flumen, cenſeatur ieiunus, ita vt poſſit ſumere Euchariſtiam. Deciſio 320.

An ſi aliquid cibi, vel potus intret in conductum reſpirationis, & eijciatur, ſoluat ieiunium naturale. Deciſio 321.

An reliquiæ cibi præcedentis diei, quæ remanent inter dentes, ſoluant ieiunium naturale, ſi deglutiantur, & impediant ſumptionem Euchariſtiæ. Deciſio 322.

An, ſi quis lauando os, aliquas reliquias aquæ, vel vini traijceret, ſolueret ieiunium naturale, & impediretur à ſumptione Euchariſtiæ. Deciſio 323.

An, ſi dum prægustatur vinum, cibus aliquis, aut aliquid aliud ad percipiendum ſaporem, & expuitur, ſi remaneat aliquid ſaliuæ permixtum, & deſcendat in ſtomachum, ſoluatur naturale ieiunium, & impediatur ſumptio Euchariſtiæ. Deciſio 324.

An reliquiæ ablutionis, & prægustationis debeant priùs conuerti in ſaliuam, quàm traijciantur in ſtomachum, ne ſoluant ieiunium naturale. Deciſio 325.

An, ſi quis, quando it cubitum, aſſumat aliquid in ore liquefaciendum, vt eſſet ſaccharum, & duret poſt mediam noctem, poſſit die ſubſequenti ſumere Euchariſtiam. Deciſio 326.

An, quando quis mittit in os aliquid ante mediam noctem conſumendum, ſed non conſumitur ratione ſomni, ſed durat poſt mediam noctem, & deinde traijcitur in ſtomachum, poſſit Euchariſtiam ſumere. Deciſio 327.

An, ſi quis cum it cubitum, aliquid in ore ſumat conſumendum antequam dormiat, ſed ſomno oppreſſus non conſumat, & poſt mediam noctem euigilet, atque totum reperiat conſumptum, poſſit ſequenti die ſumere Euchariſtiam. Deciſio 328.

An ante ſumptionem Euchariſtiæ liceat aromata ori imponere, & dentibus conterere ad confortandum caput, vel in alium finem. Deciſio 329.

An, ſi aliquid de his aromatibus præter intentionem deſcendat cum ſaliua in ſtomachum, liceat adhuc ſumere Euchariſtiam. Deciſio 330.

An, ſi quis aſſumat aliquod granum aromaticum dentibus conterendum ad confortandum caput, & caſu in ſtomachum deſcendat, poſſit adhuc Euchariſtiam ſumere. Deciſio 331.

An, ſi ex capite, aut gengiuis deſcendat ſanguis, aut alius humor in ſtomachum, impediatur ſumptio

ſumptio Euchariſtiæ. Deciſio 332.
An ſumptio tabachi in folio, vel puluere Euchariſtiæ ſumptionem impediat, ſoluendo ieiunium. Deciſio 333.
An ſumptio tabachi in fumo ſoluat ieiunium naturale, & impediat ſumptionem Euchariſtiæ. Deciſio 334.
An paruitas cibi, aut potus ſumpti ante Euchariſtiam excuſet à mortali ratione paruitatis. Deciſio 335.
A quonam tempore debeat incipere ieiunium naturale pro ſumenda Euchariſtia. Deciſio 336.
An ſi in aliqua Prouincia eſſet diuerſa conſuetudo ſumendi initium diei poſſet licitè ſeruari in ordine ad ieiunium naturale ſeruandum pro ſumptione Euchariſtiæ. Deciſio 337.
An ieiunium neceſſarium pro ſumptione Euchariſtiæ debeat incipere à primo pulſu horæ deſignantis mediam noctem, ita vt ſi quis aliquid comedat, dum ſonant alij pulſus, non poſſit ſumere Euchariſtiam. Deciſio 338.
An quando adſunt plura horologia liceat ſequi quod libuerit in ordinando ieiunio pro ſumptione Euchariſtiæ. Deciſio 339.
An dubitans, an aliquid poſt mediam noctem deglutierit: ita vt dubium cadat ſupra comeſtionem, poſſit Euchariſtiam ſumere. Deciſio 340.
An certus quòd comederit, vel biberit, dubius verò, an poſt mediam noctem, an ante, poſſit ſumere Euchariſtiam. Deciſio 341.
An ignorantia excuſet accedentes non ieiunos ad Euchariſtiam, etiam ſi ſint Sacerdotes. Deciſio 342.
An, ſi quis ex inaduertentia poſt ſumptum aliquid cibi, aut potus accedat ad Euchariſtiam ſumendam, & quando acceſſit, recordetur, ſe non eſſe ieiunium, poſſit nihilominus Euchariſtiam ſumere. Deciſio 343.
An, ſi cibus non ſit digeſtus, poſſit nihilominus Sacerdos celebrare, & Laicus ſumere Euchariſtiam. Deciſio 344.
An perturbatio mentis orta ex indigeſtione, vel vigilia noctis, impediat celebrationem, aut ſumptionem Euchariſtiæ. Deciſio 345.

De recuſatione Iudicis apud Regulares.

AN, poſſint Regulares recuſare Iudicem ordinarium, vt ſuſpectum. Deciſio 346.
An, quando Iudex Regularis procedit cum aſſeſſore poſſit recuſari, vt ſuſpectus. Deciſio 347.
An, ſi apud Regulares adſit ſtatutum de non recuſando iudice ordinario, poſſit nihilominus adhuc recuſari. Deciſio 348.
An valeat ſtatutum apud Regulares prohibens recuſationem iudicis ordinarij. Deciſio 349.
Quando poſſit Regularis iudicem recuſare. Deciſio 350.
An ſi cauſa non ſuperueniat de nouo, ſed tantùm de nouo veniat ad notitiam, poſſit adhuc iudex recuſari in proceſſu cauſæ. Deciſio 351.
An poſt concluſionem cauſæ poſſit iudex recuſari, ſi tunc noua cauſa recuſationis ſuperueniat. Deciſio 352.
An, ſi cauſa recuſationis poſt concluſionem cauſæ non ſuperueniat de nouo, ſed ſolùm de nouo veniat ad notitiam, debeat admitti recuſatio. Deciſio 353.
An ante publicationem ſententiæ, ſi tamen ſit tradita ſcribæ ad eam pronunciandam, adhuc ſit locus recuſationi iudicis. Deciſio 354.
An, ſi iudices ſint plures, ſimul tamen iudicaturi, & aliquis recuſetur, poſſit, qui non recuſatur, cognoſcere de cauſa recuſationis. Deciſio 355.
Quid dicendum de Viſitatoribus Regularium quando plures viſitant: an poſſit vnus cognoſcere de cauſa recuſationis alterius. Deciſio 356.
An exiſtentibus pluribus iudicibus, qui tantùm ſimul poſſint iudicare, & aliquis eorum recuſetur, poſſint alij eligi in arbitros; atque adeo: an vnus Viſitator, altero recuſato. Deciſio 357.
An, quando ſunt plures iudices in ſolidum, ita vt poſſit vnus ab alio ſeorſim procedere, poſſit, vno recuſato, alter de cauſa recuſationis cognoſcere. Deciſio 358.

De Opinione probabili.

AN, ex opinionibus probabilibus vna ſit tutior altera. Deciſio 359.
An ſit probabilis opinio, quæ vni tantùm Doctori innititur. Deciſio 360.
An opinio ab alijs reprobata poſſit vt probabilis amplecti. Deciſio 361.
An aliqua opinio ſit tantùm ſpeculatiuè probabilis, & non practicè. Deciſio 362.
An ex facto conſurgat opinio probabilis. Deciſio 363.
An, cæteris paribus, probabilior ſit opinio Veterum, quàm Recentiorum. Deciſio 364.
An, quando ex oppoſitis opinionibus altera eſt probabilior, poſſit intellectus vtrique aſſentiri. Deciſio 365.
Quænam cenſenda ſit probabilior, quando concurrit opinio Theologorum, & Canoniſtarum. Deciſio 366.
An vt opinio vnius Doctoris ſit probabilis, requiratur vt ab ipſo tradatur tanquam vera, an
verò

Digitized by Google

verò ſatis ſit, ſi tradatur tanquam probabilis. Deciſio 367.
An auctoritas vnius Doctoris tradentis obiter in diſcurſu, aut probatione alterius opinionis, aut in reſponſione ad argumenta, aliquam opinionem, faciat ipſam probabilem. Deciſio 368.
An ſufficiat vnus Doctor, vt reddat opinionem probabilem, quando oppoſita habetur pro certa. Deciſio 369.
An, quando opinio cenſetur communiter improbabilis, aut contiuere errarem, ſi quis ſingulariter eam tradat habenda ſit pro probabili. Deciſio 370.
Qualis debeat eſſe Doctor, vt ſuam ſingularem opinionem probabilem faciat. Deciſio 371.
An opinio ſingularis vnius Doctoris acquirat maiorem probabilitatem ex eo, quòd ſit typis edita. Deciſio 372.

De Electione Sepulturæ.

AN Clerici, & Regulares poſſint inducere infirmum ad eligendam Sepulturam in propria ipſorum Eccleſia. Deciſio 373.
An peccent mortaliter, & contrahant pœnas iuris, qui conantur inducere ad eligendam ſepulturam cum voto, iuramenta, aut promiſſione, ſi effectus non ſequatur. Deciſia 374.
An peccet, & incurrat excommunicationem, qui inducit ad eligendam ſepulturam cum obligatione apud illam Eccleſiam, apud quam de iure debuiſſet ſepeliri. Deciſio 375.
An, & quæ ignorantia ſufficiat, vt inducentes ad eligendam ſepulturam cum obligatione non incurrant excommunicationem. Deciſio 376.
An electio ſepulturæ facta ex ſuggeſtione ſit nulla. Deciſio 377.
An, ſi Clerici, vel Regulares inducant aliquem, vt ſe obliget ad eligendam ſepulturam, vel electam non mutandam apud ipſorum Eccleſias, in quibus de iure, præciſa electione, deberet ſepeliri, debeat adhuc in eadem Ecclesia ſepeliri. Deciſio 378.
An eligens ſepulturam apud aliquam Eccleſiam, & poſtea mutans electionem, & eligens aliam modo prohibito per Canones, nempe cum obligatione; debeat ſepeliri in Eccleſia priùs electa, an prout de iure. Deciſio 379.
An, ſi vnus tantùm ex Clericis, vel Regularibus inducat ad eligendam ſepulturam apud ſuam Eccleſiam cum obligatione ipſius eligentis &c. electio ſit nulla. Deciſia 380.
Quinam poſſint ſibi eligere ſepulturam. Deciſio 381.
An Regulares decedentes extra clauſtra poſſint ſibi eligere ſepulturam. Deciſio 382.
An Regularis moriens extra proprium monaſterium poſſit ſibi eligere ſepulturam, ſi ibi ſit aliud monaſterium ſui Ordinis. Deciſia 383.
An Prælati Religionis poſſint ſibi eligere ſepulturam. Deciſio 384.
An Conſultores apud nos Clericos Regulares poſſint ſibi eligere ſepulturam. Deciſio 385.
An Prælati Regularium poſſint eligere ſepulturam pro ſuis ſubditis. Deciſio 386.
An, ſi Prælatus Regularis eligat ſepulturam, & moriatur finita Prælatura, debeat ſepeliri in ſepultura electa. Deciſio 387.
An Regularis, qui præeſt Prioratui, ſeu Vicariatui non ſubiecto immediatè Generali, poſſit ſibi eligere ſepulcrum. Deciſio 388.
An Pater filio impuberi poſſit eligere ſepulturam. Deciſia 389.
An, ſi pater filio impuberi eligat ſepulturam, debeat adhuc in ipſa ſepeliri, ſi pubes moriatur. Deciſio 390.
An pater mortuo iam filio impuberi poſſit eligere ſepulturam. Deciſio 391.
Quando ceſſet poteſtas patris eligendi ſepulturam pro filio impuberi. Deciſio 392.
An mater poſſit filio impuberi eligere ſepulturam. Deciſio 393.
An affines, & conſanguinei poſſint ſepulturam eligere pro affine, & conſanguineo impuberi. Deciſio 394.
An tutor poſſit eligere ſepulturam pupillo impuberi. Deciſia 395.
An amicus poſſit alteri amico ſepulturam eligere. Deciſio 396.
An dominus poſſit eligere ſepulturam ſeruo. Deciſio 397.
An pater, & mater poſſint eligere ſepulturam filijs naturalibus, & ſpurijs. Deciſia 398.
An quando electio ſepulturæ committitur alicui, debeat is eligere, antequam committens moriatur. Deciſio 399.
An, ſi filius pubes moriatur non electa ſepultura, poſſit pater ipſi eam eligere. Deciſia 400.
An cum quis moritur, non electa ſepultura, quam poterat eligere, detur ius eligendi, vel ſepulchrum maiorum, vel apud Eccleſiam Parochialem. Deciſio 401.
Quodnam ſit ſepulchrum maiorum, in quo quilibet eſt ſepeliendus, ſi non elegit ſepulturam. Deciſio 402.
Reſoluuntur quædam dubia circa ſupradicta. Deciſio 403.
An electio ſepulturæ probari poſſit per teſtes ſingulares. Deciſio 404.
An ad probandam electionem ſepulturæ ſufficiat codicillus inualidus, aut ſcriptura manu propria ſubſcripta. Deciſio 405.
An dictum Confeſſarij ſufficiat ad probandam electionem ſepulturæ. Deciſio 406.

Variæ.

Digitized by Google

DECISIONVM.

Variæ.

AN ſurdus aſſiſtens choro, & cum alijs cantans ſatisfaciat obligationi. *Deciſio* 407.

An ſatisfaciat obligationi chori, qui non attendit, quando officium cantatur cantu muſicali. Deciſio 408.

An mercatores teneantur oſtendere Publicanis, ſeu Gabelarijs libros emptionum, & venditionum, ſi eos petant in ordine ad calculandas Gabelas, &c. Deciſio 409.

An, ſi Princeps inſpiciens libros mercatorum reperiat fraudatas eſſe Gabelas, & cogat ſoluere, poſſit ſibi retinere ſummam redactam; an verò debeat reſtituere conductoribus Gabelarum. Deciſio 410.

An ad perfectam gratiam ſufficiat ſignatio ſupplicationis, an verò requiratur etiam expeditio litterarum. Deciſio 411.

An in diſpenſationibus, & facultatibus abſoluendi à reſeruatis, vel eligendi Confeſſarium, quas concedit Pœnitentiaria Romæ, ſit neceſſaria expeditio litterarum. Deciſio 412.

An, quando Pœnitentiaria ſignauit ſupplicationem pro aliqua abſolutione, aut diſpenſatione, aut quauis alia facultate, quam concedit, poſſit quod conceditur mandari executioni, non expectando litterarum expeditionem, dummodò tamen notificetur ſignatio ſupplicationis. Deciſio 413.

An quilibet Confeſſarius ex ijs Religionibus, quæ fruuntur Priuilegio Gregorij XIII. poſſiat aperire, & mandare executioni litteras ſacræ Pœnitentiariæ. Deciſio 414.

An Moniales poſſint introducere conſuetudinem, quæ apud ipſas habeat vim legis. Deciſio 415.

A quonam Capitulo, ſeu Prælato debeat Nouitius ad profeſſionem admitti, quando mittitur de vno in alium Nouitiatum propè finem anni probationis. Deciſio 416.

An Prælatus Regularis vti poſſit miniſterio Laicorum ad verberandum ſuos Religioſos correctionis gratia. Deciſio 417.

Quinam intelligantur nomine Monachi, quibus vti poteſt Prælatus ad verberandos ſubditos, iuxta Cap. Vniuerſitatis de Sentent. excommunicat. *Deciſio* 418.

An Prælati Regulares poſſint vti miniſterio Laicorum ad torquendos ſubditos. Deciſio 419.

An dum aliqui tanquam ſocij eunt ad aggrediendum cum principali, ſi quis ex ipſis occidatur ab ijs, quos aggreſſi ſunt, cæteri ex aggreſſoribus contrahant irregularitatem. Deciſio 420.

An qui baptizando cauſat mortem baptizanti, aut ipſam accelerat, ſit irregularis. Deciſio 421.

An ſi ſacerdos in Miſſa ordinationis audiat verba conſecrationis eſſe ab alio completa, antequam ipſe compleat, debeat ipſe non vlterius progredi, an verò debeat complere. Deciſio 422.

An ordinatus Sacerdos in Miſſa ordinationis debeat habere intentionem non conſecrandi antequam compleantur ab Epiſcopo ordinante. Deciſio 423.

An hoſpites apud nos Clericos Regulares gaudeant priuilegio Canonis Si quis ſuadente Diabolo, &c. *Deciſio* 424.

An ſufficiat conſenſus maioris partis Communitatis ad aliquid ſtatuendum, quando agitur de iure omnium, & ſingularum perſonarum. Deciſio 425.

An, quando requiritur conſenſus omnium, & ſingulorum de communitate, ſufficiat conſenſus omnium, & ſingulorum ex ijs, qui repræſentant communitatem. Deciſio 426.

An, quando ſacerdos accipit ſtipendium pro celebranda Miſſa in altari priuilegiato pro defunctis, ſatisfaciat obligationi celebrando in alio altari, & applicando Indulgentiam Plenariam, quam aſſequitur in virtute coronæ, vel medaliæ benedictæ. Deciſio 427.

An qui promiſit Miſſam in tali altari priuilegiato, ſatisfaciat obligationi celebrando in alio altari, & applicando Indulgentiam coronæ, &c. Deciſio 428.

An Rectores Eccleſiarum poſſint concedere facultatem ſacerdoti obligato celebrare in ſua ipſorum Eccleſia, vt alibi celebret. Deciſio 429.

Ad quemnam ſpectet determinare diem, atque horam celebrandi, quando Sacerdos tenetur celebrare, ſed non quotidie, in Eccleſia, quæ non ſit ſui iuris. Deciſio 430.

An ſi quis omittat ſupplere cæremonias, & ſolemnitates prætermiſſas in priuato baptiſmo, mortaliter peccet. Deciſio 431.

An, qui ratione metus emiſit profeſſionem inualidam, poſſit reclamare elapſo quinquennio, ſi adhuc poſt profeſſionem emiſſam durauit metus. Deciſio 432.

An, qui emiſit votum Religionis, ſatisfaciat aſſumendo habitum Equitum Hieroſolymitanorum. Deciſio 433.

An, qui emiſit votum Religionis poſſit acceptare Epiſcopatum, antequam adimpleat votum. Deciſio 434.

An ſi Nouitius, dum profitetur, nolit expreſſè expirare vota, quæ habet, adhuc expireat ipſo nolente. Deciſio 435.

An iuramentum mulieris cum ſeptima manu propinquorum, quòd non fuerit coniuncta viro ſit ſufficiens probatio legitima in ordine ad diſpenſandum in publica honeſtate. Deciſio 436.

An qui iniuria afficitur, poſſit dicere contumelioſo Mentiris. *Deciſio* 437.

An

Digitized by Google

INDEX

An liceat contumelioſo obijcero crimina ad depellendam iniuriam. Deciſio 438.

An liceat obijcere contumelioſo erimen occultum ad propulſandam iniuriam, & conſeruandum proprium honorem, & famam. Deciſio 439.

An liceat dicere contumelioſo Mentiris, *quando in contumelijs obijcit vera crimina occulta. Deciſio* 440.

An ad propulſandam iniuriam liceat occidere contumelia afficientem. Deciſio 441.

An vir honoratus poſſit occidere ſibi dicentem Mentiris. *Deciſio* 442.

An qui aliqũem vera contumelia affecit, ſed occulta, teneatur dicere ſe mentitum fuiſſe, vt læſo ſatisfaciat. Deciſio 443.

An teſtimonium extraiudiciale poſſit à iudice admitti, dummodo de ipſo iudicialiter conſtet. Deciſio 444.

An peccent Mercatores, dum iurant, quòd merces pluris ipſis ſtant, vtendo æquiuocatione, vt ad precium iuſtum deueniant. Deciſie 445.

An qui recitando Diuinum Officium voluit multo tempore paginas, vt quærat Pſalmos, &c. ſatisfaciat. Deciſio 446.

An ſi quis recitando Diuinum Officium, vacet alteri rei, quæ non impediat debitam attentionem, ſatisfaciat obligationi recitandi. Deciſio 447.

An ſcholaris, cuius ſcientia eſt notoria, doctorari poſſit abſque prauio examine. Deciſio 448.

An ſi maritus prohibeat vxori eleemoſynas, poſſit adhuc vxar eas facere. Deciſio 449.

An peccet Religioſus vtendo veſtimentis profanis. Deciſio 450.

An, ſi Religioſus per duos, vel tres dies retineat apud ſe pecuniam, quam poſtea eſt ſoluturus, peccet mortaliter. Deciſio 451.

An damnum alterius ſequens ex actu licito proprio ſit voluntarium. Deciſio 452.

An teneatur reſarcire damnum ſequutum ex omiſſione qui omittit contra debitum non omittendi. Deciſio 453.

An ſi Beneficiarius prætermittat per octo, aut decem dies recitationem Officij, teneatur ad reſtitutionem fructuum correſpondentium. Deciſio 454.

An, ſi ignorans ſe teneri ad aliquam reſtitutionem pauperibus faciendam, faciat aliquas eleemoſynas, poſſit poſtea eas applicare pro tali reſtitutione. Deciſio 455.

An peccet, qui non obſeruat iuramentum factum ſuper obſequijs exhibendis vulgò Complimenti. *Deciſio* 456.

An, vt ſtuprum puellæ oppreſſæ violenter non imputetur ad culpam, teneatur clamare, & facere quodcunque poteſt ad violentiam repellendam. Deciſio 457.

An iuramentum factum contra ſimplicem promiſſionem valeat, & obliget ad ſui obſeruationem. Deciſio 458.

An iuramentum contra ſimplicem promiſſionem incipiat obligare, ſi ceſſet obligatio ſimplicis promiſſionis. Deciſio 459.

An Canonicus excuſetur à reſidentia ex eo, quòd publicè Theologiam doceat. Deciſio 460.

An Regularis, qui non conuincitur, poſſit à Prælato puniri. Deciſia 461.

An pactum, vel iuramentum de non accuſando, ſeu denunciando, obliget. Deciſio 462.

An Parochi poſſint inſeruire Epiſcopo in officio Vicarij, Viſitationis, & alijs huiuſmodi officijs. Deciſio 463.

An ſi Parochialis Eccleſia diſtet tantùm ab vrbe tribus, aut quattuor milliaribus, cenſeatur Parochus reſidere, ſi maneat in vrbe, & diebus feſtis ſe ad Eccleſiam transferat. Deciſio 464.

An ſi Parochus à Parochia ambitu parum diſtet ſatisfaciat obligationi reſidendi. Deciſio 465.

An infideles peccent peccato infidelitatis, cum dicunt ſe eſſe Turcas, aut alterius ſectæ, quam profitentur. Deciſio 466.

An poſſit iudex compellere partes ad compoſitionem. Deciſio 467.

An, quando litigantes ſunt perſonæ inſignes, & timetur graue ſcandalum, poſſit iudex ad compoſitionem compellere. Deciſio 468.

An Clerici poſſint expellere confugientes ad Eccleſias, & alia loca immunia. Deciſio 469.

An, ſi confugæ non ſeruent debitam reuerentiam Eccleſiæ, aut in alijs locis immodeſtè ſe gerant, poſſint expelli. Deciſio 470.

An ſi confugæ non habeant vnde ſuſtententur, debeant ab Eccleſia ſuſtentari. Deciſio 471.

An ſubditus contra propriam conſcientiam erroneam teneatur obedire Superiori. Deciſia 472.

An Epiſcopi poſſint abeſſe à propria Diœceſi vltra tres illos menſes conceſſos à Trid. Deciſio 473.

An liceat alieni deſiderare mortem ob hæreditatem obtinendam, vel ob aliquod aliud commodum. Deciſio 474.

Quidam Chriſtianus fingens ſe eſſe Turcam petijt baptizari, eo fine, vt obtineret certam proviſionem ſolitum aſſignari Turcis venientibus ad baptiſmum, quæritur an debeat abiurare. Deciſio 475.

An quando teſtamentum eſt minùs ſolemne poſſint heredes pro Capellania inſtituenda ex voluntate teſtatoris, eum non præſentare, quem teſtator voluit prima vice præſentari. Deciſio 476.

An Rector vnius Parochialis prohibere poſſit Rectori alterius, ne faciat proceſſiones eadem die, qua ipſe facit. Deciſio 477.

An in ſimonia detur paruitas materiæ, quæ excuſet à mortali peccato. Deciſio 478.

An paruitas materiæ excuſet à peccato mortali

in

Digitized by Google

in ſimonia, quæ eſt de iure Eccleſiaſtico poſitiuo. Deciſio 479.

An in foro exteriori paruitas materiæ excuſet à ſimonia. Deciſio 480.

An paruitas materiæ excuſet à ſimonia in foro interiori, quando non adeſt pactum. Deciſio 481.

An iudex poſſit ex iuſta cauſa denegare audientiam. Deciſio 482.

An, ſi iudex ex cauſa iuſta deneget audientiam, acquiratur ius parti, vt non poſſit amplius ipſa inuita concedi. Deciſio 483.

An quando ſunt plures iudices, poſſit aliquis eorum ſe abſtinere à iudicando in aliqua cauſa. Deciſio 484.

An poſſit Princeps immittere Satellites, aut milites in loca immunia, vt ob metum confugæ inde diſcedant. Deciſio 485.

An, ſi reus extractus è manibus ſatellitum, confugiat ad Eccleſiam, ſit reſtituendus curiæ ſæculari, qua fuit iniuſtè priuata. Deciſio 486.

An, ſi conſuetudo ſit rei grauis, & difficilis, & communiter ſeruetur à populo cenſenda ſit introducta cum animo ſe obligandi. Deciſio 487.

An, ſi viri timorati malè ſentiant de ijs, qui non obſeruant conſuetudinem, aut populus communiter ſcandalizetur, ſit ſignum fuiſſe introductam cum animo ſe obligandi. Deciſio 488.

An, ſi Superiores, & Magiſtratus reprehendant, & puniant non ſeruantes conſuetudinem, ſit ſignum quòd fuerit inducta cum animo ſe obligandi. Deciſio 489.

An, ſi materia conſuetudinis multum conferat ad vtilitatem Reipublicæ, cenſenda ſit introducta conſuetudo cum animo ſe obligandi. Deciſio 490.

Quid, & qualis ſit animus ſe obligandi, qui dat vim legis conſuetudini. Deciſio 491.

An Indulgentiæ, quæ alicui conceduntur à Summo Pontifice applicandæ imaginibus, coronis, &c. poſſint in alterum transferri, à quo applicentur. Deciſio 492.

An, qui habet Indulgentias, ſeu benedictiones applicandas, mortuo Pontifice concedente, poſſit illas applicare: an verò expiret facultas applicandi. Deciſio 493.

An conceſſio harum Indulgentiarum, ſeu benedictionum applicandarum coronis, &c. ſit æque certa, ac conceſſio aliarum Indulgentiarum, quæ fit Eccleſijs, Altaribus priuilegiatis, &c. Deciſio 494.

An mortuo Epiſcopo poſſit quilibet Confeſſarius abſoluere à reſeruatis eidem Epiſcopo. Deciſio 495.

An reſeruatio Epiſcopalis ceſſet mortuo Epiſcopo, nedum reſpectu eorum, qui poſt mortem Epiſcopi incurrunt, ſed etiam reſpectu eorum, qui ipſo viuente incurrerunt. Deciſio 496.

An etiam apud nos Clericos Regulares expiret reſeruatio extincta iuriſdictione reſeruantis. Deciſio 497.

An liceat parentibus caſtrare filios ad conſeruandam vocem. Deciſio 498.

An licentia audiendi confeſſiones conceſſa ad beneplacitum expiret morte concedentis. Deciſio 499.

An Epiſcopus poſſit approbare Regulares ad audiendas confeſſiones cum limitatione. Deciſio 500.

An teneamur pro proximo fideiubere. Deciſio 501.

An fideiuſſor poſſit aliquid accipere pro actu fideiubendi. Deciſio 502.

Titius mittit merces Paulo commiſſas eiuſdem diſpoſitioni: interim Franciſcus videns quod Paulus eſt breui decocturus, ipſum rogat, vt ſibi ſatisfaciat de ſumma, quam debet. Paulus dat illi merces in commiſſione acceptas à Titio pro pignore: Paulus decoquit: Titius petit merces à Franciſco tanquam ſuas. Quæritur an Franciſcus teneatur reſtituere. Deciſio 503.

An in impetratione Beneficij ſit neceſſarium exprimere verum valorem, aut ſufficiat exprimere taxatum. Deciſio 504.

An Abbates debeant præcedere Generales Regularium, qui non ſunt Abbates. Deciſio 505.

An ſponſalia contracta ſub conditione, Si Papa diſpenſauerit, in ſecundo conſanguinitatis gradu, aut in alio impedimento dirimente, ſiat valida. Deciſio 506.

An Beatus electus in protectorem ab aliqua Ciuitate debeat præcedere Canonizatum electum ab eadem Ciuitate in poſteriori tempore. Deciſio 507.

An Princeps abſque violatione iuris Gentium punire poſſit Oratores apud ſe reſidentes, & eos qui ſunt de ipſorum comitatu, & familia, ſi delinquant. Deciſio 508.

An Oratores ſubijciantur legibus Loci, in quo ſunt, ita vt ſi eas non ſeruent, puniri poſſint à Principe, apud quem reſident. Deciſio 509.

An Oratores ſubijciantur legibus, & edictis Ordinariorum loci, & Synodi Diœceſani. Deciſio 510.

Finis Indicis Deciſionum.

FRANCISCVS ERICIO, Dei Gratia, Dux Venetiarum, &c. Vniuerſis, & ſingulis Rectoribus, & Repreſentantibus Noſtris quibuſcunq; nec non Magiſtratibus huius Vrbis Noſtræ Venetiarum, eorumq; Miniſtris præſentibus, & futuris, ad quos hæ noſtræ peruenerint. Significamus hodie in Conſilio Noſtro Rogatorum captam fuiſſe Partem tenoris infraſcripti: Videlicet. Che per auttorità di queſto Conſeglio ſia conceſſo al P. D. Zaccaria Paſqualigo Veroneſe, che altri, che lui, ò chi hauerà cauſa da lui non poſſa per lo ſpatio d'anni vinti proſſimi Venturi ſtampar coſi in queſta Città, ò luogo del Dominio Noſtro, ne altroue ſtampato condur, ò vender in eſſo Dominio Noſtro il Libro intitolato *Deciſiones Morales iuxta principia Theologica*, ſotto pena di perder le Opere ſtampate, le quali ſiano del predetto Paſqualigo, & di pagar Duc. 300. vn terzo de' quali ſia dell'accuſator, vn terzo del Magiſtrato, che farà l'eſſecutione, & l'altro terzo dell'Arſenal noſtro, eſſendo obligato à quant'è diſpoſto, in materia di ſtampe. *Quare auctoritate ſupradicti Conſilij mandamus vobis, vt ſupraſcriptam Partem obſeruetis, & ab omnibus inuiolabiliter obſeruari facciatis.*

Dat. in Noſtro Duc. Pal. Die VIII. Augusti Indit. IX. M DC XLI.

Gio: Battiſta Gratarol Secr.

DE-

DECISIONES MORALES
R.P.D. ZACHARIÆ PASQVALIGI
VERONENSIS
CLERICI REGVLARIS.

De Opinionis electione.

An in ſeligenda opinione, quam tuta conſcientia ſequaris, attendenda ſit multitudo Doctorum, qui eam tradunt.

Deciſio I.

SVMMARIVM.

1 *Non eſt attendenda multitudo Doctorum in electione opinionis.*
2 *Vnus aliquando plures ſuperat in ſpeculando.*
3 *Ratio reddit probabilem, & eligibilem opinionem.*
4 *Quomodo ſe gerere debeat qui non poteſt iudicare de motiuis alicuius opinionis, & eiuſdem probabilitate.*
5 *Quando præualeat præſumptio in fauorem Doctorum.*

1 REſpon. negatiuè cum Abbate *cap. 1. de Conſtitut. ver. ſecundo caſu principali* Io. Andrea *ibid.* Maſcar. *De probat. concluſ. 1143. num. 3. & 5.* qui etiam alios allegat, Azor. *tom. 1. lib. 2. cap. 16. quæſt. 5.* Nauar. *in ſum. cap. 27. num. 280.* Sanchez *lib. 3. De matrimon. diſp. 44. num. 2.* Villalobos *tom. 1. ſum. pract. 1. difficul. 4.* Io. Sanchez *diſp. 29. num. 7. & diſp. 44. num. 68.* Clauis Regia *lib. 1. cap. 6. num. 8.* Vaſquez 1. 2. *tom. 1. diſp. 62. cap. 4. num. 13.* Caſt. Palaus *par. 1. tract. 1. diſp. 2. dub. 1. num. 7.* Baldel. 1. *par. theol. moral. lib. 4. diſp. 11. num. 7. & 8.*

2 Deſumitur autem ex l. 1. §. *Neq; C. De veteri iure enucl.* vbi habetur: *Sed neq; ex multitudine auctorum, quod melius, & æquius eſt, iudicari debet: cum poſſit vnius forſan, & deterioris ſententia & multos, & maiores aliqua in parte ſuperare.* Et ex Cap. *Capellanus De Ferijs* duæ proponuntur opiniones, quarum poſteriorem eligit pontifex, & electionis aſſignat rationem; quia nimirum *Meliori, & ſubtiliori nititur ratione.*

3 Fundamentum reſponſionis deſumitur ex eo, quòd ſicuti opinio eſt opinio ob rationem, cui innititur, à qua habet ſuam probabilitatem; ita etiam ob eamdem rationem eſt eligenda, quia eſt eligenda ratione ſuæ probabilitatis. Vnde non eſt attendenda multitudo Doctorum, qui eam tradunt; & ideo potiùs eſt eligenda opinio paucorum, quæ nititur optima ratione, quàm multorum, quæ aut nullā habet rationem, aut inſufficientem.

4 Sed quæres, quomodo ſe gerere debeat ille, qui non poteſt iudicare de ratione, cui opinio innititur, an ſit magis, vel minùs probabilis. Reſp. poſſe conſulere eos, qui de hoc iudicare poſſunt. Vel, ſi non vult conſulere, poteſt attendere ad multitudinem Doctorum, qui eam tradunt: quia poteſt eos accipere tanquam conſulentes, quòd opinio, quam amplectuntur, ſit probabilior; nam præſumì debet, quòd eam tradant, quia probabiliorem exiſtiment.

5 Imo quando contra pluralitatem Doctorum

non concurrit ratio valde probabilis, poteſt
quiſque illos ſequi: quia tunc præualet præ-
ſumptio in fauorem ipſorum; præſumuntur .n.
quòd probabili ratione moueantur ad ita te-
nendum. Quod etiam tradit Azor *tom.* 1. *lib.*
2. *cap.* 16. *quæſt.* 5. in fine Caſt. Palaus *par.* 1.
tract. 1. *diſp.* 2. *puncto* 1. *num.* 8.

An vnius opinio poſſit plurium opinioni, ſeu communi præferri.

Deciſio II.

SVMMARIVM.

1 *Vnius opinio poteſt communi præferri.*
2 *Quando id habeat locum ſecùndum aliquos.*
3 *Qui doceant hoc eſſe licitum in caſu nouo.*
4 *Abſolutè vnius opinio poteſt præferri communi.*
5 *Si tamen ſit firma ratione munita.*
6 *Sententia vnius, quò ad momenta rationum, aliquando communi præponderat.*
7 *Qui non poteſt opiniones expendere, debet alios conſulere.*
8 *Tam indoctus, quàm doctus poteſt ſequi opinionem celebris auctoris contra communem.*

1 RESp. affirmatiuè cum Azorio *tom.* 1. *lib.* 2.
cap. 16. *quæſt.* 6. Sayro *in Claui Regia lib.*
1. *cap.* 6. *nu.* 8. Vaſquez 1.2. *tom.* 1. *diſp.* 62. *cap.* 4.
num. 13. Villalobos *tom.* 1. *ſum. tract.* 1. *difficul.*
7. *num.* 3. Io. Sanchez *diſp.* 29. *ſelect. num.* 7.
Caſt. Palao *par.* 1. *tract.* 1. *diſp.* 2. *puncto* 1.
num. 12. Maſcar. *de probat. concluſ.* 1143. *num.*
12. qui alios etiam allegat, præſertim Abba-
2 tem, Hoſtienſem, Felinum. Hoc autem volunt
habere locum, quando opinio ſingularis fauet
cauſæ piæ, teſtamento, libertati, doti, valo-
ri matrimonij, & generaliter eum defendit
valorem actus.
3 Aliter limitat Portel *in Dub. Reg. Verbo
Opinio eligenda num.* 4. vt hoc liceat, in ca-
ſu nouo, qui ab alijs non diſputetur, ſecùs in
caſu ab alijs ventilato, & cui fauent plures
Doctores, & plures rationes. Verùm tunc non
vrget difficultas: quia certum eſt, quòd am-
plecti poteſt vnius probati auctoris doctrina,
quando ipſe ſolus difficultatem tractat.
4 Abſolutè tamen affirmatiuè reſpondet Bal.
in cap. Ne innitaris de conſtit. Angelus *Verbo
Opinio num.* 2. Syluеſter *ibid. quæſ.* 1 Nauar.
in ſum. latin. cap. 27 *num.* 88. Sà *Verbo Dubium
num.* 3. Abbas *in cap. Capellanus de fer. & in
cap. Cum ſint de decimis* Valent. *tom.* 2. *diſp.* 2.
quæſ. 14. *puncto* 4. *quæſ.* 4. Filliucius *tom* 2. *tract.*
21. *cap.* 4. *num.* 134. Merolla *tom.* 1. *diſp.* 3.
cap. 4. *dub.* 2. *num.* 75. Quam ſententiam re-
fert Diana *par.* 4. *tract.* 4. *Miſcellan. Reſol.* 30.
ver. Sed non deſinam. Quid autem ipſe ſentiat
non declarat, licet huic opinioni videatur ad-
hærere. Item Moditius *in* §. *Principum placita
dub.* 125. *num.* 5. Baldel. *tom.* 1. *Theol. moral.
lib.* 4. *diſp.* 11. *num.* 8. Villalobos 1. *par. ſum.*
1. *difficul.* 4. *num.* 17. Anton. Maria Corar. *tract.
de communi opinione lib.* 2. *tit.* 8. *num.* 6. Azo-
guidus *lib.* 3. *de com. opin. cap.* 8. *num.* 1. Rolan.
conſ. 100. *num.* 49. *vol.* 2. Rim. iun. *conſ.* 406.
num. 25. *lib.* 4. Angel. *conſ.* 170. Rec. *conſ.* 376.
num. 7. *conſ.* 476. *num.* 9. *& conſ.* 569. *in fine*
Cephal. *conſ.* 718. *num.* 37. *lib.* 5. Turret. *conſ.*
25. *num.* 37. Chartar. *Deciſ. Crim.* 57. *num.* 70.
5 Quæ ſanè amplectenda eſt, dummodo ſingu-
laris ſententia, quæ communi præfertur, ſit
firma ratione munita, & præponderans fun-
damentis communis opinionis. Et hoc in pra-
xi ſeruatum ſemper fuit; nam plures, quæ
modo ſunt communes opiniones, antea fue-
runt ſingulares; ſic vt notat Azor. *ſupra cit.*
priùs ſecùndum communem opinionem erat
peccatum mortale celebrare ante matutinas
præces recitatas; contra quam opinionem
ſcripſit Soto 10. *de Iuſt. & iure q.* 5. *ar.* 4. *con-
cluſ.* 2. *& in* 4. *diſt.* 13. *quæſ.* 2. *ar.* 2. & modò
eius doctrina facta eſt communis opinio.
6 Ratio autem eſt, quia cum homo debeat ra-
tionabiliter operari, debet moueri ad ope-
randum à ratione; fieri autem poteſt, quòd
ſententia vnius in ratione, cui innititur, præ-
ponderet ſententiæ multorum: & ideo habeat
maiorem vim, vt moueat intellectum ad ſic
ſentiendum; quilibet autem debet operari
prout ſentit eſſe operandum. Vnde quando
quis habet conſcientiam erroneam tenetur
ſecùndum ipſam operari. Ex quo fit, quòd ſi
tenetur ſequi conſcientiam erroneam, multò
magis tenetur ſequi opinionem ſingularem,
quando in ipſo generat conſcientiam, quæ
amplectenda ſit ob validitatem rationis, cui
innititur; quam licet non ſemper generet, at-
tamen vt plurimum ita ſatisfacit intellectui,
vt iudicet eſſe probabilem. Et pro hac De-
ciſ. faciunt l. 1. *C. De iur.* de lib. & l. *Si qui
C. De cond. indeb.*
7 Verùm quia non quilibet poteſt expendere,
an ſingularis opinio meliori ratione nitatur,
quàm communis; ideo tunc ſufficit, quòd con-
ſulat eos, qui poſſunt expendere, vt docent
Henr. *Quodlib.* 4. *quæſ.* 33. Conrad. *quæſ.* 100.
de contract. concluſ. 2. Azor. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.*
8 17. *quæſ.* 5. Quòd ſi nolit conſulere, poteſt ab-
ſolutè ſequi ſingularem opinionem, ſi auctor
ſit celebris, & bonæ exiſtimationis: quia po-
teſt reputare ſententiam probabilem ex eo,
quòd tractatur à viro docto: quia eius auctori-
tas poteſt eſſe maioris ponderis etiam apud
doctos, quàm aliqua probabilis ratio, eo
quòd

Digitized by Google

quòd ſibi perſuadeant moueri rationabiliter ad ita ſentiendum, vt notat Henric. *Quodlib.* 4. *queſt.* 33. Conrad. *quæſ. vlt. de contrac. concluſ.* 2. *caſu* 2. Sayrus *lib.* 1. *Clauis Regiæ cap.* 8. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 62. *cap.* 5. Merolla *tom.* 1. *diſp.* 3. *dub.* 2. *num.* 79. Villalobos *par.* 1. *ſum. ar.* 1. *difficul.* 6. *num.* 2. Breſſetus *lib.* 3. *de conſcient. cap.* 3. *num.* 39. Baldel. *tom.* 1. *Theologiæ mor. lib.* 4. *diſp.* 11. *num.* 6. Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 9. *nu.* 8. Vnde etiam D. Th. *Quodlib.* 3. *ar.* 10. docet, poſſe vnumquemque amplecti opinionem in moribus, quam à magiſtro didicit; Nec valet limitatio, quòd hoc habeat locum, quando de eadem re non adeſt opinio in oppoſitum: quia abſolutè loquitur, & ſolùm excludit, quòd non ſit ſequenda opinio magiſtri, quando eſt contra manifeſtum ſcripturæ teſtimonium, aut contra communem ſenſum, & Eccleſiæ auctoritatem. Nec obſtat quod Maior *in* 4. *quæſ.* 2. *vol. concluſ.* 5. oppoſitum doceat, cum nullum afferat ſolidum fundamentum. Sicut nec etiam Corduba *lib.* 2. *quæſ.* 3. §. 1. *ad.* 2.

An ſolùm in ijs, quæ ſunt iuris humani, an verò etiam in ijs, quæ ſunt iuris diuini poſſit vnius opinio communi præferri.

Deciſio III.

SVMMARIVM.

1 *Vnius opinionem, in ijs, quæ ſunt iuris humani poſſe communi preferri.*
2 *Poſſe etiam in ijs, quæ ſunt iuris diuini.*
3 *Probabilitas eſt eiuſdem rationis in ijs, quæ ſunt iuris diuini, & humani.*
4 *In ijs, quæ ſunt iuris diuini, vnius opinio habère poteſt, vnde communi poſſit præferri.*

1 Licere ſolùm in ijs, quæ ſunt iuris humani docet Adrian. *Quodlib.* 4. *artic.* 1. *litera N. ver. Ex hoc patet,* Corduba *lib.* 2. *quæſt.* 3. *in ſolut. ad* 1, *confir. primi argum.* Quia in ijs, quæ ſunt iuris humani non adhibetur à Doctoribus tanta diligentia, quanta adhibetur in ijs, quæ ſunt iuris diuini: nec in ipſis tanta exigitur, quanta exigitur in his; vnde non eſt recedendum à communi opinione in ijs, quæ ſunt iuris diuini, quia præſumitur, quòd conſtituta ſit præuia diligenti diſcuſſione.

2 Sed dicendum eſt cum Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 9. *num.* 7. & 9. Breſſero *lib.* 3. *de Conſcient. cap.* 3. *num.* 39. & ijs, quos Deciſ. præcedenti pro poſteriori ſent. attulimus. Etiam in ijs, quæ ſunt iuris diuini poſſe ſingularem opinionem præferri, ſi benè fundata ſit.

3 Probabilitas enim eſt eiuſdem rationis, tam in ijs, quæ ſunt iuris diuini, quàm in ijs, quæ ſunt iuris humani: quia ſemper innititur rationi; vnde ea probabilitas, quæ facit, vt poſſit ſingularis opinio præferri communi in ijs, quæ ſunt iuris humani, faciet etiam, vt poſſit præferri in ijs, quæ ſunt iuris diuini; quia ita illam fundat intra ius diuinum, vt probabilis ſit, & habeat id, quod habet alia intra ius humanum.

4 Nec obſtat, quod adducitur in contrarium; quia licet in ijs, quæ ſunt iuris diuini maior diligentia exigatur, & adhibeatur; dum tamen ſingularis opinio habet maiorem probabilitatem, iam habet id, propter quod poteſt præferri; quòd eo magis eſt æſtimandum, quòd non obſtante magna diligentia adhibita communis non præualet in probabilitate.

An opinio Gloſſæ ſit præferenda ceteris.

Deciſio IV.

SVMMARIVM.

1 *Opinionem Gloſſæ eſſe præferendam communi, qui doceant.*
2 *Opinio Gloſſæ non eſt communi præferenda.*
3 *Fundamentum auctoritatis Gloſſæ.*
4 *Opinio contra Gloſſam poteſt præferri quia etiam minùs probabilis poteſt præferri probabiliori.*

1 Eſſe præferendam etiam communi opinioni docent Bal. *in l.* 1. *ff. De vulg. & pup.* & *l. Cum Hæreditas C. Depoſ.* & *l. fin.* §. *Neceſſitate C. De bo. quæ lib.* & *l. precibus C. De impub. & al. ſubſt.* & *Conſil.* 398. *lib.* 1. & *Conſil.* 159. *lib.* 2. & *Conſil.* 450. *eodem lib.* Bar. *in l. Ve vim. ff. De iuſt. & iure.* Iaſon *ibid.* Decius *Conſil.* 23. *circa finem* Car. Inn. *Conſil.* 160. *num.* 12. Ferret. *conſ.* 43. *num.* 3. Azoguidus *lib.* 3. *de Com. opin. cap.* 8. *num.* 2. Buttius *relatus per Angel. in l.* 1. *C. Qui per ſua iuriſd.* Villalobos 1. *per. num tract.* 1. *difficult.* 4. *num.* 6. Moditius *in* §. *Lex eſt. Dubit.* 52. *num.* 2. & *in* §. *Prudentum reſponſa Dub.* 6. *num.* 10. Nullum autem fundamentum afferunt, niſi quia eſt magnæ auctoritatis.

2 Verum exiſtimo hanc eſſe ex illis opinionibus, quam ſine diſcuſſione Doctores ſequuntur; quia non video, quanam ratione tantum deferendum ſit Gloſſæ. Vnde cenſeo eſſe

eamdem rationem de Gloſſa, ac de cœteris Doctoribus: ita vt præferri poſſit, & poſtponi iuxta probabilitatem, quam eius ſententia continet.

3 Moueor, quia Gloſſa non facit aliquid certum, ſed probabile; vnde auctoritas ipſius fundatur tantum in probabilitate, in qua etiam fundatur auctoritas cœterorum Doctorum; & proinde cum auctoritas reſoluatur in probabilitatem: ex ipſa menſuranda eſt, ita vt ſit tanta, quanta eſt probabilitas. Quia autem poteſt eſſe maior probabilitas ex parte opinionis alicuius Doctoris, eo quòd ſuam ſententiam meliori ratione, aut meliori ſenſu firmet: ideò opinio ipſius poterit præferri tanquam probabilior.

4 Adde, quòd, vt quàm plures Doctores docent, poteſt eligi opinio minùs probabilis, relicta probabiliori; cur ergo etiam ex hoc capite non poterit præferri opinio Doctorum opinioni Gloſſæ, ſuppoſito etiam quòd hæc ſit magis probabilis?

An poſſit eligi opinio minùs probabilis relicta probabiliori.

Deciſio V.

SVMMARIVM.

1 *Non poſſe eligi opinionem minùs probabilem relicta probabiliori, qui doceant.*

2 *Fundamenta huius opinionis.*

3 *Qui doceant poſſe eligi minùs probabilem relicta probabiliori. quorum opinio eſt ſequenda.*

4 *Operatio eſt licita quando eſt conformis regulis rationis.*

5 *Opinio minùs probabilis eſt menſura operandi conformis rectæ rationi.*

6 *Dubium & probabile differunt; & in hoc non habet locum quòd tutior pars ſit eligenda.*

7 *Fit certum quòd ſequens opinionem minùs probabilem rectè operetur.*

8 *An ex opinionibus probabilibus vna magis quàm alia accedat ad veritatem.*

9 *Iudicium quo iudicamus poſſe eligi opinionem minùs probabilem eſt æquè certum ac iudicium, quo iudicamus poſſe eligi probabiliorem.*

10 *Qui ſequitur opinionem minùs probabilem non diſcedit à ratione, ſed operatur ſecùndum ipſam.*

11 *Eſt ſecùndum rationem eligere minùs bonum.*

12 *Opinio minùs probabilis non eſt minùs bonum rationis.*

13 *An ſequens opinionem minùs probabilem claudat ſibi viam ad veritatem.*

14 *Cur iudex non poſſit iudicare ſecundum teſtes deponentes minùs veriſimilia.*

15 *In opinione minùs probabili ſemper obiectum eſt conforme rectæ rationi.*

16 *Quomodo intelligendus tex. ex Cap.* Capellanus de Ferijs.

DIfficultas procedit non ſolùm de electione opinionis minùs probabili reſpectu aliorum, ſed etiam reſpectu eligentis: ita vt licet agnoſcat in ipſa probabilitatem, minorem tamen agnoſcat, quàm in alia, quæ probabilior cenſetur.

1 Prima ſententia eſt negatiua. Ita Henriq. *quodlib. 4. quæſ. 33.* Adrian. *quodlib. 2. quæſ. 3.* Gerſon *tract. 36. attent. 10.* D. Antonin. *3. par. tit. 3. cap. 10. §. 10.* Maior *in 4. quæſ. 1. Prologi* Gabr. *diſt. 15. quæſ. 8. ar. dub. 2. in 3. prob. 1. concluſ.* Nauar. *in ſum. cap. 37. nu. 288. & cap. Si quis De Pœnit. num. 33. & ſequentib.* Caiet. *in ſum. Verbo Opinionis vſus.* Syluester *Verbo Dubium quæſ. 2.* Angel. *quæſ. 1.* Tabiena *num. 4.* Conrad. *tract. 7. de Contract. quæſ. vltima concluſ. 1.* Corduba *lib. 2. quæſ. 3.* Soto *3. de Iuſt. & iure quæſ. 6. ar. 5.* Adrian. *in quæſtionib. de Reſt. quæſ. Iam dictum eſt.* Panorm. *in Cap. Capellanus de Ferijs* Comitol. *lib. 1. Reſp. Moral. quæſ. 15.* Perez. *in Laurea Salmaticâ certam. 10. num. 55.* Armilla *Verbo Opinio §. 2. & alij.*

2 Prob. in Dubijs eſt tutior pars eligenda, ne quis ſe exponat periculo erroris. Cap. *Iuuenis De Sponſalibus.* Cap. *Ad audientiam.* & Cap. *Significaſti 2. De Homicidio.* Secundò, Quando non poſſumus habere certitudinem, tenemur, quantum fieri poteſt, ad veritatem accedere; quod fit eligendo opinionem probabiliorem. Tertiò, Nunquam licet à ratione diſcedere, quia malum eſt homini ſine ratione eſſe, ex D. Dionys *cap. 4. De Diuinis nominib.* diſcedit autem à ratione, qui minùs probabile magis probabili anteponit. Quartò, Eſt contra rationem eligere minùs bonum relicto maiori bono; qui autem eligit minùs probabile, probabiliori omiſſo, eligit minùs bonum; tum quia eligit longiùs abeſſe à veritate; tum quia minùs probabile eſt minùs bonum humanæ intelligentiæ. Quintò, Qui minùs probabile magis probabili anteponit, claudit ſibi viam ad inueniendam veritatem: quia magis probabile eſt magis certa via ad veritatem inueniendam; eſt autem contra rationem claudere ſibi viam ad veritatem inueniendam. Sextò, Iudex peccaret, ſi auditis contrarijs teſtibus iudicaret ſecùndum eos, qui deponunt minùs veriſimilia; ergo etiam ſequens opinionem minùs probabilem.

3 Plures tamen oppoſitam ſententiam tradunt; Medina *1. 2. quæſ. 19. ar. 3.* Vaſquez *diſp. 62. cap. 4.* Lorca *diſp. 39. de Actibus humanis membro 1.* Monteſin. *diſp. 29. quæſ. 5.*

Salas

Salas tract.8. diſp. vnica ſect.6. nu.66. Valent. diſput.2. quaeſt.14. puncto 4. §. Quomodo autem. Vuigers quaeſ. 19. ar.6. dub.1. Concluſ.4. Granado tract. 2. controuer.2. diſput. 4. Corneius tract.8. diſp.3. dub.6. Malderus quaeſt.19. ar.5. diſp.86. aſſert. 3. Tannerus diſp.2. quaeſt.4. dub. 3. num. 36. Martinez tom.1. par.2. quaeſt.29. ar.6. Aluarez diſp. 80. Auerſa quaeſt.18. ſect. 18. concluſ.2. Azor. tom.1. lib. 2. cap. 12. & 16. Petrus Nauar. lib. 3. de Reſt. cap. 1. dub. 13. num. 237. Sayr. in Claui Reg. lib. 1. cap.5. nu. 4. & 8. Lopez 1. par. ſum. cap.120. Mercado tract. 1. de Contract. cap.5. Arragon. 2. 2. quaeſ. 63. ar. 4. Bannes quaeſ. 10. ar. 1. Salon. de Iuſt. & iure. quaeſ.63. controuer.2. concluſ.4. Gurier. lib. 1. Quaeſ. Canon. cap. 13. num. 23. Suarez 3. par. tom.5. diſp. 40. ſect. 5. num.6. & De Paenit. diſp. 22. ſect. 9. num. 6. Henriquez lib.14. de Irregularit. cap.3. num. 3. Ledeſ. tom. 2. ſum. tract.8. cap.22. ante 12. concluſ. Leſſius 2. de Iuſt. & iure cap. 29. dub.8. num.68. Naldus in ſum. Verbo Opinio verſ. Et tandem. Sà Verbo Dubium. num. 3. Sanchez lib. 2. de Matrim. diſp.51. num. 9. & lib. 1. in Decalog. cap. 9. num.14. Laiman. lib.1. Moral. Theol. tract. 1. cap.5. num. 6. Reginal. lib.13. num. 90. Viguer. cap. 15. Inſtit. Theol. §. 1. ver. 2. Rodriquez in expoſ. Bul. §. 9. num.5. Filiucius tom.2. Moral. quaeſ. tract. 21. cap. 4. quaeſito 4. Bonacina diſp. de Peccatis quaeſ. 4. puncto 9. Pontius de Matrim. lib. 10. cap. 15. nu.4. Emmanuel Barboſa in Remiſ. Doct. ad ordines Relig. Luſit. lib. 3. tit.64. num. 10. Villalobos in ſum. tom.1. tract.1. difficul.10. num.2. Garzias tom. 2. de Beneficijs par.11. num.361. Io. Sanchez diſp.42. ex ſelect. num. 12. Portel in Dub. Regul. Verbo Opinio nu. 3. Farinac. conſil. 60. nu. 9. & in Addit. littera, E. Sanctarel. 1. par. Reſolut. Moral. quaeſ.44. num.7. & quaeſ. 59. num.4. Caſt. Palaus par.1. tract. 1. diſp. 2. puncto 2. num. 2. Diana 2. par. Reſolut. Moral. tract. 13. de Opinione probabili, reſolut. 1. Merolla tom. 1. diſp. 3. cap. 4. num. 24. Baldel. 1. par. Theol. Moral. lib.4. diſp. 12. num. 1. Breſſerus lib. 3. de Conſcient. cap. 6. num. 73. Gordon lib. 1. Theol. Moral. quaeſ.9. cap. 6. num.33. Coninch diſp. 34. de Matrimon. dub. 10. numer.84. Barboſa in Collect. in cap. Capellanus numer. 6. de Ferijs.

4 Hanc ſententiam certiſſimam puto, & exiſtimo in materia morali poſſe demonſtrari ex illo duplici principio morali, nempe; quòd intellectus poteſt iudicare operationem eſſe licitam, & honeſtam, quando menſura operandi eſt conformis regulis rectae rationis: quia tunc quoque operatio contingit conformis; atque adeo cum omni ſecuritate poteſt rectum dictamen talem operationem dictare vt licitam.

5 Alterum autem principium eſt: quòd opinio minùs probabilis, dummodo ſit verè probabilis, eſt menſura operandi conformis regulis rectae rationis; nam in hoc conſiſtit probabilitas, quòd opinio ex aliquo motiuo appareat conſonans cum recta ratione; alioquin ſi non appareret conſonans, ſed diſſona, non eſſet probabilis, ſed falſa moraliter: quia eſſet diſcrepans à regula veritatis practicae; vnde poterit intellectus dictare talem operationem vt licitam, & conformem regulae rectae rationis.

6 Ad primum oppoſitae ſentent. reſp. Aliud eſſe dubium, & aliud eſſe probabile; non .n. quod probabile eſt, dubium eſt, ſed ſuo modo certum: vnde in opinionibus probabilibus non habet locum illud, quod *In dubijs tutior pars ſit eligenda*, cum ipſae non ſint dubiae, ſed importent determinatum aſſenſum circa vnam partem.

7 Deinde cum certum omnino ſit, quòd opinio probabilis ſit conformis rectae rationi, & quòd operans ſecùndum menſuram conformem rectae rationi benè operatur: non eſt dubium, ſed certum, quòd ſequens opinionem probabilem, relicta probabiliori, benè operatur; & ideo ratione dubij non eſt eligenda probabilior.

8 Ad ſecundum. Concurrentibus oppoſitis opinionibus probabilibus ex neutra parte adeſſe certitudinem. Neque dici poteſt, quòd vna magis accedat ad veritatem, quàm alia, quia huiuſmodi acceſſus non poteſt cognoſci, niſi cognoſcatur veritas; ſi autem cognoſceretur, altera opinio eſſet determinatè vera, & certa, & altera falſa; vnde non haberet locum probabilitas.

9 In ordine autem ad vſum opinionum probabilium eſt aequè certum iudicium, quo iudicamus, poſſe vnam adhiberi, ac illud, quo iudicamus, poſſe alteram quoque adhiberi; nam vtrunque habet idem obiectum motiuum, nempe regulam operandi conformem rectae rationi; & tanquam iudicium particulare deducitur ex hoc vniuerſali; quòd liceat in operando adhibere quamcumq; regulam, quae ſit conformis rectae rationi.

10 Ad tertium. Falſum eſſe, quod diſcedat à ratione, qui eligit opinionem minùs probabilem; imo aequè operatur ſecundum rationem, ac ſi eligeret opinionem magis probabilem; nam vtraque opinio eſt aequè conformis regulis rectae rationis, ſiquidem conformitas conſiſtit in indiuiſibili, atq; adeo non eſt maior in vna, quàm in alia. Rurſus, iudicium, quo iudicatur vtramque opinionem poſſe reduci ad praxim, eſt etiam aequè certum, vt diximus num. praecedenti.

11 Ad quartum. Non eſſe contra rationem,

Digitized by Google

ſed ſecundum ipſam eligere minus bonum, dummodo tamen hic, & nunc cenſeatur magis expedire: alioquin malè faceret, qui omiſſis actibus virtutis magis perfectæ, aut heroicis, exerceret actus virtutis inferioris, aut non heroicos.

12 Præterea falſum eſt, quòd opinio minùs probabilis ſit minùs bonum rationis: quia bonitas opinionis in ordine ad rationem conſiſtit in eo, quod ſit ipſi conformis, ita vt poſſit eſſe recta menſura operandi; hoc autem æqualiter conuenit tam opinioni magis probabili, quam minùs probabili, vt conſtat ex dictis.

13 Ad quintum. Negandum eſt, eum claudere ſibi viam ad veritatem inueniẽdam, qui ſequitur opinionem minùs probabilem; tum quia qui opinionem eligit, non inquirit veritatem, ſed ſupponit probabiliter inuentam, & ea vtitur; tum quia non eſt minùs certum, quòd opinio minùs probabilis ſit recta regula operandi; & proinde nec eſt minùs certum, quòd inducat in operationem debitam veritatẽ practicam, ſeu debitam rectitudinem. Vnde nedum ſibi claudit viam ad veritatem inueniendam, ſed etiam per viam veritatis incedit in operando; nam verũ eſt, quod poſſit operatio regulari per regulam conformem rectæ rationi, qualis eſt opinio quælibet probabilis.

14 Ad ſextum. Eſſe diſparem rationem de iudice, qui iudicaret ſecundùm teſtes deponentes minùs veriſimilia, quia in tali caſu iudicium eſſet malum ex parte obiecti; nam cum obiectum ſententiæ ſint allegata, & probata, minùs veriſimilia non ſunt debitum obiectum ſententiæ, quia non eſt conforme rectæ rationi, quod præferantur magis veriſimilibus; quia recta ratio obligat ad iudicandum ſecundùm rei veritatem, atque adeo ſecùndum ea, quæ certa ſunt; minùs autem veriſimilia, aut ſunt incerta, aut reputantur pro falſis in comparatione magis veriſimilium.

15 In caſu autem noſtro res aliter ſe habet: quia ſemper obiectum, quod eligitur, eſt conforme rectæ rationi; quia cum opinio probabilis ſit, quod per ipſam præſcribitur eſt conforme rectæ rationi. Rurſus quando intellectus iudicat, poſſe opinionem minùs probabilem reduci ad praxim, habet etiam obiectum conforme rectæ rationi, nempe quòd regula conformis rectæ rationi ſit recta menſura operandi.

16 Neque obſtat factum Pontificis Cap. *Capellanus de Ferijs* ſequentis opinionem nixam meliori, & ſubtiliori ratione; quia per hoc non inducitur neceſſitas, ſed tantùm oſtenditur, quòd in amplectendis opinionibus eſt habenda ratio fundamenti earundem; & habetur, dum eligitur minùs probabilis; quia adhuc conſideratur, vnde habeat probabilitatem. Ibi enim Pontifex tantùm intendit aſſignare motiuum ſuæ deliberationis, non autem aliquid præſcribere.

Quænam opinio cenſenda ſit eligi ab illo Doctore, qui plures refert, nec explicat, quam ſequatur.

Deciſio VI.

SVMMARIVM.

1 *Qui plures opiniones refert approbat vltimo loco relatam.*
2 *Cur opinio vltimo loco relata cenſeatur approbari.*
3 *An quando doctor eſt merus compilator, cenſeatur approbare opinionem vltimo loco relatam.*
4 *Quando Doctores cenſendi ſint dubij.*
5 *Quid operetur particula* Tu cogita *quando Doctor plures opiniones retulit.*

1 RESp. cenſendum eſſe approbare illam opinionem, quam refert vltimo loco, niſi aliquid in contrarium dicat. Ita Gloſ. *in l. Qui filium §. Sabinus ff. Ad Treb.* Decius *in cap. 1. num. 32 & ſequentib. de Conſtit.* Alex. *conſ. 67. circa finem lib. 5.* Moditms *in §. Lex eſt. dub. 52. num. 6.* & *in §. Principum placita dub. 125. num. 13.* Farinac. *in Repert. iudicial. quaſ. 14. num. 39.* vbi alios refert Corat. *lib. 1. de Commun. opin. tit. 6. num. 99.* cum plurimis alijs, quos ibi allegat, Azoguidus *lib. 3. de Communi opin. cap. 13. num. 1.*

2 Hoc autem deducitur ex eo, quod communiter Doctores ſolent vltimo loco referre opiniones, quas amplectuntur; & quia recenſitis opinionibus vltimo loco fertur iudicium de ipſis; vnde quando iudicium non fertur explicitè, cenſetur ferri implicitè in ſententia vltimo loco poſita.

4 Hæc autem doctrina limitanda eſt, niſi Doctor ſit merus compilator; quia tunc non ſuſtinet perſonam doctoris, ſed tantùm compilatoris; & ideo non fert iudicium de ſententijs, quas colligit, ſed relinquit examinandas Lectori, & proinde non curat ponere vltimo loco, quæ ipſi magis placent. Quod autem ſit merus compilator dignoſcitur ex eo, quòd nunquam, aut rarò circa ſententias ferat iudicium ſuum.

4 Præterea aduertere oportet, quod quando Doctores ſoliti iudicium ſuum ferre circa ſententias, eas ita referunt, vt non declarent, quam ſequantur, quamuis propendeant in eã, quam vltimo loco ponunt, valde tamen du-

bij

Digitized by Google

bij ſunt, & potiùs volunt, vt alij iudicium ferant; nam ſi abſolutè amplecterentur aliquam opinionem, apertè ſuam ſententiam declararent. Quod tamen non habet locum, quando ſuſpicari poteſt, quòd ob aliquem reſpectum, iudicium ſuum non proferant.

5 Quando autem Doctor adhibet hanc particulam *Tu cogita*, aut æquiualentem, non eſt cenſendus approbaſſe opinionem vltimo loco relatam, vt vult Farin. *in Reper. iudiciali quaſ.* 14. *num.* 40. citans etiam Croat. ſed quod velit illam opinionem eſſe ſequendam, quam tradit melioribus fundamentis firmatam.

An in aliquibus caſibus cenſendum ſit Doctorem non approbare opinionem, quam vltimo loco refert, dum nihil decidit.

Deciſio VII.

SVMMARIVM.

1 *Non omnes Doctores inclinant ad æquitatem, & ideo cenſendi ſunt approbare opinionem vltimo loco relatam, etiam ſi ſit rigida.*

2 *Quando Doctor cenſeatur approbare opinionem priori loco relatam.*

3 *Quænam particulæ oſtendant Doctorem non approbare opinionem vltimo loco relatam.*

4 *Opinio vltimo loco relata, vt prorſus aliena non cenſetur approbari.*

1 FArinacius *in Repert. iudiciali quaſt.* 14. *num.* 41. citans Corneium, ait tunc non eſſe cenſendum, quòd Doctor approbet poſteriorem opinionem, quando ſapit rigorem, prima verò æquitatem, quod etiam tenet Azoguid. *lib.* 3. *de Com. opin. cap.* 13. *num.* 5. Quod tamen verum non exiſtimo. Nam licet æquior opinio præferenda ſit rigidiori, attamen quia non omnes Doctores inclinant ad æquitatem, ſed potiùs ad rigorem, ideo cenſendum eſt tenere illam, quam vltimo loco referunt, quia cenſendi ſunt, quod inclinent ad rigorem.

2 Præterea quia aliquando opinio, quæ priori loco refertur habet meliora fundamenta, quæ ab ipſo Doctore referuntur, tunc videndum eſt, an ipſorum efficacitatem inculcet, ſaltem in modo explicandi; ita vt dum ea explicat, conetur, vt ipſa appareat; & tunc cenſendum eſt, quod approbet opinionem priori loco relatam, atque in hoc caſu habet locum doctrina, quam tradit Azoguid. citat. & Farinac. *in Repert. iudiciali quaſ.* 14. *num.* 42. citans Corat. At ſi oppoſito modo ſe gerat, ita vt videatur, aut non ſatis percepiſſe fundamentorum efficaciam, aut eam neglexiſſe, tunc non habet locum doctrina Farinacij, ſed adhuc cenſendus eſt, quòd approbet ſententiam poſteriori loco relatam.

3 Tertiò quando Doctor vltimo loco refert opinionem cum aliquibus particulis, quibus ſignificat, ſe ex parte illius adſtare, vt eſſent particulæ, *quamuis alij oppoſitum ſentiant*, atque aliæ huiuſmodi, tunc dicendum eſt, quòd priorem ſententiam amplectatur, vt cum Corat. docet Farinac. *quaſ.* 14. *Repert. iudicial. num.* 43. per huiuſmodi enim modum loquendi ſignificat, ſe tenere ſententiam poſteriori loco relatam.

4 Atque hoc valet etiam, quando in referenda poſteriori ſententia adhibent talem modum dicendi, quo ſignificant eam, vt prorſus alienam, & non ſuam referre, vt eſſet *Alij dicunt*, & alij huiuſmodi modi loquendi. Quod notat Riminal. *lib.* 1. *conſil.* 7. *num.* 43. & ſequentibus, quem ſequitur Farinac. *cit. quaſ.* 14. *Repert. iudicial. num.* 44. citans eundem Corat.

An opinio deciſionum Rotæ ſit cœteris præferenda.

Deciſio VIII.

SVMMARIVM.

1 *Deciſio Rotæ Romanæ non habet vim legis.*

2 *Auditores Rotæ Romanæ non habent auctoritatem condendi leges.*

3 *Deciſiones Rotæ Romanæ continent ſolum aliquid probabile.*

4 *Quam auctoritatem tribuant ipſis Doctores.*

5 *Tanta eſt ipſarum auctoritas, quanta aliorum Doctorum.*

6 *Non eſt credendum Doctori, niſi quatenus opinionem ſuam confirmat.*

7 *Poſſumus ſequi opinionem minùs probabilem relicta probabiliori Rotæ.*

8 *Rota ex noniter deductis retractat priorem ſententiam.*

9 *Poteſt formari iudicium practicum, quod liceat ſequi opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori Rotæ.*

1 COmmuniter docent. Deciſionem Rotæ, etiam Romanæ non habere vim legis. Ita Suarez *lib.* 7. *de Legib. cap.* 11. *circa finem.* Salas *diſp.* 19. *ſect.* 19. *num.* 109. qui etiam citat. Burg. *in Proem. legum Taur. nu.* 223. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 177. *cap. vltimo num.* 75. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 2. *num.* 10. *circa*

finem

finem Caſt. Palaus *par.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 3. *puncto* 2. §. 3. *num.* 7. Euerat. *in Locis leg. loco ab auctor.* Moditius in §. Lex eſt. dub. 57. num. 4.

2 Mouentur, quia Auditores Rotę non habent auctoritatem condendi leges; vnde neque quod per ſuas deciſiones ſtatuunt, poteſt habere vim legis.

3 Hinc autem fit, vt non contineant aliquid neceſſarium, ſed tantùm probabile; tum quia non habent vim legis, vt obligent, tum quia innituntur tantùm rationibus probabilibus, & non euidentibus, vt ſpecialiter notauit Modit. *loco citato*.

4 Conueniunt autem Auctores ſupracitati, quòd habeāt maximam auctoritatem: & proinde non ſit ab ipſis diſcedendum, niſi in contrarium obſtet vrgentiſſima ratio, vt ait Caſt. Palaus; aut ob rationes magis prægnantes, vt inquit Moditius; aut niſi ſaltem adſit probabilior ratio, vt docet Salas. Et quòd ſint ęquiparandę hę deciſiones Doctori antiquo excellentiſſimo docet Corar. *lib.* 2. *de Communi opin. tit.* 8. *num.* 64.

5 Verum puto, Opinionem Rotæ æquiparandam eſſe opinioni aliorum Doctorum, nec pluris eſſe faciendam. Nam auditores Rotæ ſunt Doctores, & tantùm probabiliter procedunt, & ſolum ſeligunt opinionem, quam putant ſequendam inhærentes Doctoribus, qui ſcripſerunt, vt patet ex allegationibus, quas afferunt in ſuis Deciſionibus. Nec ſemper omnes conueniunt, quia ſufficit, quòd concors ſit maior pars. Nec adeſt aliqua lex obligans ad ſtandum ipſorum Deciſionibus, Vnde ſententia ipſorum merè ſe habet vt ſententia plurium Doctorum.

6 Præterea Cap. *Ego ſolis. Diſtinc.* 9. Non eſt credendum cuilibet Doctori, quantumuis magno, & excellenti, nec ipſius opinioni acquieſcendum, niſi quatenus ipſam confirmat aliorum teſtimonijs, aut ſcripturis canonicis, aut rationibus probabilibus. Quare cum Rota procedat ſolùm ex probabilibus, ipſius opinio reſoluitur in ſolam probabilitatem, propter quam ſit amplectenda.

7 Cum igitur liceat ſequi opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori, vt vidimus in ſuperioribus, Deciſione 5. & ſentiunt vt plurimum Doctores, ſequitur, quòd liceat eam ſequi, quando Deciſio Rotæ eſt in contrarium; quia tunc poteſt relinqui deciſio Rotæ vt opinio magis probabilis; & amplecti oppoſita opinio minùs probabilis; quia non erit aliud, quàm pręferre opinionem minùs probabilem opinioni probabiliori.

8 Quod etiam præſtat ipſa Rota, nam plerumque ex nouiter deductis retractat ſententiam, quam antea protulerat; quæ tamen non ſemper ſunt probabiliora, ſed aliquando minùs probabilia.

9 Si quis autem obijciat, quòd opinio minus probabilis non poteſt præferri probabiliori, niſi formetur iudicium practicum, quòd poſſit præferri; hoc autem iudicium non poſſe formari, quando cum opinione minùs probabili concurrit Deciſio Rotæ, quia obſtat auctoritas ipſius. Reſp. poſſe optimè formari tale iudicium, nec obſtare auctoritatem: quia menſura auctoritatis eſt ratio, in qua deciſio fundatur; vnde ſi non obſtat ratio nec etiam obſtabit auctoritas.

Quænam opinio ſit præferenda concurrente rigida, & benigniori.

Deciſio IX.

SVMMARIVM.

1 *Si vna ſententia eſt certa, oppoſita eſt manifeſtè falſa.*
2 *Opinio benignior eſt præferenda rigida.*
3 *Benignior opinio eſt ſecundum charitatem, rigida ſecundum iuſtitiam.*
4 *Lex charitatis exigit cum proximo adhibendam opinionem benigniorem.*
5 *Etiam reſpectu ſui ipſius.*
6 *Poteſt quis peccare contra charitatem, quia ſequatur opinionem rigidiorem.*
7 *Quod eſt ſecùndum vnam virtutem poteſt ratione circumſtantiarum eſſe contra aliam.*

1 Difficultas procedit, quando vtraq; opinio eſt probabilis, nec altera habetur pro certa; quod contingere poteſt, quando opiniones non ſunt contradictoriè oppoſitæ, quia tunc ſi vna eſt certa, altera eſt manifeſtè falſa.

2 Reſp. benigniorem eſſe præferendam cum Moditio *dub.* 7. *in* §. *Prudentum reſponſa nu.* 7. Farinac. *in Repert. iudicial. quæſt.* 14. *num.* 25. qui citat Corar. & Deciſ. 29. *ex Lucenſ.* & dicit hanc opinionem eſſe communiorem. Nauar. *cap.* 17. *Manual. num.* 187. Villalob. *tom.* 1. *tractat.* 1. *difficult.* 7. *num.* 1. Iaſ. *in l.* 2. *poſt numer.* 40. *ff. ſi quis in ius vocat. non ierit.* Cacheran. *Deciſ. Pedemont.* 79. *num.* 58. & 59. & *deciſ.* 80. *num.* 8. Vulpel. *conſil. crimin.* 120. *num.* 12. Achil. *de Graſſis deciſ.* 12. *de Priuil. num.* 3. Cabal. *in Reſol. crim. caſu* 200. *nu.* 145. Menoch. *lib.* 2. *præſumpt.* 71. *num.* 25. qui alios citat. Chartar. *Deciſ. crimin.* 47. *num.* 14. & deſumitur ex *l. Benignus. ff. de Leg.* & ex *l. Interpretat. ff. de Pæn.* & *l. In omnibus.* & *l. Semper in obſcuris ff. de reg. iur.* vbi *Dec.* & ex *Cap. fin. de tranſact.*

3 Ratio

3 Ratio autem eſt, quia rigoroſa opinio eſt ſecundum rigorem iuſtitiæ, benignior autem ſecùndum charitatem, ita tamen vt non excludat iuſtitiam; quia autem charitas eſt virtus generalior, in qua fundatur iuſtitia, quæ ſecùndum ipſam menſurari debet; ideo in amplectendis opinionibus potiùs ſecùndum charitatem procedendum eſt, quam ſecùndum rigorem iuſtitiæ, atque præferendæ quæ ſunt benigniores; quia tunc agitur ſecùndum charitatem, quæ dictat benigniùs agendum, quantum fieri poteſt, cum proximo.

4 Præterea cum quiſque teneatur diligere proximum ſicut ſe ipſum, & conſequenter alteri non facere, quod ſibi non vellet fieri; ſicut nollet ſecum adhiberi rigoroſam opinionem, relicta benigniori, ita reſpectu cæterorum debet opinio benignior preferri.

5 Et hoc locum habet etiam reſpectu ſui ipſius; ita vt poſſit quilibet relicta opinione rigida ſequi benigniorem, cum non minùs charitas extendatur ad ſe ipſum, quàm ad alium; & proinde quæ ratione charitatis habent locum reſpectu aliorum, habent etiam locum reſpectu ſui ipſius.

6 Ex his infertur, poſſe aliquando peccari contra charitatem ſequendo opinionem rigidam ommiſſa benigniori: vt cum ex hoc ſequitur aliquod notabile incommodum proximi. Cum enim charitas obliget ad amandum proximum ſicut nos ipſos, obligat etiam ad habendam rationem commodi ipſius, non ſecùs ac noſtri. Vnde quando ſine rationabili cauſa inferimus aliquod incommodum, peccatur contra charitatem; quod contigere poteſt, ſi velimus ſequi opinionem rigoroſam relicta benigniori: vt ſi confeſſarius nolit abſoluere pœnitentem, vtendo opinione rigoroſa, & non benigniori.

7 Dices quod eſt ſecùndum vnam virtutem non poteſt eſſe contra aliam; ergo cum vti opinione rigoroſa ſit ſecùndum iuſtitiam, quia cum ſit opinio probabilis, eſt etiam iuſta, non erit contra charitatem. Reſp. Quod eſt ſecùndum vnam virtutem, non poſſe eſſe contra aliam, ſi ſecùndum ſe præciſè accipiatur, ſecùs autem ſi accipiatur coniunctum cum circumſtantijs; quia tunc ratione ipſarum poteſt eſſe contra aliam virtutem. Sic ieiunium eſt actus virtutis; poteſt tamen eſſe contra charitatem, qua quis tenetur diligere ſeipſum ſi videlicet concurrant tales circumſtantiæ, vt ſit allaturum graue damnum, & non ſiet ſub altiori fine, cui propriam vitam liceat ſubordinare. In caſu ergo noſtro licet ſecùndum ſe opinio probabilis rigoroſa non ſit contra charitatem, ea tamen vti, relicta benigniori, poteſt eſſe contra charitatem ratione circumſtantiarum.

An qui ſequitur opinionem Doctoris abſque eo, quòd eum expendat, & poſtea reperit falſam, excuſetur à peccato.

Deciſio X.

SVMMARIVM.

1 *Quæritur de eo, qui poteſt opinionem expendere, & non expendit.*

2 *Sequens opinionem, quam non expendit, excuſatur ſi poſtea reperiat falſam.*

3 *Cur talis opinio prudenter eligatur.*

4 *Excuſatur etiam ab ijs quæ ſunt annexa opinioni falſæ, ſi quis eam non expendendo ſequatur, modo prædicto.*

5 *Si tamen talis opinio non ſit contra legem aliquam.*

6 *Qui ſequitur opinionem alicuius Doctoris non tenetur eam expendere.*

1 Difficultas procedit de eo, qui poteſt expendere, nec tamen expendit. Ratio difficultatis eſt, quia ſi expenderet reperiret falſitatem, ſicuti poſtea reperit; vnde dum non vult expendere, imprudenter operatur, & vult errorem in cauſa: & ideo debet etiam ipſi imputari.

2 Sed nihilominus reſp. cum Abbate *in Cap. Capellanus de Fer.* Innocent. *in Cap. Per tuas 2. de Simonia* Medicio *in §. Prudentum reſponſa dub. 8. num. 2.* Excuſari à peccato eum, qui abſq; examine bona fide ſequitur opinionem Doctoris, & poſtea reperit falſam. Et ſequitur ex doctrina quam tradit Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 9. num. 8.* quatenus docet eum, qui opinionem examinare poteſt, non teneri ad examinandum, quia poteſt cenſere, opinionem reddi probabilem, ex eo, quòd ſit viri docti, & pij. Si enim non tenetur examinare, conſequenter non examinando non peccat; atq; adeo excuſatur à peccato etiam quando talem opinionem reperit falſam.

3 Fundamentum huius reſolutionis eſt, quia dum eligit talem opinionem, eligit vt traditam à Doctore, quem ſupponit non tradere, niſi quæ probabilia ſunt, & moueri rationabiliter ad docendum, quæ docet; vnde prudenter ſe habet in electione opinionis, quatenus loco rationis vtitur auctoritate, quam ſupponit fundatam in ratione; & ideo non peccat. Et proinde etiam quando reperit opinionem falſam, adhuc excuſatur à peccato, quia bona conſcientia, & prudenter amplexus eſt huiuſmodi opinionem.

4 Ex quo fit, quòd etiam excuſetur, & immunis ſit ab ijs omnibus, quæ annexa ſunt opinioni

Digitized by Google

nioni falſæ, ſeu operationi ſecùndum ipſam; quia non incurruntur per ſe primò, ſed conſequenter ad acceptationem opinionis falſæ, & operationem ſecùndum ipſam; quia quando principale non habet locum, nec etiam habent locum acceſſoria, & quæ conſequuntur ad ipſum. In caſu autem noſtro non habet locum principale, quia opinio falſa non acceptatur, vt falſa, ſed vt probabilis.

5 Hoc tamen limitandum eſt, quando talis opinio non eſſet contra aliquam legem, ſiue diuinam ſiue humanam: quia in tali caſu ſlex admonet de falſitate, aut ſaltem generat ſuſpicionem; & ideo non excuſaretur ſi non adhiberet debitum examen. Et ſolùm in foro conſcientiæ excuſari poſſet, ſi inuincibiliter ignoraret legem.

6 Ad rationem dubitandi reſp. Non teneri ad expendendam opinionem, quia præſupponitur expenſa ab eo, qui eam tradit; & ideo adeſt ſufficiens motiuum, nempe auctoritas Doctoris, vt poſſit eam prudenter amplecti; & proinde neque formaliter, neque in cauſa peccat. Quod etiam notat Villalobos *par. 1. ſum. tom. 1. difficul. 6. num. 3.*

Quænam opinio ſit præferenda, an ea quę procedit vniuerſaliter, an quę procedit cum limitatione.

Deciſio XI.

SVMMARIVM.

1 *Expendens opinionem debet in eligendo habere rationem probabilitatis.*
2 *Opinio procedens cum diſtinctione, & limitatione eſt præferenda.*
3 *Qui diſtinguit, & limitat, ſubtiliùs rem conſiderat.*
4 *Doctrina generaliter procedens non habet locum in omni caſu.*
5 *Quando cautè ſequendi Doctores non diſtinguentes, nec limitantes.*
6 *Præferenda opinio diſtinguens non diſtinguenti, quando amba ſunt eiuſdem Doctoris.*

1 HÆc difficultas locum habet, quando eligens opinionem innititur tantùm auctoritati Doctorum, & non vult eam expendere. Quia ſi expendat, debet ſe regulare ſecùndùm probabilitatem ipſarum.

2 Reſp. Eſſe amplectendam eam opinionem, quæ procedit cum diſtinctione, & limitatione, & præferendam illi, quæ abſolutè, & vniuerſaliter procedit. Habetur ex l. *Adeo §. Cum quis ff. de Acquiſ. ver. dom.* Rim. iun. *conſil. 222. num. 9. lib. 2.* Pariſ. *conſil. 92. num. 30. lib. 2.* Gratian. *conſil. 30. nu. 33. lib. 1.* Oſaſc. *deciſ. Pedemon. 162. num. 8.* Surd. *deciſ. 58. num. 5.* Alphonſus Mendoza *tract. de Benef. compatib. & incompatib. cap. 12. num. 27.* Burg. *Canal. deciſ. 15. nu. 3. par. 1.* Salycet. *in l. Filia* C. Fam. Gloſ. *in l. Apud antiquas C. de Furtis.* Rota Auenion. *deciſ. 145. num. 22.* Modit. *in §. Prudent. Reſp. dub. 15. num. 11.* Cephal. *conſil. 68. num. 18.* Gloſ. vlt. *in Cap. Scientes extra de cenſibus.* Farinac. *quæſ. 14. Reper. indic. num. 24.* vbi citat Corat. & vt communis opinio traditur in Deciſ. Luceuſ. 30. *num. 80. par. 1.* Neuizan. *lib. 5. Sylua acept. num. 32.* Char. *Deciſ. 1. crimin. num. 187.*

3 Ratio eſt, quia qui diſtinguit, & limitat, meliùs, & ſubtiliùs rem conſiderat, & magis veritatem penetrat; vnde auctoritas quoque ipſius eſt maioris ponderis, quia meliùs in ratione fundatur: à qua prouenit auctoritati totum robur.

4 Hinc doctrina generaliter procedens non poteſt habere locum in omni caſu particulari, ſed multoties eſt falſa; Sic ſi vniuerſaliter tradatur, quòd teſtis ſingularis non probat: non eſt vniuerſaliter verum, & in aliquibus caſibus falſum; & proinde doctrina vniuerſalis, quando eſt capax limitationis, & diſtinctionis, non poteſt eſſe ſecura regula operandi: quia timeri poteſt, quòd non habeat locum in tali caſu, propter has, vel illas circumſtantias.

5 Itaque cautè admodum amplectendæ ſunt illorum Doctorum opiniones, qui abſque vlla limitatione, & diſtinctione reſoluunt; quia nimium facilitati conſulentes, in plana, & vniuerſali reſolutione difficultates occultant. Quod tamen intelligi debet, quando non ita deſcendunt ad caſus particulares, vt diſtinctio, & limitatio locum non habeat; in quo excellit noſter P. Antoninus Diana, qui ita ad particulares caſus deſcendit, vt non opus ſit doctrinas diſtinctionibus, & limitationibus offuſcare.

6 Ex quibus colligitur: quando aliquis Doctor in vno loco procedit cum diſtinctione, in alio autem ſimpliciter reſoluſe, præferendam eſſe opinionem, quæ traditur cum diſtinctione: quia tunc præſumitur meliùs rem conſideraſſe, & propriùs ad veritatem acceſſiſſe. Et ita notat Gloſſa *in fin. in Cap. Scientes. Extra de Cenſibus* Socin. *conſ. 67. num. 28. lib. 1.* Alex. *conſ. 50. num. 7. lib. 7.* Rimin. *conſ. item 50. num. 2. lib. 1.* Franc. Marc. *deciſ. Delph. quæſ. 817. num. 10. part. 2.* Grat. *conſil. 64. num. 36. lib. 2.* Oſaſc. *deciſ. 21. num. 16.* Ripa *in l. Ita ſtipulatus nu. 6. ff. de Verb. oblig.* Moditius *in §. Prudent. reſponſa dub. 15. num. 14.* Debet tamen hoc accipi, quando vtraque

opinio

Digitized by Google

opinio procedit in eodem caſu omnino; alioquin ſi variet, etiam ſecùndum circumſtantias, doctrina allata non tenet: quia diſtinctio poteſt habere locum tantùm ratione circumſtantiarum.

Quænam opinio ſit amplectenda, quando Doctor eſt varius. *Deciſio XII.*

SVMMARIVM.

1 *Inhærens probabilitati debet præferre opinionem meliorem quando Doctor eſt varius.*

2 *Opinio ex profeſſo tradita præfertur obiter traditæ.*

3 *Ex opinionibus contrarijs ex profeſſo traditis ab eodem, quænam præferatur.*

4 *Opinio fuſiùs tradita præfertur opinioni ab eodem ſtrictiùs traditæ.*

5 *Opinio tradita in pluribus locis præfertur opinioni ab eodem tradita in paucioribus.*

6 *Opinio ad inſtantiam partis poſtponitur opinioni ab eodem aliàs traditæ.*

7 *Opinio illa præferenda, cui plures regulæ ex prædictis fauent.*

8 *Quænam ex his regulis præualeat quando ſint ſibi contrariæ.*

1 HÆc quoque difficultas procedet, ſi tantùm auctoritati ſtare velimus; nam ſi probabilitatem inſpiciamus, ea opinio eſt præferenda, quæ meliori rationi innititur. Quod ſanè ſemper præſtari deberet: quia ſequi puram auctoritatem eſt cœco modo procedere, & ſe priuare lumine naturæ.

2 Quia autem difficultas non poteſt vnica ſimplici deciſione reſolui, ideo non nullæ regulæ ponendæ ſunt. Quarum prima eſt. Opinio, quæ ex profeſſo traditur, præferenda eſt illi, quæ obiter traditur. Ita docet Ccpol. *Conſ.* 278. *nu.* 10. *lib.* 2. Et ratio eſt manifeſta: quia quando principaliter, & ex profeſſo res aliqua tractatur, plenè conſideratur, & magis accuratè inquiritur veritas. E contra autem quando obiter traditur, nulla habetur conſideratio; quòd ſatis ex eo arguitur, quòd vt plurimum doctrina obiter tradita contrariatur illi, quæ ex profeſſo traditur.

3 Secunda regula eſt. Quando Doctor vtroque in loco ex profeſſo tradit opiniones contrarias, ea præferenda eſt, quam poſteriori tempore docuit. Ita Gloſſa fin. *in l. Qui filium* §. *fin. circa med. ff. Ad Trebal.* Neuiz *lib.* 5. *Silu. nupt. num.* 32. Rim. *conſ.* 327. *num.* 8. Ratio regulæ eſt, quia Doctor ſemper proficit in doctrina; & ideo meliori iudicio eligit opiniones, quas tempore poſteriori tradit. Deinde opinio poſteriùs tradita cenſetur correctio, aut retractatio prioris.

4 Tertia regula. Quando Doctor fuſiùs rem diſputat in vno loco, quàm in alio, opinio fuſiùs pertractata præferenda eſt opinioni ſtrictiùs traditæ. Ita Abbas *in Cap. Bonæ* 2. *num.* 30. *Extra. De poſtulat prælat.* Rim. *conſ.* 64. *nu.* 20. *lib.* 1. Grat. *conſ. item* 20. *num.* 35. & *conſ.* 55. *numer.* 35. *libr.* 1. Paris. *conſ.* 91. *circa finem lib.* 3. Neuiz. *lib.* 5. *Silu. nupt. num.* 29. quia videlicet, quando res fuſiùs diſputatur meliùs inueſtigatur veritas. Vbi autem præceſſit maior inquiſitio veritatis, præſumitur, quòd meliùs opinio procedat, & cum maiori fundamento, & ideo pluris facienda eſt. Hæc tamen regula debet accipi cum limitatione: nempe vt locum habeat, quando fuſiùs res diſputatur ob inquirendam veritatem, non autem ex compilatione eorum, quæ cœteri tradiderunt.

5 Quarta regula. Quando Doctor pluribus in locis tenet vnam opinionem, aliam verò in paucioribus; præferenda eſt illa, quam tradit in pluribus locis. Ita Bal. *in l. precibus num.* 42. *C. de impub. &* Iaſ. *conſ.* 136. *num.* 2. *lib.* 4. Neuiz. *lib.* 5. *Silu. nupt. num.* 32. *circa finem* fundatur regula in eo, quòd dum in pluribus locis tradit aliquam opinionem, magis intellectus mouetur ad ita ſentiendum, & proinde præualent motiua illius opinionis, & efficaciora ſunt, dum ad frequentiores actus mouent; præferenda autem eſt opinio, quæ habet motiua efficaciora.

6 Quinta regula. Opinio tradita in Conſilijs ad inſtantiam partis poſtponenda eſt opinioni quorumque alio modo traditæ. Deſumitur ex Neuiz. *citato lib.* 5. *Silu. nupt. num.* 26. Et ratio eſt; quia in conſilio ad inſtantiam partis Doctor non inquirit veritatem, ſed ponit ea, quæ probabiliter fauent parti, & multoties aliter ipſe ſentit; & ideo opinio tradita in huiuſmodi conſilio eſt minoris ponderis.

7 Denique ſexta regula. Huiuſmodi regulæ traditæ ad inuicem contemperandæ ſunt, ita vt opinio reducatur ad examen cunctarum, & ea præferatur, cui fauent plures regulæ. Ratio eſt, quia poſſunt plures regulæ ad eamdem opinionem concurrere; nam aliqua opinio poteſt eſſe fuſiùs tradita, & etiam in pluribus locis: alia vero ſolùm in pluribus locis; tunc autem præferenda illa, cui fauent duæ regulæ, &c.

8 Quia autem contingere poteſt, quòd huiuſmodi regulæ ſibi inuicem contrarientur, aut in diuerſis, aut etiam in eadem opinione: ideo tunc ſequenda eſt regula, quæ præualet in comparatione alterius. Omnibus autem præ-

ualet,

Digitized by Google

ualet, quòd opinio poſteriori tempore tradita ſit: quia tunc cenſetur mutatio ſuperioris, non obſtantibus quibuſcunque, quæ ipſi faueant. Secundum locum tenet quarta regula; quia dum opinio pluribus in locis traditur, cenſetur doctor maximè ipſi adherere. Tertium locũ habet tertia regula; quia fuſior diſputatio præſupponit maiorem inquiſitionem, quàm ſi non adeo fusè tradatur doctrina. Quarto loco ponitur prima regula; quia tradi ex profeſſo per modum doctrinæ præualet opinioni traditæ in conſilio: cum illa non ſit ad inſtantiam partis. Quòd ſi concurrat opinio obiter tradita cum opinione tradita in conſilio; hæc eſt præferenda; quia ſaltem habet aliquam probabilitatem, quam multoties doctor non agnoſcit in eo, quod obiter dicit; cum non illud ponderet, ſed tradat, vt ab alijs acceptum.

An poſſit quis amplecti oppoſitas opiniones, vt probabiles: ita vt modò vnam, modò alteram in praxi adhibeat.

Deciſio XIII.

SVMMARIVM.

1 *Intellectus non poteſt habere contradictoria iudicia, & ideo nec ſecùndum aliquos amplecti quis oppoſitas opiniones.*
2 *Poteſt quis amplecti vnam opinionem ex medio intrinſeco, & oppoſitam ex medio extrinſeco.*
3 *Poteſt quis amplecti opiniones oppoſitas etiam ex medio intrinſeco.*
4 *Iudicia oppoſita probabilia poſſunt ſtare ſimul.*
5 *De eodem obiecto materiali ex diuerſo motiuo poſſunt haberi iudicia contradictoria.*
6 *Poteſt quis operari modò ſecùndum vnam opinionem modò ſecùndum oppoſitam.*

1 Videtur negatiuè reſpondendũ, quia non poteſt idem intellectus circa idem obiectum habere ſimul oppoſita iudicia; præſertim ſi ſint contradictoria, cum non poſſit ſimul eidem aſſentiri, & diſſentiri; Si autem amplecteretur oppoſitas opiniones probabiles, haberet contradictoria iudicia: nam amplectens vnam opinionem iudicat eſſe id quod affirmat, vel negat illa opinio; vnde ſi oppoſitas amplecteretur, iudicaret eſſe quod affirmat vna opinio, quam amplectitur, & dum amplectitur etiam oppoſitum iudicat, & non eſſe, quod iudicat eſſe ex vi primæ opinionis. Vnde propter hanc rationem aliqui putant hoc eſſe impoſſibile; & proinde cum quis ſecùndum vnã operatur, debet deponere aliam.

2 Alij vero volunt id eſſe poſſibile, ſi nimirum vni opinioni aſſentiatur ex medio intrinſeco, ſeu ex ratione; alteri verò aſſentiatur ex medio extrinſeco, ſeu ex auctoritate Doctorum. in hoc enim caſu non habet ſimul aſſenſus contradictorios: quia ſunt aſſenſus diuerſi generis. Ita Sayrus *lib. 1. Clauis Reg. cap. 5. num. 3.* Vaſquez 1. 2. *diſp. 62. cap. 3. num. 10.* Azor. *tom. 1. lib. 2. cap. 16. queſt. 2. & 3. & cap. 17. queſt. 7.*

3 Dicendum tamen eſt. Poſſe aliquem ſimul amplecti oppoſitas opiniones vt probabiles: atque adeo poſſe modò vnam, modò aliam deducere ad praxim, & vtrique opinioni poſſe aſſentiri per principia intrinſeca, ſeu ex vi rationum. Ita inter alios docet Merolla *tom. 1. diſp. 3. cap. 4. dub. 1. num. 9.* Corneius 1. 2. *tract. 8. diſp. 3. dub. 3. concluſ. 2.* Sanchez *lib. 1. ſum. cap. 9. nu. 12.* Breſſerus *lib. 3. de conſcient. cap. 6. num. 69. verſ. Suppono* Granad. 1. 2. *controuer. 2. tract. 12. diſp. 3. ſect. 3. num. 19.* Laiman. *lib. 1. theol. mor. tract. 1. cap. 5. num. 5.*

4 Ratio autem, eſt quia aſſenſus probabilis non eſt aſſenſus abſolutus, cum non habeat abſolutam certitudinem, ſed tantùm ſecùndum quid, quatenus ſcilicet dependet ex tali motiuo, quod facit intellectum iudicare tali pacto; vnde intellectus non coniungitur per aſſenſum probabilẽ cum obiecto vndequaque, ſed tantùm ex parte: nempe quatenus obiectum ſtat ſub tali motiuo, ſeu ratione. Cum autem poſſit obiectum ſimul ſtare ſub oppoſito motiuo, ſeu ratione, quæ poteſt generare oppoſitam opinionem; ideo etiam intellectus poteſt ſtare cum oppoſito iudicio, ſeu cum iudicio de oppoſito: quia huiuſmodi iudicia non pugnant inter ſe, cum non ſint iudicia & aſſenſus abſoluti, ſed tantùm ſecùndum quid, nempe de obiecto ſecùndum quod coniungitur cum tali, vel tali motiuo. Et quia obiectum vt coniungitur cum tali, & tali motiuo habet diuerſas determinationes obiectiuas, eodem pacto ſe habet, ac ſi eſſet multiplex.

5 Neque ſequitur quòd amplectens opiniones probabiles oppoſitas habeat iudicia contraria ſeu contradictoria; quia non ſunt talia iudicia de obiecto eodem modo conſiderato, ſed ſub diuerſa determinatione obiectiua, quam habet ex diuerſo motiuo. Vnde ſi quis dicat: probabile eſt, habentem beneficium ſine fructibus non teneri ad recitandum officium diuinum, poteſt etiam dicere quòd probabile eſt teneri; quia non ſunt hæc iudicia contradictoria, aut contraria, cum ſint ex diuerſo motiuo; ſed tantùm de obiecto materiali contradictorio; nam vnum iu-

dicium

dicium procedit ex illo motiuo, quòd onus recitandi ſit annexum beneficio: alterum verò ex alio motiuo, quòd ſit annexum fructibus; hæc autem motiua inferunt partes contradictorias in obiecto materiali.

6 Ex hoc autem ſequitur, quòd poſſit operari modo ſecùndum vnam, modo ſecùndum aliam; nam cum vtramque putet probabilem, ſemper operabitur cum opinione probabili. Neque obſtat, quòd varius ſit in operando modò ſecùndum vnam, modò ſecùndum aliam: quia hæc varietas ſemper eſt cum debita menſura rectæ rationis, cum ſit ſemper cum opinione probabili.

An ex duabus opinionibus æquè probabilibus poſſit quælibet eligi.

Deciſio XIV.

SVMMARIVM.

1 *Ratio dubitandi.*
2 *Poteſt quis operari ſecùndum vtramlibet opinionem æquè probabilem, etiam ſi non ſe determinet ad ſentiendum ſecùndum alteram tantùm.*
3 *Sic operans ſemper operatur cum conformitate ad rectam rationem.*
4 *Dubietas de exceſſu probabilitatis vnius opinionis ſupra aliam non tollit quin ſecùndum vtramque poſſimus operari.*
5 *Corneij doctrina reijcitur.*
6 *Dubitans ſpeculatiuè de aliqua opinione non poteſt ex motiuo intrinſeco ſecùndum ipſam operari.*

1 Videtur negatiuè reſpondendum, quia ſi ſunt contrariæ, & ſunt æquè probabiles, intellectus non magis aſſentitur vni, quàm alteri: vnde manet dubius erga vtramque; & proinde operans ſecùndum alterutram ex ipſis peccat, quia operatur cum conſcientia dubia, quòd operatio ſit licita, aut illicita.

2 Dicendum tamen eſt, poſſe operari ſecùndum vtramlibet, etiam ſi ante operationem non ſe determinet ad ſentiendum potiùs ſecùndum vnam partem, quàm ſecùndum oppoſitam, ſed maneat in illa æqualitate probabilis iudicij erga vtramque. Ita Corneius 1. 2. *quæſ.* 19. *tract.* 8. *diſp.* 3. *dub.* 4. qui citat D. Antonin. 1. *par. tit.* 30. *cap.* 10. §. 10. Adrian. *in quæſ. de Reſtit. longè poſt medium* §. *Dicendum eſt ergo.* & §. *Mihi videtur.* Nauar. *cap.* 27. *Manual num.* 284.

3 Ratio reſolutionis eſt, quia cum vtraq; opinio probabilis ſit, vtraque etiam eſt debita menſura operandi ſecùndum rectam rationem; vnde ſiue ſecùndum vnam, ſiue ſecùndum alteram quis operetur, ſemper operatur cum conformitate ad rectam rationem: atq; adeo operatio ſemper eſt recta, & honeſta.

4 Neque obſtat illa dubietas; quia non eſt dubietas de probabilitate opinionum: nam certus eſt vtramque habere ſufficientem probabilitatem; ſed eſt dubietas de exceſſu probabilitatis vnius ſupra aliam; quia cum appareant æquè probabiles, remanet dubius intellectus, an vna excedat alteram. Et ideo quando quis operatur ſecùndum alterutram ex his opinionibus, non operatur cum conſcientia dubia, an licita ſit operatio: ſed cum conſcientia certa; quia certus eſt, licere operari ſecùndum quamlibet opinionem probabilem.

5 Vnde non eſt audiendus Corneius, dum dicit, quòd in tali caſu quamuis ſit dubius, poteſt ſe per voluntatem determinare, & ſic operari, licet dubius de veritate illarum opinionum. Aut cum dicit, quòd licet ſit dubius ſpeculatiuè, non eſt tamen dubius practicè. Quia non poteſt nec practicè, nec ſpeculatiuè eſſe dubius, ſi habet illas opiniones vt probabiles; probabilitas enim dicit aſſenſum determinatum: vnde excludit dubietatem.

6 Deinde, ſi eſſet dubius de veritate opinionum, & ſolùm ſpeculatiuè, non poſſet bona conſcientia ſecundum ipſas operari; nam certitudo, ſeu determinatio practica non habet locum, vbi non eſt determinatio ſpeculatiua: quia non poteſt intellectus dictare ſecùndum rectam rationem, quòd ſit operandum ſecùndum conſcientiam, ſeu opinionem dubiam; alioquin dictaret eſſe operandum cum periculo peccandi; nec voluntas poteſt determinare eſſe operandum cum dubietate: nam ſic determinando peccaret; quia vellet periculum peccandi.

An quis poſſit contra propriam opinionem probabilem ſequi alienam probabiliorem, aut etiam minùs probabilem.

Deciſio XV.

SVMMARIVM.

1 *Poteſt quis contra propriam opinionem ſequi alienam ſiue magis, ſiue minùs probabilem.*
2 *Aliena opinio etiam minùs probabilis eſt recta menſura operandi.*
3 *Excogitans nouam opinionem meliùs fundatam, adhuc poteſt ſequi alienam.*

4 *Etiam ſi non deponatur propria opinio probabilior.*

5 *Si quis putaret eſſe probabilius non poſſe ſequi opinionem minùs probabilem, adhuc poſſet illam ſequi.*

1 RESP. poſſe vnumquemque contra propriam opinionem ſequi alienam, ſiue ſit probabilior, ſiue etiam minùs probabilis. Ita tradunt Azor. *tom.* 1. *cap.* 17. *quæſ.* 7. Medina 1. 2. *quæſ.* 19. *ar.* 6. Vaſquez *diſp.* 62. *cap.* 4. *num.* 19. Corneius *tr.* 8. *diſp.* 3. *dub.* 3. qui tamen loquitur ſolùm de probabiliori. Malderua *diſp.* 86. Lorca *diſp.* 39. Coninch. *diſp.* 34. *de Sacram. dub.* 10. *num.* 84. Leſſius *lib.* 2. *de Iuſt. & iure cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 76. Sayr. *lib.* 1. *Clauis Reg. cap.* 6. Sanctius *diſp.* 14. *Select. num.* 8. & *diſp.* 41. *num.* 7. & *diſp.* 44. *num.* 31. *& ſequentib.* Valent. *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſ.* 7. *punc.* 4. Granad. 1. 2. *tr.* 12. *diſp.* 4. *ſect.* 2. *num.* 16. Lopez *tom.* 1. *Inſtruct. cap.* 220. & 287. Sanchez *lib.* 1. *ſum. cap.* 9. *nu.* 15. Baldel. *tom.* 1. *Theol. Moral. lib.* 4. *diſp.* 12. *nu.* 5. Villalobos 1. *par. ſum. tract.* 1. *difficul.* 11. *num.* 2. Merolla *tom.* 1. *diſp.* 3. *cap.* 4. *dub.* 1. *corol.* 1. *num.* 3. Breſſerus *lib.* 3. *de Conſcient. cap.* 6. *num.* 74. *ver. Vnde etiam* Pottel. *in Dub. Reg. Verbo Opinio eligenda num.* 6. Auerſa 1. 2. *quæſ.* 18. *ſect.* 18. *concl.* 2.

2 Fundamentum eſt, quia ſiue aliena opinio ſit probabilior, ſiue minùs probabilis, ſemper habet ſuam probabilitatem: & ideo ſemper eſt menſura operandi conformis rectæ rationi; vnde vt talis poteſt aſſumi ad menſurandam operationem, & operatio ſic menſurata erit honeſta, quia erit conformis rectæ rationi.

3 Hinc qui excogitat nouam opinionem, quam cenſet meliùs fundari, quàm oppoſitam propter pondus rationum, quibus innititur; poteſt adhuc ſequi oppoſitam opinionem ratione probabilitatis, quam apud alios habet.

4 Et hoc verum eſt etiam ſi non deponatur propria opinio probabilior; quia intellectus poteſt ſimul aſſentiri oppoſitis opinionibus, vt diximus in ſuperioribus; & ideo retinendo vnam, poteſt etiam aliam amplecti, quia poteſt ſimul habere iudicium de probabilitate alterius, ſiue per intrinſeca principia, ſeu ex vi rationis: ſiue per extrinſeca, nempe ratione auctoritatis: quia poſſumus nos ſemper conformari alienæ opinioni ſaltem ob auctoritatem virorum doctorum.

5 Ex quo fit, quòd ſi quis probabiliùs putaret: Non licere ſequi opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori, adhuc poſſet is ſequi minùs probabilem, dummodo tamen putaret, dici cum aliqua probabilitate, quòd licitum ſit ſequi minùs probabilem. Nam in tali caſu, prudenter operaretur ſecùndum dictamen rectæ rationis, quale eſt illud: quòd probabile ſit, ſequi minùs probabilem opinionem. Hoc autem dictamen facilè poteſt habere, ſaltem ex motiuo alienæ auctoritatis.

An cum quis eſt verè dubius circa oppoſitas opiniones probabiles, ita vt neutri parti aſſentiatur, poſſit adhuc vtramque ſequi.

Deciſio XVI.

SVMMARIVM.

1 *Dubius circa opiniones oppoſitas probabiles non poteſt eas ſequi, ſecùndum aliquos.*

2 *Poteſt tamen illas ſequi.*

3 *Non obſtante dubio, vtraque opinio eſt recta menſura operandi.*

4 *Vt dubius de opinione poſſit illam ſequi, quodnam iudicium requiratur.*

1 NEGATIVAM partem videtur tradere Nauar. *in Cap. Si quis. de Pœnit. diſt.* 6. *nu.* 56. vbi docet, quòd quando quis eſt dubius de vtraque parte contradictionis, debet eligere tutiorem. Quod tamen non video, quomodo poſſit ſubſiſtere; quia ſi dubietas obſtat, quominùs ſequatur vtramque: cum ſe teneat dubietas tam ex vna parte contradictionis, quàm ex alia, faciet quòd neque tutiorem poſſit eligere: quia adhuc operabitur cum dubietate.

2 Affirmatiuam ergo ſententiam tenendam puto cum Vaſquez 1. 2. *diſp.* 62. *cap.* 4. *nu.* 19. Sanchez *lib.* 1. *ſum. cap.* 9. *num.* 16. Merolla *tom.* 1. *diſp.* 3. *dub.* 1. *corol.* 1. *num.* 30. Baldel. *tom.* 1. *Theol. moral. lib.* 4. *diſp.* 7. *nu.* 4. Breſſero *lib.* 3. *de Conſcient. cap.* 6. *num.* 79.

3 Ratio autem eſt, quia cum vtraque opinio habeat ſuam probabilitatem, eſt recta menſura ſecùndum rectam rationem pro humanis operationibus; vnde poteſt dubitans de vtraque parte aſſumere aut vnam, aut aliam opinionem vt talem menſuram, quæ habeat ſuam rectitudinem ex aliorum exiſtimatione, conformando ſeipſum iudicio aliorum. Et proinde etiam ſi maneat cum dubietate poteſt adhuc ſecùndum vtramque partem contradictionis operari.

4 Hoc autem habet locum, ſuppoſito, quòd habeat iudicium, quo iudicet, licere ſe in operando conformare alieno iudicio; quia ex hoc ſolùm capite fieri poteſt, quòd aſſumat alie-

nam

nam opinionem probabilem ad menſurandas proprias operationes vt rectam menſuram, quia nimirum licet apud ſe non ſit talis, eſt tamen talis apud alios.

An liceat ſequi opinionem probabilem, quando adeſt formido, quòd non liceat.

Deciſio XVII.

SVMMARIVM.

1 *Non licet ſequi opinionem probabilem cum formidine, ſecùndum aliquos.*
2 *Oppoſitum traditur.*
3 *Non poteſt excludi formido niſi opinio ſit certa.*
4 *Valet etiam quò ad iudicium particulare.*
5 *Etiam ſi formida ſit magna poſſumus ſequi opinionem probabilem.*
6 *Formido non facit vt operemur cum conſcientia dubia.*

1 CAiet. *in ſum. Verbo Opinio.* Armilla *ibid. num.* 2. negatiuè reſpondent: quia operari cum formidine eſt operari cum conſcientia dubia; non licet autem operari cum dubia conſcientia. Quod Caiet. *tom.* 1. *Opuſc.* 31. *reſp.* 13. declarat, debere intelligi de formidine intellectus practici, non verò ſpeculatiui; quia ſpeculatiuus non iudicat de operando. Rurſus non licere, ſi formido ſit in intellectu practico de operando hic, & nunc: ſecùs verò ſi ſit de operando in vniuerſali; quia intellectus poteſt habere formidinem de aliqua propoſitione in vniuerſali, & non de aliqua particulari contenta ſub vniuerſali. Et hanc opinionem ſic declaratam ſequitur Nauar. *in Cap. Si quis de Pœnit. diſt.* 7. *nu.* 61. *& ſequentib.*

2 Dicendum tamen, licere ſequi opinionem probabilem etiam cum formidine oppoſitæ partis, quæ ſit in iudicio particulari. Ita tenet Gerſon. *tract. de Præpar. ad Miſſam conſiderat.* 3. *alphab.* 37. *litter.* 1. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 62. *cap.* 5. *num.* 26. Salas *tract.* 8. *diſp.* 1. *ſect.* 4. *num.* 40. Sanchez *lib.* 1. *ſum. cap.* 9. *num.* 18. Merolla *tom.* 1. *diſp.* 3. *cap.* 4. *dub.* 1. *corol.* 3. Baldel. *par.* 1. *theol. moral. diſp.* 10. *num.* 2.

3 Ratio reſolutionis eſt, quia ſi excluderetur omnis formido, illa opinio non eſſet probabilis, ſed certa; in hoc enim differt probabilitas à certitudine; quòd probabilitas admittit aliquá formidinem de oppoſito, quam omnino excludit certitudo. Vnde cum ſtet probabilitas ſimul cum formidine, ſtat etiam, quòd non obſtante formidine, illa opinio ſit ſufficiens regula ad honeſtè operandum, quia iam eſt ſecùndum rectam rationem; recta enim ratio, licet cum formidine, iudicat id licere; nam motiuum probabilitatis facit, quòd intellectus determinatè aſſentiatur, licet cum aliqua formidine. Alioquin ſi deberet excludi omnis formido, rarò rectè operaremur: quia rarò habemus iudicium certum abſque vlla formidine.

4 Quod etiam debet intelligi de formidine in iudicio particulari; quia adhuc valet eadem ratio; nam adhuc intellectus determinatè aſſentitur vni parti; hoc autem iudicium determinatum, cum ſit ſecùndum rectam rationem, eſt etiam recta menſura operationis.

5 Et quia formido poteſt eſſe maior, & minor; quantumuis magna illa ſit, non facit, quòd non poſſimus ſequi opinionem probabilem; quia nec facit, quòd opinio probabilis non ſit, nec quòd non aſſentiamur determinatè vni parti.

6 Neque hinc ſequitur, quòd operemur cum conſcientia dubia; quia dubietas dicit, quòd intellectus neutri parti aſſentiatur, ſed maneat ſuſpenſus; in caſu autem noſtro, quamuis cum formidine, determinatè tamen aſſentitur.

An vt quis poſſit operari ſecùndum opinionem probabilem, debeat ipſi euidenter conſtare de probabilitate opinionis.

Deciſio XVIII.

SVMMARIVM.

1 *Probabilitatem opinionis debere eſſe euidentem, vt poſſis amplecti, qui doceant.*
2 *Non eſt neceſſe vt probabilitas opinionis ſit euidens, vt quis eam ſequatur.*
3 *Electio opinionis poteſt fieri ſecùndum aliam opinionem probabilem.*
4 *Euidentia probabilitatis opinionis non obligat ad ſui electionem: ſed relinquit, vt poſſit eligi oppoſita opinio, quæ eſt probabilis, licet non euidenter.*
5 *Quando vna opinio eſt euidenter probabilis, etiam oppoſita poteſt eſſe probabilis.*

1 DEbere euidenter conſtare, quòd opinio ſit probabilis, quando oppoſita eſt euidenter probabilis docet Merulla *tom.* 1. *diſp.* 3. *cap.* 4. *dub.* 1. *corol.* 3. *verſ. quòd enim* Breſſer. *lib.* 3. *de conſcient. cap.* 5. *num.* 64. Secus autem ſi

oppoſita non ſit euidenter probabilis. Quòd etiam docet Baldel. *par. 1. Theol. mor. lib. 4. diſp. 10. num. 5.* dum vult, vt quis poſſit operari ſecùndum opinionem probabilem, debere eſſe certum de probabilitate ipſius. Pro quo citat etiam Medinam *1.2. quæſ. 19. ar. 6. §. ſi quis agat.* Qui tamen hoc non docet; ſed tantùm, quòd non poteſt quis operari ſecùndum opinionem de qua dubitat, an ſit probabilis.

2 Dicendum tamen eſt: Vt quis poſſit ſecura conſcientia operari ſecùndum opinionem probabilem, non eſt neceſſe, vt ipſi euidenter conſtet de probabilitate ipſius, nec vt aliquo alio modo ſit certus de probabilitate: ſed ſufficit ſi probabiliter iudicet eſſe probabilem.

3 Ratio, quæ me mouet, eſt, quia in operando licet ſequi opinionem probabilem, vt communiter tradunt; quod eſt verum in communi; quia ſemper opinio eo ipſo, quòd probabilis eſt, conformatur rectæ rationi. Ergo quando agitur de eligenda opinione, quam ſequaris, potes dirigere hanc operationem electionis ſecùndum opinionem probabilem; & proinde vt eligas opinionem probabilem ſufficiet, quòd probabiliter iudices, quòd ſit probabilis, nec opus erit, quòd ſis certus. Tunc enim prudenter ages, & electio opinionis erit honeſta, atque etiam operatio proueniens ex tali opinione: quia prouenit ab opinione probabili electa vt probabili, electione honeſta, & licita; & proinde ex nullo principio erit illicita.

4 Nec obſtat, quòd oppoſita ſit euidenter probabilis: quia non per hoc fit, quòd ipſa aut non ſit probabilis (cum poſſint oppoſitæ opiniones eſſe probabiles) aut quòd non poſſit haberi probabilitas de eiuſdem probabilitate; quia cum reuera ſit probabilis, poteſt eius probabilitas ſaltem probabiliter conſtare: aut quòd certitudo probabilitatis obliget ad electionem ipſius, quia non poteſt plus obligare, quàm obliget ipſa opinio, hæc autem non obligat ad ſui electionem.

5 Dices. Quando ex oppoſitis opinionibus vna eſt certa, non poſſumus ſequi oppoſitam; ergo nec quando vnius probabilitas eſt certa. *Reſp.* negando conſequentiam, cum ſit diſpar ratio: nam quando vna opinio eſt certa, non poteſt eius oppoſita eſſe probabilis; at quando vna eſt euidenter probabilis, oppoſita nedum poteſt eſſe probabilis, ſed etiam probabilitas poteſt probabiliter conſtare; quia probabilitas fundatur in diuerſo motiuo, quod eſt compoſſibile cum motiuo probabilitatis euidentis de oppoſita opinione.

An quãdo quis eſt dubius de probabilitate opinionis, poſſit illã amplecti.

Deciſio XIX.

SVMMARIVM.

1 *Dubius de probabilitate opinionis non poteſt illam ſequi.*
2. *Quomodo hoc ſit intelligendum.*
3 *Quomodo poſſit deponi dubium circa opiniones aliorum.*

1 NEgatiuè reſpondent Medina *1.2 quæſ. 19. ar. 6. §. ſi quis agat.* Salas *tract. 8. diſp. 1. ſect. 5. num. 44.* Valent. *diſp. 2. quæſ. 14. punct. 4. quæſ. 4. ver. quod ſi verò.* Sanchez *lib. 1. ſum. cap. 9. num. 18. in fine* Breſſerus *lib. 3. de conſcient. cap. 5. num. 64.* & deſumitur ex D. Th. *Quodlib. 8. art. 14. in corpore.* Quia nimirum qui eſt dubius de probabilitate opinionis, non poteſt formare determinatum iudicium practicum, quòd liceat operari ſecùndum illã opinionem; ſicut nec poteſt iudicare, quòd illa opinio ſit ſecùndũ rectam rationẽ; vnde operaretur cum conſcientia dubia. quod nõ licet.

2 Hoc autem eſt intelligendum, quando quis eſt verè dubius tàm ex principijs intrinſecis, ſeu ratione, quàm per principia extrinſeca, ſeu ex vi auctoritatis; ita vt ſuſpenſus maneat, nec ipſi aſſentiatur, atque adeo ſuppoſito, quòd dubium non deponat.

3 Quia tamen, quando opinio eſt alterius Doctoris ſemper adeſt motiuum auctoritatis, quod determinare poteſt intellectum ad certum aſſenſum: ideo ſemper poteſt quilibet dubium deponere, ſi nimirum voluntas applicet intellectum, vt aſſentiatur ſecùndum motiuum auctoritatis. Et licet adſint ex vtroq; parte Doctores, ita vt etiam ſecùndum auctoritatem dubiam faciant opinionem, adhuc tamen poteſt quilibet ſe determinare, vt ſentiat potius cum his, quàm cum illis Doctoribus; quia tam ex vna parte, quàm ex alia adeſt ſufficiens motiuum auctoritatis, in cuius virtute ſe determinet.

An quis poſſit ſequi opinionẽ, quæ habet minimũ gradum probabilitatis.

Deciſio XX.

SVMMARIVM.

1 *Primus caſus, in quo licet ſequi opinionem, quæ habet minimum gradum probabilitatis.*

2 *Qui habet bonam conſcientiam in operando, excuſatur ſi malè operetur.*
3 *Alter caſus, in quo licet ſequi opinionem, quæ habet minimum gradum probabilitatis.*
4 *Periculum imminentis damni non facit licitum, quod ex natura ſua eſt illicitum.*
5 *Qui doceant non eſſe licitum ſequi opinionem, quæ habet minimum gradum probabilitatis.*
6 *Qui doceant abſolutè licere; quorum ſententia an tenenda.*
7 *Opinio cum minimo gradu probabilitatis eſt verè probabilis.*
8 *Licet eam ſequi etiam in comparatione probabiliſſimæ.*
9 *Nullum periculum peccati in ſequenda hac opinione.*

1 TRadunt Doctores duos caſus, in quibus poteſt quis ſequi huiuſmodi opinionem. Primus eſt; quando caſus particularis vrget, ita vt neceſſe ſit intellectum ſtatim ad alterutram partem determinare, nec moraliter eſt poſſibile adhibere magnam diligentiam; tunc enim adhibita diligentia, quæ poteſt adhiberi, ignorantia, quæ manet, eſt inuoluntaria; & ideo non adeſt periculum peccati, ſi operatio fiat ſecùndum opinionem, quæ habet minimum probabilitatis. Ita Salas 1.2. *tract.* 8. *diſp. vnica ſect.* 5. *num.* 44. Valent. *diſp.* 2. *quæſ.* 14. *punc.* 4. *quæſ.* 4. *verſ. Et ſanè* Suarez 3. *par. tom.* 5. *diſp.* 40. *ſect.* 5. *num.* 13. Sanchez *lib.* 1. *Sum. cap.* 9. *num.* 25. Baldel. *tom.* 1. *Theol. moral. lib.* 4. *diſp.* 12. *num.* 4. Nauar. *in cap. Inter verba in* 2. *edit. corol.* 53. *num.* 135. Sotus *memb.* 3. *de tegendo ſecret. quæſ.* 2. *concluſ.* 3. Merolla *tom.* 1. *diſp.* 3. *cap.* 4. *dub.* 2. *num.* 83.

2 Ex quo ſequitur excuſandos eos à peccato, qui quando operati ſunt, habebant bonam conſcientiam, exiſtimantes ſe non malè operari; quamuis poſtea cognouerint illam operationem eſſe malam; nam operatio dependet à conſcientia præſenti, non à ſubſequenti, iuxta quam attenditur bonitas, vel malitia ipſius.

3 Alter caſus eſt, quādò vrget graue damnum, quòd vitari non poteſt, niſi ſequamur opinionem habentem minimum probabilitatis. Ita Sotus *de tegendo ſecret. memb.* 3. *quæſ.* 2. *concluſ.* 3. Nauar. *in cap. Inter verba. corol.* 53. *nu.* 135. Sanchez & Baldel. *nu.* 1. *citati*, & inſuper idem Sanchez *lib.* 2. *de matr. diſp.* 36. *num.* 8. quia periculum damni facit, quòd illa opinio cenſeatur rationabilior, quàm in ſe ſit.

4 Hoc tamen mihi difficile videtur; quia periculum imminentis damni non facit, quòd ſint licita, quæ alioquin ex natura ſua illicita ſunt; vnde ſi ex natura rei non eſt licitum ſequi opinionem, quæ habet minimum gradum probabilitatis, neque erit licitum, eam ſequi ratione imminentis damni; & ſi eſt licitum ſequi ex natura rei, erit ſemper licitum, niſi adſit ſpecialis prohibitio. Adde quòd periculum imminentis damni non variat motiuum, in quo fundatur probabilitas illius opinionis; vnde cum tota probabilitas ſit ex motiuo, non poteſt dici, quòd ſit probabilior, imminente graui damno, & rationabilior, quàm in ſe ſit.

5 Non eſſe autem licitum ſequi abſolutè huiuſmodi opinionem tradunt Auctores ſupracitati *num.* 1. & 3. & præcipuè Sanchez, dum hoc limitant ad duos tantùm prædictos caſus.

6 At licitum eſſe abſolutè eam ſequi, tenet Breſſerus *lib.* 3. *de conſcient. cap.* 7. *num.* 77. quæ ſententia mihi magis placet, & puto, ſi rectè conſideretur, non habere difficultatem.

7 Licet enim opinio habeat minimum gradum probilitatis, adhuc tamen illam habet, & verè probabilis eſt: ſicut ſi in pariete ſit minimus gradus albedinis, adhuc verè paries albus eſt, & ſi in anima ſit minimus gradus gratiæ, verè ſancta eſt, & iuſta; ergo verè eſt ſecùndum rectam rationem, & poſſumus eam tuta conſcientia ſequi; quia poſſumus eam amplecti vt probabilem: atque adeo vt rectam menſuram humanæ operationis. Opinio namque probabilis non facit, quòd operatio ſit honeſta, quia habeat tantam, vel tantam probabilitatem, ſed quia probabilis eſt; atq; adeo id præſtat ratione probabilitatis ſecùndum ſpeciem.

8 Atque hoc habet locum, etiam ſi opinio, quæ habet minimum gradum probabilitatis, concurrat cum opinione probabiliſſima; quia adhuc in comparatione illius retinet ſuam tenuem probabilitatem, ratione cuius adhuc eſt ſecùndum rectam rationem, atque adeo etiam operatio per ipſam menſurata.

9 Dices. Sequi huiuſmodi opinionem, præſertim in comparatione probabiliſſimæ, erit ſe exponere periculo peccati, quia fieri poterit, quòd talis opinio non habeat ſufficientem probabilitatem. Reſp. Sequi huiuſmodi opinionem nullum continere periculum peccati; quia dato, quòd non haberet ſufficientem probabilitatem, eligitur tamen vt probabilis; qui autem operatur ſecùndum opinionem probabilem, certus eſt, quòd non peccet, etiam ſi putatiuè tantùm ſit probabilis; quia tunc excuſat conſcientia erronea.

An ſi quis alienam opinionem putet falſam, poſſit ſecùndum ipſam operari.

Deciſio XXI.

SVMMARIVM.

1 *Poſſumus operari ſecùndum alienam opinionem licet ex principijs intrinſecis putemus falſam.*
2 *Operatio contra proprium iudicium, ex alieno tamen prudenti eſt honeſta.*
3 *Doctus in operando poteſt ſe gerere vt rudem, & ſequi alienam ſententiam.*
4 *Si quis habeat euidentiam de falſitate alienæ opinionis, non poteſt illas ſequi.*
5 *Poteſt quis cenſere probabilem alienam ſententiam ex principijs extrinſecis, etiam ſi oppoſitam putet firmari argumento inſolubili.*

1 RESp. affirmatiuè cum Io. Sanchez *diſp. 41. ſelect. de Sacram. num. 7. ver. Scrupuloſus ergo.* Qui plures alios citat, ſed ipſi tantùm docent, quòd poteſt quis relicta propria opinione alienam ſequi ex motiuo auctoritatis; non autem dicunt, quòd id contingere poſſit, quando alienam falſam putat. Imo Vaſquez, quem pro ſua ſent. citat. 1. 2. *diſp. 62. cap. 30. num.* 10. oppoſitum docet eadem *diſp. cap. 4. num.* 17. Debet autem intelligi, quòd quando ex intrinſecis principijs, ſeu ex vi rationis alienam ſententiam putet falſam, poſſit illam in operando amplecti captiuando intellectum in obſequium auctoritatis Doctorum, qui illam tradunt, & credendo quòd probabilis ſit, quamuis talis ipſi non appareat; vnde poterit ipſam ſequi ex vi auctoritatis, ſeu ex principijs extrinſecis. Et proinde hoc valet tantum de illa opinione, quæ ab alijs cenſetur probabilis.

2 Fundamentum deciſionis eſt, quia dum amplectitur talem opinionem contra proprium iudicium, quo eam falſam putat, prudenter procedit; quia obſequitur alieno iudicio, quod cenſetur prudens, & ipſum aſſumit tanquam menſuram propriæ operationis; quia putat eſſe ſecùndum rectā rationem ſecùndum alienam exiſtimationem operari; & ideo honeſtè operatur, quia vtitur menſura honeſta ex alieno iudicio; vnde operatio procedit ex recta ratione; quia recta ratio dictat, quòd omnis opinio probabilis eſt ſecùndum rectam rationem: & ipſe ſequitur illam opinionem, quæ ſibi eſt probabilis in Doctorum teſtificatione, licet falſa ex principijs intrinſecis.

3 Confir. Poteſt doctus in operando ſe gerere, vt rudem, & nolle ſequi proprium iudicium, ſed alienum; ergo etiam quando alienam opinionem ſecùndum proprium iudicium putat falſam, poteſt nihilominus ſe gerere, vt rudem, & operari ſecùndum quod alienum iudicium conſulit licitum eſſe operari, ſequendo non rationem, ſed auctoritatem; ergo non obſtante, quòd putet alienam ſententiam falſam ſecùndum proprium iudicium, poteſt illam amplecti in operando, ſequendo auctoritatem, & ſe gerendo vt rudem: ita vt nollit vti in operando proprio iudicio circa illam opinionem: ſed procedat ex illo principio; quòd liceat conformare conſcientiam cum iudicio Doctorum; & formet dictamen; quòd liceat operari ſecùndum alienam opinionem, quando habetur pro probabili.

4 Hoc autem limitandum eſt, ſuppoſito, quòd non habeat euidentiam de falſitate alienæ opinionis; quia ſi haberet; iam ipſa non eſſet opinio, ſed error: nec poſſet aſſumi vt probabilis ex auctoritate; quia euidentia falſitatis oſtenderet decipi eos, qui eam tradunt; & proinde non eſſent, quò ad hoc, alicuius auctoritatis.

5 Ex his colligitur. Quòd ſi quis putet propriam opinionem colligi per argumentum inſolubile, atque adeo non poſſit oppoſitam opinionem cenſere probabilem ex principijs intrinſecis, adhuc tamen poterit illam cenſere probabilem ex principijs extrinſecis; quia poterit ſibi perſuadere, quòd illud argumentum non ſit certum, & inſolubile apud alios: & proinde innixus auctoritati poterit illam ſequi.

An vt quis alienam opinionem ſequatur, quando ipſam putat falſam, debeat deponere hoc iudicium, & formare oppoſitum, nempe quòd ſit probabilis.

Deciſio XXII.

SVMMARIVM.

1 *Vt quis ſequatur alienam opinionem, quam putat falſam, debet, ſecùndum quoſdam, deponere iudicium de falſitate.*
2 *Fundamenta huius opinionis.*
3 *Non eſt neceſſe, vt deponat iudicium de falſitate, vt quis poſſit ſequi alienam opinionem, quam putat falſam.*
4 *Cum iudicio de falſitate alienæ opinionis poteſt ſtare iudicium, quòd ſit recta menſura operandi.*
5 *Non ſtatim ac cenſetur opinio recta menſura operandi*

Digitized by Google

operandi ex auctoritate, cenſetur etiam probabilsi intrinſecè.

6 *Quomodo quiſque debeat in operando ſequi propriam conſcientiam.*

7 *Reuelatio etiam, Angelica, facit vt oppoſitum cenſeatur falſum.*

8 *An, ſi quis ſibi perſuadeat propriam opinionem eſſe certam, poſſit adhuc ſequi alienam oppoſitam.*

9 *Quando aliena opinio poſſit præſumi probabilis.*

1 AFfirmatiuè reſpon. Auerſa t. 2. *quæſ.* 18, *ſect.* 18. *concluſ.* 1. ita vt peccet qui ſequitur alienam opinionem abſq; eo, quòd iudicet ipſam probabilem.

2 Prob. quia quilibet debet ſequi in operando propriam conſcientiam, & non alienam; vnde non poteſt ſequi opinionem, quam in propria conſcientia non putat probabilem. Secundo. Si Deus, aut Angelus mihi reuelaret aliquid illicitum, quamuis ab alijs cenſeretur licitum, non poſſem illud operari abſq; peccato; ergo neque quando ego puto illicitum. Tertio. Aliquando quis aut ex paſſione, aut ex inconſideratione tam firmiter, ac certò aliquid ſibi perſuadet, vt nullam admittat formidinem de oppoſito: tunc autem non poteſt ſequi alienam opinionem probabilem: non alia ratione, niſi quia ſibi non perſuadet illam probabilem. Quarto. Fieri poteſt quòd quis aſſequatur certam exiſtimationem de re apud alios tantùm probabili: quia argumenta, & rationes ipſi rem certam reddant; tunc autem non poterit amplecti oppoſitam opinionem: non alia ratione, niſi quia ipſi non eſt probabilis; ergo neq; poterit amplecti, quando habet tantùm probabilem exiſtimationem, niſi etiam oppoſitum opinionem probabilem putet.

3 Dicendum tamen eſt, non eſſe neceſſe, vt formet ſibi iudicium, quo alienam opinionem probabilem putet, vt eam tuta conſcientia amplectatur: ſed poſſe amplecti, retento iudicio de falſitate ipſius, vt probabilem ex aliena auctoritate.

4 Moueor, quia cum tali iudicio de falſitate opinionis alienæ poteſt ſtare aliud iudicium, quòd ſit ſufficiens, & debita menſura ad operandum cum conformitate ad rectam rationem. Dum enim quis videt, talem opinionem apud alios eſſe probabilem, atque adeo menſuram operandi conformem rectæ rationi: licet ipſe non exiſtimet talem, dum tamen ſibi perſuadet ſaltem quòd ipſi prudenter moueantur ad ſic operandum, poteſt iudicium ipſorum ſequi, & iudicare quod ſit ſufficiens menſura operandi ſecùndum rectam rationem; dum vt talis ab ipſis traditur; ergo licebit ipſam ſequi in operando; quia licet conformate operationem cuicumque ſufficienti menſuræ.

5 Dices. Eo ipſo, quòd iudicatur ſufficiens menſura, iudicari etiam probabilem. Reſp. id eſſe verum, quando iudicaretur ſufficiens menſura ex aliquo motiuo rationis: non autem quando præſupponitur ſufficiens menſura ex alieno iudicio; & vt talis aſſumitur ad menſurandam operationem; nam tunc iudicari ſufficientem menſuram, non eſt ipſam iudicare probabilem, ſed iudicare, quòd ſit ſufficiens menſura opinio apud alios probabilis.

6 Ad primum pro oppoſita ſententia. Reſp. debere quidem vnumquemque ſequi in operando propriam conſcientiam; hoc ipſo autem quòd ſequitur opinionem, quam ipſe non putat probabilem, ſed tamen ſcit apud alioa eſſe probabilem, propriam conſcientiam rectam ſequitur: quia iudicat eſſe licitum ſequi alienam opinionem probabilem, etiam ſi ipſe eam non putet probabilem.

7 Ad ſecundum. In illo caſu in quo fieret reuelatio à Deo, aut ab Angelo bono, quòd aliquid eſſet illicitum: non ſolum probabiliter putaret falſum oppoſitum, ſed eſſet certus de falſitate: vnde non eſſemus in caſu; nam ex vna parte concurreret opinio certa, & ex alia falſa certò cognita vt falſa: & proinde cognoſceremus certò, decipi illos, qui putarent probabilem. Alia autem eſt ratio, quando ex vna parte concurrit opinio probabilis, & ex alia aliena probabilis, & a nobis tantùm probabiliter habita vt falſa.

8 Ad tertium. Adhuc in illo caſu poſſe ſequi alienam opinionem; quia licet ſibi perſuadeat propriam eſſe certam, hæc tamen perſuaſio cum non ſit ex medio certo, & euidenti, non poteſt facere, quòd habeat euidentiam de falſitate oppoſitæ; & ideo poteſt adhuc illam aſſumere vt probabilem, cum ſit talis apud alios.

9 Ad quartum. Negatur conſequentia; quia variatur caſus; nam quando de propria opinione habet certitudinem, & euidentiam, habet conſequenter euidentiam de falſitate oppoſitæ; quando autem opinio aliena cognoſcitur euidenter falſa, non poteſt haberi iudicium, quòd poſſit aſſumi vt probabilis; nec poteſt præſupponi aliquo pacto vt probabilis. At quando propria opinio eſt tantùm probabilis, poteſt aliena præſupponi probabilis, licet nobis appareat falſa; quia non apparet euidenter falſa.

An

An quando aliquam opinionem non puto probabilem ex principijs intrinſecis, poſſim illam ſequi in operando, ſi ab vno tantùm Doctore tradatur.

Deciſio XXIII.

SVMMARIVM.

1 *Si aliquam opinionem non puto probabilem, non poſſum eam ſequi, ſi ab vno tantum Doctore tradatur, qui doceaut.*
2 *Quando poſſim illam ſequi.*
3 *Vir doctus poteſt proprium iudicium alieno ſubmittere.*
4 *Poteſt quis ſibi perſuadere opinionem eſſe probabilem, etiam ſi ſibi talis non appareat.*
5 *Indoctus conſulens doctorem poteſt ſequi eius ſingularem opinionem: imò etiam doctus.*
6 *Quid addat pluralitas Doctorum ſupra vnum doctorem.*

1 NOn poſſe ſequi tradunt Vaſquez t. 2 *diſp. 62. cap. 4. num. 17.* Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 9. num. 11. in fine* Breſſerus *lib. 3. de conſcient. cap. 3. num. 31.* qui tamen addit, id non eſſe verum, ſi auctoritas vnius ſit valde magna. Baldel. *tom. 1. Theol. Moral. lib. 4. diſp. 11. num. 9.* qui citat Suarez *lib. 7. de legib. cap. 11. num. 8.* vbi tamen hoc non docet: ſed ſolùm, quòd non eſt ſtandum vnico auctori teſtanti de conſuetudine, quando alij contradicunt; quod eſt quid longe diuerſum.

2 Ex principijs autem vniuerſalibus de electione opinionis exiſtimo oppoſitum deduci, atque adeò poſſe me ſequi in operando illam opinionem, quam ex ſpeculatiuis principijs intrinſecis non puto probabilem, & traditur tãtùm ab vno Doctore; dummodo iſte Doctor ſit talis, quòd ſufficientẽ auctoritatem habeat, vt poſſit aliquis eius iudicio acquieſcere.

3 Poteſt enim vir doctus in eligenda opinione, quam in operando ſequatur, ſe gerere tanquã indoctum, & proinde ſequi alterius auctoritatem, & non proprium iudicium; & in hoc communiter conueniunt; ergo etiam in eo caſu, in quo vnius Doctoris opinionem non putat probabilem, poteſt proprium iudicium ſubmittere iudicio illius auctoris, & ex motiuo extrinſeco, ſeu auctoritate amplecti illam opinionem: & tunc rationabiliter operabitur, quia ſequetur iudicium prudentis viri. Vnde D. Th. *Quodlib. 3. ar. 10.* docet, poſſe quemlibet amplecti opinionem in moribus, quam a magiſtro didicit: hæc autem aliquando poteſt eſſe ſingularis.

4 Et confir. Poteſt formare ſibi conſcientiam, ſeu iudicium, quòd illa opinio probabilis ſit, etiam ſi ſibi non videatur probabilis; nam habet ſufficiens motiuum ita iudicandi: nempe auctoritatem Doctoris, quem, debet præſumerè, non moueri irrationabiliter ad ita ſentiendum: cum conſtet in cœteris rationabiliter procedere; hæc enim auctoritas in genere auctoritatis poteſt aliquid operari: & proinde vt motiuum extrinſecum conferre opinioni aliquam probabilitatem; ergo cum poſſit quiſque ſequi opinionem etiam minùs probabilem; poterit ſequi etiam iſtam opinionem, vt habentem aliquam probabilitatem ex motiuo auctoritatis.

5 Rurſus. Si quis indoctus conſuleret talem Doctorem, & Doctor ipſi reſponderet ſecùndum ſuam opinionem ſingularem, poſſet ipſe tuta conſcientia operari ſecùndum talem opinionem; ergo etiam doctus; quia non obſtat, quòd doctus non putet probabilem huiuſmodi opinionem; nam poteſt, vt diximus, non habere rationem propriæ doctrinæ, ſed ſe gerere vt indoctum, & tanquam neſcientem iudicare de probabilitate, & ſequi iudicium periti, & prudentis viri.

6 Denique ſi pro tali opinione non ſtaret vnicus tantùm Doctor, ſed tres, aut plures, non obſtante quòd ex principijs intrinſecis non putarem ipſam probabilem, poſſem nihilominus ſequi tanquam probabilem ex auctoritate; ergo etiam ſi pro ipſa ſtet vnicus tantùm Doctor. quia pluralitas ſupra vnitatem in eodem genere auget tantùm genus, non autem facie; quia ex natura ſua eſt tantùm augmentum; ſic ſecundus gradus caloris non facit calidum, ſed magis calidum. Vnde cum pluralitas Doctorum ſupra vnum Doctorem non faciat auctoritatem, quia ſupponit inchoatam in primo, ſolùm augebit; & cum probabilitas extrinſeca ſit ex auctoritate, augebit tãtùm probabilitatem: non autẽ faciet, ſed ſupponetur ratione primi Doctoris, & proinde adhuc poterit ãplecti vt probabilis.

An cum non adeſt tempus conſulendi libros, vel Doctores, poſſim ſequi illam opinionem, quæ hîc, & nunc mihi videtur probabilis.

Deciſio XXIV.

SVMMARIVM.

1 *In quibus conſulendi libri, & Doctores.*
2 *Quinam non teneatur conſulere libros, & Doctores.*

3 Quin-

3 *Quando quis poſſit ſtatim ſe reſoluere abſque aliorum conſilio.*

4 *Non debet putare ſe peccaſſe, quando quis cognoſcit, ſe amplexum pro probabili quod non erat tale.*

5 *Confeſſarij qui non poſſunt excuſari à mortali.*

1 QVando caſus eſt rarus, & patitur dilationem, antequam quicquam ſuper ipſo determinetur, oportet adhibere diligentiam, & conſulere libros, ſeu Doctores, vt cum communi notat Breſſerus *lib. 3. de conſcient. cap. 4. num. 45.* Naturale enim dictamen dictat, quòd in rebus grauibus maturè procedendum ſit: & proinde maior cõſultatio adhibenda ſit, vt in ipſis rectè procedatur; & ideo in eligenda opinione inquirendum diligenter, quid liceat, vel non liceat.

2 Hoc tamen limitandum eſt, quando qui determinat, quid liceat, vel non liceat, non eſt in rebus moralibus ita verſatus, vt ſciat quid circa illud tradant Doctores; nam ſi ſcit, quid doceant, poteſt ſtatim reſoluere, quid agendum ſit: quia eſt iam ſufficienter inſtructus pro tali reſolutione.

3 Quando verò non adeſt tempus conſulendi libros, aut peritos: vt ſi confeſſarius deberet abſoluere confitentem in articulo mortis, tunc reſoluere poteſt iuxta id quòd ſibi tunc probabile videtur, vt docent Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 9. num. 25.* Valenc. *1. 2. diſp. 2. quæſ. 14. punc. 4. quæſ. 4. ver. Et ſanè.* Granad. *controuer. 2. ar. 12. diſp. 4. ſect. 2. num. 14.* Baldel. *tom. 1. Theol. mor. lib. 4. diſp. 12. num. 4.* Breſſer. *lib. 3. De conſcient. cap. 4. num. 49.* & alij. Sufficit enim quòd tunc quiſque reſoluat, prout poteſt, & probabiliter iudicat reſoluendum: nemo enim ad impoſſibile tenetur; & quod tunc facit, rectè fit: quia operatur prudenter quantùm poteſt, & ſecùndum dictamen rectæ rationis.

4 Ex his colligitur, quòd ſi confeſſarius, aut quiuis alius cognoſcat poſtea in electione opinionis ſe erraſſe, putando probabile, quod nullo modo eſt probabile: non per hoc debet exiſtimare, ſe peccaſſe, cum nullo modo peccauerit; cum operatus ſit ſecùndum dictamen rationis, & conſcientiæ, quod tunc habebat: & ſe determinauerit, ſecùndum quod putabat ſe poſſe determinare. Quidquid enim tunc eſt in obiecto, quod ſit diſſonum rectæ rationi, eſt illi inuoluntarium, cum nihil tale cognouerit.

5 Secundò colligitur. Non poſſe excuſari à peccato illos confeſſarios, qui cum ſint parùm docti, ſe exponunt audiendis confeſſionibus perſonarum cuiuſcunque generis, & numquam vel libros conſulunt, vel peritos: ſed contenti ſunt aliqua ſummula, vt pote Toleti, quam neque benè memoriæ retinent, cum illi ſolùm ſtuduerint, vt poſſent ſe examini exponere. Quia enim paſſim occurunt caſus difficiles, quando audiuntur confeſſiones perſonarum cuiuſcunque generis, nequeunt eos benè reſoluere in virtute propriæ doctrinæ; vnde cum ſe exponant, & nolint peritos, aut libros conſulere, ſe exponunt voluntariè periculo peccandi.

An conſultius, & laudabilius ſit non ſequi opiniones minùs probabiles abſque ſpeciali cauſa.

Deciſio XXV.

SVMMARIVM.

1 *Conſultius, & laudabilius eſt ſequi opiniones probabiliores ſecùndum Breſſerum.*

2 *Non eſt conſultius, niſi per accidens ratione ſubiectæ materiæ.*

3 *Operatio conformis rectæ rationi eſt perfectè ſecùndum regulas prudentiæ.*

4 *Non eſt laudabilius ſequi opinionem magis probabilem, niſi ratione ſubiectæ materiæ.*

5 *Vnde ſumatur laudabilitas operationis.*

6 *Peccatum materiale an fugiendum ſecundùm regulas prudentiæ.*

7 *An in electione opinionis minùs probabilis ſit aliquo inordinatio.*

1 AFfirmatiuè reſpondet Breſſerus *lib. 3. de conſcient. cap. 6. num. 80.* Quia ſequens opinionem minùs probabilem ſe exponit periculo probabiliori ſaltẽ materialis peccati, quod licet non ſit peccatum, eſt tamen aliqua inordinatio, ſeu imperfectio, ſi fiat abſque iuſta cauſa; vnde qui ſequitur probabiliorem, operatur prudentiùs, & laudabiliùs.

2 Ego autem puto, non eſſe conſultius, ſeu non eſſe magis ſecùndum leges prudentiæ, & ſapientiæ, non operari ſecùndum opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori, etiam ſi nulla interueniat cauſa, ad eligendam opinionem minùs probabilem; ſed eſſe æquè ſecùndum leges prudentiæ ſiue eligatur opinio magis probabilis, ſiue minùs probabilis. Et ſolùm contingere poſſe, quòd laudabilius ſit, vel ratione ſubiectæ materiæ, vel ratione circumſtantiarum: ratione quarum poteſt eſſe laudabilius operari etiam ſecùndum minùs probabilem: vt quando reſtituo, docente opinione probabiliori, quod non teneor reſtituere.

3 Moueor, quia leges prudentiæ non exigunt

aliud

Digitized by Google

aliud in operatione, vt perfectè ſit ſecùndum ipſas, quàm quòd ſit conformis rectæ rationi: atque adeo ſecùndum illam opinionem, ſeu iudicium, quod refundit talem conformitatem; ſiuè autem opinio ſit magis probabilis, ſiue minùs probabilis, ſemper eſt perfectè conformis rectæ rationi; atquè adeo etiam operatio ab ipſa profecta; Non enim maior probabilitas ponit maiorem conformitatem, ſed tantùm facit, quòd intellectus magis adhæreat per aſſenſum: nam conſiſtit in eo, quòd motiuum habeat maiorem vim ad mouendum intellectum. Vnde ex maiori probabilitate habetur tantùm, quòd intellectus magis moueatur, & firmiùs adhereat; & ideo ex maiori probabilitate non creſcit conformitas ad rectam rationem: cum non conſiſtat in motione intellectus, nec in adhæſione, ſed in eo, quòd opinio ſit conformis principijs rectæ rationis, & ab ipſis deducta; hæc verò conformitas conſiſtit in indiuiſibili; quia ſi in aliquo non eſt conformis, ſtatim abſolutè eſt difformis: cum quæcunque difformitas ſufficiat, vt non ſit deducta ex ipſis, & proinde ſit falſa; ſicut concluſio ſi non eſt totaliter conformis principijs eſt falſa. Vnde quò ad veritatem, & falſitatem conſiſtit in indiuiſibili.

4 Hine nec laudabilius eſt operari ſecùndum opinionem magis probabilem: ſeu non operari ſecùndum minùs probabilem: ſed æquè laudabile operari tam ſecùndum opinionem probabilem, quàm ſecùndum minùs probabilem. Niſi forte per accidens ſubiecta materia afferat maiorem laudabilitatem.

5 Ratio eſt, quia laudabilitas operationis ſumitur à bonitate ipſius, & honeſtate; bonitas autem & honeſtas, quæ non eſt ex obiecto, ſed in ordine ad opinionem dirigentem operationem, ſumitur à bonitate, & honeſtate opinionis, quæ, vt menſura, illas refundit in operationem; & bonitas, & honeſtas opinionis conſiſtit in conformitate ad rectam rationem, quæ conſiſtit in indiuiſibili. Vnde cũ opinio magis probabilis non ſit magis conformis, nec etiam erit magis bona, & honeſta.

6 Ad, id, quòd in oppoſitum allatum eſt *num.* 1. reſp. peccatum materiale non eſſe peccatum; & ideo nec eſt fugiendum ſecùndum regulas prudentiæ, quæ dictat, tantùm eſſe fugiendum quòd eſt peccatum: vnde qui ſequitur minùs probabilem opinionem, non ſe exponit alicui periculo, ſed tutiſſimè operatur; quia certus eſt, quòd operatur ſecùndum dictamen rectè rationis. Adde, quòd periculum peccati materialis poteſt eſſe etiam in opinione magis probabili: cum neque ipſa ſit certa: imo licet appareat magis probabilis, poſſit tamen eſſe falſa, aut etiam minùs probabilis ex alio motiuo non conſiderato.

7 Neque in electione opinionis minùs probabilis eſt aliqua inordinatio, aut imperfectio. Nam non eſt in ipſa opinione, cum ſit ſecùndum rectam rationem; nec in ipſa electione: quia recta ratio dictat, poſſe eligi opinionem minùs probabilem; vnde talis electio eſt ſecundum rectam rationem, atque adeo nullo modo inordinata. Adde quòd in moralibus omnis inordinatio, cum ſit carentia rectitudinis præſcriptę à recta ratione, eſt ſemper aliquod peccatum.

An aliquando ſit illicitum ſequi opinionem minùs probabilem.

Deciſio XXVI.

SVMMARIVM.

1 *Communis ſententia, an ſemper liceat ſequi opinionem minùs probabilem.*
2 *Quæ diſtinctio in hoc adhibenda, per quam opinio modo eſt menſura operandi, modo obiectum operationis.*
3 *Semper licet ſequi opinionem minùs probabilem.*
4 *Quod valet vniuerſaliter, valet in quocunque particulari.*
5 *Ratio ob quam poteſt amplecti opinio minùs probabilis, ſemper valet in quacunque materia.*
6 *Quando non licet ſequi opinionem minùs probabilem, eſt quia tranſit in obiectũ, & non adeſt probabilis opinio, quòd vt obiectũ poſſit amplecti.*

1 COmmuniter affirmatiuè reſpondent, dum id docent in aliqua ſpeciali materia non licere, vt eſt adminiſtratio ſacramentorum: ſpecialiter Io. Sanchez *in ſelect. Diſp. de Sacram. diſp. 44. num. 10. & ſequentib.* Breſſerus *lib. 3. de conſcientia cap. 9.* Mouentur quia hoc non licet in adminiſtratione ſacramentorum: nec medicus poteſt adhibere remedium probabiliter profuturum, quando adeſt quod eſt probabilius profuturum. Imò addit Breſſerus, aliquando eſſe illicitum ſequi opinionem magis probabilem, nam confeſſarius non poteſt ſequi ſuam opinionem, licet probabiliorem contra opinionem minùs probabilem pœnitentis.

2 Verum hæc ſententia non diſtinguit, vt neceſſe eſt diſtinguere, inter opinionem, quando eſt menſura, & regula operandi, & inter opinionem, quando tranſit in obiectum electionis; aut ſeorſum ab illo, quod dictat vt probabile, aut ſimul cum ipſo. Primo enim modo ſe tenet ex parte operantis tamquam dictamen, ſeu regula, cui conformanda eſt operatio: poſteriori autẽ non eſt ampliùs regula operandi, ſed id, circa quod verſatur operatio, ſeu ele-

ctio,

ctio; & ideo non poteſt amplius dirigere operationem ſed opus eſt alia regula, ſeu opinione, qua dirigatur. Sic probabile eſt quòd baptiſmus collatus in digito valeat; quando autem agitur de conferendo baptiſmo in digito, atque adeo de ſequenda hac opinione, tunc iſta opinio tranſit in obiectum electionis, nec poteſt eſſe regula operationis conferendi baptiſmum in digito; ſed opus eſt alia opinione, quæ dictet, vel non dictet licitum eſſe conferre baptiſmum ſecundùm præſcriptionem talis opinionis; quia ipſa non iudicat de collatione baptiſmi in digito, ſed tantum de validitate baptiſmi collato in digito.

3 Cenſeo igitur, vniuerſaliter, & ſemper licitum eſſe, ſequi quamcumque opinionem etiam minùs probabilem in quacumque materia abſque vlla limitatione; ita vt quando eſt illicitum aliquid fieri, ideo illicitum ſit, quia non adeſt opinio probabilis, quòd ſit licitum. Quod debet intelligi, quando opinio ſe habet vt regula operandi, nec tranſit in obiectum electionis.

4 Moueor autem, quia quando aliquod principium eſt verum in vniuerſali, eſt etiam verum in quacumque materia in particulari; vnde quia vniuerſaliter eſt verum, quòd totum eſt maius ſua parte, eſt etiam verum in quacumque materia in particulari; ſic corpus totum eſt maius manu, domus eſt maior tecto, & ſic de cæteris. Eſt autem verum, quòd licet ſequi opinionem minùs probabilem relicta probabiliori, loquendo in communi, abſtrahendo ab hac, vel illa materia, vt nunc ſupponimus; aut ſi non eſt verum, eſt ſaltem probabile; ergo etiam in quacumque materia erit verum, aut ſaltem probabile, quòd liceat ſequi opinionem minùs probabilem in illa materia.

5 Et ratio ob quam in vniuerſali licet ſequi opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori, militat etiam in quacumque materia in particulari; ideo enim, vniuerſaliter loquendo, licet ſequi opinionem minùs probabilem, quia ipſa quoque eſt conformis regulis rectæ rationis: & operatio, quæ eſt ſecùndum menſuram conformem regulis rectæ rationis eſt licita, & honeſta; poſita autem quacumq; opinione minùs probabili in quacumque materia, dummodo in illa materia ſit verè probabilis, eſt conformis regulis rectæ rationis, cum hoc conferatur ab ipſa probabilitate; ideo enim eſt probabilis, quia conformatur cum principijs luminis naturalis, ſeu rationis, ita vt ratio dictet ſaltem probabiliter hoc eſſe licitum; vnde etiam in illa materia operatio erit licita, quia erit ſecùndum menſuram conformem regulis rectæ rationis.

6 Ad id, quod affertur in oppoſitum Reſp. Quòd non licet ſequi opinionem minùs probabilem in aliquibus caſibus: quia tunc opinio minùs probabilis non ſe tenet vt menſura operandi ex parte operantis, ſed tranſit in obiectum electionis: & non adeſt opinio probabilis, quæ ſit menſura operandi, quòd liceat ipſam eligere. Sic licet adſit opinio probabilis, quòd aliqua materia vltra certum ſit ſufficiens pro ſacramento, aut quòd aliqua forma ſit ſufficiens forma; non tamen adeſt opinio probabilis, quòd extra caſum neceſſitatis poſſit adhiberi illa materia, vel forma: & ſi adeſſet opinio probabilis, quòd poſſet adhiberi, eſſet etiam licitum operari ſecùndum talem opinionem; nam illa operatio eſſet conformis regulis rectæ rationis. Sic etiam dicendum reſpectu confeſſarij. Vel enim adeſt opinio probabilis, quòd non teneatur abſoluere pœnitentem iuxta propriam ipſius opinionem: & tunc poterit nolle ſe conformare in abſoluendo opinioni pœnitentis. Vel non adeſt talis probabilis opinio: & tunc neque valet, quòd non poſſit ſequi propriam opinionem contra opinionem pœnitentis: ſed ſolùm, quòd propria opinio in illa operatione non poſſit eſſe obiectum electionis: quia non adeſt opinio probabilis, ſecùndum quam poſſit eligi.

An etiam tempore mortis liceat ſequi opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori.

Deciſio XXVII.

SVMMARIVM.

1 *Etiam tempore mortis licet ſequi opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori.*
2 *Eadem ratio pro opinione minùs probabili militat pro tempore mortis, ac extra ipſum.*
3 *Amplectens opinionem minùs probabilem, non curat minùs propriam ſalutem, quàm ſi amplecteretur probabiliores.*

1 RESP. affirmatiuè cum Io. Sanchez *in ſelectis diſp. de Sacram. diſp.* 19. *num.* 8. quia non magis tenemur fugere tempore mortis offenſam Dei, quàm quocumque alio tempore: vnde ſi in alio tempore poſſumus ſequi abſque periculo offenſæ Dei opinionem minùs probabilem, poterimus etiam tempore mortis; quia ſola obligatio vitandi offenſam Dei poteſt facere, quòd non poſſimus ſequi.

2 Deinde militat eadem ratio tempore mor-

tis,

tia, quæ militat reliquo tempore; ideo enim poſſumus ſequi opinionem minùs probabilē, quia eſt conformis regulis rectæ rationis; in hoc enim conſiſtit probabilitas; & ideo eam ſequendo honeſtè operamur, ſeu cum conformitate ad rectam rationem. hoc autem ſemper eſt licitum, cum ex genere ſuo dicat illum modum operandi, quo homo ordinatè ſe habet reſpectu vltimi finis; vnde tempus mortis non poteſt excludere talem modum operandi.

3 Nec obſtat, quòd homo tempore mortis debeat habere maiorem curam ſuæ ſalutis, & proinde ſequi quod ſecurius eſt, atque adeo probabiliores opiniones; quia hinc non fit, quòd debeat amplecti opiniones probabiliores; nam eo ipſo quòd amplectitur probabiles, ſecurus eſt quòd non peccet: vnde non minùs curat propriam ſalutem, quàm ſi amplecteretur probabiliores. Imò cum opinio probabilior non ſit certa, ipſa quoque continet idem periculum: præſertim, quia in ſe poteſt eſſe falſa, ſicut eſt minùs probabilis. At verum eſt, quòd nulla continet periculum, quia nulla operatio ex opinione probabili imputari poteſt etiam ad minimum peccatum.

An diſcipulus poſſit tuta conſcientia amplecti opinionem Magiſtri, nihil inquirendo de probabilitate opinionis.

Deciſio XXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Poteſt diſcipulus ſequi opinionem magiſtri nihil inquirendo de probabilitate.*

2 *Diſcipulus poteſt præſumere quòd magiſter debito modo inſtruat.*

3 *Iudex ſequens opinionem magiſtri excuſatur à ſindicatu.*

4 *Quid ſeruandum in ſequenda opinione magiſtri.*

1 Reſp. affirmatiuè cum Panorm. *Cap. Capellanus de Ferijs* Imol. *in Cap. Per tuas 2. de Simonia.* Iaſ. *in l. Interdum* §. 1. *in fine ff. de Verborum obligat.* Caccia *tract. de Modo ſtudendi docum. 3. in fin.* Cagnol. *in Proem. ff.* §. *fin. nu.* 292. Crauet. *lib. 1. cap. 1. num. 12.* Neuiz. *in Sylua nupt. lib. 2. num. 37.* qui plures alios citat; Azor. *lib. 2. cap. 17. quæſ. 4.* Villalobos *tom. 1. ſum. difficul. 6. num. 1.* Breſſerus *lib. 3. de Conſcient. cap. 3. num.* 38. D. Th. *quodlib. 3. ar.* 10. & habetur ex l. *Dicere.* §. 1. *ff. de Arbit.*

2 Cum enim diſcipulus ſibi elegerit præceptorem, vt ab eo diſcat, habet iudicium practicum, quo iudicat, ſe ab eo inſtruendum debito modo; & proinde ſe accepturum ab ipſo bonam doctrinam; in virtute autem huius iudicij, quod fundatur in eo, quòd iudicet præceptorem peritum, & doctum, & traditurum opiniones probabiles, formare poteſt aliud iudicium; quòd hic, & nunc in operando liceat ſibi ſequi opinionem magiſtri; vnde prudenter operatur, & ſecùndum dictamen rectæ rationis.

3 Hinc docent quamplures, quòd iudex ſequens opinionem ſui præceptoris in iudicando, ſi præceptor ſit celebris, excuſatur à ſindicatu, etiam ſi ſit opinio præceptoris contra communem: vt tradunt Abbas *in cap. 1. num. 25. de Poſtulat. prælat.* citans Oldrad. Socin. *conſil. 44. num. 7.* Neuiz. *lib. 5. Syluæ nupt. nu. 38. & 63.* qui plures alios citat, & alij apud Corat. *lib. 3. de Communi opinion. tit. 12. num. 29. & 30.*

4 Eſt tamen aduertendum cum Villalobos *citato* Quòd ſi quis vult ſequi opinionem ſui præceptoris, quam non voce, ſed ſcriptis tradit, debet curare, vt percipiat verum ſenſum doctrinæ; nam multoties confeſſarij parum inter libros verſati, ſibi perſuadent, quòd doctrinam percipiant, & reuera non percipiunt; vnde meliùs facerent, ſi peritos conſulerent, à quibus voce inſtruantur.

An vt tuta conſcientia ſequi poſſis aliquam opinionem, ſufficiat ipſam reperire in libris alicuius.

Deciſio XXIX.

SVMMARIVM.

1 *Non ſufficit reperiri opinionem in libris alicuius Doctoris, vt poſſit amplecti.*

2 *Non ſufficit ſecùndum alios, quando Doctor eſt antiquior.*

3 *Quando ſufficiat.*

4 *Sufficit tantùm quando attenditur ſola auctoritas.*

1 Abſolutè negat Salon. *de Iuſt. & iure quaſ. 63. ar. 4. controuer. 2. concluſ. 4. ver. Vltimo obſeruandum*; quia fieri poteſt, quod talis opinio apud peritos habeatur pro falſa, atque adeo qui eam tradidit hallucinatus ſit.

2 Melius tamen reſpondent Sanchez *lib. 1. ſum. cap. 9. num.* 10. Merolla *tom. 1. diſp. 3. cap. 4. dub. 2. nu.* 82. Breſſerus *lib. 3. de Conſcient. cap. 3. num.* 30. Baldel. *tom. 1. Theol. mor. lib. 4. diſp.* 11.

diſp. 11. num. 14. Nimirum non poſſe quempiam ſequi opinionem, quam in libris vnius, vel alterius Doctoris repererit, ſi iſti Doctores ex antiquioribus ſint; quia tunc fieri poteſt, quòd talis opinio à ſubſequentibus examinata, ſit habita pro falſa; opinio autem, quæ ſemel eſt pro falſa proclamata, non poteſt admitti vt probabilis, niſi de nouo probabilitas ipſius ſtabiliatur.

3 Oppoſitum autem tenendum eſt cum iiſdem auctoribus, quando aliqua opinio apud vnum aut alterum ex Recẽtioribus repetitur, ſi eam tradant tamquam probabilem, & recipiendam: quia tunc non ſupponitur declarata pro falſa, ſed ſuam habere probabilitatem; præſumitur enim, quòd talis Doctor illam non traderet, niſi pro probabili haberet.

4 Quæ autem hucuſque dicta ſunt, procedunt, quando in electione opinionis vtimur ſoli auctoritati; nam ſi conſiderantur fundamenta opinionum, tunc qui ea expendere poteſt, debet ſequi intrinſecam probabilitatem opinionis; atque adeo etiam opinionem obſoletam amplecti poteſt, quando eam putat probabilem, ex aliquo nouo motiuo.

An quando agitur de vitando ſcandalo, infamia, aut aliquo alio graui damno, teneamur ſequi opinionem, quæ habet minimam probabilitatem relicta probabiliori.

Deciſio XXX.

SVMMARIVM.

1 *Ad vitandum malum poſſumus ſequi opinionem, quæ habet minimam probabilitatem.*

2 *Aliquando tenemur ſub mortali ſequi talem opinionem.*

3 *Cur ratione charitatis teneamur ſequi talem opinionem.*

4 *Quando, non obſtante damno, quòd ſequitur, poſſimus ſequi probabiliorem opinionem.*

5 *Quomodo opinio magis probabilis poſſit fieri non eligibilis.*

6 *Principia particularia operandi, & operationes debent ſubordinari principijs vniuerſalibus.*

1 POſſe in tali caſu nos ſequi opinionem, quæ habet minimam probabilitatem, docent Sotus *de ſecret. teg. mem. 3. quæſ. 5. concluſ. 3.* Nauar. *in cap. Inter verba Conol.* 53. *num.* 135. *in ſecunda editione* Sanchez *lib. 2. de Matrimonio diſp.* 36. *num.* 8. quia vrgens neceſſitas, & periculum facit, vt poſſimus, ad euitandum malum, ipſam amplecti. Villalobos autem *tom. 1. ſum. tract. 1. difficul.* 8. ait, partem tutam eſſe preferendam; hoc eſt illam, qua vitatur damnum, & periculum, etiamſi habeat minimum probabilitatis. An autem ſit preferenda ex obligatione, an verò tantùm ex congruentia, non explicat.

2 Dicendum tamen, Aliquando nos teneri ſub peccato mortali ſequi opinionem minùs probabilem; imo, quæ habet minimam probabilitatem: vt euitemus aliquod graue damnum, quod non euitaremus, ſi ſequeremur opinionem probabiliorem.

3 Ratio eſt, Quia ſecùndum leges charitatis tenemur aliquando euitare graue damnum proximi, aut etiam noſtrum, ſub peccato mortali; atque adeo etiam adhibere illa media ad illud euitandum, quæ ſunt in noſtra poteſtate; vnde cum in noſtra poteſtate ſit, ſequi opinionem, quæ habet minimam probabilitatem, (nam illam tuta conſcientia ſequi poſſumus, vt diximus in ſuperioribus) & ſequi hanc opinionem ſit medium congruum ad euitandum damnum, tenebimur eadem obligatione illam ſequi: quia qua obligatione obligamur ad finem, obligamur etiam ad media neceſſaria pro illius conſequutione.

4 Quando autem non obligamur ex charitate, aut iuſtitia impedire damnum, tunc poſſumus ſequi tam probabiliorem opinionem, quàm quæ habet minimam probabilitatem, iuxta ea, quæ diximus in ſuperioribus. Rarò autem, aut nunquam contingere poteſt, quòd non teneamur ſaltem ex charitate impedire damnum; nam quando agitur de eligenda opinione in caſu, in quo imminet aliquod graue damnum, tunc ſpectat ad eligentem; quia ſaltem conſulere debeat, quid agendum ſit in tali caſu, cura aut ſui ipſius, aut proximi, ſaltem pro illa vice, charitas autem obligat, vt impediamus damnum illius, ſi poſſumus, cuius cura ad nos pertinet.

5 Nec obſtat, quod poſſimus ſequi opinionem quancumq; probabilem, & multò magis probabiliorem, relinquendo minùs probabilem; quia hoc eſt verum, quando opinio probabilis ſe habet vt regula operandi; ſecùs autem quando, ſe habet vt obiectum eligendum; tunc enim licet de ſe ſit eligibilis, poteſt tamen non eſſe eligibilis ratione adnexorum, quæ impediant electionem: vt in caſu noſtro; opinio enim magis probabilis non eſt eligibilis: quia eſt coniuncta talis electio cum graui damno aut proprio, aut proximi. Hinc non adeſt opinio probabilis, quòd poſſimus ſequi opinionem, quæ eſt damnoſa proximo, qualis eſſet illa probabilior: quia traheret ſecum damnum; & proinde non poteſt eligi vt tranſeat in menſuram rectam operandi

hic, & nunc: quia ſubijcit proximum damno, à quo altera opinio ipſum eximit.

2 Hoc autem totum prouenit. Quia principia particularia operandi, ſeu à quibus operationes noſtræ participant rectitudinem, debent eſſe ſubordinata principijs vniuerſalibus, in quibus eſt radicaliter tota rectitudo; vnde non poſſunt particularia refundere rectitudinem in operationem, niſi illam accipiant ab vniuerſalibus; & non poſſunt eam accipere, niſi cum ipſis coniungantur: non coniunguntur autem quando effectus ipſorum eſt diuerſus à dictamine, & præſcriptione vniuerſalium. Vnde cum ſecundum principium vniuerſaliſsimum operandi, nempe *Diliges proximum, ſicut te ipſum*, adſit aliud principium præſcribens quòd debeamus impedire damnum proximi, quando poſſumus; nullum principium particulare operandi, quod non ſit conforme huic dictamini, erit verum principium, nec ſecùndum ipſum poterimus operari. Opinio autem probabilior, quando coniungitur cum damno proximi, quod impeditur per opinionem minùs probabilem, non eſt conformis prædicto dictamini.

An quando ex vtraque parte concurrunt opiniones probabiles, ſit præferenda, quæ fauet poſſeſſioni.

Deciſio XXXI.

SVMMARIVM.

1 *Non adeſt obligatio ſequendi opinionem, quæ fauet poſſeſſioni.*
2 *Quando melior ſit conditio poſſidentis.*

1 RESp. cum Sanchez *lib. 2. de Matrim. diſp. 41. num. 30.* Villalobos *tom. 1. ſum tract. 1. difficul. 9.* Nullam adeſſe obligationem ſequendi opinionem, quæ fauet poſſeſſioni; quia cum vtraque opinio ſit probabilis, vtraque etiam eſt eligibilis vt recta regula operandi; neque poſſeſſio facit, vt teneamur eligere, quæ ipſi fauet: quia non obligamur ad eam manutenendam, niſi in virtute opinionum, quòd ſit regula operandi, & proinde poſſeſſio dependet ab opinione: non autem eligibilitas opinionis à poſſeſſione.

2 Quando autem dicitur, quod melior eſt conditio poſſidentis: intelligitur in dubijs; ita enim loquitur regula iuris: quando autem hinc inde concurrunt opiniones probabiles, non ſumus in dubijs, ſed in probabilibus: vnde qui eligit vnam, aut alteram opinionem, non eſt dubius, ſed probabiliter iudicat. Deinde, Melior eſt conditio poſſidentis in dubijs, dubietate facti, non dubietate iuris; quia poſſeſſio eſt ſufficiens titulus continuandi poſſeſſionem, quando ſumus in dubijs, ad quemnam ſpectet res poſſeſſa.

An liceat ſequi opinionem minùs probabilem, quando eſt minùs tuta.

Deciſio XXXII.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo vna opinio poſſit dici magis tuta, quàm altera.*
2 *Quomodo opinio probabilior poſſit eſſe minùs tuta.*
3 *Opinionem tutiorem eſſe amplectendam, qui doceant.*
4 *In dubijs tutior pars eligenda.*
5 *Poſſe amplecti opinionem minùs tutam, quando eſt magis probabilis, alij docent.*
6 *Poſſumus ſemper amplecti opinionem minùs tutam, ſi verè ſit probabilis.*
7 *Opinio probabilis minùs tuta adhuc eſt conformis rectæ rationi.*
8 *In dubijs, non in probabilibus, tutior pars amplectenda.*
9 *Sequi opinionem minùs tutam, probabilem tamen, non eſt ſe exponere alicui periculo.*

1 LIcet omnes opiniones probabiles ſint æquè tutæ quò ad ſecuritatem, quòd quis eas ſequendo non peccet: poteſt tamen vna dici magis tuta, quàm altera, quatenus obiectum vnius nullo modo poteſt eſſe obiectum peccati, poſita quacunque cognitione circa ipſum: obiectum verò alterius, licet non ſit obiectum peccati, vt eſt obiectum talis opinionis, poteſt tamen eſſe obiectum, ſi conſideretur, vt coniungitur cum aliquo alio motiuo. Sic quando aliqua opinio dicit eſſe reſtituendum: obiectum ipſius nullo modo poteſt eſſe obiectum peccati: altera verò opinio, quæ dicit non eſſe reſtituendum, habet obiectum, quod poteſt eſſe peccatum, vt de facto eſt, reſpectu motiui, ratione cuius oppoſita opinio dicit eſſe reſtituendum.

2 Hinc in hoc ſenſu aliqua opinio poteſt eſſe probabilior, & minùs tuta; quia, quæ dicit, non eſſe reſtituendum, poteſt habere meliora fundamenta, quàm quæ dicit, eſſe reſtituendum. Et etiam aliqua magis tuta, & magis probabilis: quia obiectum ipſius nullo

pacto

pacto poteſt eſſe obiectum peccati, & etiam habere meliora fundamenta: e contra aliqua opinio poteſt eſſe minùs tuta, & minùs probabilis: quia nimirum habeat etiam leuiora motiua.

3 Aſſerunt igitur quamplures, debere nos ſemper amplecti opinionem tutiorem, concurrente minùs tuta. Ita Adrian. *Quodlib.* 2. *ar.* 1. Alenſ. 2. *par. quæſ.* 112. *memb.* 8. *caſu vlt.* Caiet. *in ſum. Verbo Opinio*, Armilla, & Angel. *ibid.* Almain *tract.* 3. *Moral. cap.* 18. Syl- ueſter *Verbo Dubium quæſ.* 2. Gabr. *in* 4. *diſt.* 15. *quæſ.* 8. *ar.* 3. *dub.* 3. *prob.* 3. *pro* 1. *concluſ.* Sotus *diſt.* 18. *quæſ.* 2. *ar.* 5. D. Antonin. 1. *par. tit.* 3. *cap.* 10. §. 10. *reg.* 4. Conrad. *tract.* 7. *de Contract. quæſ.* 110. *concluſ.* 1. Comitol. *lib.* 1. *Reſp. moral. quæſ.* 15. Anton. Perez. *in Laurea Salamant. certam.* 10. *num.* 15. & alij, quos ſupra citauimus *deciſ.* 5. *num.* 1. inquirentes, an poſſimus amplecti opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori.

4 Mouentur, quia in dubijs tutior pars eſt eligenda, Cap. *Si quis autem de Pænit. diſt.* 7. & Cap. *Iuuenis de Sponſalib.* Deinde dum quis ſequitur opinionem minùs tutam, præſertim ſi ſit minùs probabilis, ſe exponit periculo peccati, & vtitur regula dubia ad regulandam ſuam operationem.

5 Alij verò aſſerunt, licere ſequi opinionem minùs tutam, quando eſt magis probabilis, non autem quando eſt etiam minùs probabilis, aut etiam æquè probabilis. Ita Medina 1. 2. *quæſ.* 19. *ar.* 6. Corduba *lib.* 2. *quæſ.* 3.

6 Abſolutè autem poſſe nos ſequi opinionem minùs tutam, etiam ſi ſit minùs probabilis, docent Aragon. 1. 2. *quæſ.* 63. *ar.* 4. Bannes *quæſ.* 10. *ar.* 1. *dub.* 3. *in Obiect. contra Concluſ.* Salon. *quæſ.* 63. *ar.* 4. *controuer.* 2. *concluſ.* 4. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 62. *cap.* 4. *nu.* 14. Valent. *diſp.* 2. *quæſ.* 12. *punct.* 5. *quæſ.* 1. & *quæſ.* 14. *puncto* 4. *quæſ.* 4. Salas *quæſ.* 21. *tract.* 7. *diſp. vnica ſect.* 6. *num.* 66. Malder. *quæſ.* 19. *ar.* 5. *diſp.* 86. *concluſ.* 3. Martinez *quæſ.* 19. *ar.* 6. Aluarez *diſp.* 80. Lorca *diſp.* 39. *memb.* 3. Corneius *tract.* 8. *de Conſcient. diſp.* 3. *dub.* 5. & 6. Vuigers *quæſ.* 19. *ar.* 6. *dub.* 6. *concl.* 4. Tannerus *diſp.* 2. *quæſ.* 4. *dub.* 3. *nu.* 36. Auerſa *quæſ.* 18. *ſect.* 17. *concluſ.* 2. Nauar. *cap.* 27. *Manual. num.* 286. & 288. Azor. *tom.* 1. *Moral. Inſtit. lib.* 2. *cap.* 16. *quæſ.* 2. *ver. His igitur poſitis.* Suarez 3. *par. tom.* 5. *diſp.* 40. *ſect.* 5. *num.* 6. Gutierez *lib.* 1. *Canon. quæſ. cap.* 13. *num.* 23. Henriquez *lib.* 14. *de Irregularit. cap.* 3. *num.* 3. Lopez 1. *par. Inſtruct. cap.* 126. Sayr. *lib.* 1. *Clauis Reg. cap.* 6. *num.* 4. & 10. Laiman *lib.* 1. *tr.* 1. *cap.* 5. §. 2. *nu.* 7. Ledeſma *tom.* 2. *ſum. tract.* 8. *cap.* 22. Sanchez *lib.* 1. *ſum. cap.* 9. *num.* 14. Pontius *lib.* 10. *de Matrim. cap.* 15. *nu.* 4. Diana *par.* 2. *tract.* 13. *de Opin. probabili reſol.* 1. Breſſerus *lib.* 3. *de Conſcient. cap.* 6. *num.* 73. Baldel. *tom.* 1. *Theol. mor. lib.* 4. *diſp.* 12. *num.* 7.

7 Et hæc ſententia eſt tenenda; quam ego certam puto. Quia opinio minùs tuta, dummodo tamen ſit probabilis, eſt conformis rectæ rationi; alioquin non eſſet probabilis, atque adeo eſt ex principijs vniuerſaliſſimis, quibus humanæ operationes diriguntur; & proinde eſt quoddam dictamen practicum deriuatum à dictamine primorum principiorum: aut ſaltem vt tale apprehenditur, & indicatur. Ergo eſt menſura recta operandi, vt pote participans rectitudinem à primis principijs, ex conformitate ad ipſa: & conſequenter refundit rectitudinem in operationem.

8 Nec obſtant allata num. 4. Nam licet in dubijs tutior pars ſit amplectenda; non tamen in probabilibus; nam cum vtrumque ſit rationabile, & conforme rectæ rationi, poteſt prudenter aut vnum, aut alterum eligi.

9 Nec dici poteſt, quòd ſe exponat periculo peccandi, aut regatur menſura dubia; nam quandiu operatio ſubeſt opinioni, quæ eſt conformis rectæ rationi, non poteſt non eſſe recta: nec opinio poteſt eſſe menſura dubia; quia eſt conformis, eo ipſo quòd eſt probabilis, vniuerſaliſſimis principijs practicis; imò ſtante probabilitate, eſt menſura certa rectificatiua operationis; nam aſſumitur ad dirigendam operationem, vt habens conformitatem cum recta ratione.

An in eligenda opinione liceat alios, & alios Doctores conſulere, donec inueniatur aliquis, qui reſpondeat ad placitum.

Deciſio XXXIII.

SVMMARIVM.

1. *Non poſſe conſuli alios, & alios Doctores, donec quis reſpondeat ad placitum, qui doceant.*
2. *Poſſe conſuli, ſi intentio ſit recta, alij docent.*
3 *Quilibet poteſt ſe, & ſua protegere.*
4. *Abſolutè licet conſulere plures, donec quis reſpondeat ad placitum.*
5 *Quomodo intentio, qui ſic plures conſulit, non feratur extra licita.*
6 *Quid intendat in huiuſmodi inquiſitione.*
7. *Non ſe exponit periculo peccandi.*
8 *Quid ſi reperiat malum conſulentem.*

1 NEgatiuè reſpondet Nauar. *in Manuali cap.* 27. *nu.* 83. & *in ſum. Hiſpana cap.* 28.

cum Adriano *in 4. in mater. de Reſt. quaſ. 88. de Præſcript. dub. vlt. ver. His præmiſſis*. Quia ſupponitur, quòd iſte non velit operari ſecundum rectam conſcientiam, ſed ſecundum voluntatem.

2 At ſolùm eſſe illicitum, quando id fit non ex recta intentione indagandæ veritatis, ſed vt inueniantur doctores ad libitum reſpondentes; & quando vni potius, quàm alteri fidem habet abſque motiuo maioris peritiæ ipſius: Eſſe verò licitum, quando fit ex animo indagandæ veritatis, & vlterius inquirendi, an opinio ſibi fauens ſit probabilis, tradit Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 9. num. 24.* cum Zumel. *1. 2. quaſ. 76. ar. 3. diſp. 4. in fine*; & ſequitur Baldel. *tom. 1. Theol. mor. lib. 4. diſp. 12. nu. 2.* Quibus conſonat Breſſerus *lib. 3. de Conſcient. cap. 6. num. 78.* dum ait, non licere conſulere plures, ſiue conſulens putet reſponſuros probabiliter, ſiue non: ſecùs autem, ſi putet reſponſuros probabiliter.

3 Ratio ipſorum eſt: quia quilibet habet ius protegendi ſe, & res ſuas: atque adeo etiam quærendi rationes ſibi fauentes, & patronos, quibus protegatur.

4 Quia tamen, quando quis conſulit plures, & plures Doctores, vt inueniat aliquem reſpondentem ad placitum, non habet vt plurimum huiuſmodi actus, quibus intendat reperire veritatem, diſcutere an opinio probabilis ſit, & alios huiuſmodi; ſed ſimpliciter mouetur ad plures conſulendos, vt inueniat aliquem, qui reſpondeat iuxta id, quod ſibi placeret, & vtile eſſet: ideo ſimpliciter puto, hoc pacto licitum eſſe plures, & plures conſulere, ex motiuo inueniendi opinionem ſibi fauentem.

5 Ratio eſt. Quia licet motiuum conſulendi plures, ſit inuenire reſpondentem ſibi ad placitum; attamen intentio ipſius non fertur extra id, quod eſt licitum, & honeſtum: nec illud motiuum facit, quòd quærat niſi quod honeſtum eſt. Dum enim conſulit Doctores, ſeu peritos, etiam ſi intendat reperire reſponſionem ad placitum, eam tamen intendit reperire, quatenus erit conſilium operandi periti viri; alioquin non conſuleret, quos putat peritos, ſed quoſcumque alios, aut neminem: & operaretur, prout liberet; & proinde intentio ipſius ſiſtit intra ſphæram illius, quod honeſto modo amplecti poteſt; quia poteſt vnus quiſque in operando ſequi conſilium prudentis, & periti viri.

6 Hinc non aliud intendit in huiuſmodi inquiſitione, quàm cognoſcere quicquid in tali materia probabiliter dici poteſt, & videre, an apud Doctores reperiatur probabilis opinio, quæ faueat voluntati ipſius; ideo enim conſulit peritos, & doctos, vt ab ipſis audiat doctrinam ipſorum; ſecùndum quam putent, & conſulant, licitum eſſe operari. Sicuti autem vnicuique licet ſequi quamcumque opinionem probabilem, ita etiam licet, & habet ius inquirendi quamcumque opinionem probabilem in illa materia; & proinde videndi, an reperiatur aliqua, quæ faueat proprio deſiderio.

7 Dices. Eum, qui tali animo conſulit varios Doctores, ſe exponere periculo peccandi; quia fieri poteſt, quod incidat in aliquem imperitum, qui reſpondeat, quæ non ſunt probabilia. Reſp. Non ſe exponere alicui periculo peccandi: quia bona fide procedit, & conſulit tantùm eos, quos putat peritos, atq; adeo probabilia reſponſuros; vnde intentio ipſius eſt tantùm videndi, an inter opiniones probabiles, quas ſolent viri docti conſulere, adſit aliqua concordans proprio deſiderio; & per accidens eſt, quòd ipſi non probabilia reſpondeantur; & hoc totum non ipſi, ſed reſpondenti imputari debet; quia exercet tale munus, cum non ſit ſufficiens ad exercendum.

8 Ex quo fit, quòd ſi reperiat malum conſulentem, dummodo tamen bona fide accedat, & operetur ſecùndum conſilium minimè probabile, excuſetur a peccato: quia operatur ſecùndum conſilium, quod probabile putat, & vt tale ſibi proponitur: vnde nihil ipſi imputari debet, etiam ſi poſtea cognoſcat ſe operatum fuiſſe ſecùndum conſilium minimè probabile.

An ad ſequendam opinionem probabilem, aut minùs probabilem, requiratur certum iudicium conſcientiæ, quod dictet, licere operari ſecùndum talem opinionem; an verò ſufficiat, quòd hoc iudicium probabile ſit.

Deciſio XXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Quale iudicium, præter opinatiuum, requiratur ad operandum.*
2 *Iudicium, quòd opinio poſſit applicari ad operationem, ſecùndum aliquos, debet eſſe certum.*
3 *Sufficit ſi ſit probabile, nec requiritur certitudo.*
4 *Iudicium conſcientiæ probabile, eſt etiam prudens.*
5 *Formido non poteſt impedire iudicium conſcientiæ probabile.*

6 In

Digitized by Google

6 *In humanis operationibus raró reperitur certitudo quò ad eſſe moralem.*

7 *Quando quis probabiliter iudicat aliquid non licere, & illud facit, non ſequitur hoc iudicium, ſed oppoſitum.*

8 *An magis probabiliter iudicans aliquid non eſſe licitum, poſſit illud operari, ſi etiam probabiliter iudicet eſſe licitum.*

1 VT quis operetur ſecùndum præſcriptionem alicuius opinionis, nedum requiritur ipſa opinio dictans quid agendum ſit; ſed inſuper etiam neceſſarium eſt aliud iudicium, quod ſolet appellari iudicium conſcientiæ, quo applicetur opinio ad dirigendam operationem, quatenus dictat, quòd talis opinio applicari poſſit. Difficultas autem eſt, an huiuſmodi iudicium debeat eſſe moraliter certum, an verò ſufficiat, quòd ſit probabile.

2 Prima ſententia tenet, quòd huiuſmodi iudicium debeat eſſe moraliter certum, nec ſufficiat, quòd ſit probabile. Ita Almain. *tract. 1. Moral. cap.* 14. Caiet. *tom. 1. Opuſcul. tract. vlt. reſp. 13. dub. vlt. & in Summa Verbo Opinionis vſus, in fine.* Armilla *Verbo Opinio nu. 2.* Nauar. *in Cap. Si quis autem. num. 58. diſt. 7. de Pænit.* Quia quando probabiliter tantùm quis iudicat licere operari ſecùndum hanc, vel illam opinionem, probabiliter etiam iudicat non licere; vnde facit, quòd probabiliter eſt illicitum, atque adeo peccat.

3 Oppoſita tamen ſententia tenenda eſt; nimirum quòd ſufficiat, quòd huiuſmodi iudicium ſit probabile, nec requiratur certum, vt tradunt Gerſon *tract. de Præpar. ad Miſſam conſiderat. 3. alphab. 37. littera S.* Corduba *lib. 3. quæſ. 5. propoſit. 3.* Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 9. num. 18.* Vaſquez *t. 2. diſp. 62. cap. 5. num. 26.* Salas *tract. 8. diſp. vnica ſect. 4. nu. 4.* Granad. *controuer. 2. tract. 12. diſp. 3. ſect. 3.* Lorca *diſp. 39.* Baldel. *tom. 1. Theol. mor. lib. 4. diſp. 10. num. 2.* Breſſerus *lib. 3. de Conſcient. cap. 5. num. 57.* Merolla *tom. 1. diſp. 3. cap. 4. dub. 1. corol. 3.*

4 Ratio eſt, quia iudicium conſcientiæ eo ipſo, quòd eſt probabile, eſt etiam prudens, atque conforme rectæ rationi; eſt enim dictamen particulare extractum ex regulis vniuerſalibus rectæ rationis; qui autem ſequitur iudicium conforme rectæ rationi honeſtè operatur; quia operatur ſecùndum dictamen rectæ rationis, & ſecùndum iudicium prudentiæ, quod eſt regula benè operandi.

5 Et ſi formido, quæ ſtat cum hoc iudicio, poſſet impedire quominùs ipſum ſequi poſſemus, ſequeretur, quòd nullum iudicium poſſemus ſequi, quod admitteret aliquam formidinem; quia ſi formido eſt cauſa peccati, quia fundat dubietatem, atque adeo periculum peccandi; quæcumque formido fundaret; vnde ſemper quicumque operaretur cum iudicio, quod haberet annexam formidinem, peccaret. Ex hoc autem ſequeretur, quòd neque poſſemus ſequi iudicium conſcientiæ probabiliſſimum, imò nec moraliter certum; nam adhuc moraliter certum non excludit omnem formidinem: cum abſolutè ab eo tantùm excludatur quod eſt omnino certum: vnde ferè nunquam operari poſſemus; nam raró habemus hoc iu-
6 dicium omnino certum. Deinde in humanis operationibus, & rebus moralibus raró reperitur certitudo, cum ſint ſubiectæ diuerſis opinionibus; vnde eſt moraliter impoſſibile in pluribus formare hoc iudicium certum, præſertim viris doctis, qui momenta rationum hinc inde conſiderant; non debet autem obligari conſcientia ad id, quod eſt moraliter impoſſibile, & ad id, cuius non eſt capax ſubiecta materia.

7 Nec obſtat, quòd *num. 2.* opponitur, Quia licet quis probabiliter iudicet non eſſe licitum operari ſecùndum talem opinionem, ſi ſecùndum ipſam operetur, non ſequitur huiuſmodi iudicium; ſed illud, quo iudicat eſſe licitum: & ſic ſequitur rectum dictamen, & honeſtè operatur.

8 Ex his colligitur cum Breſſero *citat.* Quòd ſi quis etiam magis probabiliter iudicet, non eſſe licitum operari ſecùndum aliquam opinionem; adhuc tamen poterit ſecùndum ipſam operari; neque enim per hoc oppoſitum iudicium deſinit eſſe probabile; & proinde aptum ad honeſtandam operationem. Vnde non obſtante quacumque formidine, etiam grauiſſima, poſſumus ſequi quodcumque iudicium probabile conſcientiæ.

De Abbate regulari Commendatario.

An regularis, qui accepit Abbatiam in commendam, ſi eam dimittat, aut ab ea deponatur, fiat de nouo ſubditus.

Deciſio XXXV.

SVMMARIVM.

1 *Dignitas Abbatis eadem in omnibus.*

2 *Dignitas Abbatis non eximit regulares à ſubiectione ſuperiorum, ceſſante adminiſtratione.*

3 *Nec etiam ſi Abbatia ſit ſecularis.*

4 *Qualiter Abbas ſit ſponſus Eccleſiæ.*

5 *Cur regularis factus Epiſcopus eximatur à ſubiectione ſuperiorum.*

6 *Regularis factus Abbas, etiam ſi Abbatia ſit ſæcularis, non mutat ſtatum ſubſtantialiter.*
7 *Poſſunt hi Abbates eximi à ſubiectione ſuperiorum per priuilegium.*

1 HAnc quæſtionem in terminis apud neminem reperi. Exiſtimo tamen eſſe decidendam iuxta ea, quæ tradunt Doctores de Abbate, qui præeſt monaſterio: cum eadem videatur ratio, loquendo pro illis temporibus, quando monaſteria nondum erant congregata ſub vno capite Generali, ſed vnumquodque ſeorſim ab alio ſua iura agnoſcebat. Dignitas enim Abbatis eſt eadem ſiue ſit in regulari, ſiue in ſæculari; ſiue Abbatia ſit regularis, & intra clauſtra, ſiue ſæcularis extra clauſtra; & ideo cum non tollatur ſubiectio in regularibus reſpectu ſuperiorum, niſi ratione dignitatis, videndum eſt, an ratione dignitatis Abbatialis remaneat exemptus à ſuis ſuperioribus, etiam dimiſſa Abbatia.

2 Dignitatem autem Abbatis non eximere ſubditos à ſuperioribus, quando ceſſant adminiſtrare Abbatiam, cenſent communiter, præſertim citandi Deciſ. ſequenti. Et ratio eſt, quia dignitas Abbatis ex natura ſua non eſt extra ordinem clauſtralem; & proinde non opponitur cum ſubiectione; vnde de facto Abbates ſubduntur Generali. Nec conſtituit in Eccleſia nouum ordinem, ſicut conſtituit dignitas Epiſcopalis, nec nouum ſtatum.

3 Et quamuis Abbatia ſit ſæcularis, in tantùm ſolùm eximit regularem à ſuperioribus, in quantùm id exigit adminiſtratio; non quia id exigat dignitas; ideo ceſſante adminiſtratione ceſſat etiam exemptio. Oppoſitum tamen tenet Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 6. num. 35.* de Abbatibus habentibus propriam Diœceſim, quia ſunt ſimiles Epiſcopo. Quod tamē non ſufficit: quia ſimilitudo non eſt in dignitate, quæ non excedit dignitatem aliorum Abbatum, ſed ſolùm in adminiſtratione.

4 Nec valet, quod dicatur Eccleſiæ ſponſus ab Innocent. *in cap. Qui propter init. ver. Viduatis de Elect.* Bart. *in l. Si ita quis §. Is cui. vers. 3. ff. de Legatis*; quia non dicitur ſponſus ſicut dicitur Epiſcopus; ſed minùs propriè; quatenus gerit vicem ſponſi, eo quòd adminiſtrat Eccleſiam; vnde eſſe ſponſum hoc pacto conuenit etiam Abbatibus, qui ſunt intra clauſtra; à quibus tamen non aufertur ſubiectio. Vnde notat Gratian. *in Diſceptat. Forenſ. cap. 370. num. 26.* quod nomen *Abbas* eſt potiùs nomen ſollicitudinis, quàm dignitatis.

5 Præterea, ideo quando regularis fit Epiſcopus, eximitur à ſubiectione; quia in ipſo fit mutatio ſubſtantialis ſtatus, in qua deſtruitur monachatus, & ponitur ſtatus Epiſcopalis; & ideo iſta mutatio eſt ſubſtantialia: quia fit mediante ſacra ordinatione, quæ eſt inſtitutiua noui ſtatus ſubſtantialiter diuerſi, ſanctificando ad altare ipſum monachum, cui intitulatur; vt habetur *in Cap. Statutum 18. quæſ. 1.* vbi dicitur; *Quem canonica electio à iugo regulæ monaſticæ profeſſionis abſoluit, & ſacra ordinatio de monacho Epiſcopum facit.* Et infra: *Ad altare, ad quod ſanctificatur, & titulatur.* At quando regularis fit Abbas non mutat ſtatum ſubſtantialiter; vnde nec etiam conſacratur, ſed ſolùm benedicitur, quæcumque ſit Abbatia; quia nunquam dignitas eſt ſubſtantialiter diuerſa ab ea, quam habent Abbates regulares intra clauſtra, cum non differat nec in benedictione, nec in iuriſdictione; quia totam illam iuriſdictionem, quam habent Abbates ſæculares exempti in ſuos ſubditos, & præeminentias mithræ, & baculi habeant etiam quidam Abbates regulares; in quibus tamen dignitas Abbatialis non mutat ſtatum ſubſtantialiter.

7 Hæc autem, ſicut & quæ ſequuntur, locum habent ex natura rei: preciſo priuilegio Summi Pontificis. Poſſunt enim aliqui ex his Abbatibus obtinere priuilegium, quo perpetuo eximantur à ſuis ſuperioribus: & tunc attendenda eſt forma priuilegij.

Cuinam ſubdatur Abbas Regularis, dimiſſa Abbatia ſæculari.

Deciſio XXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Qui doceant ſubijci Epiſcopo loci.*
2 *Ius monachi ad monaſterium extinguitur, quando fit Abbas.*
3 *Abbas dimiſſa Abbatia ſubditur monaſterio.*
4 *Modo ſubditur Generali ordinis.*
5 *Abbas depoſitus caſtigandus ſecundum regulam intra monaſterium. Et qui ſponte dimittit Abbatiam habet ius ad monaſterium.*
6 *Abbas regularis dimiſſa Abbatia ſæculari ſubditur Generali.*
7 *Monachus factus Abbas non amittit ius, quod habet ad monaſterium, ſed nobilius acquirit.*

1 EOdem modo de ipſo Reſpondendum eſt, ac de Regulari Abbate intra clauſtra; quia, vt diximus Deciſ. præcedenti, eadem eſt dignitas: & ideo etiam eadem exemptio, vel ſubiectio. Subijci autem Epiſcopo loci, loquendo de Abbate intra clauſtra depoſito, vel renunciante Abbatiam docent Io. Andreas *in Cap. Cum ad monaſterium de Statu monachor.*

Digitized by Google

nachor. & Io. de Lignano *in Clem. Ne in agro de Statu regul.*

2 Mouentur, quia non habet reſpectu monaſterij ius, quod habent monachi, quo monaſterium ipſis obligatur vt ſubditis, & filijs; hoc enim ius extinguitur, quando fit Abbas: & ſuperuenit aliud ius, quo monaſterium illi obligatur vt patri; ius autem extinctum non poteſt reuiuiſcere, niſi ea interueniant, per quæ de nouo tale ius ponatur. Cap. *Quaris de Conſecrat. diſt.* 4.

3 At remanere ſubditum in monaſterio docent Panor. *in Cap. Cum ad monaſter. num.* 13. *de Statu Monach.* Buttius, & Hoſtiens. *ibid.* Felin. *in Caput Sicut ex litteris* 3. *num.* 1. *de Iure iurando.* Bal. *in l. penul. ff. de Senat.* Brixienſis *in Repert. verbo Abbas.* Graff. 2. *par. Deciſ. lib.* 3. *cap.* 23. *num.* 29. Loquuntur autem ex ſuppoſitione, quòd monaſteria non ſint vnita ſub vno Generali.

4 Modò autem, quia ſunt vnita, remanet ſubditus Generali, & ad ipſum pertinet illi aſſignare monaſterium, in quo degat: vt notat Tamburin. *tom.* 1. *de Iure Abbat. diſp.* 13. *quæſ.* 4. *num.* 5.

5 Fundatur in eo, quòd depoſitus Abbas caſtigandus ſit ſecùndum regulam, ex Cap. *Cum ad monaſterium de Statu monachorum*; vnde, vt poſſit caſtigari, debet ſubijci intra monaſterium. E contra autem qui ſpontè dimittit Abbatiam non debet eſſe deterioris conditionis, quàm qui deliquit; & ideo debet degere intra monaſterium eodem iure, quo qui deliquit. Si autem habet ius degendi intra monaſterium, debet etiam ſubijci.

6 Idem etiam dicendum de Abbate regulari poſt dimiſſam Abbatiam ſæcularem; quia non eximitur à iure monaſterij, niſi intuitu adminiſtrationis Abbatiæ, non autem deſinit eſſe regularis; vnde nec plenè extrahitur à iure monaſterij, ſed ſe habet, ſicut is, qui degit extra clauſtra cum licentia Summi Pontificis; vnde dimiſſa Abbatia remanet obligatus religioni, ſicut remaneret, ſi haberet aliud beneficium eccleſiaſticum, & illud dimitteret; niſi forte obtinuerit perpetuam exemptionem.

7 Ad fundamentum in oppoſitum Dicendum eſt, quòd quando monachus fit Abbas, non amittit ius monachi reſpectu monaſterij, ſed ſuper inducitur aliud nobilius ius, nempe, patris; Quòd ex eo patet, quia cum remaneant vota, quæ ſunt fundamentum iuris, quod habet vt filius reſpectu monaſterij, remanet etiam ius in ipſis fundatum. Licet enim ſuperior fiat, non tamen ſoluitur à voto obedientiæ; ſed per accidens eſt, quòd non obediat; quia videlicet ſuperior eſt; Quod clarius patet in ijs, qui ſunt tantùm ſuperiores ad tempus; & nunc, quia monaſteria ſunt vnita ſub vno Generali, tenentur Generali obedire.

Cui acquirat Abbas regularis poſtquam dimiſit Abbatiam ſæcularem, ſi non redeat ad religionem.

Deciſio XXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Eadem ratio de Abbate regulari dimiſſa Abbatia ſæculari, ac de regulari degente extra clauſtra.*

2 *Si Abbas regularis dimiſſa Abbatia moriatur extra clauſtra, quæ acquiſiuit pertinent ad Cameram Apoſtolicam.*

3 *Doctrina Portelij refutata.*

4 *Qui doceant pertinere ad monaſterium quæ acquirit Monachus, quando non eſt omnino exemptus ab obedientia.*

5 *Abſolutè pertinent ad monaſterium.*

6 *Licet regularis degens extra clauſtra eximatur ab obedientia, non tamen eximitur à voto.*

7 *Religio manet obligata regulari degenti extra clauſtra, etiam exempto ab obedientia, & contra.*

8 *Quomodo regularis extra clauſtra exemptus ab obedientia ſubdatur ſoli Pontifici, & non ſuis ſuperioribus.*

1 HÆc difficultas decidenda eſt iuxta ea, quæ traduntur de regulari exiſtente extra clauſtra; quia eſt eadem ratio de Abbate dimiſſa Abbatia, ac de ipſo: quia adhuc remanet regularis; cum non ſit abſolutus à voto obedientiæ.

2 Certum autem eſt, quòd ſi moriatur extra clauſtra, omnia, quæ habet, pertinent modò ad Cameram Apoſtolicam, nomine ſpoliorum: vt decreuit Gregor XIII. in motu proprio *Officij noſtri*. Non tamen ex hoc licet inferre, quòd pertineant etiam antequam moriatur; nam ille motus proprius reſpicit tantùm ſucceſſionem poſt mortem, non autem dat ius Cameræ ad bona regularis, ipſo viuente; ſicut nec habet Camera ius ad bona Epiſcoporum, ipſis viuentibus; quamuis nomine ſpoliorum ea ſibi vendicet ſuccedente morte.

3 Hinc non rectè Portel. *in Dub. Regular. verbo Bona. in Addit. num.* 1. docet, bona religioſi extra clauſtra degentis pertinere ad Cameram, ob prædictum motum proprium. Et malè citat Azor. nam loco ibi citato ab ipſo, nihil habet, Alibi autem, vt infra, loquitur

de regu-

de regulari omnino exempto à monaſterio ex priuilegio Pontificis.

4 Dum autem viuit, pertinere ad monaſterium, ſi degat extra ipſum cum licentia ſuperiorum, aut Summi Pontificis, docent Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 10. quæſ. 7.* qui *tom. 2. lib. 8. cap. 3. quæſ. 15.* explicat prædictum motum proprium Gregor. XIII. de ſucceſſione poſt mortem. Leſſ. *2. de Iuſt. & iure cap. 41. dub. 11.* Sanchez *tom. 2. ſum. lib. 7. cap. 32. num. 60. & 61.* loquentes de Regulari, de quo, vt diximus, eſt eadem ratio, ac de Abbate dimiſſa Abbatia. Qui tamen omnes limitant, quando regularis non eſt omnino exemptus ab obedientia ſuperiorum ex priuilegio; nam ſi ſit exemptus, pertinent ad Pontificem; quia ipſi ſoli ſubditur, non ſuperioribus religionis.

5 At ſimpliciter abſque vlla limitatione pertinere ad monaſterium, etiam ſi ex priuilegio ſit omnino exemptus, docent Nauar. *in Cap. Cum dicatis num. 72. & 73.* Molina *tom. 1. de Iuſt. & iure diſp. 40. ver. Idem dicendum eſt.* Gam. *deciſ. 318. init.* Riminal. iunior *conſ. 343. num. 22. & ſequent. 342. num. 5. & ſequentib. vol. 3.* & *conſ. 154. num. 5. & ſequent. vol. 2.* qui plura affert in confirmat. huius ſententiæ, quæ tenenda eſt.

6 Ratio præcipua eſt, quia illa exemptio non eſt exemptio quò ad votum, ita vt diſſoluat votum obedientiæ, quo regularis obligatur religioni; ſed tantùm eſt exemptio quò ad exercitium ſubiectionis: quod poteſt ſeparari à voto, vt patet in Generalibus; in quibus remanet votum abſque exercitio ſubiectionis. Et ratio eſt, quia talis exemptio non mutat ſtatum; mutaret autem, ſi ſolueret à voto. Cum igitur permaneat votum obedientiæ, permanet etiam ius religionis ad ea, quæ acquirit religioſus: cum hoc ius fundetur in voto obedientiæ.

7 Quod etiam ex eo patet, quia religio remanet obligata tali religioſo; vnde, ſi vult redire ad clauſtra, tenetur ipſum recipere; & ideo è contra regularis remanet obligatus religioni; quia, cum obligatio ſit mutua, non poteſt ſolui ex parte vnius, niſi ſoluatur etiam ex parte alterius; & ſi non ſoluitur ex parte vnius, nec ſoluitur ex parte alterius; ſi igitur remanet obligatus, quicquid acquirit, ipſi acquirit.

8 Neque vrget, quòd ſoli Pontifici ſubdatur, non ſuperioribus religionis; quia hoc eſt verum tantùm, quò ad exercitium ſubiectionis, quod ex priuilegio ceſſat; non autem tollitur ſubiectio in habitu, ſeu in actu primo, in quo fundatur ius religionis ad bona, quæ acquirit.

An Abbas regularis poſtquàm dimiſit Abbatiam ſæcularem, poſſit remanere extra clauſtra, abſque ſpeciali indulto Summi Pontificis, ex eo tantùm, quòd ſit Abbas.

Deciſio XXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Quid faciat pro parte affirmatiua.*
2 *Abbas regularis, dimiſſa Abbatia ſæculari, non poteſt manere extra clauſtra abſque ſpeciali licentia.*
3 *Non debet præſumi tacita licentia.*
4 *Dimiſſa Abbatia ſæculari non durat exemptio regularis à ſuis ſuperioribus.*

1 Videtur affirmatiuè reſpondendum. Quia eo ipſo, quòd eligitur in Abbatem eximitur ab obedientia ſuperiorum; vnde cum in ipſo adhuc perſeueret dignitas Abbatis, & ceſſet ſolùm adminiſtratio Abbatiæ, debet perſeuerare etiam exemptio. Et tenet hanc ſententiam Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 6. num. 35.*

2 Oppoſitum tamen tenendum eſt: nimirum non poſſe, niſi ex ſpeciali indulto Pontificis, manere extra clauſtra. Ratio eſt, quia adhuc in ipſo durat ſtatus regularis; nam per electionem in Abbatem non mutatur; & conſequenter non abſoluitur à voto obedientiæ; dignitas enim Abbatis, vt diximus etiam ſupra, ſtat ſimul cum ſtatu regularis; quia eſt tantùm dignitas prælationis, non autem dignitas conſtituens nouum ordinem; & ideo cum duret votum obedientiæ, ſubditur ſuperioribus: atque adeo tenetur ad clauſtra redire.

3 Neque debet præſumi tacita licentia Pontificis; quia hæc licentia non conceditur abſque graui cauſa; & ideo cum nulla ſit cauſa de nouo, & prior ceſſet, quæ erat adminiſtratio, & gubernatio Abbatiæ; nec etiam noua licentia tacita, ſiue interpretatiua præſumi poteſt.

4 Nec item, quòd perſeueret exemptio, quam habuit; quia cum non fuerit exemptio debita ratione ſtatus, qualis eſt exemptio Epiſcoporum, ſed tantùm ratione officij, & adminiſtrationis: ideo ceſſante cauſa, ob quam data eſt exemptio, debet, & ipſa quoque ceſſare; non enim eſt exemptio abſoluta, ſed conditionata: ſuppoſito ſcilicet, quòd adminiſtret Abbatiam.

An

Digitized by Google

An toti religioni, an vero alicui, & cui peculiari monaſterio acquirat Abbas commendatarius regularis, ſi poſtquam dimiſit adminiſtrationem Abbatiæ, maneat extra clauſtra.

Deciſio XXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Qui docent acquirere toti religioni.*
2 *Totus ordo ſentit onus religioſi.*
3 *De facto ſtandum ſtatutis religionis quò ad talem acquiſitionem.*
4 *Si Abbas non emiſit profeſſionem nomine ſpecialis monaſterij, acquirit toti religioni.*
5 *Si emiſit profeſſionem nomine ſpecialis monaſterij, acquirit illi monaſterio.*
6 *Limitatur, niſi aliter diſponant ſtatuta religionis.*
7 *Quomodo tota religio ſentiat incommodum regularis.*
8 *Cui acquirat, ſi talis Abbas ſit ex Cler. Reg. Theatinis.*

1 HÆc difficultas reſoluenda eſt iuxta ea, quæ tradunt Doctores de acquiſitione regularis in vniuerſum. Vnde iuxta communiorem doctrinam acquiret toti religioni: ita vt pertineat ad Generalem huic vel illi monaſterio applicare acquiſita, Gloſ. *in cap. de Viduis* & *verbo Proprijs* 27. *quæſt.* 1. Abbas *in cap. In præſentia num.* 65. *de Probat.* Mantuan. *num.* 69. Felin. *num.* 54. Pariſ. *num.* 182. Berroius *num.* 546. & *in Quæſ. Suis. quæſ.* 83. *num.* 4. Angel. *in Sum. verbo Hæred.* Sà *verbo Religio num.* 28. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 10. *quæſ.* 4. Nauar. *com.* 2. *num.* 5. *corol.* 4. *de Regul.* Rom. *in l. Si ſeruus eius num.* 11. *ff. de Acquiren. Hæred.* & alij, qui ſi tenerent, Abbatem acquirere religioni, tenerent acquirere religioni in communi; quia eſſet eadem ratio de ipſo, ac de cœteris regularibus.

2 Fundantur in eo, quia totus ordo ſentit onus religioſi; cum non habeat certam ſedem; vnde etiam totus debet ſentire commodum, iuxta regulam iuris *Qui ſentit. de Regul. iur. in* 6.

3 At hoc habere locum tantùm attento iure communi; & proinde de facto ſtandum eſſe ſtatutis cuiuslibet religionis; & proinde ſi ſpecialis monaſterij ſit filius religioſus, ipſi acquirere docent Sylueſter *verbo Hæred.* 1. *quæſ.* 7. *num.* 10. *dict.* 2. Armilla *ibid. num.* 8. Tabiena *quæſ.* 13. *num.* 4. Sanchez *tom.* 2. *ſum. lib.* 7. *cap.* 32. *num.* 54. Tapia *in Auth. Ingreſſi. verbo Sua. cap.* 6. *num.* 1. *C. de Sacroſanctæ Eccleſia.*

4 Priorem ſententiam exiſtimo habere locum apud eos regulares, qui non emittunt profeſſionem nomine alicuius monaſterij; quia cum tunc regularis non magis pertineat ad vnum, quàm ad aliud monaſterium nec etiam ius, quod obuenit religioni ratione perſonæ, pertinebit; & proinde Abbas, de quo loquimur, non magis vni, quàm alteri monaſterio acquiret.

5 Si verò Abbas ſit ex illis regularibus, qui emittunt profeſſionem nomine certi monaſterij; tunc quicquid acquirit, pertinet ad monaſterium, cuius nomine profeſſionem emiſit. Per huiuſmodi enim profeſſionem perſona ſpeciali modo addicitur tali monaſterio, & monaſterium ipſi ſpeciali modo obligatur; vnde tenetur ſubire onera, quæ ſecum affert regularis; vt ſi aliqua ex cauſa fieret inhabilis ad miniſteria religionis, teneretur monaſterium huiuſmodi ipſum ſubſtentare. Et ideo habet locum regula, *Qui ſentit. de Regulis iuris in* 6. Et ipſe regularis habet ſpeciale ius ad tale monaſterium. Ex hoc autem fit, quòd huiuſmodi monaſterium debeat habere etiam ſpeciale ius ad ea, quæ ipſe acquirit, dum eſt extra clauſtra.

6 Quòd ſi adſint ſpecialia ſtatuta religionis, quæ aliter diſponant, ſeruanda ſunt; quia habet facultatem religio diſponendi de bonis, quæ ſibi quocumq; modo obueniunt; & ideo poteſt etiam condere ſtatuta, quæ de acquiſitis diſponant, prout benè viſum fuerit.

7 Hinc ad rationem primæ ſent. reſp. Quod ſicut totus ordo ſentit incommodum religioſi non habentis certam ſedem, ita etiam totus ſentit commodum ſeruitij, quod præſtat religioni; vnde ſit compenſatio. Specialia autem incommoda, & extraordinaria pertinent ad monaſterium, cuius eſt filius; & ideo ad ipſum quoq; debent ſpectare extraordinaria commoda.

8 Ex his colligitur; Abbatem huiuſmodi, ſi ſit è noſtra religione Clericorum Regularium Theatinorum, acquirere illi monaſterio, cuius nomine profeſſionem emiſit; habet enim tale monaſterium ius ad hæreditates, quæ poſſunt ipſi obuenire, & ad cœtera perſonalia, quæ acquirere poteſt; dummodo non ſine titulo eleemoſinæ; nam tunc pertinent ad monaſterium, in quo degit. Vnde quando acquirit dictus Abbas extra clauſtra, quocumque titulo acquirat, acquirit dicto monaſterio; quia ad ipſum ſolum pertinet ius, quod habet ratione perſonæ ad bona acquiſita. Et tale ius eſt ita proprium talis monaſterij, vt ſi quis emittens profeſſionem, leget aliquid illi monaſterio, in quo profitetur, adhuc nihilominus

Digitized by Google

hilominus cenſeatur monaſterij cuius nomine emittit profeſſionem, vt ſtatuitur *Par. 2. Decret. noſtrorum cap. 4. num. 5.*

De Altari.

An Altare amittat Conſecrationem ſi menſa remoueatur à ſtipite, ſeu ab inferiori ſtructura.

Deciſio XL.

SVMMARIVM.

1 *Altare amittit Conſecrationem, ſi menſa ſeparetur ab inferiori ſtructura.*

2 *Altare ſiue motum, ſiue confractum amittit Conſecrationem.*

3 *Separatio menſæ Altaris à ſtipite eſt quædam fractio.*

4 *Si menſa ſit ſeorſim conſecrata, non execratur, ſi remoueatur à ſtipite.*

5 *Nec item, ſi mobiliter coniungatur inferiori ſtructuræ.*

6 *Nec item, ſi inferior ſtructura ſit lignea.*

1 RESP. affirmatiuè Syluester *verbo Altare, quæſ.* 8. Palud. *in 4. diſt.* 13. *quæſ. 2. ar. 4. concluſ.* 2. Nauar. *cap.* 25. *nu.* 83. Suarez *tom.* 3. in 3. *par. diſp.* 81. *ſect.* 5. *ver. Tertio additur;* Aſten. *lib. 4. ſum. tit.* 14. *ar.* 4. Panorm. *in cap. Propoſuiſti de Conſecrat. Eccl. vel alt.* Hieronym. Rodriquez *in Compen. Quæſt. Regul. Reſolut. 9. num.* 10. Abbas antiq. Innocent. Ioã Andr. Butrius, Anchar. Hoſt. *in cap. Quod in dubijs de Conſecr. Eccleſ. vel Altar.* Vbi etiam Barboſa *tom. 2. Collec. in Ius Canon. in dictum cap. nu.* 1. alios afferens, & alij communiter.

2 Et pro hac Deciſione affertur tex. ex *Cap.* 1. & *Cap. Quod in dubijs*, & *Cap. Ligneis de Conſecrat. Eccleſ. vel Altar.* vbi decernitur, de nouo eſſe conſecrandum Altare, ſi motum, vel confractum fuerit; vnde cum ponatur motio, vel confractio ſub diſiunctione, ex ſola ſeparatione menſæ ab inferiori ſtructura amittitur Conſecratio.

3 Addo etiam, huiuſmodi ſeparationem menſæ ab inferiori ſtructura eſſe quamdam fractionem altaris; quia altare non dicit ſolam menſam, ſed totam ſtructuram; per hanc autem ſeparationem tollitur forma altaris, & ſtructura; ſicut tabula menſalis diceretur frangi, & non eſſet ampliùs menſalis tabula, ſi ab ipſa ſepararentur ſtipites.

4 Hoc tamen limitandum eſt cum Tabiena *verbo Altare* §. 5. Syluestro *quæſ.* 10. *in fine.* Quod etiam videtur approbare Suarez *ſupra cit.* quòd procedat de altari, quando cum tota inferiori ſtructura conſecratur: ſecus ſi menſa ſeorſim conſecretur, & poſtea ſuper ponatur inferiori ſtructuræ: etiam ſi ita coniungatur, vt permanſura ſit inſeparabilis. Et ratio eſt, quia inferior ſtructura non communicat in conſecratione: atque adeo non eſt pars altaris; vnde per talem motionem non perditur forma altaris. Neque altare ſic conſecratum exigit ratione conſecrationis permanere affixum inferiori ſtructuræ.

5 Secundò limitanda eſt hæc doctrina, cum Layman. *lib. 5. tr. 5. cap. 6. num. 6.* quòd valeat de altari, cuius menſa coniungitur inferiori ſtructuræ firma, & ſtabili coniunctione, qualis eſt coniunctio cœmentaria. Secùs ſi coniunctio ſit ex natura ſua mobilis, & ex inſtitutione. Cuius oppoſitum ſentit Lugo *diſp. 20. de Euchar. ſect. 2. num. 71. & ſequent.* qui tantùm *num.* 74. ait: Quòd ſi hæc altaria eſſent in vſu, retinerent conſecrationem. Ratio eſt, quia altare conſecratur cum illa mobilitate coniunctionis, atque adeo cum illa conditione, vt poſſit moueri iuxta mobilitatem coniunctionis; & ideo ſi moueatur, non ammittit ſuam formam; quia in ſua forma includit illam mobilitatem, tanquam aliquid de ipſa forma. Vnde nec amittit conſecrationem, quæ ſolùm deperditur ad deperditionem formæ.

6 Tertiò etiam debet limitari, vt procedat de altari, cuius inferior ſtructura eſt lapidea; ſecùs autem ſi ſit lignea. Ratio eſt, quia altare non poteſt conſtare ex ligno, *cap. Altaria 1. de Conſecrat. diſt.* 1. vnde nec etiam lignum poteſt recipere conſecrationem; & conſequẽter forma altaris nõ poteſt includere lignum, aut coniunctionem ad lignum; & ideo ex tali ſeparatione non deperdetur conſecratio, aut forma altaris: & potiùs habebit rationem altaris portatilis, quàm ſtabilis. Nec obſtat, quòd non poſſit conſecrari ſola menſa: nam hoc falſum eſt, cum nullo iure prohibeatur; & ſicut poteſt conſecrari menſa parua, vt in altari portatili: ita etiam menſa magna; quod enim difficilè portari poſſit per accidens ſe habet.

An

An altare ſtabile amittat conſecrationem, ſi de loco ad locum integrum transferatur.

Deciſio XLI.

SVMMARIVM.

1 *Quid faciat pro affirmatiua parte.*
2 *Altare integrum motum de loco ad locum non amittit conſecrationem.*
3 *Quæ motio deſtruat conſecrationem altaris.*

1 Videtur affirmatiuè reſpondendum, quia altare ſtabile conſecratur vt ſtabile, & fixum. Si igitur de loco ſuo moueatur, amittet conſecrationem: quia amitter illam conditionem, eum qua eſt conſecratum. Hinc in Cap. *Quod in dubijs*, & in Cap. *Ligneis de Conſecrat. Eccleſ. vel altar.* dicitur ſub diſtinctione, quòd altare amittat conſecrationem, ſi motum, vel enormiter ſit fractum. Non poteſt autem intelligi, niſi de ſola motione locali, qua totum integrum moueatur; quia in quacumque alia motione frangitur; quia perit forma altaris.

2 Oppoſitum tamen tenendum eſt cum Suarez *tom. 3. in 3. par. diſp. 81. ſect. 5. ver. Tertiò additur. circa medium.* Barboſa *tom. 2. in Ius Can. in cap. 1. de Conſecrat. Eccleſ. vel altar. num. 2.* Lugo *diſp. 10. de Euchariſt. ſect. 2. nu. 74.* nempe non amittere conſecrationem; quia cum remaneat integrum, remanet etiam forma ipſius, atq; adeo conſecratio, quæ addicta eſt tantùm materiæ, prout ſtat ſub illa forma altaris; vnde ſalua forma, ſalua eſt etiam conſecratio.

3 Neq; obſtant tex. allati; quia non intelliguntur de illa motione, in qua ſalua manet forma, ſed de illa, in qua perit; atq; adeo de motione, in qua partes ſeparantur; vt notat Gloſ. in *cap. Ad hæc. de Conſecrat. Eccleſ. vel altar.* Contradiſtinguitur autem à fractione; quia fractio dicit quòd ipſæ partes in ſeipſis frangantur per ſeparationem continui, non quòd ad inuicem ſeparétur per ablationem coniunctionis.

An altare amittat conſecrationem, ſi deſtruatur paries cui eſt compaginatum.

Deciſio XLII.

SVMMARIVM.

1 *Altare non amittit conſecrationem, ſi deſtruatur paries, cui eſt compaginatum.*
2 *Etiam ſi paries ſubſtentet altare.*

1 Reſp. negatiuè cum Syluestro *verbo Altare quæſ. 8.* Ratio eſt, quia altare manet immotum retinens propriam formam; vnde etiam retinet conſecrationem: quæ tandiu durat, quamdiu durat forma altaris.

2 Sed quid, ſi altare ſit ita compaginatum parieti, vt ab ipſo ſubſtentetur: vt ſi ſola menſa lapidea abſq; ſtipitibus, aut inferiori ſtructura inſeratur parieti? Exiſtimo adhuc conſecrationem non deperdere. Tum quia paries adhuc non pertinet ad altare vt pars ipſius; conſecratio autem ſolùm amittitur per enormem fractionem, aut motionem, in qua forma mutetur ex ſeparatione partium, ex *Cap. Ad hæc, & Cap. Quod in dubijs de Conſecrat. Eccleſ. vel altar.* Tum quia paries non participat in conſecratione, qua menſa conſecratur; cum nec ſit pars menſæ, nec aliquid ipſius, vt ſunt ſtipites, ſeu inferior ſtructura; vnde per accidens eſt, & extra ſtructuram, ſeu formam altaris, quòd ita compaginetur parieti, vt ab ipſo ſubſtentetur: & potiùs illa menſa habet rationem altaris portatilis, quod per accidens ſit fixum.

An ſi aliquid de ſtipitibus altaris, ſeu inferioris ſtructuræ remoueatur, vel frangatur, altare amittat Conſecrationem.

Deciſio XLIII.

SVMMARIVM.

1 *Altare amittit conſecrationem, ſi remoueantur lapides inferiores tangentes menſam.*
2 *Alij limitant, vt non amittat, quando non ſunt principales.*
3 *Solùm amittit conſecrationem ſi aliqua columna ſubſtentans remoueatur.*
4 *Non amittit conſecrationem, niſi tot lapides amoueantur vt amittat formam.*
5 *Quando ratione inferioris ſtructuræ altare amittat formam.*
6 *Quocunque lapide amoto ſi inferior ſtructura poteſt ſubſtentare menſam, altare non amittit conſecrationem.*
7 *Remota vna columna, ſi alia poſſunt ſubſtentare altare, manet conſecratum.*
8 *Quomodo non conſecratum ex vnione ad conſecratum fiat conſecratum.*

1 Amittere conſecrationem, ſi lapides remoti, ſeu fracti tangant menſam, docet Summa

Summa Piſanel. *verbo Altare, Gloſ. in cap. Ad hæc De conſecrat. eccleſ. vel altar. verbo Altare.*

2 Addit tamen Sum. Confeſ. *lib. 3. tit. 24. quaſ.* 150. non amittere conſecrationem, etiam ſi lapides amoti tangat menſam, ſi ſint minùs principales: ſecus autem ſi ſint principales.

3 At Archidiacon. *in dictum Cap. Ad hæc* explicat, quòd tunc altare amittat conſecrationem, ſi ſit ſubſtentatum quatuor columnis, & altera ipſarum remoueatur.

4 Dicendum tamẽ cum Syluestro *verbo Altare quaſ.* 8. Altare non amittere conſecrationem, niſi tot lapides amoueantur, aut taliter ſtructura inferior frangatur, aut mutetur, quòd altare ſuam formam amittat. Ratio generalis, quia res conſecratæ non amittunt conſecrationem, niſi deperdatur forma. Explicandum eſt tamen, quando contingat formam amittit per mutationem factam in inferiori ſtructura.

5 Exiſtimo autem, tunc ſolùm formam amitti, quando inferior ſtructura nõ eſt amplius apta, & ſufficiens ad ſubſtentandam menſam altaris. Ratio eſt, quia eſt ordinata ad illam ſubſtentandam; vnde altare in ſua ſtructura, & forma illam exigit vt potentem ſubſtentare, & per hoc quòd ſubſtentet, manet in ſua forma: & conſequenter etiam altare; quia ſolùm formam in hoc caſu poteſt amittere ex eo, quòd inferior ſtructura propriam formam amittat.

6 Hinc autem fit, quòd altare non amittat conſecrationem, ſi aliqui lapides ab inferiori ſtructura amoueantur, quantumuis contingant menſam, & ſint etiam de principalibus, dummodo inferior ſtructura in tali ſtatu maneat, vt poſſit adhuc ſubſtentare menſam. Quòd etiam ex eo patet, quia ſi frangatur menſa, dummodo talis maneat, vt ſit ſufficiens pro celebratione: atque adeo fractura non ſit enormis: non amittit conſecrationem; vnde multò minùs amittet inferior ſtructura per eandem fractionem, cum ſit pars minùs principalis.

7 Secùndo colligitur, quòd ſi menſa altaris ſubſtenteretur quattuor columnis, & vna frangatur, aut amoueatur; Si altare adhuc permanet, nec corruit, quia menſa tribus alijs columnis firmiter ſubſtentatur: neque adhuc amittit conſecrationem; nam adhuc ſeruatur forma, & immobilitas altaris; quamuis non cum integritate ſtructuræ; quòd tamen non officit: quia conſecrationis permanentia non dependet à tota integritate, vt patet ſi frangatur menſa; ſed ſolùm à permanentia
8 formæ. Et proinde in tali caſu abſque noua conſecratione poſſet refici illa columna; quæ per coniunctionem ad altare manebit conſecrata; quia magis dignum trahit ad ſe minùs dignum, ex l. *Qui religionis ff. De rei vendicat.* & cap. *Quod in dubijs De conſecr. eccleſ. vel altar.* & *Cap. vnico eodem tit. in 6.* Quòd de eccleſia docent communiter, quando per partes parietes interpolatè reparantur; quia pars addita ſe habet per modum acceſſorij, & remanet ſemper eadem eccleſia ex ſex. Cap. *de Fabrica: ver.* Et ideo *iuncta Gloſ. verbo Innouata, de Conſ. Diſt.* 1. Item Gloſ. *in cap. Ligneis verbo Parietibus de conſecrat. eccleſ. vel altar.* & in Cap. *Propoſuiſti eodem tit. verbo Reconciliari.*

Quanta debeat eſſe fractura menſæ, vt altare deperdat conſecrationem.

Deciſio XLIV.

SVMMARIVM.

1 *Si frangatur, vel remoueatur ſigillum, altare amittit conſecrationem.*
2 *Item ſi menſa enormiter frangatur.*
3 *Quæ ſit enormis fractio ex aliorum ſententia*
4 *Illa eſt enormis fractio, quæ tollit formam altaris.*
5 *Menſa fracta in cornibus, etiam ſi in illis fiat conſecratio, non execratur.*
6 *Si talis ſit fractio, vt altare appareat veluti dirutum, execratur.*
7 *Menſa in duas partes diuiſa, dummodo localiter non ſeparetur, non execratur.*
8 *Secus ſi ambæ, aut altera tantùm localiter moueatur, etiam ſi quæ manet fixa, poſſit capere Calicem, & Hoſtiam.*

1 PRimo certum eſt deperdere conſecrationem, ſi frangatur, vel amoueatur ſignum, ſeu ſigillum ſepulchri: in quacunque parte altaris huiuſmodi ſigillum reperiatur. Habetur expreſsè in Cap. *Ad hæc de conſecr. Eccleſ. vel altar.* Quod ibi communiter notant Doctores, Abbas antiquus. Butrius. Io. Andr. Anchar. Hoſtienſ. Panor. Barboſa *in Collectan. Ad dictum cap. num.* 1. Viuian. *lib. 3. rational Iur. Pontif.* Syluester *verbo Altare quaſ.* 8. Rodriquez *in Compen. quaeſt. Regul. reſol. 9. de Altari num.* 10.

2 Rurſus conueniunt omnes, quòd amittat conſecrationem, ſi ipſa menſa enormiter fracta fuerit; & traditur in cap. *Quod in dubijs*, & in cap. *Ligneis De conſecrat. Eccleſ. vel alt.* vbi etiam Doctores cum Gloſ. id notant præſertim. *num. præcedenti citati.* Difficultas autem eſt quanta debeat eſſe fractura iſta, vt cenſeatur enormis.

3 Aliqui

Digitized by Google

3 Aliqui cenſent tunc eſſe enormem fracturam, quando apparet deformitas. Quod ſecùndum Hoſtienſ: apud Syluest. *verbo Altare quæſ.* 8. Epiſcopi arbitrio determinandum eſt. Quod etiam docet Rodriquez *num. 1. citatus*. Alij, ſi fracta fuerit in cornibus, in quibus ſolet fieri conſecratio, vt refert idem Syluester. Alij, ſi ſit vltra medietatem. Suarez autem *in 3. par. tom. 3. diſp.* 81. *ſect.* 5. *ver. Tertio additur*: ait: tunc ſolùm deperdere conſecrationem, quando in neutra parte confracti lapidis poteſt commodè Hoſtia, & Calix collocari. Sequitur Fauſtus *lib. 2. de Sacrif. Miſſæ quæſ.* 212. Marchin. *de Sacr. ordin. tr. 3. de Sacrificio Miſſæ cap. 12. num. 2.*

4 Exiſtimo autem, poſſe tradi regulam vniuerſalem, Quòd tunc ſolùm fractura ſit enormis, quando deperditur forma altaris; & tunc non ſit enormis, quando remanet. Quando autem permaneat forma altaris, vel deperdatur, morali æſtimatione penſandum eſt. Ratio eſt, quia remanente forma remanet altare: & pereunte, perit. manente autem altari in ſuo eſſe, non poteſt fractura eſſe enormis, nec perire conſecratio, quæ annexa eſt altari, ſeu illi maretiæ cum forma altaris. Nec poteſt deformitas eſſe nimis: nam cum forma det ſuam ſpecioſitatem alteri, ea ſalua, non poteſt altare eſſe nimium deforme.

5 Hinc fit, non amittere conſecrationem, ſi menſa frangatur in cornibus, etiam ſi in ipſis fieri ſoleat conſecratio, dummodo non ſit in ipſis ſigillum ſepulchri: quia licet in ipſis fiat conſecratio, totum tamen altare conſecratur: & ipſis fractis adhuc forma permanere poteſt. Et ita notat Lugo *diſp.* 20 *de Euch ſect.* 2. *n.* 74.

6 Secundo colligitur. Quòd ſi talis ſit fractura, vt altare appareat veluti dirutum, amittit conſecrationem: quia cum eſſe diruto non ſtat forma ipſius.

7 Tertio. Non amittere conſecrationem, ſi menſa in duas partes ſcindatur: dummodo tamen partes non ſeparentur ad inuicem localiter, & adhuc innitantur eidem inferiori ſtructuræ; quia tunc adhuc ſalua manet forma altaris: vnde poterit ſciſſura conglutinari aliquo lapideo glutine, quale eſt vulgo *ſtucco*.

8 Si autem menſa ita diuidatur in duas partes, vt loco dimoueantur, etiam ſi partes ſint æquales, aut vna maior altera, & poſſit commodè capere Hoſtiam, & Calicem: aut vna tantùm loco moueatur, & altera fixa maneat: ſi quæ loco mouetur excedat quartam partem menſæ, amittit conſecrationem; quia tunc cenſetur altare ſemidirutum, & pars menſæ, quæ manet, non cenſetur ampliùs altare, quod erat, ſed pars ipſius; pars autem non cenſetur moraliter eſſe totum, nec habere formam, quam priùs habebat; licet enim altare non requirat certam formam; quando tamen cum ſpeciali fuit conſecratum, ea ablata, deſinit altare.

An, ſi quis bona fide celebret in altari non conſecrato, aut quod iam amiſit conſecrationem, remaneat conſecratum, ita vt poſſit deinceps in ipſo celebrari.

Deciſio XLV.

SVMMARIVM.

1 *Sententia negatiua.*
2 *Quando Eccleſia præſcribit aliquam formam, non licet illam omittere.*
3 *Sententia affirmatiua.*
4 *Eadem ſententia affirmatiua tenenda.*
5 *Quid conſecratio, & quinam eius effectus.*
6 *Plus eſt conſecrare facto, quàm cæremonijs.*
7 *Altare ſanctificatur per id, quod in ipſo celebretur.*
8 *Non conſecratum mixtum conſecrato fit ſacrum, & quare.*
9 *Quando forma præſcripta ab Eccleſia non poſſit prætermitti.*
10 *Licet peccet mala fide celebrans in altari non conſecrato, adhuc tamen manet conſecratum.*

1 QVi id negant de Eccleſia polluta, aut de Calice nondum conſecrato vt præſertim Facundez *tract.* 1. *de Quinque Eccleſiæ præceptis lib. 3. cap. 21. num.* 15. Portel. *in dub. Regul. verbo Eccleſia in Addit. num.* 5. Fauſtus *lib. 2. de Sacrificio Miſſæ quæſ.* 238. negabunt etiam de altari, quod remaneat conſecratum; cum militet eadem ratio.

2 Et probari poteſt, quia quando Eccleſia præſcribit aliquam peculiarem formam pro aliquo faciendo, non eſt licitum illam omittere, etiam ſi fiat aliquid plus meritorium, & dignum; vnde cum præſcribatur ſpecialis forma pro conſecratione altaris, quamuis celebrare ſit magis dignum, non licebit talem formam omittere.

3 Qui verò concedunt de Eccleſia polluta, quòd reconcilietur, ſi quis in ea bona fide celebret, vt Caſtrus *lib. 2. de Legib. diſp. penul. cap. vlt.* Sà *Verbo Eccleſ.* Auila *par. 5. de Cenſur. diſp. 7. dub. 3. concluſ.* 1. aut de Calice, vt Diana *par. 2. tract. 14. de Celebrat. Miſſarum. reſol.* 69. quod videtur etiam approbare Marchin. *de Sacram. ordin. tract. 3. de Sacrific. Miſſæ par. 3. cap. 13. num. 3.* concedent etiam ob eamdem rationem de altari.

Digitized by Google

4 Reſp. igitur: Non eſſe opus alia conſecratione, ſed poſſe in ipſo celebrari: quia iam eſt conſecratum ex vi illius celebrationis.

5 Ratio eſt, quia conſecratio non eſt aliud, quàm quædam deputatio, qua altare deputatur ad offerendum ſacrificium Deo: & effectus conſecrationis non eſt alius, quàm ſanctificare; non quia altare conſecratum recipiat ſanctitatem aliquam: nam non eſt capax illius, vt ait D. Th. *3. par. quaeſ.* 83. *ar.* 3. *ad.* 3. ſed quia recipit aliquam ſpiritualem virtutem, quæ tamen moralis eſt, per quam aptum redditur diuino cultui, & ad excitandum deuotionem in hominibus.

6 Hoc autem totum habetur ex celebratione in ipſo; nam plus eſt deputare diuino cultui facto, quàm cæremonijs: ſicut plus eſt eligere facto, quàm verbis l. *Non dubium C. de Legib.* & Cap. *Legebatur. de Maior. & obed.* & Cap. *fin.* 15. *quaeſ.* 6. & etiam validior eſt ratificatio, quæ facto fit, quam quæ verbis Cap. *Dilecti filij* 2. *de Appellat.* vbi Decius cum alijs, & l. *Paulus reſpondit ff de Rat. hab.* per celebrationem autem facto ipſo deputatur diuino cultui.

7 Ex hoc autem, quòd facto ipſo deputatur diuino cultui, fit quòd ſanctificetur eo quòd concurrit ad actionem ſanctiſſimam, qualis eſt ſacrificium, eam in ſe ipſo ſuſcipiendo. Hinc Chryſoſt. *hom.* 20. *in* 2. *ad Corinth.* loquens de altari. *Lapis quidem eſt natura, ſanctum autem fit, quoniam corpus accipit Chriſti.* Sic non alia ratione Crux Chriſti fuit ſanctificata, niſi quia in ipſa Chriſtus ſe ipſum obtulit ſacrificium Patri. Hinc fit inſtrumentum idoneum ad excitandam deuotionem, & fit dignum ſpeciali veneratione, non ſecus ac ſi conſecratum fuerit.

8 Confir. ex Cap. *Quod in dubijs de Conſecr. Eccleſ. vel altar.* vbi dicitur quòd ſi oleo conſecrato miſceatur non conſecratum, fit conſecratum. Si igitur non conſecratum ex ſola mixtione, quæ conſiſtit in ſolo contactu fit conſecratum: multò magis conſecrabitur altare ex ſuſceptione diuinorum myſteriorum, ſeu celebratione in ipſo: quia hoc eſt quid nobilius, quam ſola mixtio: & ſanctitas ſacrificij trahet altare ad communicandum in ipſa ſanctitate.

9 Ad rationem in oppoſitum Reſp. Formam præſcriptam ab Eccleſia non poſſe prætermitti dedita opera, quia fit contra præceptum Eccleſiæ. Quando tamen eſt ſuppleta per aliquid æquiualenter ſanctificans, non eſt amplius neceſſaria: quia iam aliunde habetur effectus ipſius; & ideo tunc prætermitti poteſt. Vnde ſolùm prætermitti non poteſt antequam habeatur effectus ipſius.

10 Quæres, quid dicendum, ſi quis non bona, ſed mala fide celebret in altari non conſecrato. Reſp. adhuc manere conſecratum; peccare tamen mortaliter, qui ſic celebrat. Ratio eſt, quia quod maneat conſecratum, non pendet ex bona, vel mala fide celebrantis, ſed ſolùm ex facto ipſo, quod ex natura ſua eſt deputatiuum altaris pro miniſterio diuino.

An conſecratio altaris poſſit fieri ſine reliquijs Sanctorum.

Deciſio XLVI.

SVMMARIVM.

1 *Altare non poteſt ſecùndum aliquos conſecrari ſine reliquijs Sanctorum.*
2 *Horum fundamenta.*
3 *Qui doceant poſſe conſecrari ſine reliquijs.*
4 *Nullum præceptum habetur de ponendis reliquijs in conſecratione altaris.*
5 *Senſus Cap.* Non oportet de Conſecr. *Diſt.* 1.
6 *Conſuetudo ponendi reliquias in conſecratione altaris non obligat.*
7 *Confirmatio ex Miſſalibus antiquis.*
8 *Præceptum ſeptimi Canonis* VII. *Synodi ceſſauit.*

1 NOn poſſe fieri ſine reliquijs Sanctorum, docent Archidiacon. *in cap. Placuit de Conſecrat. diſt.* 1. & alij in dictum cap. *Placuit* Hoſtienſ. *in ſum. de Conſecr. Eccleſ. vel altar.* §. *Et qualiter* 1. *ver. Dicunt etiam* Syluester *verbo Altare quaeſ.* 1. Tabiena *ibid.* Fuſcus *de Viſit. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 1 Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 27. *quaeſ.* 8. Bonacina *diſp.* 4. *de Sacram. quaeſ. vlt. punct.* 9. *num.* 13. Barboſa *de Vniuer. Iur. Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 7. Fauſtus *lib.* 2. *de Sacrificio Miſſæ quaeſ.* 209.

2 Prob. ex Cap. *Placuit de Conſecr. diſt.* 1. vbi præcipiuntur deſtrui altaria, in quibus non ſunt reliquiæ Sanctorum Martyrum. Et Cap. *Non oportet eadem diſtinctionem*, vbi prohibetur, oblationes pro defunctis fieri, aut ſacramenta diſtribui, niſi in Eccleſia, aut in Baſilica, vbi Martyrum reliquiæ ſunt. Deinde rubrica miſſalis præcipit, vt dicatur in ingreſſu altaris oratio illa: *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic ſunt, &c.*

3 At poſſe conſecrationem fieri ſine reliquijs docent Sotus *in* 4. *diſt.* 13. *quaeſ.* 2. *ar.* 3. §. *Rurſus etiam. ver. Sexto deniq;* Suarez 3. *par. tom.* 3. *diſp.* 81. *ſect.* 5. *ver. Tertia additur* circa finem. Hieronym. Rodriquez *in Compend. Quaeſ. Reg. reſol.* 9. *nu.* 9. Lugo *diſp.* 20. *de Euchar. ſect.* 2. *nu.* 75. Reginal. *in Praxi tom.* 2. *lib.* 29. *cap.* 6. *num.*

num. 190. Coninch. *de Sacram. quaſ.* 83. *ar.* 3. *dub.* 2. *num.* 241. Angelus *verbo Altare* §. 3. Hugo *in Cap. Nullus de Conſecr. diſt.* 1. Quod tenet etiam Aſtenſ. *apud* Sylueſt. *citatum*. Sed limitat ad altare portatile; & Durand. *lib.* 1. *Rational. cap.* 7. *num.* 23. qui tamen addit, quòd ſi non ponantur reliquiæ, debeat poni Corpus Chriſti in Euchariſtia. Addit Suarez, conſuetudinem tenere, vt fiat conſecratio altaris ſine reliquijs.

4 Hæc poſterior ſententia tenenda eſt; quia non eſt admittendum aliquid tanquam de ſubſtantia conſecrationis, quod non præcipiatur tanquam tale; Nullum autem præceptum habetur de ponendis reliquijs in conſecratione altaris, ita vt ſine ipſis non poſſit fieri conſecratio; nam citat. Cap. *Placuit*, ex quo deſumitur tale præceptum, hoc non præcipit; ſed occurrit abuſui, quod tunc vigebat. Solebant enim paſſim in agris erigi altaria in memoriam Martyrum ob quaſdam inanes reuelationes. hæc autem altaria ibi prohibentur: & ſtatuitur, quòd nulla memoria Martyrum acceptetur, vbi non ſit corpus, aut certæ reliquiæ, aut origo alicuius habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis; quod longe diuerſum eſt à præcepto non conſecrandi altaria ſine reliquijs. Quod vt manifeſtè conſtet, ponam per extenſum ipſum canonem. *Placuit, vt altaria, quæ paſſim per agros, & per villas, tanquam memoriæ Martyrum conſtruuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab eis, qui locis eiſdem præſunt, ſi fieri poteſt, euertantur. Si autem hoc propter tumultus populares non ſinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent: vt qui rectè ſapiunt, nulla ibi ſuperſtitione deuincti teneantur. Et omnino nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, niſi vbi corpus, aut reliquiæ certæ ſunt, aut origo alicuius habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis, fideliſſima origine traditur. Nam quæ per ſomnia, & per inanes quaſi reuelationes quorumlibet hominum, vbicumque conſtituuntur altaria, omnino reprobentur.*

5 In Cap. autem *Non oportet*, neque ſimiliter habetur huiuſmodi præceptum: ſed tantùm clericis prohibetur, ne ad monumenta mortuorum in campis erecta portent, aut diſtribuant ſacra miniſteria: & ſolùm præcipit, quòd non celebrent ibi pro defunctis; ſed aut in Eccleſia, aut in Baſilica, vbi Martyrum reliquiæ ſunt depoſitæ. Quod etiam notat Gloſſa. De conſecrando autem altari cum reliquijs nec verbum quidem habet. Hic enim eſt tex. *Non oportet clericos ignauos, & præſumptores ſuper monumenta in campum miniſteria portare, aut diſtribuere ſacramenta; ſed aut in Eccleſia, aut in Baſilica, vbi Martyrum ſunt reliquiæ depoſitæ, ibi pro defunctis oblationes offerri. Nec licet Chriſtianis prandia ad defunctorum ſepulchra deferre, & ſacrificare mortuis.* Baſilica autem, vbi ſunt depoſitæ reliquiæ Martyrum, non eſt altare; & ſi eſſet, ponitur ſub diſiunctione cum Eccleſia. Deinde non dicitur, quòd altare conſecretur cum reliquijs: ſed quod celebretur, vbi ſunt reliquiæ martyrum; quod longè diuerſum eſt.

6 Neque obſtat conſuetudo; tum quia eam negat Suarez *ſupracitatus*: deinde etiam ſi haberet locum, non eſſet obligatiua; tum quia in tanta multitudine altarium non poteſt ſeruari, vt notat idem Suarez; tum quia eſt inducta in honorem martyrum, non pro neceſſitate conſecrationis.

7 Hinc Miſſalia antiqua admonebant, quòd omitteretur illa oratio, *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum hic reliquiæ ſunt*, ſi in altari non eſſent repoſitæ reliquiæ.

8 Nec item obſtat canon ſeptimus ſeptimæ Synodi Generalis, vbi præcipitur deponi qui templum conſecrauerit ſine Sanctorum reliquijs. quia cum loquatur de Eccleſijs, non debet extendi ad altaria. Imo hodie ceſſauit hoc præceptum etiam quo ad Eccleſias: quia ceſſauit finis; tunc enim præcipiebatur, Eccleſias cum reliquijs ſanctis conſecrari, ob hæreticos illius temporis, qui abſtulerant reliquias ab Eccleſijs.

An licet conſecratio ſit valida, peccet tamen qui ſine reliquijs conſecrat altare.

Deciſio XLVII.

SVMMARIVM.

1 *Conſecrans altare ſine reliquijs ſecundum aliquos peccat.*

2 *Non peccat.*

1 QVòd peccent, videntur ſentire nonnulli ex ijs, quos pro ſecunda ſent. *Deciſ. præced. num.* 3. citauimus, præſertim Hugo.

2 Oppoſitum tamen eſt tenendum cum Suarez 3. *par. tom.* 3. *diſp.* 81. *ſect.* 5. *ver. Tertio additur* circa finem Coninc. *quaſ.* 83. *de Sacram. ar.* 3. *dub.* 2. *num.* 241. Soto *in* 4. *diſt.* 13. *quaſ.* 2. *ar.* 3. §, *Rurſus etiam. ver. Sexto denique, &c.* Cum enim nullum adſit præceptum ponendi reliquias, vt vidimus, & ſolùm ex laudabili conſuetudine ponantur, remanet in libertate conſecrantis ponere, vel non ponere; & proinde ſi non ponantur, non fit contra aliquam obligationem.

6 *Regularis factus Abbas, etiam ſi Abbatia ſit ſæcularis, non mutat ſtatum ſubſtantialiter.*
7 *Poſſunt hi Abbates eximi à ſubiectione ſuperiorum per priuilegium.*

1 HAnc quæſtionem in terminis apud neminem repeti. Exiſtimo tamen eſſe decidendam iuxta ea, quæ tradunt Doctores de Abbate, qui præeſt monaſterio: cum eadem videatur ratio, loquendo pro illis temporibus, quando monaſteria nondum erant congregata ſub vno capite Generali, ſed vnumquodque ſeorſim ab alio ſua iura agnoſcebat. Dignitas enim Abbatis eſt eadem ſiue ſit in regulari, ſiue in ſæculari; ſiue Abbatia ſit regularis, & intra clauſtra, ſiue ſæcularis extra clauſtra; & ideo cum non tollatur ſubiectio in regularibus reſpectu ſuperiorum, niſi ratione dignitatis, videndum eſt, an ratione dignitatis Abbatialis remaneat exemptus à ſuis ſuperioribus, etiam dimiſſa Abbatia.

2 Dignitatem autem Abbatis non eximere ſubditos à ſuperioribus, quando ceſſant administrare Abbatiam, cenſent communiter, præſertim citandi Deciſ. ſequenti. Et ratio eſt, quia dignitas Abbatis ex natura ſua non eſt extra ordinem clauſtralem; & proinde non opponitur cum ſubiectione; vnde de facto Abbates ſubduntur Generali. Nec conſtituit in Eccleſia nouum ordinem, ſicut conſtituit dignitas Epiſcopalis, nec nouum ſtatum.

3 Et quamuis Abbatia ſit ſæcularis, in tantùm ſolùm eximit regularem à ſuperioribus, in quantùm id exigit adminiſtratio; non quia id exigat dignitas; ideo ceſſante adminiſtratione ceſſat etiam exemptio. Oppoſitum tamen tenet Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 6. num.* 35. de Abbatibus habentibus propriam Diœceſim, quia ſunt ſimiles Epiſcopo. Quod tamē non ſufficit: quia ſimilitudo non eſt in dignitate, quæ non excedit dignitatem aliorum Abbatum, ſed ſolùm in adminiſtratione.

4 Nec valet, quod dicatur Eccleſiæ ſponſus ab Innocent. *in cap. Qui propter init. ver. Viduatis de Elect.* Bart. *in l. Si ita quis §. Is cui. vers.* 3. *ff. de Legatis*; quia non dicitur ſponſus ſicut dicitur Epiſcopus; ſed minùs propriè; quatenus gerit vicem ſponſi, eo quòd adminiſtrat Eccleſiam; vnde eſſe ſponſum hoc pacto conuenit etiam Abbatibus, qui ſunt intra clauſtra: à quibus tamen non aufertur ſubiectio. Vnde notat Gratian. *in Diſceptat. Forenſ. cap.* 270. *num.* 26. quod nomen *Abbas* eſt potiùs nomen ſollicitudinis, quàm dignitatis.

5 Præterea, ideo quando regularis fit Epiſcopus, eximitur à ſubiectione; quia in ipſo fit mutatio ſubſtantialis ſtatus, in qua deſtruitur monachatus, & ponitur ſtatus Epiſcopalis; & ideo iſta mutatio eſt ſubſtantialis: quia fit mediante ſacra ordinatione, quæ eſt inſtitutiua noui ſtatus ſubſtantialiter diuerſi, ſanctificando ad altare ipſum monachum, cui intitulatur; vt habetur *in Cap. Statutum* 18. *quæſ.* 1. vbi dicitur; *Quem canonica electio à iuga regula monaſticæ profeſſionis abſoluit, & ſacra ordinatio de monacho Epiſcopum facit*. Et infra: *Ad altare, ad quod ſanctificatur, & titulatur*. At quando regularis fit Abbas non mutat ſtatum ſubſtantialiter; vnde nec etiam conſacratur, ſed ſolùm benedicitur, quęcumque ſit Abbatia; quia nunquam dignitas eſt ſubſtantialiter diuerſa ab ea, quam habent Abbates regulares intra clauſtra, cum non differat nec in benedictione, nec in iuriſdictione; quia totam illam iuriſdictionem, quam habent Abbates ſæculares exempti in ſuos ſubditos, & præeminentias mithræ, & baculi habeant etiam quidam Abbates regulares; in quibus tamen dignitas Abbatialis non mutat ſtatum ſubſtantialiter.

7 Hæc autem, ſicut & quæ ſequuntur, locum habent ex natura rei: preciſo priuilegio Summi Pontificis. Poſſunt enim aliqui ex his Abbatibus obtinere priuilegium, quo perpetuo eximantur à ſuis ſuperioribus: & tunc attendenda eſt forma priuilegij.

Cuinam ſubdatur Abbas Regularis, dimiſſa Abbatia ſæculari.

Deciſio XXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Qui doceant ſubijci Epiſcopo loci.*
2 *Ius monachi ad monaſterium extinguitur, quando fit Abbas.*
3 *Abbas dimiſſa Abbatia ſubditur monaſterio.*
4 *Modo ſubditur Generali ordinis.*
5 *Abbas depoſitus caſtigandus ſecùndum regulam intra monaſterium. Et qui ſponte dimittit Abbatiam habet ius ad monaſterium.*
6 *Abbas regularis dimiſſa Abbatia ſeculari ſubditur Generali.*
7 *Monachus factus Abbas non amittit ius, quod habet ad monaſterium, ſed nouiter acquirit.*

1 EOdem modo de ipſo Reſpondendum eſt, ac de Regulari Abbate intra clauſtra; quia, vt diximus Deciſ. præcedenti, eadem eſt dignitas: & ideo etiam eadem exemptio, vel ſubiectio. Subijci autem Epiſcopo loci, loquendo de Abbate intra clauſtra depoſito, vel renunciante Abbatiam docent Io. Andreas *in Cap. Cum ad monaſterium de Statu monachor.*

Digitized by Google

nachor. & Io. de Lignano *in Clem. Ne in agro de Statu regul.*

2 Mouentur, quia non habet reſpectu monaſterij ius, quod habent monachi, quo monaſterium ipſis obligatur vt ſubditis, & filijs; hoc enim ius extinguitur, quando fit Abbas: & ſuperuenit aliud ius, quo monaſterium illi obligatur vt patri; ius autem extinctum non poteſt reuiuiſcere, niſi ea interueniant, per quæ de nouo tale ius ponatur. Cap. *Quaris de Conſecrat. diſt.* 4.

3 At remanere ſubditum in monaſterio docent Panor. *in Cap. Cum ad monaſter. num.* 13. *de Statu Monach.* Butrius, & Hoſtiens. *ibid.* Felin. *in Caput Sicut ex litteris* 3. *num.* 1. *de Iure iurando.* Bal. *in l. penul. ff. de Senat.* Brixienſis *in Repert. verbo Abbas.* Graſſ. 2. par. *Deciſ. lib.* 3. *cap.* 23. *num.* 29. Loquuntur autem ex ſuppoſitione, quòd monaſteria non ſint vnita ſub vno Generali.

4 Modò autem, quia ſunt vnita, remanet ſubditus Generali, & ad ipſum pertinet illi aſſignare monaſterium, in quo degat: vt notat Tamburin. *tom.* 2. *de Iure Abbat. diſp.* 13. *quæſ.* 4. *num.* 5.

5 Fundatur in eo, quòd depoſitus Abbas caſtigandus ſit ſecundum regulam, ex Cap. *Cum ad monaſterium de Statu monachorum*; vnde, vt poſſit caſtigari, debet ſubijci intra monaſterium. E contra autem qui ſponte dimittit Abbatiam non debet eſſe deterioris conditionis, quàm qui deliquit; & ideo debet degere intra monaſterium eodem iure, quo qui deliquit. Si autem habet ius degendi intra monaſterium, debet etiam ſubijci.

6 Idem etiam dicendum de Abbate regulari poſt dimiſſam Abbatiam ſæcularem; quia non eximitur à iure monaſterij, niſi intuitu adminiſtrationis Abbatiæ, non autem deſinit eſſe regularis; vnde nec plenè extrahitur à iure monaſterij, ſed ſe habet, ſicut is, qui degit extra clauſtra cum licentia Summi Pontificis; vnde dimiſſa Abbatia remanet obligatus religioni, ſicut remaneret, ſi haberet aliud beneficium eccleſiaſticum, & illud dimitteret; niſi forte obtinuerit perpetuam exemptionem.

7 Ad fundamentum in oppoſitum. Dicendum eſt, quòd quando monachus fit Abbas, non amittit ius monachi reſpectu monaſterij, ſed ſuper inducitur aliud nobilius ius, nempe patris; Quòd ex eo paret, quia cum remaneant vota, quæ ſunt fundamentum iuris, quod habet vt filius reſpectu monaſterij, remanet etiam ius in ipſis fundatum. Licet enim ſuperior fiat, non tamen ſoluitur à voto obedientiæ; ſed per accidens eſt, quòd non obediat; quia videlicet ſuperior eſt; Quod clariùs patet in ijs, qui ſunt tantùm ſuperiores ad tempus; & nunc, quia monaſteria ſunt vnita ſub vno Generali, tenentur Generali obedire.

Cui acquirat Abbas regularis poſtquam dimiſit Abbatiam ſæcularem, ſi non redeat ad religionem.

Deciſio XXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Eadem ratio de Abbate regulari dimiſſa Abbatia ſæculari, ac de regulari degente extra clauſtra.*

2 *Si Abbas regularis dimiſſa Abbatia moriatur extra clauſtra, quæ acquiſiuit pertinent ad Cameram Apoſtolicam.*

3 *Doctrina Pottelij refutata.*

4 *Qui doceant pertinere ad monaſterium quæ acquirit Monachus, quando non eſt omnino exemptus ab obedientia.*

5 *Abſolutè pertinent ad monaſterium.*

6 *Licet regularis degens extra clauſtra eximatur ab obedientia, non tamen eximitur à voto.*

7 *Religio manet obligata regulari degenti extra clauſtra, etiam exempto ab obedientia, & contra.*

8. *Quomodo regularis extra clauſtra exemptus ab obedientia ſubdatur ſoli Pontifici, & non ſuis ſuperioribus.*

1 HÆc difficultas decidenda eſt iuxta ea, quæ traduntur de regulari exiſtente extra clauſtra; quia eſt eadem ratio de Abbate dimiſſa Abbatia, ac de ipſo: quia adhuc remanet regularis; cum non ſit abſolutus à voto obedientiæ.

2 Certum autem eſt, quòd ſi moriatur extra clauſtra, omnia, quæ habet, pertinent modò ad Cameram Apoſtolicam, nomine ſpoliorum; vt decreuit Gregor XIII. in motu proprio *Officij noſtri.* Non tamen ex hoc licet inferre, quòd pertineant etiam antequam moriatur; nam ille motus proprius reſpicit tantùm ſucceſſionem poſt mortem, non autem dat ius Cameræ ad bona regularis, ipſo viuente; ſicut nec habet Camera ius ad bona Epiſcoporum, ipſis viuentibus; quamuis nomine ſpoliorum ea ſibi vendicet ſuccedente morte.

3 Hinc non rectè Pottel. *in Dub. Regular. verbo Bona. in Addit. num.* 1. docet, bona religioſi extra clauſtra degentis pertinere ad Cameram, ob prædictum motum proprium. Et male citat Azor. nam loco ibi citato ab ipſo, nihil habet. Alibi autem, vt infra, loquitur

de regu-

de regulari omnino exempto à monaſterio ex priuilegio Pontificis.

4 Dum autem viuit, pertinere ad monaſterium, ſi degat extra ipſum cum licentia ſuperiorum, aut Summi Pontificis, docent Azor. *tom. 1. lib. 12. cap.* 10. *quæſ.* 7. qui *tom. 2. lib. 8. cap. 3. quæſ.* 15. explicat prædictum motum proprium Gregor. XIII. de ſucceſſione poſt mortem. Leſſ. 2. *de Iuſt. & iure cap. 41. dub.* 11. Sanchez *tom. 2. ſum. lib. 7. cap. 32. num. 60. & 61.* loquentes de Regulari, de quo, vt diximus, eſt eadem ratio, ac de Abbate dimiſſa Abbatia. Qui tamen omnes limitant, quando regularis non eſt omnino exemptus ab obedientia ſuperiorum ex priuilegio; nam ſi ſit exemptus, pertinent ad Pontificem; quia ipſi ſoli ſubditur, non ſuperioribus religionis.

5 At ſimpliciter abſque vlla limitatione pertinere ad monaſterium, etiam ſi ex priuilegio ſit omnino exemptus, docent Nauar. *in Cap. Cum dicatis num. 72. & 73.* Molina *tom. 1. de Iuſt. & iure diſp. 40. ver. Idem dicendum eſt.* Gam. *deciſ. 318. init.* Riminal. iunior *conſ. 343. num. 22. & ſequent. 342. num. 5. & ſequentib. vol. 3.* & *conſ. 154. num. 5. & ſequent. vol. 2.* qui plura affert in confirmat. huius ſententiæ, quæ tenenda eſt.

6 Ratio præcipua eſt, quia illa exemptio non eſt exemptio quò ad votum, ita vt diſſoluat votum obedientiæ, quo regularis obligatur religioni; ſed tantùm eſt exemptio quò ad exercitium ſubiectionis: quod poteſt ſeparari à voto, vt patet in Generalibus; in quibus remanet votum abſque exercitio ſubiectionis. Et ratio eſt, quia talis exemptio non mutat ſtatum; mutaret autem, ſi ſolueret à voto. Cum igitur permaneat votum obedientiæ, permanet etiam ius religionis ad ea, quæ acquirit religioſus: cum hoc ius fundetur in voto obedientiæ.

7 Quod etiam ex eo patet, quia religio remanet obligata tali religioſo; vnde, ſi vult redire ad clauſtra, tenetur ipſum recipere; & ideo è contra regularis remanet obligatus religioni; quia, cum obligatio ſit mutua, non poteſt ſolui ex parte vnius, niſi ſoluatur etiam ex parte alterius; & ſi non ſoluitur ex parte vnius, nec ſoluitur ex parte alterius; ſi igitur remanet obligatus, quicquid acquirit, ipſi acquirit.

8 Neque vrget, quòd ſoli Pontifici ſubdatur, non ſuperioribus religionis; quia hoc eſt verum tantùm, quò ad exercitium ſubiectionis, quod ex priuilegio ceſſat; non autem tollitur ſubiectio in habitu, ſeu in actu primo, in quo fundatur ius religionis ad bona, quæ acquirit.

An Abbas regularis poſtquàm dimiſit Abbatiam ſæcularem, poſſit remanere extra clauſtra, abſque ſpeciali indulto Summi Pontificis, ex eo tantùm, quòd ſit Abbas.

Deciſio XXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Quid faciat pro parte affirmatiua.*

2 *Abbas regularis, dimiſſa Abbatia ſæculari, non poteſt manere extra clauſtra abſque ſpeciali licentia.*

3 *Non debet præſumi tacita licentia.*

4 *Dimiſſa Abbatia ſæculari non durat exemptio regularis à ſuis ſuperioribus.*

1 Videtur affirmatiuè reſpondendum. Quia eo ipſo, quòd eligitur in Abbatem eximitur ab obedientia ſuperiorum; vnde cum in ipſo adhuc perſeueret dignitas Abbatis, & ceſſet ſolùm adminiſtratio Abbatiæ, debet perſeuerare etiam exemptio. Et tenet hanc ſententiam Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 6. num. 35.*

2 Oppoſitum tamen tenendum eſt: nimirum non poſſe, niſi ex ſpeciali indulto Pontificis, manere extra clauſtra. Ratio eſt, quia adhuc in ipſo durat ſtatus regularis; nam per electionem in Abbatem non mutatur; & conſequenter non abſoluitur à voto obedientiæ; dignitas enim Abbatis, vt diximus etiam ſupra, ſtat ſimul cum ſtatu regularis; quia eſt tantùm dignitas prælationis, non autem dignitas conſtituens nouum ordinem; & ideo cum duret votum obedientiæ, ſubditur ſuperioribus: atque adeo tenetur ad clauſtra redire.

3 Neque debet præſumi tacita licentia Pontificis; quia hæc licentia non conceditur abſque graui cauſa; & ideo cum nulla ſit cauſa de nouo, & prior ceſſet, quæ erat adminiſtratio, & gubernatio Abbatiæ: nec etiam noua licentia tacita, ſiue interpretatiua præſumi poteſt.

4 Nec item, quòd perſeueret exemptio, quam habuit; quia cum non fuerit exemptio debita ratione ſtatus, qualis eſt exemptio Epiſcoporum, ſed tantùm ratione officij, & adminiſtrationis: ideo ceſſante cauſa, ob quam data eſt exemptio, debet, & ipſa quoque ceſſare; non enim eſt exemptio abſoluta, ſed conditionata: ſuppoſito ſcilicet, quòd adminiſtret Abbatiam.

Digitized by Google

An toti religioni, an vero alicui, & cui peculiari monaſterio acquirat Abbas commendatarius regularis, ſi poſtquam dimiſit adminiſtrationem Abbatiæ, maneat extra clauſtra.

Deciſio XXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Qui doctant acquirere toti religioni.*
2 *Totus ordo ſentit onus religioſi.*
3 *De facto ſtandum ſtatutis religionis quò ad talem acquiſitionem.*
4 *Si Abbas non emiſit profeſſionem nomine ſpecialis monaſterij, acquirit toti religioni.*
5 *Si emiſit profeſſionem nomine ſpecialis monaſterij, acquirit illi monaſterio.*
6 *Limitatur, niſi aliter diſponant ſtatuta religionis.*
7 *Quomodo tota religio ſentiat incommodum regularis.*
8 *Cui acquirat, ſi talis Abbas ſit ex Cler. Reg. Theatinis.*

1 HÆc difficultas reſoluenda eſt iuxta ea, quæ tradunt Doctores de acquiſitione regularis in vniuerſum. Vnde iuxta communiorem doctrinam acquiret toti religioni: ita vt pertineat ad Generalem huic vel illi monaſterio applicare acquiſita. Gloſ. *in cap. de Vidua* 1. *Verbo Proprijs* 27. *quaſ.* 1. Abbas *in cap. In præſentia num.* 65. *de Probat.* Mantuan. *num.* 69. Felin. *num.* 54. Pariſ. *num.* 182. Beroius *num.* 546. *& in Quaſ. Suis. quaſ.* 83. *num.* 4. Angel. *in Sum. verbo Hæred.* Sà *verbo Religio num.* 28. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 10. *quaſ.* 4. Nauar. *com.* 2. *num.* 5. *corol.* 4. *de Regul.* Rom. *in l. Si ſeruus eius num.* 11. *ff. de Acquiren. Hæred.* & alij, qui ſi tenerent, Abbatem acquirere religioni, tenerent acquirere religioni in communi: quia eſſet eadem ratio de ipſo, ac de cæteris regularibus.

2 Fundantur in eo, quia totus ordo ſentit onus religioſi: cum non habeat certam ſedem; vnde etiam totus debet ſentire commodum, iuxta regulam iuris *Qui ſentit. de Regul. iur. in* 6.

3 At hoc habere locum tantùm attento iure communi: & proinde de facto ſtandum eſſe ſtatutis cuiuslibet religionis; & proinde ſi ſpecialis monaſterij ſit filius religioſus, ipſi acquirere docent Syluester *verbo Hæred.* 1. *quaſ.* 7. *num.* 10. *dict.* 2. Armilla *ibid. num.* 8. Tabiena *quaſ.* 13. *num.* 4. Sanchez *tom.* 2. *ſum. lib.* 7. *cap.* 32. *num.* 54. Tapia *in Auth. Ingreſſi. verbo Sua. cap.* 6. *num.* 1. *C. de Sacroſancta Eccleſia.*

4 Priorem ſententiam exiſtimo habere locum apud eos regulares, qui non emittunt profeſſionem nomine alicuius monaſterij: quia cum tunc regularis non magis pertineat ad vnum, quàm ad aliud monaſterium nec etiam ius, quod obuenit religioni ratione perſonæ, pertinebit; & proinde Abbas, de quo loquimur, non magis vni, quàm alteri monaſterio acquiret.

5 Si verò Abbas ſit ex illis regularibus, qui emittunt profeſſionem nomine certi monaſterij: tunc quicquid acquirit, pertinet ad monaſterium, cuius nomine profeſſionem emiſit. Per huiuſmodi enim profeſſionem perſona ſpeciali modo addicitur tali monaſterio, & monaſterium ipſi ſpeciali modo obligatur; vnde tenetur ſubire onera, quæ ſecum affert regularis; vt ſi aliqua ex cauſa fieret inhabilis ad miniſteria religionis, teneretur monaſterium huiuſmodi ipſum ſubſtentare. Et ideo habet locum regula *Qui ſentit. de Regulis iuris in* 6. Et ipſe regularis habet ſpeciale ius ad tale monaſterium. Ex hoc autem fit, quòd huiuſmodi monaſterium debeat habere etiam ſpeciale ius ad ea, quæ ipſe acquirit, dum eſt extra clauſtra.

6 Quòd ſi adſint ſpecialia ſtatuta religionis, quæ aliter diſponant, ſeruanda ſunt; quia habet facultatem religio diſponendi de bonis, quæ ſibi quocumq; modo obueniunt; & ideo poteſt etiam condere ſtatuta, quæ de acquiſitis diſponant, prout benè viſum fuerit.

7 Hinc ad rationem primæ ſent. reſp. Quod ſicut totus ordo ſentit incommodum religioſi non habentis certam ſedem, ita etiam totus ſentit commodum ſeruitij, quod præſtat religioni: vnde fit compenſatio. Specialia autem incommoda, & extraordinaria pertinent ad monaſterium, cuius eſt filius: & ideo ad ipſum quoq; debent ſpectare extraordinaria commoda.

8 Ex his colligitur: Abbatem huiuſmodi, ſi ſit è noſtra religione Clericorum Regularium Theatinorum, acquirere illi monaſterio, cuius nomine profeſſionem emiſit; habet enim tale monaſterium ius ad hæreditates, quæ poſſunt ipſi obuenire, & ad cætera perſonalia, quæ acquirere poteſt; dummodo non ſint titulo eleemoſinæ; nam tunc pertinent ad monaſterium, in quo degit. Vnde quando acquirit dictus Abbas extra clauſtra, quocumque titulo acquirat, acquirit dicto monaſterio: quia ad ipſum ſolum pertinet ius, quod habet ratione perſonæ ad bona acquiſita. Et tale ius eſt ita proprium talis monaſterij, vt ſi quis emittens profeſſionem, leget aliquid illi monaſterio, in quo profitetur, adhuc nihilomi-

Digitized by Google

hilominus cenſeatur monaſterij cuius nomine emitrit profeſſionem, vt ſtatuitur *Par. 2. Decret. noſtrorum cap. 4. num. 5.*

De Altari.

An Altare amittat Conſecrationem ſi menſa remoueatur à ſtipite, ſeu ab inferiori ſtructura.

Deciſio XL.

SVMMARIVM.

1 *Altare amittit Conſecrationem, ſi menſa ſeparetur ab inferiori ſtructura.*

2 *Altare ſiue motum, ſiue confractum amittit Conſecrationem.*

3 *Separatio menſæ Altaris à ſtipite eſt quædam fractio.*

4 *Si menſa ſit ſeorſim conſecrata, non execratur, ſi remoueatur à ſtipite.*

5 *Nec item, ſi mobiliter coniungatur inferiori ſtructuræ.*

6 *Nec item, ſi inferior ſtructura ſit lignea.*

1 RESp. affirmatiuè Syluester *verbo Altare, quæſ. 8.* Palud. *in 4. diſt. 13. quæſ. 2. ar. 4. concluſ. 2.* Nauar. *cap. 25. nu. 83.* Suarez *tom. 3. in 3. par. diſp. 81. ſect. 5. ver. Tertio additur;* Aſten. *lib. 4. ſum. tit. 14. ar. 4.* Panorm. *in cap. Propoſuiſti de Conſacrat. Eccl. vel alt.* Hieronym. Rodriquez *in Comper. Quæſt. Regul. Reſolut. 9. num. 10.* Abbas antiq. Innocent. Io: Andr. Butrius, Anchar. Hoſt. *in cap. Quod in dubijs de Conſecr. Eccleſ. vel Altar.* Vbi etiam Barboſa *tom. 2. Collec. in Ius Canon. in dictum cap. nu. 1.* alios aſſerens, & alij communiter.

2 Et pro hac Deciſione affertur tex. ex *Cap. 1. & Cap. Quod in dubijs, & Cap. Ligneis de Conſecrat. Eccleſ. vel Altar.* vbi decernitur, de nouo eſſe conſecrandum Altare, ſi motum, vel confractum fuerit; vnde cum ponatur motio, vel confractio ſub diſiunctione, ex ſola ſeparatione menſæ ab inferiori ſtructura amittitur Conſecratio.

3 Addo etiam, huiuſmodi ſeparationem menſæ ab inferiori ſtructura eſſe quamdam fractionem altaris; quia altare non dicit ſolam menſam, ſed totam ſtructuram; per hanc autem ſeparationem tollitur forma altaris, & ſtructura; ſicut tabula menſalis diceretur frangi, & non eſſet ampliùs menſalis tabula, ſi ab ipſa ſepararentur ſtipites.

4 Hoc tamen limitandum eſt cum Tablena *verbo Altare §. 5.* Syluestro *quæſ. 10. in fine.* Quod etiam videtur approbare Suarez *ſupra cit.* quòd procedat de altari, quando cum tota inferiori ſtructura conſecratur: ſecus ſi menſa ſeorſim conſecretur, & poſtea ſuper ponatur inferiori ſtructuræ: etiam ſi ita coniungatur, vt permanſura ſit inſeparabilis. Et ratio eſt, quia inferior ſtructura non communicat in conſecratione: atque adeo non eſt pars altaris; vnde per talem motionem non perditur forma altaris. Neque altare ſic conſecratum exigit ratione conſecrationis permanere affixum inferiori ſtructuræ.

5 Secundò limitanda eſt hæc doctrina, cum Layman. *lib. 5. tr. 5. cap. 6. num. 6.* quòd valeat de altari, cuius menſa coniungitur inferiori ſtructuræ firma, & ſtabili coniunctione, qualis eſt coniunctio cœmentaria. Secùs ſi coniunctio ſit ex natura ſua mobilis, & ex inſtitutione. Cuius oppoſitum ſentit Lugo *diſp. 20. de Euchar. ſect. 2. num. 71. & ſequent.* qui tantùm *num. 74.* ait: Quòd ſi hæc altaria eſſent in vſu, retinerent conſecrationem. Ratio eſt, quia altare conſecratur cum illa mobilitate coniunctionis, atque adeo cum illa conditione, vt poſſit moueri iuxta mobilitatem coniunctionis; & ideo ſi moueatur, non ammittit ſuam formam; quia in ſua forma includit illam mobilitatem, tanquam aliquid de ipſa forma. Vnde nec amittit conſecrationem, quæ ſolùm deperditur ad deperditionem formæ.

6 Tertiò etiam debet limitari, vt procedat de altari, cuius inferior ſtructura eſt lapidea; ſecùs autem ſi ſit lignea. Ratio eſt, quia altare non poteſt conſtare ex ligno, *cap. Altaris 1. de Conſecrat. diſt. 1.* vnde nec etiam lignum poteſt recipere conſecrationem; & conſequẽter forma altaris nõ poteſt includere lignum, aut coniunctionem ad lignum; & ideo ex tali ſeparatione non deperdetur conſecratio, aut forma altaris: & potiùs habebit rationem altaris portatilis, quàm ſtabilis. Nec obſtat, quòd non poſſit conſecrari ſola menſa: nam hoc falſum eſt, cum nullo iure prohibeatur; & ſicut poteſt conſecrari menſa parua, vt in altari portatili: ita etiam menſa magna; quod enim difficilè portari poſſit per accidens ſe habet.

An

Digitized by Google

An altare ſtabile amittat conſecrationem, ſi de loco ad locum integrum transferatur.

Deciſio XLI.

SVMMARIVM.

1 *Quid faciat pro affirmatiua parte.*
2 *Altare integrum motum de loco ad locum non amittit conſecrationem.*
3 *Quæ motio deſtruat conſecrationem altaris.*

1 VIdetur affirmatiuè reſpondendum, quia altare ſtabile conſecratur vt ſtabile, & fixum. Si igitur de loco ſuo moueatur, amitteret conſecrationem: quia amitter illam conditionem, cum qua eſt conſecratum. Hinc in Cap. *Quod in dubijs*, & *in Cap. Ligneis de Conſecrat. Eccleſ. vel altar.* dicitur ſub disiunctione, quòd altare amittat conſecrationem, ſi motum, vel enormiter ſit fractum. Non poteſt autem intelligi, niſi de ſola motione locali, qua totum integrum moueatur; quia in quacumque alia motione frangitur; quia perit forma altaris.

2 Oppoſitum tamen tenendum eſt cum Suarez *tom. 3. in 3. par. diſp. 81. ſect. 5. ver. Tertiò additur. circa medium.* Barboſa *tom. 2. in Ius Can. in cap. 1. de Conſecrat. Eccleſ. vel altar. num. 2.* Lugo *diſp. 20. de Eucharist. ſect. 2. nu. 74.* nempe non amittere conſecrationem; quia cum remaneat integrum, remanet etiam forma ipſius, atq; adeo conſecratio, quæ addicta eſt tantùm materiæ, prout ſtat ſub illa forma altaris; vnde ſalua forma, ſalua eſt etiam conſecratio.

3 Neq; obſtant tex. allati; quia non intelliguntur de illa motione, in qua ſalua manet forma, ſed de illa, in qua perit; atq; adeo de motione, in qua partes ſeparantur: vt notat Gloſ. *in cap. Ad hæc. de Conſecrat. Eccleſ. vel altar.* Contradiſtinguitur autem à fractione; quia fractio dicit quòd ipſæ partes in ſeipſis frangantur per ſeparationem continui, non quòd ad inuicem ſeparētur per ablationem coniunctionis.

An altare amittat conſecrationem, ſi deſtruatur paries cui eſt compaginatum.

Deciſio XLII.

SVMMARIVM.

1 *Altare non amittit conſecrationem, ſi deſtruatur paries, cui eſt compaginatum.*
2 *Etiam ſi paries ſubſtentet altare.*

1 RESp. negatiuè cum Syluestro *verbo Altare quæſ. 8.* Ratio eſt, quia altare manet immotum retinens propriam formam; vnde etiam retinet conſecrationem: quæ tandiu durat, quamdiu durat forma altaris.

2 Sed quid, ſi altare ſit ita compaginatum parieti, vt ab ipſo ſubſtentetur: vt ſi ſola menſa lapidea abſq; ſtipitibus, aut inferiori ſtructura inſeratur parieti? Exiſtimo adhuc conſecrationem non deperdere. Tum quia paries adhuc non pertinet ad altare vt pars ipſius; conſecratio autem ſolùm amittitur per enormem fractionem, aut motionem, in qua forma mutetur ex ſeparatione partium, ex *Cap. Ad hæc, & Cap. Quod in dubijs de Conſecrat. Eccleſ. vel altar.* Tum quia paries non participat in conſecratione, qua menſa conſecratur: cum nec ſit pars menſæ, nec aliquid ipſius, vt ſunt ſtipites, ſeu inferior ſtructura; vnde per accidens eſt, & extra ſtructuram, ſeu formam altaris, quòd ita compaginetur parieti, vt ab ipſo ſubſtentetur: & potiùs illa menſa habet rationem altaris portatilis, quod per accidens ſit fixum.

An ſi aliquid de ſtipitibus altaris, ſeu inferioris ſtructuræ remoueatur, vel frangatur, altare amittat Conſecrationem.

Deciſio XLIII.

SVMMARIVM.

1 *Altare amittit conſecrationem, ſi remoueantur lapides inferiores tangentes menſam.*
2 *Alij limitant, vt non amittat, quando non ſunt principales.*
3 *Solùm amittit conſecrationem ſi aliqua columna ſubſtentans remoueatur.*
4 *Non amittit conſecrationem, niſi tot lapides amoueantur vt amittat formam.*
5 *Quando ratione inferioris ſtructuræ altare amittat formam.*
6 *Quocunque lapide amoto ſi inferior ſtructura poteſt ſubſtentare menſam, altare non amittit conſecrationem.*
7 *Remota vna columna, ſi aliæ poſſunt ſubſtentare altare, manet conſecratum.*
8 *Quomodo non conſecratum ex vnione ad conſecratum fiat conſecratum.*

1 AMittere conſecrationem, ſi lapides remoti, ſeu fracti tangant menſam, docet

Summa

Digitized by Google

Summa Piſanel. *verbo Altare, Gloſ. in cap. Ad hæc De conſecrat. eccleſ. vel altar. verbo Altare.*

2 Addit tamen Sum. Confeſ. *lib. 3. tit. 24. quæſ.* 150. non amittere conſecrationem, etiam ſi lapides amoti tangat menſam, ſi ſint minùs principales: ſecus autem ſi ſint principales.

3 At Archidiacon. *in dictum Cap. Ad hæc* explicat, quòd tunc altare amittat conſecrationem, ſi ſit ſubſtentatum quatuor columnis, & altera ipſarum remoueatur.

4 Dicendum tamẽ cum Syluestro *verbo Altare quæſ.* 8. Altare non amittere conſecrationem, niſi tot lapides amoueantur, aut taliter ſtructura inferior frangatur, aut mutetur, quòd altare ſuam formam amittat. Ratio generalis, quia res conſecratæ non amittunt conſecrationem, niſi deperdatur forma. Explicandum eſt tamen, quando contingat formam amittit per mutationem factam in inferiori ſtructura.

5 Exiſtimo autem, tunc ſolùm formam amitti, quando inferior ſtructura nõ eſt amplius apta, & ſufficiens ad ſubſtentandam menſam altaris. Ratio eſt, quia eſt ordinata ad illam ſubſtentandam; vnde altare in ſua ſtructura, & forma illam exigit vt potentem ſubſtentare, & per hoc quòd ſubſtentet, manet in ſua forma: & conſequenter etiam altare; quia ſolùm formam in hoc caſu poteſt amittere ex eo, quòd inferior ſtructura propriam formam amittat.

6 Hinc autem fit, quòd altare non amittat conſecrationem, ſi aliqui lapides ab inferiori ſtructura amoueantur, quantumuis contingant menſam, & ſint etiam de principalibus, dummodo inferior ſtructura in tali ſtatu maneat, vt poſſit adhuc ſubſtentare menſam. Quòd etiam ex eo patet, quia ſi frangatur menſa, dummodo talis maneat, vt ſit ſufficiens pro celebratione; atque adeo fractura non ſit enormis; non amittit conſecrationem; vnde multò minùs amittet inferior ſtructura per eandem fractionem, cum ſit pars minùs principalis.

7 Secùndo colligitur, quòd ſi menſa altaris ſubſtentetur quattoor columnis, & vna frangatur, aut amoueatur: Si altare adhuc permanet, nec corruit, quia menſa tribus alijs columnis firmiter ſubſtentatur: neque adhuc amittit conſecrationem; nam adhuc ſeruatur forma, & immobilitas altaris; quamuis non cum integritate ſtructuræ; quòd tamen non officit: quia conſecrationis permanentia non dependet à tota integritate, vt patet ſi frangatur menſa: ſed ſolùm à permanentia

8 formæ. Et proinde in tali caſu abſque noua conſecratione poſſet refici illa columna: quæ per coniunctionem ad altare manebit conſecrata: quia magis dignum trahit ad ſe minùs dignum, ex l. *Qui religionis ff. De rei vendicat.* & cap. *Quod in dubijs De conſecr. eccleſ. vel altar.* & *Cap. vnico eodem tit. in 6.* Quòd de eccleſia docent communiter, quando per partes parietes interpolatè reparantur; quia pars addita ſe habet per modum acceſſorij, & remanet ſemper eadem eccleſia ex ſex. Cap. *de Fabrica. ver.* Et ideo *iuncta Gloſ. verbo Innouata, de Conſ. Diſt.* 1. Item Gloſ. *in cap. Ligneis. verbo Parietibus de conſecrat. eccleſ. vel altar.* & in Cap. *Propoſuiſti eodem tit. verbo Reconciliari.*

Quanta debeat eſſe fractura menſæ, vt altare deperdat conſecrationem.

Deciſio XLIV.

SVMMARIVM.

1 *Si frangatur, vel remoueatur ſigillum, altare amittit conſecrationem.*
2 *Item ſi menſa enormiter frangatur.*
3 *Quæ ſit enormis fractio ex aliorum ſententia*
4 *Illa eſt enormis fractio, quæ tollit formam altaris.*
5 *Menſa fracta in cornibus, etiam ſi in illis fiat conſecratio, non execratur.*
6 *Si talis ſit fractio, vt altare appareat veluti dirutum, execratur.*
7 *Menſa in duas partes diuiſa, dummodo localiter non ſeparetur, non execratur.*
8 *Secus ſi amba, aut altera tantùm localiter moueatur, etiam ſi quæ manet fixa, poſſit capere Calicem, & Hoſtiam.*

1 PRimo certum eſt deperdere conſecrationem, ſi frangatur, vel amoueatur ſignum, ſeu ſigillum ſepulchri: in quacunque parte altaris huiuſmodi ſigillum repetiatur. Habetur expreſsè in Cap. *Ad hæc de conſecr. Eccleſ. vel altar.* Quod ibi communiter notant Doctores, Abbas antiquus. Butrius. Io. Andr. Anchar. Hoſtienſ. Panor. Barboſa *in Collectan. Ad dictum cap. num.* 1. Viuian. *lib. 3. rational. Iur. Pontif.* Syluester *verbo Altare quæſ.* 8. Rodriquez *in Compen. quæſt. Regul. reſol. 9. de Altari num.* 10.

2 Rurſus conueniunt omnes, quòd amittat conſecrationem, ſi ipſa menſa enormiter fracta fuerit; & traditur in cap. *Quod in dubijs*, & in cap. *Ligneis De conſecrat. Eccleſ. vel alt.* vbi etiam Doctores cum Gloſ. id notant præſertim *num. præcedenti citati.* Difficultas autem eſt quanta debeat eſſe fractura iſta, vt cenſeatur enormis.

3 Aliqui

3 Aliqui cenſent tunc eſſe enormem fracturam, quando apparet deformitas. Quod ſecùndum Hoſtiens: apud Syluest. *verbo Altare quaeſ.* 8. Epiſcopi arbitrio determinandum eſt. Quod etiam docet Rodriquez *num.* 1. *citatus*. Alij, ſi fracta fuerit in cornibus, in quibus ſolet fieri conſecratio, vt refert idem Syluester. Alij, ſi ſit vltra medietatem. Suarez autem *in* 3. *par. tom.* 3. *diſp.* 81. *ſect.* 5. *ver. Tertio additur:* ait: tunc ſolùm deperdere conſecrationem, quando in neutra parte confracti lapidis poteſt commodè Hoſtia, & Calix collocari. Sequitur Fauſtus *lib.* 2. *de Sacrif. Miſſae quaeſ.* 212. Marchin. *de Sacr. ordin. tr.* 3. *de Sacrificio Miſſae cap.* 12. *num.* 2.

4 Exiſtimo autem, poſſe tradi regulam vniuerſalem, Quòd tunc ſolùm fractura ſit enormis, quando deperditur forma altaris; & tunc non ſit enormis, quando remanet. Quando autem permaneat forma altaris, vel deperdatur, morali aeſtimatione penſandum eſt. Ratio eſt, quia remanente forma remanet altare: & pereunte, perit. manente autem altari in ſuo eſſe, non poteſt fractura eſſe enormis, nec perire conſecratio, quae annexa eſt altari, ſeu illi materiae cum forma altaris. Nec poteſt deformitas eſſe nimis: nam cum forma det ſuam ſpecioſitatem alteri, ea ſalua, non poteſt altare eſſe nimium deforme.

5 Hinc fit, non amittere conſecrationem, ſi menſa frangatur in cornibus, etiamſi in ipſis fieri ſoleat conſecratio, dummodo non ſit in ipſis ſigillum ſepulchri; quia licet in ipſis fiat conſecratio, totum tamen altare conſecratur: & ipſis fractis adhuc forma permanere poteſt. Et ita notat Lugo *diſp.* 20 *de Euch ſect.* 2. *n.* 74.

6 Secundo colligitur. Quòd ſi talis ſit fractura, vt altare appareat veluti dirutum, amittit conſecrationem: quia cum eſſe diruto non ſtat forma ipſius.

7 Tertio. Non amittere conſecrationem, ſi menſa in duas partes ſcindatur; dummodò tamen partes non ſeparentur ad inuicem localiter, & adhuc innitantur eidem inferiori ſtructurae; quia tunc adhuc ſalua manet forma altaris: vnde poterit ſciſſura conglutinari aliquo lapideo glutine, quale eſt vulgo *ſtucco*.

8 Si autem menſa ita diuidatur in duas partes, vt loco dimoueantur, etiam ſi partes ſint aequales, aut vna maior altera, & poſſit commodè capere Hoſtiam, & Calicem: aut vna tantùm loco moueatur, & altera fixa maneat: ſi quae loco mouetur excedat quartam partem menſae, amittit conſecrationem; quia tunc cenſetur altare ſemidirutum, & pars menſae, quae manet, non cenſetur ampliùs altare, quod erat, ſed pars ipſius; pars autem non cenſetur moraliter eſſe totum, nec habere formam, quam priùs habebat; licet enim altare non requirat certam formam; quando tamen cum ſpeciali fuit conſecratum, ea ablata, deſinit altare.

An, ſi quis bona fide celebret in altari non conſecrato, aut quod iam amiſit conſecrationem, remaneat conſecratum, ita vt poſſit deinceps in ipſo celebrari.

Deciſio XLV.

SVMMARIVM.

1 *Sententia negatiua.*
2 *Quando Eccleſia praeſcribit aliquam formam, non licet illam omittere.*
3 *Sententia affirmatiua.*
4 *Eadem ſententia affirmatiua tenenda.*
5 *Quid conſecratio, & quinam eius effectus.*
6 *Plus eſt conſecrare facto, quàm caeremonijs.*
7 *Altare ſanctificatur per id, quod in ipſo celebretur.*
8 *Non conſecratum mixtum conſecrato fit ſacrum, & quare.*
9 *Quando forma praeſcripta ab Eccleſia non poſſit praetermitti.*
10 *Licet peccet mala fide celebrans in altari non conſecrato, adhuc tamen manet conſecratum.*

1 QVi id negant de Eccleſia polluta, aut de Calice nondum conſecrato vt praeſertim Facundez *tract.* 1. *de Quinque Eccleſiae praeceptis lib.* 3. *cap.* 21. *num.* 15. Portel. *in dub. Regul. verbo Eccleſia in Addit. num.* 5. Fauſtus *lib.* 2. *de Sacrificio Miſſae quaeſ.* 238. negabunt etiam de altari, quod remaneat conſecratum; cum militet eadem ratio.

2 Et probari poteſt, quia quando Eccleſia praeſcribit aliquam peculiarem formam pro aliquo faciendo, non eſt licitum illam omittere, etiam ſi fiat aliquid plus meritorium, & dignum; vnde cum praeſcribatur ſpecialis forma pro conſecratione altaris, quamuis celebrare ſit magis dignum, non licebit talem formam omittere.

3 Qui verò concedunt de Eccleſia polluta, quòd reconcilietur, ſi quis in ea bona fide celebret, vt Caſtrus *lib.* 2. *de Legib. diſp. penul. cap. vlt.* Sà *Verbo Eccleſ.* Auila *par.* 5. *de Cenſur. diſp.* 7. *dub.* 3. *concluſ.* 1. aut de Calice, vt Diana *par.* 2. *tract.* 14. *de Celebrat. Miſſarum. reſol.* 69. quod videtur etiam approbare Marchin. *de Sacram. ordin. tract.* 3. *de Sacrific. Miſſae par.* 3. *cap.* 13. *num.* 3. concedent etiam ob eamdem rationem de altari.

Digitized by Google

num. 190. Coninch. *de Sacram. quæſ.* 83. *ar.* 3. *dub.* 2. *num.* 241. Angelus *verbo Altare* §. 3. Hugo *in Cap. Nullus de Conſecr. diſt.* 1. Quod tenet etiam Aſtenſ. *apud* Sylueſt. *citatum*. Sed limitat ad altare portatile; & Durand. *lib.* 1. *Rational. cap.* 7. *num.* 23. qui tamen addit, quòd ſi non ponantur reliquiæ, debeat poni Corpus Chriſti in Euchariſtia. Addit Suarez, conſuetudinem tenere, vt fiat conſecratio altaris ſine reliquijs.

4 Hæc poſterior ſententia tenenda eſt; quia non eſt admittendum aliquid tanquam de ſubſtantia conſecrationis, quod non præcipiatur tanquam tale; Nullum autem præceptum habetur de ponendis reliquijs in conſecratione altaris, ita vt ſine ipſis non poſſit fieri conſecratio; nam citat. Cap. *Placuit*, ex quo deſumitur tale præceptum, hoc non præcipit; ſed occurrit abuſui, quod tunc vigebat. Solebant enim paſſim in agris erigi altaria in memoriam Martyrum ob quaſdam inanes reuelationes. hæc autem altaria ibi prohibentur: & ſtatuitur, quòd nulla memoria Martyrum acceptetur, vbi non ſit corpus, aut certæ reliquiæ, aut origo alicuius habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis; quod longe diuerſum eſt à præcepto non conſecrandi altaria ſine reliquijs. Quod vt manifeſtè conſtet, ponam per extenſum ipſum canonem. *Placuit, vt altaria, quæ paſſim per agros, & per villas, tanquam memoriæ Martyrum conſtruuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab eis, qui locis eiſdem præſunt, ſi fieri poteſt, euertantur. Si autem hoc propter tumultus populares non ſinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent: vt qui rectè ſapiunt, nulla ibi ſuperſtitione deuincti teneantur. Et omnino nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, niſi vbi corpus, aut reliquiæ certæ ſunt, aut origo alicuius habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis, fideliſſima origine traditur. Nam quæ per ſomnia, & per inanes quaſi reuelationes quorumlibet hominum, vbicumque conſtituantur altaria, omnino reprobentur.*

5 In Cap. autem *Non oportet*, neque ſimiliter habetur huiuſmodi præceptum: ſed tantùm clericis prohibetur, ne ad monumenta mortuorum in campis erecta portent, aut diſtribuant ſacra miniſteria: & ſolùm præcipit, quòd non celebrent ibi pro defunctis; ſed aut in Eccleſia, aut in Baſilica, vbi Martyrum reliquiæ ſunt depoſitæ. Quod etiam notat Gloſſa. De conſecrando autem altari cum reliquijs nec verbum quidem habet. Hic enim eſt tex. *Non oportet clericos ignauos, & præſumptores ſuper monumenta in campum miniſteria portare, aut diſtribuere ſacramenta; ſed aut in Eccleſia, aut in Baſilica, vbi Martyrum ſunt reliquiæ depoſitæ, ibi pro defunctis oblationes offerri. Nec licet Chriſtianis prandia ad defunctorum ſepulchra deferre, & ſacrificare mortuis.* Baſilica autem, vbi ſunt depoſitæ reliquiæ Martyrum, non eſt altare; & ſi eſſet, ponitur ſub diſiunctione cum Eccleſia. Deinde non dicitur, quòd altare conſecretur cum reliquijs: ſed quod celebretur, vbi ſunt reliquiæ martyrum; quod longè diuerſum eſt.

6 Neque obſtat conſuetudo; tum quia eam negat Suarez *ſupracitatus*: deinde etiam ſi haberet locum, non eſſet obligatiua; tum quia in tanta multitudine altarium non poteſt ſeruari, vt notat idem Suarez; tum quia eſt inducta in honorem martyrum, non pro neceſſitate conſecrationis.

7 Hinc Miſſalia antiqua admonebant, quòd omitteretur illa oratio, *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum hic reliquiæ ſunt* Si in altari non eſſent repoſitæ reliquiæ.

8 Nec item obſtat canon ſeptimus ſeptimæ Synodi Generalis, vbi præcipitur deponi qui templum conſecrauerit ſine Sanctorum reliquijs. quia cum loquatur de Eccleſijs, non debet extendi ad altaria. Imo hodie ceſſauit hoc præceptum etiam quo ad Eccleſias: quia ceſſauit finis; tunc enim præcipiebatur, Eccleſias cum reliquijs ſanctis conſecrari, ob hæreticos illius temporis, qui abſtulerant reliquias ab Eccleſijs.

An licet conſecratio ſit valida, peccet tamen qui ſine reliquijs conſecrat altare.

Deciſio XLVII.

SVMMARIVM.

1 *Conſecrans altare ſine reliquijs ſecundum aliquos peccat.*
2 *Non peccat.*

1 QVòd peccent, videntur ſentire nonnulli ex ijs, quos pro ſecunda ſent. *Deciſ. præced. num.* 3. citauimus, præſertim Hugo.

2 Oppoſitum tamen eſt tenendum cum Suarez 3. *par. tom.* 3. *diſp.* 81. *ſect.* 5. *ver. Tertio additur* circa finem Coninc. *quæſ.* 83. *de Sacram. ar.* 3. *dub.* 2. *num.* 241. Soto *in* 4. *diſt.* 13. *quæſ.* 2. *ar.* 3. §. *Rurſus etiam. ver. Sexto denique, &c.* Cum enim nullum adſit præceptum ponendi reliquias, vt vidimus, & ſolùm ex laudabili conſuetudine ponantur, remanet in libertate conſecrantis ponere, vel non ponere; & proinde ſi non ponantur, non fit contra aliquam obligationem.

An in conſecratione Altaris, quando non ponuntur reliquiæ, debeat poni Corpus Chriſti ſub Euchariſtia.

Deciſio XLVIII.

SVMMARIVM.

1 *Qui doceant in conſecratione altaris ponendũ Corpus Chriſti Euchariſticũ ſi non adſint reliquiæ.*
2 *Non eſt ponendum.*
3 *Vſus Sacramenti Euchariſtiæ.*
4 *Finis conſeruandi Euchariſtiam.*
5 *Euchariſtia non eſt exponenda corruptioni.*
6 *Factum Leonis Papæ.*
7 *Quomodo inualuerit contraria opinio.*
8 *Litteræ Apoſtolicæ circa ponendam Euchariſtiam in conſecratione altaris.*

1 RESp. affirmatiuè Gloſ. *in Cap. Placuit verbo Reliquiæ de Conſecrat. diſt.* 1. Hug. *eadem diſtinct. in Cap. de Fabrica.* Durand. *lib.* 1. *Rational. cap.* 7. *num.* 23. & Archidiacon. *citand.* ait, hanc fuiſſe ſententiam omnium Doctorum antiquorum. Imo aliqui, vt Hug. cenſent ponendum Corpus Chriſti, etiam ſi adſint reliquiæ. Et Hoſtienſ. *citand.* ait hoc innuere Pontificale.

2 Negatiua tamen ſententia tenenda eſt, cum Hoſtienſi *in Sum. de Conſecr. Eccleſ. vel altar.* §. *Et qualiter* 1. *ver. Dicunt etiam*, qui ait Innocent. Papam de hoc conſultum, adhibuiſſe peritos, & reſpondiſſe, non licere. Archidiacon. *in Cap. Placuit de Conſecrat. diſt.* 1. *num.* 2. Turrecrem. *ibid.* Abbas *in Cap. de Conſecr. Eccleſ. vel altar.* Et alij Recent. Canoniſt. in dict. *Cap. Placuit.* Angelus *verbo Altare*, Tabiena *ibid.* Syluester *num.* 4. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 27. *quaſ.* 9. Suarez 3. *par. tom.* 3. *diſp.* 81. *ſect.* 5. *ver. Tertio additur, in fine* Coninch. *quaſ.* 83. *de Sacram. ar.* 3. *dub.* 2. *nu.* 242. Lugo *diſp.* 20. *de Euchar. ſect.* 2. *num.* 75.

3 Ratio eſt, quia peruerteretur vſus Sacramenti; eſt enim ordinatum per modum cibi, vt ſcilicet ſit noſter cibus ſpiritualis: vnde Chriſtus dixit: *Accipite, & edite ex hoc omnes.* vt refertur etiam in Cap. *Panis* 2. *de Conſecrat. diſt.* 2. Et proinde *in Cap. Panis, & Calix, eadem diſtinc.* dicitur alimentum reſurrectionis, non Sacramentum religionis. Et rurſus in Cap. *Tribus gradib. diſt. eadem.* habetur *Tanta in altari holocauſta offerantur, quanta populo ſufficere debent. Quòd ſi remanſerint, in craſtinum non reſeruentur.*

4 Quòd ſi conſeruatur, ſolum conſeruari debet pro infirmis, aut alia de cauſa neceſſaria, ex Cap. *vnico de Conſecrat. Euchar.* & proinde non debet verti in alios vſus; cum debeamus vti rebus, & præſertim Sacramentis, ad vſum deſtinatum.

5 Deinde eſſet exponere manifeſtę corruptioni ipſum Sacramentum, quod eſt contra reuerentiam ipſi debitam.

6 Nec obſtat, quod circumfertur de Leone Papa; quòd dederit partem corporalis, & Euchariſtiam loco reliquiarum pro conſecratione Eccleſiæ: quia hoc non eſt certum; ſi autem certum eſſet, ſequutus fuiſſet opinionem illorum, qui aſſerebant id eſſe faciendum.

7 Exiſtimo ergo, contrariam opinionem inualuiſſe antiquis temporibus ex facto aliquorum, qui non conſiderantes irreuerentiam, quæ fit Sacramento, cum quadam religionis ſpecie, deficientibus reliquijs, vtebantur Corpore Chriſti in conſecratione altaris.

8 Hæc mihi dicenda videntur attendendo ad rationem. Quia tamen poſt hæc ſcripta inueni quaſdas litteras, ſeu quoddam diploma Benedicti VIII. alias IX. ad Marchionem Mantuæ, qui Pontificatum tenuit ab anno MXII. vſque ad annum MXXIV. & refertur ab Auctore Ligni vitæ *par.* 2. *lib.* 3. ſub die 26. Iulij, & à Caſtellino *de Certitudin. Glor. Sanct. in Indice Sanctorum Canonizat.* § 4. quæ incipit *Benedictus Epiſcopus, &c. Requiſiuiſtis iudicium noſtrum.* vbi ſignificatur fuiſſe in vſu ponere Corpus Chriſti in capſula altaris. Requiſierat enim Marchio à Pontifice, an liceret in honorem Simeonis, qui paulò ante deceſſerat, Eccleſiam, & altare erigere. Respondet Pontifex *Si ita conſtat miraculis, vt veſter homo nobis aſſeruit, ædificate Eccleſiam, collocate in ea eumdem. iuxta quod altare conſecrari rogate, in quo reliquiæ antiquorum Sanctorum recondantur cum Sacratiſſimo Corpore Domini Noſtri Ieſu Chriſti; & ſic demum diuina myſteria celebrantes tractate eum vt ſanctum.* Ideo exiſtimo ſi hæ litteræ authenticæ ſunt, fuiſſe antiquitùs conſuetudinem ponendi Corpus Chriſti cum reliquijs Sanctorum in capſula altaris, ad ſignificandum, illos Sanctos conſepultos eſſe cum Chriſto: iuxta illud Roman. 6. *Conſepulti enim ſumus cum illo.* Illa enim capſula altaris ſignificat ſepulchrum Chriſti. Hæc tamen conſuetudo abolita eſt; & ideo hodie non liceret ponere Corpus Chriſti in conſecratione altaris, etiam ſi reliquiæ deficerent. Verum puto poſſe has litteras eſſe fictitias; quia non eſt veriſimile, quòd tam facilè Pontifex ex vnius relatione conceſſerit aliquem coli vt Sanctum. Obnitente conſuetudine Rom. PP. qui non niſi maxima adhibita diligentia, & certitudine euidentiſſimè parta, quemquam inter ſanctos adſcribere conſueuerunt. Quod non ſolùm noſtris, ſed huius quoq; S. Simeonis temporibus, imò longe antiquioribus apparet.

An

Digitized by Google

An in quolibet die etiam non feſto poſſit conſecrari altare.

Deciſio XLIX.

SVMMARIVM.

1 *In qualibet die poteſt conſecrari altare.*
2 *Opus bonum ordinatum in cultum Dei, eſt ſemper licitum, niſi per ius ad certum tempus determinetur.*
3 *An altare poſſit conſecrari in tribus vltimis Ferijs hebdomadæ maioris.*
4 *An conſecrans in illis tribus vltimis Ferijs peccaret.*
5 *An liceat conſecrare altaria in maximis ſolemnitatibus.*

1 RESp. affirmatiuè, argum. ex Cap. *Tua de Conſecrat. Eccleſ. vel altar.* vbi dicitur, quòd in quolibet die poteſt conſecrari Eccleſia, etiam non feſto. Si igitur Eccleſia poteſt conſecrari in die non feſto, multò magis poterit altare. quod etiam notat Gloſ. *in dict. Cap. Tua. ver. Quam priuatis.*

2 Et ratio eſt, Quia opus bonum, & ordinatum in cultum Dei eſt licitum quocumque tempore, niſi per ius poſitiuum determinetur ex rationabili cauſa ad certum tempus. Conſecratio autem altaris eſt operatio bona ordinata ad cultum Dei, & non adeſt aliquod ius poſitiuũ, quod ipsã limitet ad certos dies: vnde fieri poterit quocumq; die etiam non feſto.

3 Solùm dubitari poteſt, an poſſit conſecrari altare etiam in tribus vltimis ferijs hebdomadis maioris. Exiſtimo reſpondendum eſſe negatiuè. Quia licet non adſit expreſſa prohibitio; implicitè tamen prohibetur; quatenus Eccleſia taxatiuè ſe habet in præſcribendis functionibus, & officio illorum dierum; vnde ex vi taxationis excluduntur omnia alia, quæ non ſunt neceſſaria. Hinc transferuntur omnes ſolemnitates, & functiones eccleſiaſticæ.

4 An autem peccaret qui conſecraret in illis diebus. Puto quòd mortaliter peccaret; quia in re graui faceret contra prohibitionem eccleſiæ. Vt enim aliquid illicitum ſit, ſufficit, quòd ſit virtualiter prohibitum, præſertim ſi conſuetudo, & communis ſenſus illud accipiat ac ſit prohibitum: vt contingit in caſu noſtro; nam quilibet peritus interrogatus, an liceat conſecrare in illis diebus, reſponderet; Non eſſe licitum.

5 Rurſus exiſtimo non eſſe licitam talem conſecrationem in maximis ſolemnitatibus, nempe Paſchatis, Pentecoſtes, ipſo primo die Natalis Domini, & Epiphaniæ. quia licet non adſit aliqua prohibitio expreſſa, magnitudo tamen ſolemnitatis exigit vt ſoli ipſi Eccleſia incumbat, nec abſque neceſſitate aliud admittat; & conſuetudo ita hanc exigentiam interpretatur; nam cœtera differri ſolent in alium diem.

De Altari portatili.

An altare portatile conſtare poſſit ex duobus lapidibus, vel ſeparabilibus, vel qui claudi poſſint, & aperiri ad inſtar libri.

Deciſio L.

SVMMARIVM.

1 *Quot modis fieri poſſit altare portatile ex duobus lapidibus.*
2 *Altare portatile non poteſt conſtare ex duobus lapidibus, ex aliquorum ſententia.*
3 *Altare portatile conſtare poteſt ex duobus lapidibus.*
4 *Et qui claudi, & aperiri poſſint ad inſtar libri.*
5 *Qui etiam inter ſeipſos coniungantur immediatè.*
6 *Qui etiam coniungantur amouibiliter.*
7 *Conſuetudo faciendi altare portatile ex vno tantùm lapide, non obligat.*
8 *Pluralitas lapidum in altari portatili non eſt contra myſterium.*

1 DIuerſimodè poteſt altare portatile conſtare ex duobus lapidibus. Vel ſi illi duo lapides inſerantur duobus lignis, quæ ſe habeant ad inſtar libri, & poſſint claudi, & aperiri. Secundò. Si lapides ita inuicem aliquo nexu coniungantur, vt nexus ſit in ipſis lapidibus, & poſſint claudi, & aperiri. Tertiò. Si lapides ita vniantur, vt tamen poſſint ad libitum ſeparari abſque aliqua fractura. Quod variè excogitari poteſt. Aut etiam aliquo alio modo, quem humanum ingenium poteſt adinuenire.

2 Negatiuè reſpondent Sylueſter, ſecluſa licentia Summi Pontificis *verbo Altare quaſ.* 3. Vaſquez *3. par. diſp.* 233. *num.* 16. Facundez *lib. 3. de 1. Præcept. Eccleſ. cap.* 22. *num.* 9. Lugo *diſp.* 20. *de Euchar. ſect.* 2. *num.* 67. *in fine*, quia eſt contra conſuetudinem Eccleſiæ. Secundò. Quia eſt contra myſterium; nam altare ſignificat Chriſtum, in quo non eſt niſi vna perſona; vnde ſi in altari eſſent duo lapides, ſignificarent duplicem perſonam; & ideo ſi in vno lapide conſecraretur Hoſtia, & in alio Calix, idem eſſet, ac ſi in vna Eccleſia conſecraretur corpus, & in alia ſanguis.

3 Sed affirmatiuam ſententiam exiſtimo probabiliorem; Quia vnitas, quæ requiritur in altari, non eſt neceſſe quòd ſit vnitas naturalis lapidis; ſed ſufficit quòd ſit vnitas artificialis, & quòd moraliter cenſeatur vnum; quia altare eſt quid artificiatum; Vnde nō requirit aliam vnitatem, quàm artificialem; Saluatur autem vnitas artificialis etiam ſi conſtet ex duobus lapidibus quocumque modo ad inuicem connexis; nam connexio facit, quòd ſe habeant per modum vnius. Et cum nulla adſit prohibitio, non eſt cenſendum illicitum: quia in ijs, quæ natura ſua mala non ſunt, non eſt illicitum, niſi quod eſt prohibitum.

4 Hinc fit, quòd poſſit altare portatile confici ex duobus lapidibus inſertis in duabus tabulis ligneis, quæ claudi, & aperiri poſſint inſtar libri: ſi tamen, quando aperiuntur, remaneant lapides contigui; quia tunc lapides illi coniunguntur in capſula lignea: quod ſufficit, vt ſe habeant per modum vnius, & conſtituant vnicum altare.

5 Secundò. Quòd poſſit fieri altare portatile ex duobus lapidibus, qui coniungantur per ſeipſos aliquo nexu, ſiue ferreo, ſiue ex alia materia, & poſſint complicari, & aperiri ad inſtar libri: quia ſimiliter ſunt vnum altare, cum habeant vnitatem ratione coniunctionis.

6 Tertiò. Quòd poſſit confici altare ex duobus lapidibus, qui ita coniungantur, vt poſſint inuicem ſeparari ad libitum. Ratio eſt, quia adhuc ratione coniunctionis ſunt vnum, nec amittunt per ſeparationem conſecrationem: quia altare conſecratur cum illa mobilitate, & ſeparabilitate partium, quæ includitur in ipſa forma altaris; Sic etiam calix poteſt conſtare ex duplici parte, ſuperiori, & inferiori: ita vt vna ſit ſeparabilis ab alia, & coniungantur opere tornatili, aut aliquo alio modo: nec tamen per hoc tollitur, quin ſit vnus.

7 Ad primum in oppoſitum Reſp. Non obſtare conſuetudinem conficiēdi altare portatile ex vnico tantum lapide; quia non eſt conſuetudo obligatiua. Nec ſemper facere contra conſuetudinem eſt illicitum: ſed tunc ſolùm, quando conſuetudo habet vim legis: ſecùs autem quando eſt mera conſuetudo, qualis eſt iſta; non enim eſt fundata in aliquo dictamine rationis, quòd ſit neceſſarium ita facere. In tantùm enim poſſet fundari in ipſo, in quantùm ratio dictat, quòd altare debet eſſe vnum; atque adeo in conſtructione ipſius debet vnitas ſeruari; ſeruatur autem, etiam ſi lapides ſint plures; nam ratione coniunctionis ſunt vnum.

8 Ad ſecundum. Non eſſe contra myſterium; quia cum adhuc altare ſit vnum, etiam ſi lapides ſint plures, adhuc ſignificat Chriſtum, vt vnam perſonam; Non enim oportet, vt in ſignificatiuo ſit illa vnitas, quæ eſt in ſignificato; ſed ſufficit, quòd ſignificatiuum ſit vnum in ſignificando; quod erit cum quacumque vnitate in eſſe materiali. Sic baptiſmus ſignificat ſepulturam Chriſti; & tamen apud Orientales ter ſolet immergi in aqua, qui baptizatur; cum tamen Chriſtus ſemel tantùm ſepultus fuerit. Vnde falſum eſt, quòd ſint duo altaria, & quòd idem ſit, ac ſi conſecraretur Corpus Chriſti in vna Eccleſia, & in alia ſanguis.

An altare portatile amittat conſecrationem ſi lapis remoueatur à ligno, ſeu capſula, cui eſt affixus.

Deciſio LI.

SVMMARIVM.

1 *Altare portatile amittit conſecrationem, ſi tollatur ſigillum, aut enormiter frangatur.*
2 *Quando amittat, dum lapis remouetur à capſula.*
3 *Amittit ſecùndum aliquos ſi lapis remoueatur à capſula, etiam ſi ſigillum ſit in ſolo lapide.*
4 *Horum fundamentum.*
5 *Remotio lapidis à capſula non tollit conſecrationem altaris portatilis.*
6 *Execratio altaris non eſt aſſerenda, niſi quando ponitur à iure.*
7 *Pars lignea non eſt pars altaris.*
8 *Licet lapis conſecretur vt affixus ligno, non tamen conſecratur lignum, etiam ſi lapis non poſſit capere Hoſtiam, & Calicem.*

1 ALtare portatile amittit conſecrationem, quando aut mouetur, vel frangitur ſigillum, ſeu ſepulcrum; aut quando ipſum enormiter frangitur, ita vt amittat formam; vt eſſet, ſi non poſſet, quod ſupereſt commodè capere Hoſtiam, & Calicem. Ita tradunt communiter Syluester *verbo Altare quaſ.* 8. *in fine* Azor. *par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quaſ.* 10. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 28. §. 1. Reginal. *lib.* 29. *Fori Pænit. num.* 192. Vgolin. *de Offic. Epiſc. cap.* 30. *num.* 4. Fuſcus *de Viſit. lib.* 1. *cap.* 22. *nu.* 3. Miranda *tom.* 2. *Manual. prælat. quaſ.* 39. *ar.* 3. *concluſ.* 2. Barboſa *lib.* 2. *de Vniuer. Iure Eccleſ. cap.* 7. *num.* 20. Lugo *diſp.* 20. *de Euchar. ſect.* 2. *num.* 67. & alij præſertim infra citandi.

2 Secundò amittit conſecrationem, ſi lapis remoueatur à ligno, quando ſepulchrum non eſt in lapide, ſed in ligno. Ita omnes citati, & citandi, & ſpecialiter Io. Andr. *in Cap. Ligneis*

gneis de Conſecratione Eccleſiæ, vel altaris.

3 Difficultas autem eſt, An quādo ſepulchrum non eſt in ligno, ſed in lapide. Affirmatiuè reſpondent Pauor. *in Cap. Ligneis de Conſecrat. Eccleſ. vel altar.* Aſtenſ. *lib. 4. Sum. tit. 14. ar. 4.* Palud. *in 4. diſt. 13. quaſ. 2. ar. 4.* Durand. *lib. 1. Rational. cap. 25.* citans Iuonem *epiſt. 32. & epiſt. 128.* Et Summa Angelica *verbo Altare*, cum hac tamen limitatione: quando ſcilicet lapis eſt ita paruus, vt non poſſit capere commodè Calicem cum Hoſtia eo modo, quo debent poni ſuper ipſum ad celebrādum.

4 Mouentur, quia lapis non conſecratur, niſi vt affixus alicui tabulæ, in qua eſt vt in proprio loco; vnde hoc altare accipit formam à ligno, & remoto lapide à ligno, perit forma altaris.

5 Negatiua tamen ſententia habet fundamentum longè melius; & ea omnino tenenda eſt cum Abbate *in Cap. Ligneis de Conſecrat. Eccleſ. vel altar.* Io. Andrea *ibid.* Syluestro *verbo Altare quaſ. 9.* Tabiena §. 5. Azor. *tom. 1. lib. 10. cap. 27. quaſ. 12.* Suarez *3. par. tom. 3. diſp. 81. ſect. 5. ver. Tertio additur.* Villalobos *1. par. Sum. tract. 8. difficul. 25. num. 3. & 4.* Lugo *diſp. 20. de Euchar. ſect. 2. num. 70.* Hieronym. Rodriquez *in Compend. Quaſ. Regul. reſol. 9. num. 10.*

6 Ratio eſt, quia execratio altaris eſt de iure poſitiuo; vnde non eſt aſſerenda, quando ius ipſam non tradit; nullum autem ius tradit, quòd altare portatile execretur, quando lapis remouetur à ligno, ſeu capſula.

7 Deinde, apertè colligitur ex iure poſitiuo, non execrari. Quia ex Cap. *Altaria de Conſecrat. diſt. 1.* habetur, quòd altaria non poſſunt conſtare ex ligno; vnde in altari portatili pars lignea non eſt pars illius altaris: atque adeo remoto lapide à ligno, non tollitur aliquid, quod ſit de ſubſtantia altaris; vnde etiam quando conſecratur, ſolus lapis conſecratur: ita vt tota conſecratio ſit in ipſo.

8 Hinc patet ad rationem oppoſitæ ſententiæ; Quia licet lapis conſecretur vt affixus ligno: non tamen lignum conſecratur, cum non ſit pars altaris; & ideo, remoto lapide à ligno, non perit forma altaris. Quòd ſi lapis ſit adeo paruus, vt ſeorſim à ligno non poſſit commodè capere Hoſtiam, & Calicem: adhuc ſolus lapis conſecrabitur, quia lignum non eſt capax: & remotus à ligno retinebit conſecrationem. Peccaret tamen, ſi quis in ipſo celebraret; quia non erit altare aptum ad recipiendum ſacrificium.

An altare portatile amittat conſecrationem, ſi frangatur in quatuor cornibus in quibus conſecratur.

Deciſio LII.

SVMMARIVM.

1 *Altare portatile, ſi frangatur in quatuor cornibus, amittit conſecrationem, ſecundum aliquos.*
2 *Non amittit.*
3 *In conſecratione altaris totus lapis conſecratur, vnde manet conſecratus, quādiu poteſt inſeruire*

1 VEteres Canoniſtæ tradiderunt affirmatiuam ſententiam in Cap. *Ad hac*, & in Cap. *Quod in dubijs de Conſecrat. Eccleſ. vel altar.* quia cenſebant talem fracturam eſſe enormem: eo quòd eſſet in illis partibus, in quibus fit conſecratio. Quos ſequitur Barboſa *lib. 2. de Vniuer. iure Eccleſ. cap. 7. nu. 20.* Bonacina *diſp. 4. de Euchar. quaſ. vlt. punc. 9. nu. 15.*

2 Sed negatiuè reſpondendum eſt cum Suarez *3. par. tom. 3. diſp. 81. ſect. 5. ver. Tertio additur.* Porrel. *in Dub. Reg. verbo Altare num. 4.* dummodò tamen lapis, qui remanet, ſit tantæ quantitatis, vt poſſit commodè capere Calicem, & Hoſtiam.

3 Ratio eſt, Quia in conſecratione totus lapis conſecratur, quamuis vnctiones fiant tantùm in angulis; vnde tàm vna pars, quàm alia eodem modo manet conſecrata. Item, hoc altare non requirit certam formam, ſed ſolùm quòd lapis ſit planus, ita vt poſſit capere Calicem, & Hoſtiam; ſi igitur frangatur in cornibus, adhuc lapis ille erit ſacer: & cum poſſit capere Calicem & Hoſtiam, poterit adhiberi in vſu ſacrificij.

An Regulares miſſionarij poſſint vti altari portatili in quolibet loco decenti.

Deciſio LIII.

SVMMARIVM.

1 *Regulares miſſionarij poſſunt vti altari portatili in quolibet decenti loco.*
2 *Erga Regulares miſſionarios ceſſat Epiſcoporum authoritas; nec poſſunt eos impedire, ne celebrēt in quolibet decenti loco in altari portatili.*

1 REſp. affirmatiuè cum Pereg. *in Compend. Priuileg. Cler. Reg. par. 1. Tit. Miſſa §. 2.* Hiero-

Hieronymo Rodtiquez *in Compend. Quæſ. Regul. reſolut. 9. num. 5.* Facundez *de Præcep. Eccleſ. par. 1. lib. 3. cap. 13. num. 17.* Portel. *in Dub Reg. verbo Altare num. 1.* Peirin. *tom. 1. Priuileg. Minimor. in Conſtit. Pyrrhi num. 28.* Leſana *par. 1. Quæſ. Reg. cap. 21. num. 14.* Vnde poſſunt vti in caſtris militum, in publicis vijs, plateis, &c. dummodò tamen locus ſit tutus, nec adſit vllum periculum irreuerentiæ. Id autem valet quò ad Regulares, qui participant priuilegia aliorum Regularium: id enim conceſſum fuit à Paulo III. Societati Ieſu 15. Kal. Nouemb. 1549. & innouatum à Gregor. XIII. non obſtante Concil. Trident. *ſeß. 22. Decret. de Obſeruandis, & vitandis in celebrat. Miſſæ* anno ſui Pontificat. octauo, die prima Octobris anno 1579. ſpeciali Diplomate, quod incipit *Vſus Altaris viatici* Refertur in Compend. *Priuileg. Societ. Ieſu tit. Altare.* Intelligi autem debet de Regularib. communicantibus in priuilegijs. Oppoſitum tamen ſentit Suarez *3. par. tom. 3. diſp. 81. ſect. 3. ver. Quarta exceptio.* ſed nullo fundamento.

2 Ex quo fit, quòd in ordine ad hoc ceſſet auctoritas Epiſcoporum, quam habent ex Decreto Concil. Trident. *ſeſſ. 22. de Obſeruandis, & vitand. in celebratione Miſſæ,* quo tribuitur facultas impediendi regulares, ne celebrent in altari portatili; cum enim Pontifex tali decreto deroget in ordine ad miſſionarios, ceſſat etiam auctoritas collata per Decretum.

An per Decretum Trident. de obſer. & vitand. in celebrat Miſſæ, quod habetur ſeſſ. 22. reuocentur priuilegia Regularium celebrandi in altari portatili in quocumque decenti loco.

Deciſio LIV.

SVMMARIVM.

1 *Qui doceant per Trident. reuocari priuilegia Regularium celebrandi in quocumq; decenti loco.*
2 *Priuilegium Gregorij XIII. conceſſum Societati Ieſu.*
3 *Alij docent non reuocari dicta priuilegia, & an probabiliùs.*
4 *Epiſcopi poſſunt prohibere Regularibus ne celebrent in quocumque decenti loco.*
5 *Nec poſſunt Regulares in virtute priuilegiorum contradicere Epiſcopis.*
6 *Priuilegia reuocata intuitu legis, cenſentur reuocata ſolùm vt impediunt legem.*
7 *Epiſcopi vt delegati Sedis Apoſt. ſubijciunt ſibi regulares in eo ſolùm, in quo ſunt delegati.*
8 *Quid præſtet priuileg. Gregor. XIII. celebrandi in quocumq; decenti loco conceſſum miſſionarijs.*

1 Affirmatiuè Reſp. Nauar. *in Manual. cap. 25. num. 82. in fine.* Azor. *tom. 1. lib. 10. cap. 26. quæſ. 7.* Henriquez *lib. 9. de Miſſa cap. 27. num. 2. in fine.* Suarez *3. par. tom. 3. diſp. 81. ſect. 3. ver. Quarta exceptio* Tabiena *verbo Miſſa §. 7.* Facundez *de quinq; præceptis Eccleſ. par. 1. lib. 3. cap. 13. nu. 16.* Beca. *par. 4. Reſp. caſ. conſcient. caſu 33. ver. Et quamuis* Chameſota *dub. 15. de Euchar.* Barboſa *de Off. & poteſt. epiſ. par. 2. Allegat. 23. num. 4.* Fauſtus *de Euchar. lib. 2. de Sacrif. Miſſæ quæſ. 171.* Leſana *par. 1. Quæſt. Regul cap. 21. nu. 14.* Coninch. *de Sacram. quæſ. 83. ar. 3. dub. 1. num. 226.* Durant. *de Ritib. Eccleſ. lib. 2. cap. 6. num. 8.* Peregrin *in Compend. priuileg. Cler. Regul. par. 1. tit. Miſſa §. 2.* Quia citato loco Concil. Trid. in fine Decreti ponitur clauſula *Non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs.* In eo autem Decreto conſtituuntur Epiſcopi Delegati Sedis Apoſtolicæ ad corrigendos abuſus in celebratione Miſſarum; & ſpecialiter decernitur, ne patiantur, quòd tam ſeculares, quàm Regulares celebrent in priuatis domibus, aut extra Eccleſiam.

2 Deinde Gregor. XIII. conceſſit Societati Ieſu, quòd poſſint miſſionarij ipſius in quocumque decenti loco celebrare cum altari portatili; non fuiſſet autem neceſſaria talis conceſſio, ſi priuilegia Regularium non eſſent reuocata per Trident. vnde Pontifex ipſi ſpecialiter derogat; quæ derogatio item ſuperflua fuiſſet, ſi Concil. non derogaret priuilegijs.

3 Negatiuam tamen ſententiam tradunt Rodriquez *tom. 1. Quæſ. Reg. quæſ. 43. ar. 5. & tom. 3. Sum. cap. 19. num. 3.* Ledeſma *1. par. Sum. cap. 20. de Euchar. difficul. 4. circa concluſ. 2. ver. Eſto ſuppoſito.* qui ait, ita etiam alios viros doctos ſentire, & ſpecialiter citat Medinam Io: à Cruce *lib. 2. de Priuileg. Reg. cap. 5. dub. 7. poſt concluſ. 4. ver. Si obijcias Decretum.* Hieronym. Rodriquez *in Compen. Quæſ. Reg. reſol. 9. num. 4.* Lugo *diſp. 20. de Euchar. ſect. 2. num. 51.* Portel *in Dubijs Regul. verbo Altare num. 1.* Marchin. *de Sacram. ordin. tract. 3. par. 3. cap. 9. num. 12.* Aſſerentes, nunc quoque poſſe Regulares vti altari portatili in quolibet decenti loco, niſi ab Epiſcopis prohibeantur: & tunc ſolùm non poſſe, quando prohibentur.

4 Et hanc ſententiam exiſtimo probabiliorem; Quia Decretum Concil. Tridnt. non eſt prohibitiuum actus, ſed conceſſiuum facultatis prohibendi; & dirigitur tantùm ad Epiſcopos, quos delegat vice Sedis Apoſtolicæ ad exercen-

Digitized by Google

exercendum actum prohibitionis etiam contra Regulares; Ergo poſſint Regulares id, quod antea poterant, quouſque ab Epiſcopis prohibeantur; cum ante talem prohibitionem nulla alia ſit prohibitio, ſed tantùm facultas prohibendi. Vnde non rectè Barboſa *citat.* ait, hoc fundamentum eſſe friuolum; nam licet prohibeat Tridentinum, ne patiantur, Regulares extra Eccleſiam celebrare, quamuis de hoc habeant priuilegia, non tollit directè priuilegia, ſed dat facultatem Epiſcopis prohibendi etiam contra priuilegia, & impediendi vſum ipſorum.

5 Hinc reuocatio priuilegiorum facta à Tridentino eſt tantùm in ordine ad efficaciam facultatis conceſſæ Epiſcopis; itaut non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs, quibus gaudent Regulares, poſſint Epiſcopi eos prohibere; nec poſſint Regulares virtute priuilegiorum contradicere, aut ſe in hoc ſubtrahere poteſtati Epiſcoporum. Et proinde non eſt abſoluta reuocatio priuilegiorum, ſed tan-
6 tùm pro effectu dictæ facultatis. Quando enim ſancitur aliqua lex, & reuocantur priuilegia contemplatione legis; reuocantur ſolùm, quatenus contraria ſunt executioni eiuſdem legis; quia reuocantur ſecùndum menſuram exigentiæ legis; atque adeo quatenus ſolùm poſſunt impedire obſeruantiam legis; de cætero autem manent in ſuo robore. Hinc priuilegia celebrandi in altari portatili in quocumque decenti loco manent in ſuo robore; & ſolùm ſunt reuocata in caſu, in quo Epiſcopus prohibeat: quia tunc non ſuffragantur; cum non ſuffragentur contra facultatem conceſſam Epiſcopis,

7 Quod etiam ex eo patet, quia per dictum Decretum Trident. quò ad hoc priuilegium exemptionis non ſuffragatur Regularibus contra Epiſcopos; vnde eſt ipſi derogatum; non tamen abſolutè eſt derogatum, ſed ſolùm quatenus impedire poteſt, ne prohibitio facta ab Epiſcopis habeat effectum. Idem autem dicendum eſt de priuilegijs celebrandi in altari portatili in quocumque decenti loco. Et per hæc ſolutum eſt, quod adducitur *nu.* 1.

8 Nec obſtat, quod adducitur *num.* 2. Illud enim priuilegium Gregor. XIII. facit, quòd miſſionarij non poſſint prohiberi ab Epiſcopis, ne celebrent in quocumque decenti loco cum altari portatili, ſicut poſſunt prohibere cæteros: vnde priuilegium non eſt fruſtratorium: & in hoc derogat Concil. Trident.

An vſus altaris portatilis ſit licitus Epiſcopis.

Deciſio LV.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopi vti poſſunt altari portatili.*
2 *Tridentinum, quò ad hoc, non innouat aliquid.*
3 *Epiſcopus poteſt deputare Capellam in proprio Palatio, in qua poſſit celebrari.*
4 *In quibus domibus Trident. prohibeat Capellas, ſeu oratoria, in quibus celebretur.*
5 *Tridentinum non prohibet Epiſcopis ne celebrent in propria domo, ſed quòd non ſinant alios celebrare in priuatis domibus.*

1 RESp. affirmatiuè ex Cap. *Quoniam Epiſcopi de Priuileg. in 6.* Debet tamen, vt ex eodem tex. colligitur, fundari talis vſus in aliqua rationabili cauſa; quia ſupponit Pontifex, quòd non poſſint commodè Eccleſiam adire. Et hoc habet locum non ſolùm quando ipſe Epiſcopus celebrat, ſed etiam quando coram ſe facit celebrare.

2 Neque Tridentinum *ſeſſ.* 22. *Decreto de Obſeruan. & vitand. in celebrat. Miſſæ.* circa hoc aliquid innouat, aut derogat priuilegio. Vt notant Angelus *verbo Epiſcopus num.* 21. Armilla *num.* 22. Rodriquez *in Quaſ. Reg. tom.* 1. *quaſ.* 28. *ar.* 3. & *tom.* 4. *Sum. cap.* 51. *num.* 18. Nauar. *conſil.* 16. *de Priuileg. num.* 22. Vgolin. *de Officio Epiſc. par.* 2. *cap.* 2. *nu.* 4. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quaſ.* 4. aſſerens ſacram Congregationem ita declaraſſe anno 1586. Coninch. *quaſ.* 83. *de Sacram. ar.* 3. *dub.* 1. *num.* 224. Vaſqoez 3. *par. diſp.* 233. *num.* 7. Facundez *in Præcep. Eccleſ. par.* 1. *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 19. Beia *par.* 4. *Caſuum Conſcient. caſu* 33. Fauſtus *de Eucharis. lib.* 2. *de Sacrif. Miſſæ. quaſ.* 177. *ver. Habent etiam.* Alzedo *de Præeminent. Epiſcopi par.* 1. *cap.* 13. *num.* 3. Hieronym. Rodriquez *in Compen. Quaſ. Regul. reſol.* 9. *num.* 4. Marchin. *de Sacram. Ordin. par.* 3. *tract.* 3. *cap.* 9. *num.* 11. Lugo *diſp.* 20. *de Euchar ſect.* 9. *nu.* 49. Tridentinum namque ſolùm intendit tollere abuſus; reſpectu autem Epiſcoporum non eſt abuſus talis vſus. Deinde cum hoc priuilegium Epiſcoporum ſit inſertum in Corpore Iuris, debuiſſet de ipſo fieri ſpecialis mentio, vt reuocaretur.

3 Imò poteſt Epiſcopus deputare Capellam in proprio Palatio, vbi celebret, vel celebrare faciat ad libitum; quia prohibentur tantùm oratoria priuatarum domorum à Trident. & Paulo V. vt inter alios notant Lugo, & Marchin. *citati.* Palatium autem Epiſcopi non eſt priuata domus. Quod præſertim verum eſt ſi

ita erigat oratorium, vt ſe habeat ad modum publici cum titulo alicuius Sancti.

4 Nec poteſt dici; quòd Tridentinum loquatur de priuatis domibus, prout contra diſtinguuntur à publicis locis deputatis publico cultui diuino: quia loquitur de priuatis domibus, in quibus ſæculares habitant. Alia eſt enim ratio de Palatio Epiſcopali, quod non compræhenditur nomine priuatæ domus, ob priuilegia, quibus gaudet; vt ſpecialiter eſt priuilegium immunitatis ex Cap. *Id conſtituimus 17. quæſt. 4.*

5 Deinde Tridentinum non præcipit Epiſcopis, quòd non celebrent in ſua domo, aut non faciant coram ſe celebrare iuxta priuilegium, quod habent; ſed quòd non patiantur celebrari. Quod idem eſt, ac ſi diceret; quòd non ſinant alios celebrare in priuatis domibus.

An Epiſcopi extra propriam Diœceſim vti poſſint altari portatili, aut coram ſe facere in ipſo celebrare, abſque licentia Ordinarij loci illius.

Deciſio LVI.

SVMMARIVM.

1 *Secundum aliquos non poſſunt Epiſcopi extra Diœceſim vti altari portatili.*

2 *Secundum alios poſſunt vti; & an hoc ſit probabilius.*

3 *Tridentinum non prohibet Epiſcopis, ne celebrent in altari portatili.*

4 *Quò ad vſum altaris portatilis Epiſcopus extra propriam Diœceſim non ſubijcitur alteri Epiſcopo.*

5 *Priuilegium, quo Epiſcopi poſſunt celebrare in altari portatili, non eſt reuocatum à Trident. vbi priuilegia inſerta in Iure non reuocantur niſi fiat ſpecialis mentio.*

6 *Trident. tollit abuſus celebrandi in priuatis domibus.*

1 RESp. negatiuè Nauar. *lib. 5. conſil. 16. de Priuil. num. 1. ver. Secundo quod verius.* loquendo tamen in loco, in quo receptum eſt Concil. Trident. & ſequitur Sà *ver. Epiſcopus. num. 24.* Beia *par. 4. caſu 33.* quod tamen limitat, quando Epiſcopus permanenter moratur in aliena Diœceſi. Fundatur in Concil. Trident. *ſeſſ. 22. in Decreto de Obſeruand. & vitand. in celebrat. Miſſæ*, in quo quilibet Epiſcopus in propria Diœceſi conſtituitur Delegatus Apoſtolicæ Sedis, quò ad corrigenda ea, quę ſunt contra decentiam celebrationis; quorum vnum cenſetur ab ipſo Concil. celebrare extra loca deputata; vnde ſi hoc prohibuit Epiſcopus, vt ſemper cenſetur prohibitum in executionem Tridentini, non poterit alius Epiſcopus ſine licentia ipſius vti altari portatili.

2 Oppoſitum tamen tradunt Azor. *tom. 1. lib. 10. cap. 26. quæſt. 4.* Vgolin. *lib. 1. de Offic. & poteſt. Epiſcopi par. 1. cap. 2. §. 2. num. 4.* Rodriquez *tom. 1. Quæſt. Regul. quæſ. 28. ar. 3.* Portel. *par. 5. Reſponſ. Regul. caſu 20. num. 7.* Mandoſ. *de Signat. Gratia tit. de Altari portat.* Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcopi par. 2. allegat. 23.* Alzedo *de Præcellent. Epiſcop. dignit. par. 1. cap. 13. de Celebrat. Miſſar. num. 6.* qui etiam citat Leyuam *lib. 4 Exam. Epiſcop. cap. 17. num. 14.* limitantem tamen doctrinam, dummodò non ſit in vrbe Roma. Diana *par. 4. tract. 4. reſol. 15.*

3 Et hæc ſententia tenenda eſt; Quia Concil. Tridentinum non prohibet Epiſcopis, quòd celebrent in altari portatili: ſed quòd non permittant celebrari ſiue à ſæcularibus, ſiue à Regularibus; nec item quòd vnus Epiſcopus non permittat celebrari ab alio Epiſcopo, quando exiſtit in ſua Diœceſi. Non enim Epiſcopi veniunt nomine ſæcularium ob dignitatem, qua præcellunt; & proinde debuiſſent ſpecialiter nominari, ſi eos comprahendere voluiſſet.

4 Deinde Tridentinum, quia voluit, quò ad hoc, ſubijcere Regulares Epiſcopo, eos ſpecialiter nominauit, quia cum ſint exempti, quamuis fuiſſet conſtitutus delegatus pro Sede Apoſtolica, delegatio ſe extendiſſet tantùm ad non exemptos, & non ad ipſos. Cum igitur Epiſcopi quoque ſint exempti, nec ſubijciantur alteri Epiſcopo, debuiſſent ſpecialiter nominari, ſi voluiſſet Tridentinum eos, quò ad hoc, ſubijcere.

5 Præterea. Priuilegium Epiſcoporum celebrandi in altari portatili, abſolutè, atq; adeo tam in propria, quàm in aliena Diœceſi, eſt inſertum in Corpore Iuris: nempe Cap *fin. de Priuileg. in 6.* vnde habet vim legis ſtatuentis quod conuenit Epiſcopis ratione ſtatus, & dignitatis; & Decretum Tridentini poteſt habere ſuum effectum abſque derogatione huius priuilegij. Vnde cum de ipſo non fiat ſpecialis mentio, non cenſetur derogatum: iuxta regulam: Quòd priuilegia inſerta in Corpore Iuris non derogantur, niſi de ipſis fiat expreſſa mentio; vt docent communiter DD. præſertim in Auth. *Quo. ver. Omni priuilegio. C. Vbi de crimine agi oportet.* Felin. *in cap. 1. num. 12.* & *in Cap. Non nulli num. 9.* & *26. de Reſcriptis in 6.* Iaſon *leg. 1. num. 16. de Conſtit.* Loter. *tom. 1. de Re benef. quæſt. 7. num. 26.* Suarez 8. *de Legib. cap. 38. num. 12.* Miranda

tom. 1.

tom. 1. *Manual. quaſ.* 45. *ar.* 6. Palaus *par.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 4. *de Priuileg. puncto* 2. §. 4. *nu.* 5. Ruyn. *conſil.* 228. *num.* 13. *vol.* 1. Et habetur ex l. *Eius militis* §. *Militia de Teſt. milit.*

6 Denique attendendo etiam mentem Concil. Tridentini, & finem, ita tenendum eſt; quia voluit tantùm tollere abuſus celebrandi in priuatis domibus; nullus autem abuſus ſequitur ex eo, quòd Epiſcopi in aliena Diœceſi celebrent, vel coram ſe celebrare faciant in altari portatili; vnde ablatio priuilegij ipſorum eſt extra menſuram finis Concilij, & proinde non eſt admittenda. Hinc Azor. dicto *lib.* 10. *cap.* 26. *quaſ.* 4. refert. Sacram Congregat. anno 1586. declaraſſe, non eſſe per Trident. ſublatum priuilegium Epiſcoporum celebrandi in portatili altari.

De auocatione cauſarum apud Regulares.

An Generalis Regularium poſſit ad ſe aduocare cauſas pendentes coram iudicibus inferioribus ordinarijs eorumdem Regularium.

Deciſio LVII.

SVMMARIVM.

1 *Metropolitani non poſſunt ad ſe auocare cauſas pendentes coram Ordinarijs.*
2 *Generalis Regularium æquiparatur Archiepiſcopo.*
3 *Generales poſſunt auocare ad ſe cauſas pendentes coram inferioribus prælatis.*
4 *Archiepiſcopi non habent, ſecluſa appellatione, iuriſdictionem in ſubditos ſuffraganeorum.*
5 *Generalis habet immediatam iuriſdictionem in ſubditos Prælatorum inferiorum.*
6 *Omne ius inferioris Prælati ſubijcitur iuri Generalis.*
7 *Voluntas Prælati inferioris contra voluntatem ſuperioris apud Regulares non poteſt eſſe iuſta, aut efficax.*
8 *Prælatus ſuperior Regularis poteſt limitare iuriſdictionem inferioris.*
9 *Niſi per conſtitutiones Religionis aliter decernatur.*
10 *Specialis iuriſdictio Prælatorum inferiorum ſubordinatur Generali.*

1 NEgatiuè reſpond. ſupra hoc conſultus doctiſſimus Ronconius in Romana Curia celebris Aduocatus, & modo Vicedatarius, ductus ex eo, quòd Metropolitani, Archiepiſcopi, Patriarchæ, & alij ſuperiores non poſſunt cauſas in Ordinariorum curijs pendentes, aut aliorum iudicum ad ſe auocare, vt tradit Couarun. latè *cap.* 9. *Pract. Quaſ. num.* 2. quia ſolùm ratione appellationis poſſunt ad ipſos pertinere. Cap. *Romana de Appellat. in* 6. Quod notatur etiam in Cap. *Paſtoralis de Offic. ordin.* & Cap. 1. *init. de Foro compet. in* 6. & eodem lib. Cap. *Venerabilib. init. de Sentent. excommunicat.* Item Rebuf. *Ad conſtit. Regias tom.* 1. *tit. de Euocat. in Præfat. num.* 43. Lancell. *de Attent. cap.* 10. *num.* 49. Ricius *deciſ.* 396. *num.* 5. *par.* 4 aſſerens Sacram Congregationem Concilij ita declaraſſe; Barboſa *de Poteſt. Epiſcop. par.* 3. *allegat.* 81. *num.* 2. Hieronym. Rodriquez *in Compend. Quaſ. Regular. reſolut.* 10 *num.* 23.

2 Vnde infert: Cum Generalis æquiparetur Archiepiſcopis, vel Patriarchis, vt notant Rodriquez *tom.* 1. *Quaſt. Regul. quaſ.* 12. *ar.* 5. *poſt medium.* Hieronym Rodriquez *in Compen. Quaſt. Regular. reſolut.* 68. *num.* 7. Miranda *in Manuali Prælat. par* 2. *quaſ.* 7. *ar.* 1. *concluſ.* 1. inquiens licere Generalibus, quod licet Archiepiſcopis, & prohiberi, quæ ipſis prohibita ſunt; ſequitur, quòd non poſſit ad ſe auocare cauſas inferiorum iudicum.

3 Oppoſitum tamen exiſtimo non ſolùm probabile, ſed etiam certum: ob differentiam, quæ eſt inter Generales, & Patriarchas, ſeu Archiepiſcopos; Et fundatur in voto obedientiæ, quo omnes Generali Ordinis obſtringuntur: & ideo ratione maioris obligationis, & ſubiectionis in ſubditos poſſunt hanc facultatem exercere auocandi ad ſe cauſas.

4 Ratio eſt. Ideo non poſſunt Archiepiſcopi auocare ad ſe cauſas Epiſcoporum ſuffraganeorum, quia non habent iuriſdictionem, ſecluſa appellatione, ſuper ſubditos Epiſcopi, ſed tantum ſupra Epiſcopos. Quam rationem affert Couarru. *num.* 1. *cit.* & eam pluribus confirmat. At e contrario Generales ſibi ipſis immediatè ſubijciunt ſubditos omnes aliorum ſuperiorum, vt docet Suarez *tom.* 4 *de Religione tr.* 8. *lib.* 2. *de Religioſis prælat. &c.*
5 *num.* 15. *&* 16. quem ſequitur Lezana *par.* 1. *Quaſt. Regular. cap.* 18. *num.* 87. & conſtat ex conſuetudine; nam Generalis exercet immediatam iuriſdictionem in ipſos, concedendo, & prohibendo aliqua, ipſos transferendo de loco ad locum, &c. & ratione voti obedientiæ, quo quiſque immediatè ſe obligat toti Religioni, atque adeo Capiti ipſius; Et ideo vt immediatus ſuperior, & maioris arctioritatis poteſt ſibi aſſumere cauſam pendentem coram iudice inferiori: quia non eſt magis iudicis inferioris, quàm ſui ipſius.

6 Dices, Iudicem inferiorem eam feciſſe ſuam, ſi qui-

ſi quidem eum coram ſe cœperit agitari, acquiſiuit ius ad ipſam. Sed hoc non obſtat; quia etiam ipſe iudex inferior ſubditur Generali ratione voti obedientiæ: atq; adeo omne ius ipſius ſubijcitur iuri Generalis, & poteſt de ipſo diſponere, & præcipere, ne illo vtatur, ſed cedat. Imò ratione ſubiectionis illud ius non eſt magis iudicis inferioris, quàm ſuperioris.

7 Hinc colligitur alia ratio. Voluntas Prælati inferioris ſubijcitur voluntati ſuperioris ratione voti obedientiæ, vt notat Suarez *nu.* 22. *loco citati* vnde non poteſt eſſe efficax contra voluntatem ſuperioris; imò nec iuſta; quia ratione voti ex iuſtitia obligatur ſe conformare cum voluntate ſuperioris. Ergo non poteſt Prælatus inferior velle proſequi cauſam coram ſe pendentem, niſi cum conſenſu ſuperioris; & ſi vellet, iniuſtè vellet; Ergo ob huiuſmodi ſubordinationem, & dependentiam eſt in poteſtate Generalis, quòd Prælatus inferior proſequatur cauſam coram ſe pendentem, vel non proſequatur; Nam ſicut eſt in poteſtate ipſius voluntas inferioris Prælati, ita etiam omne ius, & iuriſdictio ipſius; cum hæc ſequantur voluntatem: & ideo auocando ad ſe cauſam, facit actum ſuæ poteſtatis.

8 Denique Generalis poteſt limitare iuriſdictionem inferiorum Prælatorum, vt *loco citato* tradit Suarez, quem etiam ſequitur Lezana *citatus*, non ſolùm quatenus poteſt præcipere ſubditis, vt ſibi immediatè ſubiectis, ne in hoc, vel in illo ipſi obediant; ſed etiam quia inferior Prælatus eſt ſubditus ſuperioris; vnde illi quoque poteſt præcipere, ne in hoc, vel in illo vtatur ſua iuriſdictione. Deinde quia iuriſdictio inferioris Prælati eſt iuriſdictio ſubordinata maiori Prælato, atque adeo dependet ab ipſo in moueri, & operari; & ideo poteſt ipſam reſtringere tribuendo minorem motum; ergo poteſt etiam reſtringere, ne ipſa vtatur in tali cauſa; quod præſtabit, ſi eam ad ſe trahat. Atque ex his conſtat, quid dicendum ad oppoſita.

9 Hoc tamen limitandum eſt, niſi aliter per ſpeciales conſtitutiones alicuius Religionis ſtatuatur, aut in ſpeciali, aut in generali. Si enim ſtatuerent, quòd Generalis non ſe immiſceat in iuriſdictione inferiorum Prælatorum, non poſſet tunc cauſas coram ipſis pendentes aduocare ad ſe; cum teneatur legibus Religionis. Et cum ab ipſa per electionem accipiat poteſtatem, debet eam exercere ſecùndum menſuram præſcriptam; quia ea conditione datur, vt ſecùndum talem menſuram exerceat.

10 Dices Secùndum leges cuiuſcumque Religionis præſcribitur Prælatis inferioribus ſpecialis iuriſdictio; ergo cum Generales teneantur legibus Religionis, quæ dat inferioribus Prælatis iuriſdictionem, non habent poteſtatem ſupra ipſorum iuriſdictionem. Reſpond. Religionem tribuere quidem Prælatis inferioribus ſpecialem iuriſdictionem, quam habent; ſed cum ſubordinatione ad Generalem: nam dat ſecùndum exigentiam ſtatus religioſi exigentis talem ſubordinationem ratione voti obedientiæ, quo Prælati minores maioribus ſubijciuntur.

An apud nos Clericos Regulares Theatinos ſolus Generalis poſſit ad ſe auocare cauſas pendentes coram Prælatis inferioribus, an vero requiratur conſenſus Conſultorum.

Deciſio LVIII.

SVMMARIVM.

1 *Conſultores Clericor. Reg. participant in auctoritate cum Generali.*

2 *Generalis Clericor. Reg. non poteſt ſine conſenſu Conſultorum auocare ad ſe cauſas.*

3 *Iuriſdictio Prælatorum inferiorum apud Clericos Regul. non dependet à ſolo Generali, ſed etiam à Conſultoribus.*

4 *Tota iuriſdictio, completo Capitulo Generali, manet apud Generalem, & Conſultores, apud Clericos Regulares.*

5 *Regulatio iuriſdictionis Prælatorum inferiorum apud Clericos Regul. non eſt apud ſolum Generalem, ſed etiam apud Conſultores.*

6 *Subiectio ſubditorum ad inferiores Prælatos non poteſt apud Cler. Reg. tolli à ſolo Generali.*

7 *Quando extendantur ad alias religiones.*

1 CVm auctoritas noſtri Patris Generalis non ſit ſolùm penes ipſum, ſed etiam penes Conſultores, qui iuxta Conſtitutiones, & Decreta noſtræ Congregationis habent in pluribus votum deciſiuum, difficultas eſt, an etiam habeant in huiuſmodi auocatione cauſarum.

2 Reſp. Non poſſe ſolum Generalem ſine conſenſu Conſultorum ad ſe auocare cauſas pendentes coram Prælatis inferioribus: ſed in hoc ipſos Conſultores habere non ſolùm votum conſultiuum, ſed etiam deciſiuum.

3 Ratio eſt, quia iuriſdictio Prælatorum inferiorum non dependet à ſolo Generali, ſed etiam à Conſultoribus, quatenus cum voto deciſiuo ſimul cum Generali concurrunt ad eligendos, confirmandos, & amouendos Præpoſitos,

poſitos, atq; Viſitatores, iuxta id, quòd ſancitur *par. 3. noſtrarum Conſtit. cap. 5. ver. Quotannis.* vnde ſicuti dependent in fieri, & conſeruari etiam à Conſultoribus, ita eorumdem iuriſdictio non ſubordinatur ſoli Generali, ſed etiam Conſultoribus; quia vnumquodque ſubordinatur illi, à quo dependet in eſſe, & conſeruari. Et ideo non poteſt Generalis ſine Conſultoribus eam limitare; quia quando aliquid eſt ſub plurium poteſtate, non poteſt vnus ſine alijs de ipſo diſponere.

4 Et quamuis tempore Capituli Generalis inferiores Prælati eliguntur à Definitorio; quia tamen ſimul cum Definitoribus interueniunt Conſultores, & completo Generali Capitulo ceſſat auctoritas in Definitoribus, & tota remanet apud Generalem, & Conſultores; ideo iuriſdictio collata inferioribus Prelatis remanet ſubordinata ijs tantùm, apud quos remanet auctoritas.

5 Dices. Solum Generalem poſſe præcipere Prælatis inferioribus tanquam ſubditis: & proinde poſt factam à Conſultoribus electionem, ſeu confirmationem, remanere apud Generalem ſolum facultatem illos regulandi etiam quò ad ipſorum iuriſdictionem. Sed non poteſt hoc dici, quando regulatio iuriſdictionis eſt cum diminutione; nam qui non poteſt in totum tollere auctoritatem, nec etiam poteſt minuere; quia diminutio ſupponit, quòd auctoritas ſit ſub iure diminuentis, atq; adeo quod de ipſa tota poſſit diſponere. Solus autem Generalis non poteſt auferre iuriſdictionem à Superioribus minoribus.

6 Rurſus dices. Poſſe Generalem præcipere ſubditis, vt pote ſibi immediatè ſubiectis, ne in tali re obediant Prælato minori; & hoc pacto ſe ſolo ex propria auctoritate ad ſe auocare cauſas. Verùm neque hoc facere poteſt; quia quando datur iuriſdictio Superioribus minoribus, ſubijciuntur ſubditi eidem iuriſdictioni; Vnde ſicut iuriſdictio non eſt dependens à ſolo Generali, ſed etiam à Conſultoribus: ita etiam ſubiectio ſubditorum, in ordine ad eamdem iuriſdictionem; & conſequenter non poteſt tolli à ſolo Generali.

7 Atque hæc, quæ dicta ſunt, habent locum etiam apud alias Religiones proportionaliter, apud quas Generalis ſimul cum alijs, habentibus votum deciſiuum, eligit, ſeu confirmat Prælatos minores; quia militat eadem ratio. Suppoſito tamen, quòd ij, qui habent votum deciſiuum, habeant continuatam iuriſdictionem, & faciant vnum tribunal cum Generali.

An Prouinciales poſſint ad ſe auocare cauſas Prælatorum inferiorum ſibi ſubditorum.

Deciſio LIX.

SVMMARIVM.

1 *Prouinciales poſſunt ad ſe auocare cauſas Prælatorum inferiorum ſubditorum.*
2 *Quomodo Prouinciales ſibi ſubijciant omnes Prouinciæ.*
3 *Iuriſdictio Prælatorum inferiorum; quomodo dependeat à Prouincialibus.*
4 *Prouinciales licet electi ab ijs, qui ſunt de Prouincia, non dependent ab ipſis in iuriſdictione.*

1 RESP. affirmatiuè, dummodò tamen hoc non prohibeatur à Conſtitutionibus Ordinis, nec Generalis hoc ſibi reſeruet. Quod notat etiam Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 8. lib. 2. de Religioſis Prælatis cap. 2. num. 26.*

2 Ratio deſumitur ex dictis in Superioribus. Prouinciales enim ſunt Prælati generales totius Prouinciæ, quibus omnes de illa Prouincia ſubijciuntur; & cum hæc ſubiectio ſit fundata in voto obedientiæ, ratione cuius tenentur inferiores in omnibus obedire (quia votum importat vniuerſalem ſubiectionem in omnibus) trahit ſecum conditiones talis voti: atque facit quòd voluntas Prælatorum inferiorum ſit ſubiecta voluntati ipſorum, nec poſſit eſſe efficax, & iuſta, ſi ſit contra ipſam; & quòd iuriſdictio illorum ſit ſubordinata iuriſdictioni Prouincialium, & ſub iure ipſorum. Vnde ob eaſdem rationes, quibus poteſt Generalis auocare ad ſe cauſas inferiorum ſuperiorũ, poſſunt etiam Prouinciales.

3 Dices. Eſſe diſparem rationem de Prouincialibus: qui ſaltem non eligunt, aut confirmant inferiores Prælatos; nam tunc illorum iuriſdictio non dependet ab ipſis: & ideo non poſſe eam limitare, & reſtringere. Reſp. Licet in tali caſu iuriſdictio Prelatorum inferiorum non dependeat à Prouincialibus in fieri, & conſeruari, dependet tamen in exerceri: & ideo poſſunt eam reſtringere. Ratio eſt, quia vel illam accipiunt immediatè à Generali, ſeu etiam ab alijs concurrentibus ſimul cum ipſo ad electionem: & tunc illam accipiunt cum dicta ſubordinatione ad Prouinciales; quia iſti repræſentant in ſua Prouincia Generalem, & ipſius tribunal; atque adeo poſſunt, quod poſſet Generalis cum cæteris ſui tribunalis, exceptis ijs, quæ eidem Generali reſeruantur. Vel eliguntur à familia, vel aliquo alio modo. Et tunc, quia electores non habent auctoritatem continuam, nec faciunt

Digitized by Google

ciunt tribunal, cenſentur electi cum iuriſdictione ſubordinata Prouinciali, & penes ipſum reſidet illa auctoritas, quę reſideret apud Electores, ſi haberent auctoritatem, & ſuperioritatem permanentem, ita vt facerent tribunal.

4 Rurſus dices, Multoties Prouinciales eligi à Superioribus localibus: & proinde dependere ab ipſis in iuriſdictione: & ideo non poſſe eorumdem iuriſdictionem reſtringere, ſicut nec inferiores poſſunt reſtringere auctoritatem Superioris. Reſpond. Eligi quidem Prouinciales à Superioribus localibus, & dependere ab ipſis in electione, non tamen in iuriſdictione: quia eam non dant, ſed datur ab ipſa Religione; quia regula, & conſtitutiones Religionis eam determinant. Nec Religio eam dat cum ſubordinatione ad Prælatos inferiores, licet ſint electores: quia eam non præſcribit, imò præſcribit oppoſitum, cum conſtituat maiores Prælatos ſupra minores. At quando dat iuriſdictionem minoribus Prælatis, dat cum ſubordinatione ad maiores, nam pręſcribit ſubiectionem: & ideo maiores non dependent in iuriſdictione vllo pacto à minoribus, ſed minores à maioribus.

An Viſitatores Clericorum Regularium Theatinorum poſſint ad ſe auocare cauſas pendentes coram ordinarijs iudicibus localibus.

Deciſio LX.

SVMMARIVM.

1 *Viſitatores Theatinorum poſſunt ad ſe auocare cauſas Prælatorum localium.*
2 *Viſitatores apud Cler. Reg. Theatinos habent iuriſdictionem etiam ſuper Superiores locales.*
3 *Sunt etiam Superiores immediati omnium de Prouincia.*
4 *Etiam extra tempus viſitationis poſſunt ad ſe cauſas auocare.*
5 *Extra tempus viſitationis habent auctoritatem iudicis, & quantum ſe extendat.*

1 RESp. affirmatiuè, pro tempore Viſitationis, reſpectu Superiorum localium ſuæ Prouinciæ, non ſecus ac poſſunt apud alios Regulares ipſi Prouinciales.

2 Prob. Noſtri Viſitatores ſimul iuncti ratione muneris Viſitationis, quo funguntur, habent iuriſdictionem in tota Prouincia etiam ſupra Superiores locales, & ſunt iudices appellationis: ad quos appellari poteſt à ſententia Superiorum localium; & hæc iuriſdictio reſpicit ſubiectionem cæterorum fundatam in voto obedientiæ. Ergo poſſunt ad ſe auocare cauſas pendentes coram Superioribus inferioribus, non ſecus ac Prouinciales: quia iam ratione voti obedientiæ tota iuriſdictio inferiorum Superiorum eſt ſub iuriſdictione Viſitatorum: & proinde eam poſſunt coarctare, prout iudicant expedire bono regimini Religionis, quod ex munere ſuo tenentur procurare.

3 Præterea Viſitatores ſunt Superiores etiam immediati omnium, qui ſunt in Prouincia; vnde per ſe ipſos præcipere poſſunt in virtute obedientiæ, & diſponere de ipſis iuxta exigentiam communitatis: & aliàs ſunt etiam Superiores Prælatorum localium. Ergo vt immediati Superiores, & maioris auctoritatis, poſſunt ſibi aſſumere cauſas pendentes coram Superioribus ſibi ſubiectis, vt dicebamus de Generali: & eodem modo ſoluendæ ſunt difficultates, quæ fieri poſſunt: cum ſint ferè eædem.

4 Si verò loquamur extra tempus Viſitationis: Adhuc poſſunt ad ſe auocare eaſdem cauſas. Ratio eſt; quia adhuc extra tempus Viſitationis ſunt Superiores, & habent iuriſdictionem, nam, vt habemus in Decretis Capitulorum Generalium *par. 3. cap. 9. num. 8.* Viſitatores extra Viſitationis tempus ſunt iudices ordinarij appellationis, ad quos à definitiua ſententia Superiorum localium appellari poteſt: imò poſſunt in primis cauſis præuenire Superiorem. Per quòd conceditur ipſis immediata iuriſdictio in ſubditos cuiuſcumque Superioris localis: vnde ratione huius iuriſdictionis poſſunt ad ſe auocare cauſas pendentes coram Superioribus localibus.

5 Dices Habere iuriſdictionem tantùm limitatam ad illos actus in illo Capitulari Decreto expreſſos; vnde non ſequi, quòd habeant adauocationem cauſarum. At hoc nihil obſtat: quia conſtat habere auctoritatem iudicis: & ideo poſſunt exercere illos omnes actus, qui pertinent ad iudices Regulares, quorum iuriſdictio reſpicit ſubiectionem ortam ex voto obedientiæ: atque adeo eſt coniuncta cum illa auctoritate, & poteſtate, quam habent Superiores Regulares: & poſſunt exercere illos actus, quos poſſunt Superiores Regulares in virtute voti obedientiæ ſubditorum.

An

An abſque cauſa poſſit Superior maior aduocare ad ſe cauſas pendentes coram Superioribus minoribus.

Deciſio LXI.

SVMMARIVM.

1 *Superior maior non poteſt ſine cauſa auocare ad ſe cauſas pendentes coram minoribus.*
2 *Superior minor Regularis non poteſt priuari ſine cauſa ſua iuriſdictione.*
3 *Prælati Superiores Regulares non poſſunt de inferioribus ad libitum diſponere.*
4 *Superiores debent procedere ſecùndum regulas rectæ rationis.*
5 *Prælatus Regularis auocans ad ſe cauſam ab inferiori abſque ratione, peccat mortaliter.*

1 RESp. negatiuè Suarez *tom. 4. de Religione tract. 8. lib. 2. de Religioſis Prælat. cap. 2. num. 23.* quem ſequitur Lezana *par. 1. Quæſ. Regul. cap. 18. num. 87.* & hæc opinio eſt omnino tenenda.

2 Ratio eſt, quia licet Superior inferior habeat totam ſuam iuriſdictionem ſubordinatam Superiori Prælato, adhuc tamen eſt propria ipſius, & debet ab ipſo adminiſtrari. Ergo, ſi illa priuatur abſque rationabili cauſa, fit illi iniuria grauis: quia priuatur illa facultate, quæ ipſi conuenit ratione muneris.

3 Confir. Quòd Prælati Superiores habeant ſibi ſubordinatos inferiores, non dicit, quòd poſſint de ipſis atque ipſorum iuriſdictione ad libitum diſponere, ſed tantùm ſecùndum exigentiam rationis, & in ordine ad bonum communitatis. Ergo non poſſunt ſine rationabili cauſa reſtringere auctoritatem, & iuriſdictionem inferiorum Prælatorum.

4 Quòd etiam ex eo patet, quia non poſſunt exercere hanc facultatem reſtringendi iuriſdictionem Prælatorum inferiorum, niſi illam exerceant vt Superiores illorum; vt autem tales, tenentur procedere ſecùndum regulas rectæ rationis; regulæ autem rectæ rationis exigunt, quòd Prælatus inferior abſque rationabili cauſa non priuetur ſua iuriſdictione, aut in illa impediatur.

5 Ex quibus patet: Quòd Prælatus auocans ad ſe ab inferiori cauſas, abſque rationabili cauſa, peccat, vt notat Suarez *citat.* contra charitatem: quia non ſe gerit cum proximo iuxta illam primam regulam operandi, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; vnde nec ſeruat præceptum amandi proximum ſicut ſe ipſum. Facit etiam contra iuſtitiam legalem: peruertit enim irrationabiliter ordinem inſtitutum ad dirigendam communitatem; vnde perturbatur communitatis bonum, quod conſiſtit in illa menſura, & modo debitæ regulationis ſecùndum præſcriptam normam.

An Prælatus ſuperior peccet contra iuſtitiam ſi abſque cauſa auocet ad ſe à Prælato inferiori cauſas coram ipſo pendentes.

Deciſio LXII.

SVMMARIVM.

1 *Sententia Suarez, An contra iuſtitiã peccet Superior auocans cauſã ab inferiori irrationabiliter*
2 *Peccat contra iuſtitiam Superior, qui irrationabiliter auocat ad ſe cauſas ab inferioribus.*
3 *Quomodo Regulares retineant ſibi ius proprium.*
4 *Quomodo ius proprium ſubditorum ſubijciatur Prælatis Regularibus.*

1 REſp. Suarez *tom. 4. de Religion. tract. 8. lib. 2. de Religioſis Prælatis cap. 2. nu. 23. in fine.* Hoc eſſe incertum: quia non videntur Religioſi habere tam proprium dominium circa hæc iura, vel officia.

2 Dicendum tamen eſt, peccare contra iuſtitiam. Quia ipſa quoque intercedere poteſt inter Religioſos quò ad ea, quæ regula facit propria ſingulorum, & concernunt ſtatum Regularem.

3 Quamuis enim Regulares ratione voti obedientiæ transferant ius proprium in Religionem, transferunt tamen ſecùndum menſuram ſuæ regulæ: vnde cum regula faciat aliqua propria perſonarum, vt ſunt adminiſtrationes, officia, prælaturæ, & alia huiuſmodi: cenſentur retinere ſibi ius ad ea accipienda tanquam propria: & ideo ſecùndum ipſa poteſt exerceri inter Regulares iuſtitia: & poſſunt inuicem ſe lædere cõtra iuſtitiam; Quod contingeret in auocatione cauſarum abſque iuſta cauſa; nam tunc læderetur ius illorum, à quibus auocarentur, quod illis vt proprium à Religione conceditur.

4 Neq; obſtat, quòd huiuſmodi ius ſit ſubordinatum Prælatis maioribus, & ſub ipſorum diſpoſitione; nam non eſt ita ipſis ſubiectum, vt poſſint de eo ad libitum diſponere: ſed ſolùm ſecùndum menſuram regulæ, & facultatem, quam ipſa dat. Regula autem dat ſolùm facultatem Superioribus maioribus ſupra minores iuxta exigentiam boni communis; & ideo ſolùm ex exigentia boni communis, & concurrente rationabili cauſa, poſſunt reſtringere ipſorum iuriſdictionem.

An ſi Superiores maiores abſque cauſa auocent ad ſe cauſas coram minoribus pendentes, ſit talis auocatio valida.

Deciſio LXIII.

SVMMARIVM.

1 *Auocatio cauſa ab inferiori iudice Regulari ad ſuperiorem eſt valida etiam ſi fiat ſine cauſa.*
2 *Niſi contineat intolerabilem errorem contra bonos mores.*
3 *Auocatio ſine cauſa ſemper eſt nulla.*
4 *Superiores maiores Regulares non habent iuriſdictionem ad auocandas cauſas ſine cauſa.*
5 *Superiores maiores non poſſunt peruertere abſq; cauſa ordinem adminiſtrationis.*
6 *Quando voluntas Superioris maioris ſi potentior voluntate minoris.*
7 *Spectat ad bonum commune Religionis, quòd cauſa non auocentur ſine cauſa.*

1 AFirmatiuè reſp. Suarez *tom. 4. de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *de Prælatis Religioſis cap.* 2. *num.* 25. Quia voluntas ſuperioris Prælati potentior eſt abſolutè, & nulla lex factum irritat. Quod nec ex rei natura irritatur: quia multa illicitè fiunt, quæ facta tenent; & defectus magis eſt in modo, quàm in ſubſtantia. Deinde, quia in his actibus maior ratio habenda eſt boni communis, quàm priuatæ iniuriæ; ad bonum autem commune ſpectat, vt talis reſtrictio timeatur, & ſeruetur, etiam ſi inualida appareat.

2 Addit tamen, quòd ſi huiuſmodi reſtrictio contineret intolerabilem errorem contra bonos mores clarè, & euidenter, non eſſet valida, ſed omnino nulla.

3 Dicendum tamen; ſemper eſſe nullam quotieſcumque fit abſque legitima cauſa. Cauſa autem, vt ſit legitima, debet eſſe tanti momenti vt expediens ſit, reſtringi iuriſdictionem inferioris Prælati ad vitandum malum, quod alioquin ſequeretur.

4 Ratio eſt, quia omnis actus, qui fit abſque ſufficienti iuriſdictione, & poteſtate, eſt nullus ex natura rei: quia non eſt talis actus, niſi vt proueniens à iuriſdictione. Superiores autem maiores, etiam Generales, non habent facultatem, ſeu iuriſdictionem, cauſas ad ſe auocandi abſque rationabili cauſa: quia ita ſunt Superiores, vt non ſint domini, ſed adminiſtratores Religionis; vnde eam debent adminiſtrare ſecùndum præſcriptum regulæ. Neque ſubdiri ratione voti obedientiæ tenentur ipſis obedire, niſi tanquam adminiſtratoribus intra regulam; nam ſolùm ſe obligant ſecùndum menſuram regulæ, & non vltra ipſam.

5 Regula autem non permittit auocationes cauſarum abſq; rationabili cauſa. Quamuis enim de hoc nihil ſpecialiter decernat: quia tamen præſcribit ordinem inſtitutum pro regimine 1 & ſecùndum hanc præſcriptionem dat ſuam ſpecialem iuriſdictionem Prælatis minoribus, & obligat Prælatos maiores ad adminiſtrandam Religionem ſecùndum ordinem præſcriptum; ideo ipſos quoque obligat, vt non poſſint ipſum peruertere; niſi bonum commune exigat peruerti; tunc enim habet locum interpretatio regulæ, quòd permittat immutari conſuetum ordinem: quia ſecùndum ſe totam ordinatur ad bonum communitatis. Hinc cum non poſſit bonum commune exigere, cauſas auocari ab inferioribus Prælatis, quando non adeſt rationabilis cauſa auocandi: neq; etiam regula poteſt concedere, quòd auocentur; vnde tunc auocatio, ſi fiat, erit nulla defectu poteſtatis.

6 Ad id, quod affert primo loco pro ſe Suarez Reſp. voluntatem Prælati maioris eſſe potentiorem voluntate Prælati minoris, quando eſt ſecùndum poteſtatem, quam ipſi dat regula: ſecus autem quando non eſt ſecùndum ipſam; quia voluntas Prælati inferioris ſolùm ſecùndum menſuram regulæ ſubditur. In caſu autem noſtro voluntas auocandi cauſas abſque rationabili cauſa à Prælatis inferioribus, non eſt ſecùndum poteſtatem, quàm dat regula: & ideo ex natura ſua eſt nulla.

7 Ad id, quod ſecundo loco dicitur, Reſp. Oppoſitum ſpectare ad bonum commune: nimirum, quòd non poſſint auocari cauſæ, niſi ex rationabili cauſa, & ſi auocentur, nulla ſit auocatio; nam ſi eſſet valida, ſequeretur, quòd conſuetus ordo peruerſus ſine cauſa, non eſſet contra bonum commune: quia eſſet actus illius iuriſdictionis, quæ ordinatur ad tuendum bonum commune; quod tamen dici non poteſt, cum exigat ſeruari quicquid præſcribit regula.

An Prælatus inferior debeat audiri antequam ab ipſo cauſa auocetur.

Deciſio LXIV.

SVMMARIVM.

1 *Prælatus non debet audiri, antequam ab ipſo auocetur cauſa, & quare.*
2 *Superior Prælatus Regularis non poteſt auocare cauſas ab inferiori per modum iudicij.*

3 *Quinam*

3 *Quinam actus ſit auocatio cauſæ facta à Prælato Regulari Superiori.*
4 *Quomodo Prælatus inferior poſſit tueri ſuam iuriſdictionem.*

1 RESP. negatiuè. Quia Prælatus ſuperior, auocando ad ſe ab inferiori cauſas, non procedit per modum iudicij, ita vt debeat citare partem, & ipſam audire: ſed vtitur ſua ſuperiori poteſtate, per quam poteſt moderari iuriſdictionem inferioris Prælati, & eam reſtringere, tanquam ſibi ſubordinatam: vnde ſufficit, quòd habeat iuſtam cauſam auocandi, vt validè, & licitè procedat.

2 Imò ſi deberet auocari per modum iudicij, non poſſet Prælatus ſuperior ipſam ad ſe auocare: nam eſſet pars, & proinde deberet res determinari per iudicem.

3 Dices. Si auocaret abſque cauſa, peccaret contra iuſtitiam. Ergo cum non poſſit Prælatus inferior abſque cauſa priuari propria iuriſdictione, debet audiri, vt conſtet, an cauſa vera ſit. Reſp. Licet auocatio abſque cauſa ſit actus iniuſtitiæ, non tamen auocatio cum cauſa eſt actus iniuſtitiæ; ſed actus ſuperioris poteſtatis, & reducitur ad iuſtitiam legalem. Sic etiam licet furari ſit cõtra iuſtitiam commutatiuam, non tamen eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ priuare aliquem bonis proprijs in pœnam alicuius delicti. Ex quo fit, quod Prælatus ſuperior non debeat iudicialiter procedere in auocandis cauſis, & audire Prælatum inferiorem; ſed poteſt vti ſua poteſtate ſuperiori reſtringendo iuriſdictionem inferiorem, quando ſibi conſtat eſſe ex rationabili cauſa reſtringendam.

4 Rurſus dices. Prælatus inferior habet ius tuendi ſuam iuriſdictionem. Ergo antequam illi reſtringatur, debet audiri, vt poſſit ipſam defendere. Reſp. habere ius ad tuendam ſuam iuriſdictionem, quatenus ſua eſt: non autem eam ſibi vendicandi contra illum, cui ſubijcitur, ita vt velit impedire, ne circa ipſam vtatur ſua ſuperiori poteſtate; nam hoc eſſet vindicare ſibi vt proprium, quod eſt alienum. Quia autem iuriſdictio ita eſt ſibi propria, vt tamen ſit ſub poteſtate ſuperioris Prælati, ideo quando Prælatus ſuperior de ea diſponit ſecùndum facultatem, quam habet, non poteſt contra ipſum inſurgere: ſed ſolùm poteſt eam defendere, quando in ea læderetur contra iuſtitiam aut ab ijs, quibus non ſubijcitur, aut etiam à Prælatis ſuis maioribus in ijs caſibus, in quibus non poſſent de ipſa diſponere.

An Prælatus ſuperior auocans cauſas ad ſe ab inferiori debeat exprimere cauſam ob quam auocat.

Deciſio LXV.

SVMMARIVM.

1 *Quid faciat pro parte affirmatiua.*
2 *Prælatus ſuperior Regularis non tenetur exprimere rationem, ob quam cauſam auocet.*
3 *Non eſt reddenda ratio, ob quam cauſa pendens coram Ordinario alteri delegetur.*
4 *Quomodo id valeat etiam in Prælatis Regularibus.*
5 *Cur Prælatus ſuperior non debeat aſſignare rationem auocationis cauſarum.*
6 *Iuſtitia auocationis ſufficit ſi conſtet auocanti.*
7 *Contra quos Prælatus inferior Regularis poſſit tueri ſuam iuriſdictionem.*

1 VIdetur affirmatiuè reſpondendum, Quia cum non poſſit eas ad ſe auocare ſine cauſa, debet cauſam exprimere, vt conſtet de iuſtitia auocationis. Deinde cum Prælatus inferior poſſit ſuam iuriſdictionem tueri contra iniuſtè lædentes, debet ipſi cauſa exprimi, ob quam reſtringitur ei iuriſdictio: vt ſciat, ſe teneri reſtrictionem acceptare, nec poſſe contra ipſam inſurgere.

2 Dicendum tamen eſt. Non eſſe neceſſe, quòd in auocatione exprimatur motiuum, ob quod fiat auocatio cauſæ: nec obligari auocantem ad reddendam cauſam.

3 Deſumitur ex Cap. *Cæterum.* & Cap. *Paſtoralis §. vltima de Reſcriptis.* & ex Cap. *Sanè 2. de Offic. Delegati.* Quibus in locis ponitur tacita auocatio cauſarum: quando nimirum cauſa pendens coram iudice ordinario alteri delegatur. Vt notat etiam Couarru. *cap. 9. Pract. Quæſ. num. 4. ver. His equidem.* alios citans. In huiuſmodi autem tacita auocatione non aſſignatur motiuum auocandi; quia ſi aſſignaretur, non eſſet tacita, ſed explicita; nec fieret per ſolam delegationem cauſæ alteri iudici.

4 Dices. Hoc habere locum in Summo Pontifice, & ſupremo Principe, cum poſſint auocare cauſas ſine cauſa: & proinde neque tenentur illam aſſignare; ſecus autem in Prælatis Regularibus; qui, cum non poſſint auocare ſine cauſa: quando auocant, tenentur illam aſſignare. Hoc tamen nihil obſtat. Quia quòd Prælati Regulares non poſſint cauſas ad ſe auocare abſque iuſta cauſa, non eos obligat ad illam in auocatione aſſignandam; ſed ſufficit, ſi exprimant, ſe iuſtis de cauſis moueri. Sic etiam, licet iudex teneatur ex iuſta cauſa ſententiam ferre, non tamen tenetur ex-

primere cauſas, quibus impulſus ſit ad ita iudicandum. Deinde Princeps quoq; & Summus Pontifex tenentur ſeruare debitum ordinem legalem: & ideo non debent abſque rationabili cauſa inuertere ordinem, quo regitur communitas, auoeando cauſas ab inferioribus iudicibus; & tamen poſſunt auocare abſque expreſſione cauſæ, qua mouentur.

5 Ratio verò eſt, Quia Prælatus ſuperior aduocans ad ſe cauſas ab inferioribus, agit tanquam ſuperior vtens ſua poteſtate in inferiores, per quam poteſt eorumdem iuriſdictionem reſtringere; cum autem ſuperior non teneatur reddere rationem inferioribus ſuarum operationum, quia non eſt ab ipſis iudicandus; ideo neque tenetur ipſis aſſignare cauſam, ob quam cauſas ad ſe auocet.

6 Ad id, quod affertur *num.* 1. in oppoſitum Reſp. Iuſtitiam auocationis non debere vnicuique conſtare, ſed tantùm auocanti, & ijs, quibus tenetur auoeans rationem reddere ſuarum operationum, quando de ipſa inquirant: non verò eſt neceſſe, vt ſubdito notificetur: quia non debet eſſe iudex ſui ſuperioris.

7 Ad id verò, quod ſecundo loco dicitur, Reſp. Prælatum inferiorem poſſe tueri ſuam iuriſdictionem contra eos, qui non habent ius ſupra ipſam, non autem contra ſuos Superiores, niſi manifeſtè conſtet, quod non procedant vt ſuperiores. Quando verò non conſtat de cauſa, qua mouentur, præſumptio eſt in fauorem Prælatorum ſuperiorum; & ideo tenetur Prælatus Inferior obedire ob ſubordinationem, quam habet ad Prælatum maiorem. Neque hinc fit, quòd præcludatur aditus tuendi ſuam iuriſdictionem; quia non debet patere contra eos, qui habent ius ſupra talem iuriſdictionem, niſi fortè conſtet de abuſu ſuperioris poteſtatis.

An acta iudicis inferioris facta poſt auocationem cum decreto irritante eadem acta, ſint valida quoadusq; ignoratur ab ipſo auocatio.

Deciſio LXVI.

SVMMARIVM.

1 *Auocata cauſa cum decreto irritante, acta inferioris iudicis ſunt nulla etiam auocatione ignorata.*

2 *Cur decretum irritans non ſinat talia acta eſſe valida.*

3 *Clauſula irritans ſtatim ſortitur effectum.*

4 *Decretum irritans in quo ſimile, & in quo diuerſum à lege.*

5 *Cur lex non obliget inſcios, decretum autem irritans ſtatim ſortiatur effectum.*

1 RESp. cum Panor. *in Cap. Cæterum de Reſcript.* Imo. *ibid.* Dec. *num.* 6. Felin. *num.* 18. Abbate *in Cap. Audita de Reſt. ſpol.* Ripa *in Cap. Cum M. Ferrarienſis de Conſtitut.* Domin. *in Cap.* 1. *§. Ex parte de Conceſ. prabend. in* 6. Quos citat, & ſequitur Couaruu. *cap.* 9. *Pract. Quaeſ. num.* 7. *ver. Prima concluſio.* Non eſſe valida, ſed omnino vt nulla reijcienda.

2 Ratio eſt, quia decretum irritans reprobat ipſa acta; vnde quando fiunt, non ſinit recipi tanquam acta publica, & tanquam acta illius iuriſdictionis, à qua proueniunt. Vt deſumitur ex Cap. *Si poſtquam.* & Cap. *Dubium. §. Conſiderantes*, & Cap. *Quodam per litteras. de Prabendis in* 6. In tantùm enim acta alicuius iuriſdictionis ſubordinatæ ſunt valida, in quantùm exercitium talis iuriſdictionis, atq; adeo acta ipſius ſtant ſub approbatione maioris iuriſdictionis, cui ſubordinantur; poſito autem decreto irritante non ſtant amplius ſub tali approbatione.

3 Hinc communiter docent cum Gloſ. *in Cap.* 1. *de Conceſ. prabendarum in* 6. *verbo Referri.* ex Cap. *Contradicimus* 35. *quaeſ.* 3. Quòd quando ponitur clauſula irritans, ſtatim ſortitur effectum, & afficit prohibitione etiam ignorantes, ſeu inſcios. Quod notant DD. *in Cap. Si beneficia de Prabend. in* 6. & *in Cap.* 2. *de Conſtitut.* præſertim Anton. Felin. Imol. apud Couaruu. *citat.*

4 Dices. Lex non obligat ignorantes, & inſcios: Ergo neque decretum irritans, cum eadem videatur ratio, habet vim apud inſcios, & ignorantes. Reſp. Aliud eſſe obligare inſcios, & aliud, irritare acta inſciorum, ſeu ignorantium decretum. Decretum irritans in hoc comparatur legi, quòd neque ipſum obligat inſcios ad non facienda aliqua acta: & proinde non poſſunt puniri, ſi illa faciant; ſupra tamen legem hoc habet, quòd reddit nulla, quæ fiunt contra ipſum.

5 Huius autem rei ratio eſt, Quia lex præſcribitur vt regula operandi: & ideo non poteſt ſortiri ſuum effectum, niſi coniungatur cum operante, & ſit in ipſo per cognitionem. Decretum autem cum clauſula irritante, non ſolùm eſt menſura operandi, ſed etiam decernit circa operationem in caſu, in quo contra ipſum decretum fiat, eam reprobando, vt illegitimam; Vt autem ſortiatur hunc effectum, non eſt neceſſaria cognitio in operante, cum non ordinetur ad ipſum operantem, ſed ad operationem, quæ reijcitur, vt non canonicè facta: ſed contra id, quod præſcriptum eſt,

atque

atque adeo vt facta abſque approbatione maioris iuriſdictionis,

---

An ſi auocatio cauſę fiat ad inſtantiam partis cum decreto irritante &c. acta iudicis inferioris ſint valida, donec ipſi intimetur auocatio.

Deciſio LXVII.

SVMMARIVM.

1 *Si auocatio fiat ad inſtantiam partis cum decreto irritante, ante intimationem acta inferioris iudicis adhuc ſunt nulla.*
2 *Sunt tamen valida ſi pars nolit vti auocatione.*
3 *Quomodo non obſtante irritatione poſſint talia acta eſſe valida.*
4 *Acta iudicis inferioris per decretum irritans ad inſtantiam partis, cauſa auocata, veluti ſuſpenduntur vſque ad intimationem, vel renunciationem decreti.*
5 *Quando intimatur auocatio acta iudicis inferioris incipiunt haberi vt inualida.*

1 RESP. negatiuè, ſed ipſo facto eſſe nulla; quia adeſt decretum irritans; quod ſemper habet eamdem vim annullandi; cum innitatur eidem poteſtati, & iuriſdictioni, ſiue fiat ad inſtantiam partis, ſiue non. Et ita tenent Auctores, quos *num. 1. deciſ. præced.* retulimus.

2 Cum fiat tamen auocatio ad inſtantiam partis, valent quæ fiunt à iudice inferiori, ſi pars nolit vti auocatione ſibi conceſſa, non obſtante decreto irritante. Vt docent Domin. *in Cap. 1. §. Ex parte de Conceſ. prabend. in 6.* Felin. *in Cap. Cæterum num. 18. de Reſcriptis.* Dec. *num. 6. ibid.* Couarru. *cap. 9. Pract. Quæſ. num. 7. in 1 concluſ.* Sicut enim quis poteſt proprio iuri renunciare, ita etiam ijs, quæ in eiuſdem fauorem fiunt; non obſtante decreto irritante, quia etiam tali decreto renunciat; vnde poſita renunciatione, perinde ſe habet, ac ſi non fuiſſet factum.

3 Verùm cum decretum irritans habeat talem vim, vt ipſo facto reddat nulla acta iudicis inferioris, quomodo poſtea valebunt, ſi pars renunciauerit auocationi, & decreto? Quod enim ab initio fuit nullum, temporis tractu non coaleſcit, nec firmatur, iuxta Regulam *Non firmatur de Regulis Iuris in 6.* Reſp. Quòd cum auocatio, atque adeo decretum irritans ſit ad inſtantiam partis, quæ poteſt iure ſuo vti, & non vti, cenſetur facta ſub conditione, quòd pars ea vtatur: & conſequenter clauſula irritans, cum contineat eamdem conditionem implicitam, non ſortitur ſuum effectum, niſi poſita conditione, quòd pars non renunciet: & ideo acta manent valida, niſi fiat renunciatio.

4 Sed creſcit dubium. Quia ſi decretum irritans non habet ſuum effectum niſi dependenter à conditione, non operatur niſi poſita conditione: atque adeo tunc ſolùm, quando iudici inferiori intimatur auocatio. Ergo non reddit inualida & nulla acta iudicis inferioris; ſed cum ſint alioqnin valida, ea annullat. Reſp. Acta iudicis inferioris, ſicut ſunt ſubordinata poteſtati iudicis ſuperioris, ita etiam proportionantur decreto ipſius; vnde ſicut decretum irritans irritat implicitè ſub conditione, ita etiam acta nec abſolutè ſunt valida, nec abſolutè irrita; ſed veluti ſuſpenduntur, & dependent à conditione ſuperuentura; qua adueniente, inualiditas conditionata tranſit in abſolutam; & tunc decretum irritans plenè, & abſolutè ſortitur ſuum effectum.

5 Hinc autem fit, quòd huiuſmodi acta iudicis inferioris non debeant cenſeri inualida, niſi quando ipſi intimatur auocatio cauſæ; quia non fiunt abſolutè talia, niſi per intimationem tanquam per conditionem requiſitam, vt clauſula irritans ſortiatur ſuum plenum effectum.

An ſi cauſa auocetur abſque decreto irritante, ſed tamen motu proprio, acta iudicis inferioris, facta ante notitiam auocationis, ſint valida.

Deciſio LXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Auocatio ex motu proprio abſque clauſula irritante adhuc inualidat acta iudicis inferioris facta ante intimationem, ſecùndum aliquos.*
2 *Non inualidat, ſecùndum alios; & hoc eſt probabilius.*
3 *Quid in auocatione operetur* motus proprius.
4 *Cur* motus proprius *non conferat auocationi vim inualidandi acta ante intimationem.*
5 *Iuriſdictio non cenſetur reuocata, quouſque innoteſcat reuocatio.*

1 NEGATIUÈ reſp. Panor. *in Cap. Cum M. circa finem de Conſtitut.* Franc. *in Cap. Vt noſtrum de Appellat. nu. 8.* Imo. *in Cap. Cum contingat. in fine de Reſcript.* & *in Cap. Cæterum eodem tit,* Domin. *conſil. 47.* & alij, qui volunt, hanc

Digitized by Google

hanc clauſulam *Motu proprio* habere hanc vim, vt irritet, quicquid fit poſt anocationem, etiã ante notitiam ipſius, à iudice inferiori.

2 Affirmatiuam tamen ſententiam tradunt Abbas *in Cap. Cæterum de Reſcriptis*. Felin. & Dec. *ibid.* Præpoſit. *in Cap. Vt noſtrum circa finem de Appellat.* Innocent. *in Cap. 1. de Conceſ. præbend. in 6.* Couaruu. *Cap. 9. Pract. Quæſ. nu. 7. ver. Igitur ex prædictis*. qui plura affert pro confirmanda hac ſeurentia.

3 Et hanc ſententiam ego puto probabiliorem. Quia *Motus proprius* non habet talem efficaciam, vt irritet acta iudicis inferioris; *Motus* enim *proprius* afficit ipſam auocationem, & operatur circa eam: non autem acta iudicis: & ideo relinquit ipſa in eo ſtatu, quem haberent præciſo *Motu proprio*. Et ratio eſt, quia *Motus proprius* contraponitur inſtantiæ partis, & ideo ſolùm dat illum valorem, quem poſſet excludere inſtantia partis, & facit, quòd ea opponi non poſſint, quæ opponi poſſent ſtante inſtanria partis, vt eſſet ſubrepcio, & huiuſmodi. Ratione autem valoris, quem dat, non irritat acta iudicis inferioris, vt de ſe conſtat: neque etiam excludendo ea, quæ ratione inſtantiæ opponi poſſent: quia hæc non concernunt acta, ſed ipſam auocationem. Et facit *Cap. 1. §. Ex parte de Conceſ. præbend. in 6.* quo textu Couaruu. *citat.* firmat hanc opinionem.

4 Dices *Motum proprium* conferre auocationi talem valorem, vt potens ſit inualidare ipſa acta ſtatim, antequam auocatio perueniat ad notitiam iudicis inferioris; Sed hoc dici non poteſt: quia tota vis auocationis conſiſtit in ſubtrahenda iuriſdictione inferioris iudicis in ordine ad talem cauſam: & tota potentia, quam recipit à motu proprio, in hoc inſumitur; per hoc autem, quòd reſtringitur iuriſdictio, non irritantur acta facta ante notitiam reſtrictionis; duo enim ſunt, & diuerſa, & quod reſtringatur iuriſdictio: & quod acta ſint inualida ante notitiam reſtrictionis; & ideo non poſſunt poni niſi per duas cauſas, nempe auocationem, & decretum irritans.

5 Nec poteſt dici: Per huiuſmodi auocationem ſtatim ceſſare iuriſdictionem, & conſequenter acta eſſe nulla, vt pote facta ſine iuriſdictione. Quia iuriſdictio ſemel competens alicui, non cenſetur reuocata ab eo, quouſque habeat notitiam reuocationis l. *Si forte ff. de Offic. præſid.* Felin. *cap. Vt cæterum nu. 12. de Reſcrip.* Dec. *cap. Si duobus num. 12. de Appellat.* Et ratio eſt, quia cauſa non operatur vbi non eſt; & ideo reuocatio non poteſt ab aliquo tollere iuriſdictionem, niſi ſit apud ipſum per cognitionem.

An vt ceſſet iuriſdictio iudicis inferioris, & ſint irrita eiuſdem acta, requiratur ſolemnis exhibitio auocationis cauſæ, an verò ſufficiat quæuis notitia.

Deciſio LXIX.

SVMMARIVM.

1 *Per quamcumque notitiam certam auocationis ceſſat iuriſdictio ſecùndum aliquos.*

2 *Auocatio, vt tollat iuriſdictionem, requirit notitiam publicam.*

3 *Poſſeſſio iuriſdictionis publica non poteſt tolli niſi per publicam notificationem ablationis.*

4 *Iudex inferior non poteſt ſequi notitiam priuatam.*

5 *Ante ſolemnem intimationem auocationis nec in conſcientia tenetur iudex abſtinere ab exercenda iuriſdictione.*

1 RESP. Felin. *in Cap. Cæterum nu. 11. & 17. de Reſcriptis.* Abbas *ibid.* Dec. *num. 7.* Couaruu. *cap. 9. Pract. Quæſ. num. 8. ver. Tertia concluſ.* ſufficere quamcumque notitiam certam auocationis factæ, vt ceſſet in iudice inferiori iuriſdictio, nec requiri ſolemnem intimationem. Cuius reſponſionis non video aliam rationem, niſi quòd iam auocatio eſt nota: & ideo operatur ſuum effectum.

2 Hoc tamen mihi difficile videtur, Quia auocatio cauſæ, & reſtrictio iuriſdictionis eſt actus publicus, & ſolemnis; vnde debet compleri publico modo; & cum ad ipſius complementum requiratur notitia: requiritur, quòd publico modo notificetur: vt conſtituatur in ſuo eſſe perfecto; in quo ſolo habet vim tollendi iuriſdictionem. Quod præſertim verum eſt, quia auocatio cauſæ eſt per modum cuiuſdam ſententiæ: quæ non habet executionem, niſi ſolemniter intimetur.

3 Deinde iudex inferior publico modo, & ſolemniter poſſidet iuriſdictionem. Ergo non poteſt ceſſare, ſiue cenſeri reſtricta, niſi per auocationem publicam reuocantem, aut reſtringentem: quia cauſa inferioris ordinis non poteſt cauſare effectum ſuperioris ordinis. Vnde cum requiratur notificatio auocationis, vt ceſſet iuriſdictio (quæ non ceſſat quouſque reuocatio non veniat ad notitiam, vt vidimus Deciſ. *præced. num. 5.*) non cenſebitur ceſſare, aut eſſe reſtricta, niſi auocatio ſolemniter notificetur; quia notificatio quoque debet eſſe in eodem ordine: cum debeat eſſe publica etiam reſpectu iudicis inferioris; nam modus auferendi iuriſdictionem non debet eſſe

inferior

inferior modo, quo fuit collata.

4 Confit. Iudex inferior, à quo fit auocatio cauſæ, vt perſona publica, non tenetur ſequi ſcientiam priuatam; imò aliquando non poteſt: vt contingit in ferenda ſententia. Ergo nec etiam in deponenda iuriſdictione: quia deponit tanquam perſona publica.

5 Et hoc militat nedum de obligatione in foro externo, apud quod ſemper negare poteſt ſibi certò conſtare de auocatione, & ſufficienter: ſed etiam in foro interno; quia ante ſolemnem intimationē auocatio non habet omnes conditiones requiſitas, vt obliget iudicem inferiorem ad remittendam cauſam: cum deficiat intimatio, ſine qua non eſt ſuſpenſa iuriſdictio. Propter hæc igitur, & alia, quæ poſſent afferri, relatam ſententiam valde dubiam puto. Vnde iudicium relinquo lectori.

An ſi auocatio cauſæ fiat ad inſtantiam partis, valeant acta iudicis inferioris facta ante ſolemnem exhibitionem auocationis factam à parte impetrante.

Deciſio LXX.

SVMMARIVM.

1 *Valent acta quouſque exhibeatur ſolemniter auocatio, quando fit ad inſtantiam partis.*

2 *Auocatio ad inſtantiam partis dependet ab ipſa in operari.*

3 *Oppoſita ſententia. Senſus* Cap. Vt noſtrum de Appellat. *quòd non valeant facta poſt auocationem completam.*

4 *Notificatio auocationis facta à iudice ſuperiori inferiori iudici non reddit acta nulla, ſi fiat auocatio ad inſtantiam partis.*

5 *Quouſque pars exhibeat auocationem factam ad ſui inſtantiam, poteſt iudex procedere in cauſa.*

1 RESp. affirmatiuè cum Abbat. *in Cap. Audita de Reſt. ſpolior.* & *in Cap. Cæterum de Reſcriptis.* Vbi Innocent. Cardin. Feliu. Anton. & alij, Ripa *in Cap. Cum M. de Conſtit.* Archidiacon. *in Cap. Is, qui. de Prouer.* Couaruu. *cap. 9. Pract. Quæſ. num. 8. ver. Quarta concluſ.* Dec. *conſil.* 295. Bal. *in l. Mandatum. C. Mand.* & communiter. Et deſumitur ex dicto Cap. *Cum audita.* & ex Cap. *Gratum de Offic. Deleg.* & ex Cap. *Super eo. 2. de Appellat.* vbi etiam Præpoſ. *notab. vlt.* & ex Cap. *Vt noſtrum de Eccleſiaſ. benef. ſine dim. conferen.*

2 Ratio eſt, quia talis auocatio, cum ſit ad inſtantiam partis, eſt etiam ſub illius arbitrio, & dependens à conditione, quòd impetrans ea vtatur: & ideo non operatur ſuum effectum, niſi poſita hac conditione; ſed manet iuriſdictio apud inferiorem iudicem quouſque ab impetrante exhibeatur auocatio.

3 Oppoſitum tenent Domin. *conſil.* 47. Dec. *cap. Cæterum nu. 8. de Reſcrip.* & videtur confir. ex Cap. *Vt noſtrum de Appellat.* Sed non eſt defendenda prior ſententia, quam certam exiſtimo. Nec obſtat tex. ex dicto Cap. *Vt noſtrum*; quia ibi ſolùm Pontifex decernit, quòd non valeant, quæ fiunt poſt auocationem. debet autem intelligi de auocatione, quando incipit habere ſuum vigorem: quem non habet, niſi poſt exhibitionem auocationis. Vt explicatur in alio dicto Cap. *Vt noſtrum. tit. Vt Eccleſiaſt. benef. &c.* vbi Gloſ. notat iuxta *hoc Cap.* debere intelligi dictum Cap. *Vt noſtrum de Appellat.*

4 Sed quid, ſi iudex ipſe Superior notificet inferiori, ſe ad inſtantiam partis auocaſſe cauſam? Reſp. Vel ſolùm notificat factam fuiſſe auocationem; & tunc neque adhuc ceſſat iuriſdictio, quouſque à parte impetrante exhibeatur; quia illa notificatio non operatur vltra naturam auocationis, quæ conditionata eſt, & expectat, vt efficax ſit, quòd pars ea vtatur. Vel inſuper prohibet, ne in cauſa vlterius procedat: & tunc ratione huius prohibitionis ceſſat iuriſdictio: quia eſt quid diſtinctum ab auocatione, & non eſt conditionata; vnde ſtatim ſortitur ſuum effectum.

5 Hinc ſecluſa hac prohibitione, ſi procedat in cauſa, acta ſunt valida, tum quia adeſt iuriſdictio; tum quia dum pars non exhibet auocationem, cenſetur nolle ea vti: quod eſt etiam verum, etiam ſi tantùm differat eam exhibere; quia dilatio facit præſumptionem, quòd nolit vti.

De Baptiſmi materia.

An glacies, ſeu nix ſint materia ſufficiens Baptiſmi, dummodo reſoluantur, dum tangunt corpus baptizandi.

Deciſio LXXI.

SVMMARIVM.

1 *Caſus iſte non eſt practicabilis.*

2 *Glacies, & nix eſt materia ſufficiens Baptiſmi, ſi reſoluatur antequam recipiatur in corpore baptizandi.*

3 Baptiſ-

3 *Baptiſmus ſaluatur in ablutione paſſiua.*

4 *Glacies, & nix, ſunt materia ſufficiens pro baptiſmo, etiam ſi in ſolo corpore baptizandi reſoluantur.*

5 *Calor baptizandi liquefaciens niuem, aut glaciem reddit materiam aptam vt inſtrumentum aſſumptum à baptizante.*

1 HOc dubium potius ſpeculatiuum eſt, quàm practicum: quia ſi vrgente neceſſitate aliquis baptizandus eſſet, & non ſuppeteret aqua, ſed tantùm nix, aut glacies, nec igne reſolui poſſent, adhuc tamen in manibus baptizantis aliquid parum poſſet reſolui, quod ſufficeret ad baptizandum.

2 Reſp. Tannerus *tom. 4. diſp. 4. quæſ. 1. dub. 2. num. 44.* eſſe materiam ſufficientem, ſi reſoluantur, dum adhuc ſubſunt manibus baptizantis, vel applicationi, antequam tamen recipiantur in corpore baptizandi. Secus autem, ſi reſolutio fiat in corpore baptizandi; quia tunc cum baptizans non adhibeat materiam ablutioni aptam, verè non abluit, atq; adeo non verificantur verba.

3 Verùm oppoſitum colligitur ex doctrina Suarez *3. par. tom. 3. diſp. 20. ſect. 2.* Sot. *in 4. diſt. 3. ar. 1. §. Ex quo fit.* Coninch. *de Sacram. quæſ. 66. ar. 4. dub. 2.* Ochagauiæ *de Sacram. quæſ. 3. de Baptiſ.* Vaſquez *3. par. tom. 2. diſp. 141. cap. 2.* quatenus docent Baptiſmum ſaluari in ablutione paſſiua. Diana autem *par. 5. tract. 3. de Caſib. occurrentib. in tempore mortis reſolut. 3. in fine* vtramque ſententiam probabilem putat.

4 Ego autem puto, hanc poſteriorem ſententiam tam certam eſſe, quàm certum eſt, poſſe Baptiſmum confici ex aqua reſoluta ex niue, aut ex glacie: quia verè interuenit materia apta pro Baptiſmo, nempe aqua; nam recipitur in corpore baptizandi liquor aquæ; ſiquidem glacies, ſeu nix liquefit in corpore ipſius, & ex vi ipſius verè abluitur; vt conſtat ex effectu, qui eſt omnino idem cum eo, qui ſequeretur, ſi aqua infunderetur. Ex quo fit, vt etiam verificentur verba: quia cum dicitur *Ego te baptizo* hoc eſt *Abluo* non aliud ſignificatur, niſi ipſa ablutio vt prouenlens à proferante verba; pro quo ſufficit, ſi illa ablutio fiat per materiam abluentem applicatam ab eo, qui verba profert: quamuis dum materia prouenit ab ipſo, non ſit apta abluere; nam ablutio, vt recepta in corpore, eſt eadem actio cum applicatione materiæ; & ſufficit quòd materia ſit apta prout recipitur.

5 Dices. Materiam reddi aptam ad abluendum à calore baptizandi, quo liquefit: vnde potius ipſe ſe abluit, quàm abluatur à baptizante. Reſp. Quòd ille calor reddit aptam materiam tanquam inſtrumentum baptizantis; nam baptizans applicans materiam baptizando, ſimul etiam applicat inſtrumento, quo reddatur apta ad abluendum; Vnde principalis abluens eſt baptizans, calor autem ille eſt inſtrumentum: & ideo non poteſt dici, quòd baptizandus ſe ipſum abluat; ſed tantùm quòd exhibeat inſtrumentum baptizanti ad reddendam materiam aptam. Hinc etiam patet ad rationem oppoſitæ ſententiæ.

An glacies, nix, grando, pruina, & alia huiuſmodi ſint materia ſufficiens Baptiſmi, etiam ſi non liquefiat, in corpore baptizandi, ita vt poſſit in extrema neceſſitate adhiberi.

Deciſio LXXII.

SVMMARIVM.

1 *Glacies, nix, grando, pruina etiam non liquefacta poſſunt in extrema neceſſitate adhiberi pro materia Baptiſmi ſub conditione, ſecùndum aliquos.*

2 *Nullo pacto poſſunt adhiberi.*

3 *Nix, glacies, &c. nullo pacto poſſunt abluere, niſi liqueſiant.*

4 *Neceſſitas non poteſt cogere ad adhibendam niuem, glaciem, &c. in Baptiſmo abſque liquefactione.*

1 REſpondent Putean. *in 3. par. D. Th. quæſ. 66. ar. 4. dub. 1. num. 5.* Præpoſit. *num. 22.* Hurtad. *de Sacram. tract. de Baptiſ. diſp. 1. difficult. 2.* Quòd licet non ſint materia ſufficiens, vt per ipſa regulariter conficiatur Baptiſmus: in extrema tamen neceſſitate licitum eſt ijs vti, conferendo Baptiſmum ſub conditione, nempe ſi ſit materia apta. Quia cum ſit materia dubia, & adſit extrema neceſſitas, nulla fiat iniuria ſacramento.

2 At nullo modo eſſe materiam aptam, docent tanquam certum Soto *in 4. diſt. 3. ar. 3.* Cano *Relect. de Sacram. par. 1.* vbi agit de Baptiſmo Henriquez *lib. 2. Sum. cap. 7. num. 1.* Rodriquez *tom. 1. Sum. cap. 25. num. 1.* Ledeſma *tom. 1. tract. de Sacram. Baptiſ. cap. 3. concluſ. 1.* Fernandez *par. 3. Exam. Theol. Moral. cap. 2. §. 3. num. 4.* Coninch. *de Sacram. quæſ. 66. ar. 4. dub. 1. num. 23.* Petrus à S. Ioſeph *par. 2. de Sacram. diſp. 1. ſect. 2. in fine* Diana *par. 5. tract. 3. de Caſib. occurrent. tempore mor. reſolut. 3. ver. Negatiuam ſentent.* & alij communiter.

3 Et hanc ſententiam ego certam exiſtimo; quia certum eſt, quòd materia proxima ſacramenti

cramenti Baptiſmi eſt ablutio: atque adeo abſque ipſa non poteſt confici ſacramentum. Certum eſt etiam, quòd nix, glacies, & alia huiuſmodi non ſunt apta abluere, niſi liquefiant; vnde certum quoque erit, quòd niſi liqueſiant ſaltem in corpore baptizandi, non erunt apta materia Baptiſmi. Et proinde cum certum ſit, non eſſe materiam aptam, nullo modo poſſunt adhiberi vt materia, neq; etiam in extrema neceſſitate; alioquin fieret maxima iniuria ſacramento: quia certi eſſemus, quòd non conficeretur ſacramentum: atq; adeo nullam ſpem haberemus, quòd prodeſſet aliquo modo baptizando.

4 Deinde non video, quomodo poſſit hoc neceſſitas exigere; quia ſi adſit tantùm nix, aut glacies, aut aliquid huiuſmodi: poteſt commodè liquefieri calore manuum, & flatu oris, niſi aliunde poſſit, & colligi tantum liquoris, qui ſufficiat ad ablutionem, quæ poſſit eſſe materia proxima ſacramenti.

An ad Baptiſmum ſufficiat vnica parua gutta aquæ.

Deciſio LXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Guttula aquæ non ſufficit ſecundum aliquos pro materia Baptiſmi.*
2 *Guttula aquæ non ſufficit pro ablutione.*
3 *Guttula aquæ ſufficit, vt ſit materia Baptiſmi ſecundum alios, & an id probabilius ſit.*
4 *In quo conſiſtat ablutio, & an ſufficiat guttula aquæ.*
5 *Quæ ablutio requiratur ad Baptiſmum.*

1 NOn ſufficere quamcumque minimam aquam ſenſibilem, ſed requiri aliquam quantitatem, quæ ſufficiat ad moralem ablutionem docent Aleuſ. 4. *par. quæſt.* 8. *ar.* 2. *memb.* 2. Sotus *in* 4. *diſt.* 3. *quæſ. vnica ar.* 7. Suarez 3. *par. tom.* 3. *diſp.* 20. *ſect.* 2. *ver. Quare.* Ledeſma *par.* 1. *Sum. cap.* 2. *de Baptiſmo concluſ.* 3. *dub.* 1. Graff. 2. *par. Deciſ. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 19. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 4. *quæſ.* 1. *puncto* 2. *ver. Itaque ſequitur.* Zambranus *in Deciſ. cap.* 1. *de Baptiſ. dub.* 4. Gamachæus *in Summæ Theol. tom.* 3. *in* 3. *par. quæſ.* 66. *ar.* 7. Granad. 3. *par. controuer.* 4. *de Sacram. tract.* 1. *diſp.* 4. *num.* 12. Layman *lib.* 5. *Theol. Moral. tract.* 2. *cap.* 3. *nu.* 1. *concluſ.* 3. Moſcoſus *in Sum. tract.* 2. *cap.* 1. *nu.* 4. Io: à Cruce *in Direct. conſcient. par.* 2. *quæſ.* 1. *de Baptiſ. num.* 5. Reginal. *tom.* 2. *lib.* 27. *cap.* 3. *num.* 15. Bonacina *diſp.* 2. *de Sacram. quæſ.* 2. *puncto* 3. *num.* 18. & alij.

2 Horum fundamentum eſt, Quia aqua requiritur in ea quantitate, in qua propriè verificetur forma: atque adeo, in qua ſaluetur propriè ablutio; non dicitur autem quis ablui ex eo, quòd aliquot guttulæ aquæ eum attingat.

3 Oppoſitum ſenten. nimirum ſufficere guttulam aquæ, tradunt Henriquez *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 4. Vaſquez 3. *par. tom.* 2. *diſp.* 245. *cap.* 4. *num.* 32. Ledeſma 1. *p. quæſ.* 7. *ar.* 8. *dub.* 1. Merat. *tom.* 3. *diſp.* 2. *de Sacram. Baptiſ. ſect.* 4. *ver. Quo ad poſteriorem.* Diana *par.* 3. *tract.* 4. *de Sacram. reſol.* 5. *initio.* & *par.* 5. *tract.* 3. *de Caſib. occurrent. tempore mor. reſol.* 5. *ver. Affirmatiuè reſpondeo.* Ochagauia *de Sacrament. tract. de Baptiſ. quæſ.* 4. *num.* 8. qui citat etiam Panorm. & Innocent. IV. *in Cap. Debitum de Baptiſ.* Fernandez *par.* 3. *Exam. Theol. Moral. cap.* 2. *de Baptiſ.* §. 3. *num.* 6. quatenus docet, Baptiſmum poſſe fieri per aſperſionem, ita vt gutta tangat baptizatum.

4 Et hanc poſteriorem ſententiam veram exiſtimo. Quia vt ſaluetur vera materia ſacramenti, ſufficit vera ablutio facta per aquam; vt autem ſaluetur vera ablutio, ſufficit ſi ſaluetur id, in quo formaliter conſiſtit; in eo autem formaliter conſiſtit, quòd aqua tangat corpus, & fluat per ipſum: nam etiam magna quantitas aquæ non per aliud dicitur abluere, niſi per id formaliter, quòd tangendo corpus fluat per ipſum. Certum eſt autem, quòd etiam parua guttula poteſt tangere corpus, & fluere per ipſum, atq; adeo præſtare effectum formalem ablutionis.

5 Dices. Hanc non eſſe ablutionem moralem, qua cenſeatur verè corpus ablui, ſed tantùm phyſicam: ad Baptiſmum autem requiri ablutionem moralem. Verùm hoc non rectè reſpondetur; Quia non requiritur ablutio, quæ ſit ſufficiens ad abluendas ſordes corporis; & ideo non eſt neceſſe, vt quis cenſeatur moraliter ablui quò ad ſordes corporis: ſed ſufficit talis ablutio, quæ ſignificet per modum ablutionis; quia ſolùm requiritur per modum ſigni ſignificantis internam ablutionem: & ideo ſufficit, ſi moraliter cenſeatur ablutio ſignificatiua. Omnis autem ablutio, quæ habet veram rationem phyſicam ablutionis, ſufficit vt moraliter cenſeatur ſignificatiua. Et per hæc ſatisfactum eſt argumento oppoſitæ ſententiæ.

An

Digitized by Google

An ſi non ſufficiat regulariter gutta aquæ pro Baptiſmo, liceat ipſum miniſtrare cum ipſa ſola in extrema neceſſitate.

Deciſio LXXIV.

SVMMARIVM.

1 *In extrema neceſſitate licet miniſtrare Baptiſmum cum ſola guttula aqua.*
2 *In tali caſu baptizans poteſt ſe conſormare cum opinantibus quòd guttula ſufficiat.*
3 *Poteſt in tali caſu conferri Baptiſmus abſolutè.*
4 *Non fit iniuria ſacramento ſequendo opinionem probabilem.*
5 *Si in ſacramento rationabiliter apponatur conditio, non fit ipſi iniuria.*

1 RESp. affirmatiuè cum Io. Præpoſ. *in 3. par. de Sacram. quæſ. 66. ar. 8. dub. 3. num. 93.* Hurtad. *de Sacram. diſp. 1. de Baptiſ. difficul. 6.* Diana *5. par. tract. 3. de Caſib. occurent. tempore mor. reſol. 5. ver. Sed licet.*

2 Ratio autem eſt, quia, etiam ſi non exiſtimet, quòd gutta aquæ ſufficiat: poteſt tamen baptizans ſe conformare cum illorum opinione, qui cenſent ſufficere; & cum opinio probabilis ſit, poteſt baptizans ipſam ſequi in tali caſu: ductus, ſi non ratione, ſaltem auctoritate eorum, qui ipſam tenent: vt detur remedium baptizando eo modo, quo poteſt: nec vlla iniuria fit ſacramento: quia dum baptizans ſinit ſe moueri ex aliorum auctoritate, prudenter, & rationabiliter operatur.

3 Ex quo fit, quòd neceſſe ſit in tali caſu conferre Baptiſmum ſub conditione: quia ſequens opinionem probabilem, ſiue ratione, ſiue ex auctoritate, tutò operatur: quia operatur ſecùndum prudens dictamen rationis, quæ dictat, quòd opinio probabilis ſit tuta.

4 Sed dices: Id eſſe verum, quando probabilitas non reddit incertam materiam ſacramenti: in caſu autem noſtro reddit incertam. Reſp. Quòd, quando opinio probabilis verſatur circa materiam ſacramenti, licet materia vt ſubſtat tali opinioni non ſit certa: adhuc tamen eſt probabilis: & certum eſt, quòd ſit probabilis. Sicuti autem non ſit iniuria præceptis, neque Deo abſolutè ſequendo opinionem probabilem circa præcepta, & ea, quæ pertinent ad Deum, nec adeſt periculum peccandi formaliter, ſed tantùm materialiter: nempe faciendi actionem, quæ aliàs ſecùndum ſe eſſet peccaminoſa; ita nec ſit iniuria ſacramento, nec adeſt periculum irritandi ipſum formaliter, ſed tantùm materialiter, ſequendo opinionem probabilem circa materiam abſque conditione.

5 Et confir. Non fit iniuria ſacramento, ſi apponatur conditio, quamuis non conficeretur quia intentio miniſtrantis non eſt nec directè, nec indirectè iniurioſa ſacramento: quia non intendit conferre, ſi materia non ſit apta; at neque ſequendo opinionem probabilem ſine conditione eſt iniurioſa: quia neque directè, neque indirectè intenditur quid indignum ſacramento; ſicut nec eſt iniurioſa Deo, dum quis ſequitur opinionem probabilem.

An ſatis ſit ad Baptiſmum digitis in aqua intinctis ſignare, aut tergere infantem.

Deciſio LXXV.

SVMMARIVM.

1 *Ad Baptiſmum ſufficit digitis aqua intinctis tergere infantem.*
2 *Ablutio ſaluatur ſi baptizandus tergatur digitis aqua intinctis.*
3 *Talis modus baptizandi poteſt adhiberi in priuato Baptiſmo.*
4 *Quid ſeruari debeat in priuato Baptiſmo.*

1 RESp. affirmatiuè cum Comitolo *lib. 1. Reſponſ. Moral. quæſ. 12.* Filiuc. *tom. 1. tr. 2. cap. 2. num. 34.* Diana *3. par. tract. 4. de Sacram. reſol. 5. ver. Dicendum eſt.* Quatenus docent fuiſſe verum Baptiſmum, quem contulit mulier moribundo infanti per ſignum crucis impreſſum digito aqua madefacto.

2 Ratio autem eſt, quia ſaluatur vera ablutio facta per aquam; nam cum digitus ſecum deferat aquam, & ducatur ſupra baptizandum, aqua nedum ipſum tangit, ſed etiam trahitur ſupra corpus baptizandi; vnde fluit ſuper ipſum, atque adeo ſaluatur vera ablutio. Imò vſus etiam obtinet, quòd fiat lotio, præſertim faciei, ſolis manibus aqua intinctis; quæ ſanè eſt vera lotio, etiam ſi manus non deferat ſecum quantitatem aquæ, ſed tantùm ſufficiat ad madefaciendum; quòd ex eo patet, quia talis lotio ſufficit ad tergendas ſordes corporis.

3 Hinc autem ſit, quòd quando priuatim ob neceſſitatem vrgentem baptizatur infans, poſſit adhiberi talis modus baptizandi: quia tunc Baptiſmus non eſt alligatus modo, quo vtitur Eccleſia: quia non eſt ſolemnis, ſed priuatus.

4 Quòd

4 Quòd ſi dicas debere conformari quantum fieri poteſt conſuetudini Eccleſiæ. Reſpond. Quòd ſicut tunc attenditur tantùm ſubſtantia Baptiſmi, ita non adeſt alia obligatio, niſi ſeruandi eiuſdem ſubſtantiam quocumq; modo ſeruetur. Et ſicut quilibet poteſt eſſe miniſter, ita etiam quolibet modo conferri poteſt; nam modus, qui præſcribitur, & eſt in vſu, in ordine tantùm ad miniſtrum deputatum præſcribitur.

An aqua ex ſale reſoluto ſit ſufficiens materia pro Baptiſmo.

Deciſio LXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Aqua ex ſale reſoluto ſecùndum aliquos non eſt ſufficiens materia Baptiſmi.*
2 *Secùndum alios eſt ſufficiens,*
3 *Probabile eſt, quod non ſit materia ſufficiens.*
4 *Probabile eſt etiam, quod ſit ſufficiens materia.*
5 *Quomodo ſi adhibeatur, aſſumatur vt materia certa.*

1 NEgatiuè reſpond. Angelus *Verbo Baptiſ.* 4. *num.* 3. Syluester *Verbo Baptiſmus* 2. *in fine.* Conincḥ. *de Sacram. quaſ.* 66. *ar.* 4. *dub.* 1. *num.* 22. Quia non eſt probabile, quòd eiuſmodi aqua ſit eiuſdem ſpeciei cum aqua naturali elementari.

2 At affirmatiuam ſentent. tenent Henriquez *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 1. Fernandez *par.* 3. *Exam. Theol. Moral. cap.* 2. §. 4. *num.* 5. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *de Sacram. reſol.* 5. *ver. Sed affirmatiuam.* Quia ſal efficitur ex aqua ſalſa teſte experientia, & Ariſ. 2. *Meteor. cap.* 3.

4 Verùm licet ſal efficiatur ex aqua ſalſa, non tamen hinc licet inferre, quòd ita maneat in ipſo aqua, vt quando reſoluitur, in ipſam reſoluatur; ſed potiùs videtur quoddam mixtum ex aliquo ſpeciali ſucco concretum, quale eſt saccarum. Quod ex eo videtur etiam confirmari, quòd ſal in fodinis quoque reperitur, vbi non eſt aqua ſalſa; Deinde quia non quælibet aqua ſalſa eſt apta vt congeletur in ſalem. Vnde propter hæc exiſtimo probabile, talem liquorem non eſſe materiam ſufficientem.

4 Quia tamen apud plures probabile eſt eſſe aquam eiuſdem rationis: ideo probabile etiam erit, quòd poſſit adhiberi in Baptiſmo: nec adhibenti imputabitur ad peccatum, ſi alia aqua non ſuppetat: quia operabitur ſecùndum opinionem probabilem. Exiſtimo tamen, caſum in praxi contingere non poſſe, vt deſit aqua, & adſit ſal in aquam reſolutus.

5 Sed dices. Tunc adhibebitur materia dubia in ſacramento: quia cum tantùm probabile ſit, illam eſſe aquam eiuſdem rationis cum elementari, non poteſt eſſe materia certa. Reſp. Non aſſumi vt materiam dubiam, ſed tanquam certam: quia aſſumens ſequitur opinionem probabilem, quòd ſit eiuſdem ſpeciei cum elementari, atque adeo per iudicium rationis determinat eſſe talem. Vt autem ſtat ſub hac determinatione, non eſt ampliùs dubia, ſed certa, & vt talis aſſumitur.

An in caſu neceſſitatis poſſint in Baptiſmo adhiberi pro materia aqua roſacea, aut alij humores aquei expreſſi ex floribus, herbis, frondibus.

Deciſio LXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Humores ſeu aquæ expreſſæ ex floribus, herbis, &c. non ſunt materia apta pro Baptiſmo.*
2 *Quomodo in extrema neceſſitate, ſecùndum aliquos, poſſint adhiberi.*
3 *Nullo pacto adhiberi poſſunt.*
4 *Huiuſmodi liquores non ſunt aqua naturalis.*
5 *Charitas non obligat ad media, quæ certum eſt non eſſe media.*
6 *Quomodo adhibens hos humores peccaret.*

1 HViuſmodi liquores non eſſe materiam aptam pro ſacramento Baptiſmi, docent communiter Doctores D. Th. 3. *par. quæſ.* 66. *ar.* 4. *ad* 5. Peſantius, Nugnus, Syluius, Mercerus, Cabrera, Chelliſon. *ibid.* Ledeſma *in Sum. tom.* 1. *cap.* 3. *de Baptiſ. concluſ.* 1. Vaſquez 3. *par. tom.* 2. *diſp.* 141. *cap.* 1. *num.* 9. Hurtad. *de Sacram. tract. de Baptiſ. difficul.* 2. *in fine* Ochagauia *quæſ.* 3. *de Baptiſ. nu.* 5. Becan. *cap.* 8. *de Sacram. quæſ.* 2. *num.* 2. Bonacina *diſp.* 2. *de Sacram. quæſ.* 2. *puncto.* 3. *num.* 2. Moſcoſus *tract.* 2. *Sum. cap.* 1. *num.* 3. Villalobos *tom.* 1. *Sum. tract.* 4. *difficul.* 3. *num.* 2. Io: à Cruce *par.* 2. *Direct. quæſ.* 1. *de Baptiſ. dub.* 1. *concluſ.* 2. Zanardus *par.* 1. *Direct. Theol. de Sacram. Baptiſ. cap.* 3. Reginal. *tom.* 2. *lib.* 27. *cap.* 3. *num.* 11. Valent. *tom.* 4. *diſp.* 4. *quæſ.* 1. *puncto* 2. Molfeſ. *tom.* 1. *Sum. tract.* 4. *cap.* 1. Henriquez *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 2. Zambranus *in Deciſ. caſuum temp. mor. occurrent. cap.* 2. *de Baptiſ. num.* 2. Fernandez *par.* 3. *Exam. Theol. Moral. cap.* 2. §. 2. *num.* 3. Homobonus *tom.* 2. *Conſult. caſ. conſcient. reſp.* 3. Pitigian. *in* 4.

tom. 1. diſt. 3. quæſ. 3. ar. 3. concluſ. 2. Poſſeuin. *cap. 6. de Officio Curati quæſ. 2.* Barboſa *de Officio Parochi cap. 18. num. 43.* Rodriquez *tom. 1. Sum cap. 25. num. 1.* Layman. *lib. 5. Theol. Mor. tract. 2. cap. 3. num. 1.* Conrad. *par. 2. Reſp. caſ. conſcient. quæſ.* 78. Victoria *Sum. de Sacram. quæſ. 12.* Viual. *in Candelab. tit. de Bapt. §. De materia num. 3.* Soto *in 4. diſt. 3. quæſ. vnica ar. 4.* Angles *in Florib. tom. 1. quæſ. 1. de Baptiſmo ar. 2. concluſ. 3.* Merat. *tom. 3. tract. de Baptiſ. diſp. 2. ſect. 11. verſ. Hinc duo.* Et alij, quos citat, & ſequitur Diana *par. 5. tract. 3. de Caſib. occurrentib. tempore mor. Reſol. 2.* Quia nimirum huiuſmodi liquores aquei non ſunt vera aqua elementaris, quæ ſola eſt materia neceſſaria Baptiſmi, vt definiunt Concilia, Lateranenſe, in Cap. *Firmiter de Sum. Trinit.* Florent. *in Decreto Fidei poſt ſeſſ. vltimam § Primum omnium.* Trident. *ſeſſ. 7. can. 2. de Baptiſmo.*

2 Nihilominus Chamerota *de Sacram. tract. 2. de Baptiſ. cap. 2. dub. 2.* Purean. *in 3. par. quæſ. 66. ar. 4. num. 5.* Præpoſit. *ibid num. 22.* Tannerus *tom. 4. Theol. Scholaſt. diſp. 4. quæſ. 1. dub. 2. num. 41.* aſſerunt; In caſu extremæ neceſſitatis, quando aqua non ſuppetit, poſſe adhiberi huiuſmodi liquores aqueos: conferendo, Baptiſmum ſub conditione; Quia licet Concilia ad validitatem Baptiſmi requirant aquam naturalem, non tamen Eccleſia definiuit, quòd alia aqua in nullo alio caſu ſufficiat ad validitatem Baptiſmi. Et cum Baptiſmus ſit ſacramentum maximæ neceſitatis, poteſt ſub conditione conferri in materia dubia, deficiente indubitata; quia fieri poteſt, vt per remedium dubium ſuccurratur proximo: & nulla fit iniuria ſacramento: & charitas obligat vt adhibeatur omne medium.

3 Hæc doctrina nullo modo tenenda eſt; Quia cum Concilia definiant, quòd aqua naturalis ſit materia neceſſaria ad validitatem ſacramenti Baptiſmi, certum manet, quòd ſine ipſa non poteſt confici in quocunq; caſu. Quia vbi deeſt materia ſacramenti, nullo modo fit ſacramentum. Et per hoc ſufficienter eſt ab Eccleſia definitum, quòd in nullo alio caſu alia aqua ſufficiat ad validitatem Baptiſmi; nam definiendo, quòd aqua naturalis ſit materia neceſſaria, ſimul etiam definiuit, quòd in nullo caſu poſſit ſine ipſa fieri ſacramentum; cum certum ſit, quòd non poſſit fieri vnquam ſine vera materia eſſentiali.

4 Rurſus certum eſt etiam, quòd huiuſmodi liquores non ſint aqua naturalis, licet eam referant; nam habent ſinguli proprias virtutes proportionatas rebus, ex quibus extrahuntur: & ſunt ſucci quidam habentes ſinguli propriam ſubſtantiam.

5 Et quamuis Baptiſmus ſit remedium omnino neceſſarium, & charitas obliget ad adhibendum omne medium; non tamen obligat ad illud medium, de quo certum eſt, non eſſe medium; nec poteſt adhiberi ſine iniuria Eccleſiæ, & ſacramenti. Et cum ex ipſius vſu non poſſit ſperari aliquod remedium pro baptizando, irrationabiliter adhiberetur.

6 Et ſi adhibens putaret, quòd quamuis non eſſet aqua, adhuc poſſet confici ſacramentum, dubius eſſet circa definitionem Conciliorum, an eſſent vera. Nec poſſet excuſari, quòd dubius eſſet, an ſit vniuerſalis complectens quoſcunque caſus: quia cum abſolutè definiant aquam naturalem eſſe materiam neceſſariam ad validitatem Baptiſmi, non poteſt dubitari, quòd definitio non complectatur quemcumque caſum.

An poſſit conferri Baptiſmus ſub conditione in extrema neceſſitate cum humore aqueo ſtillante ex vitibus, & alijs arboribus.

Deciſio LXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Baptiſmus in extrema neceſſitate secùndum aliquos non poteſt conferri cum humore ſtillante ex arboribus.*
2 *Quia hic humor non eſt aqua.*
3 *Secùndum alios poteſt conferri.*
4 *Talis humor eſt probabiliter aqua.*
5 *Poteſt vrgente neceſſitate adhiberi pro materia in Baptiſmo.*
6 *Præſumitur vſus huius humoris in caſu neceſſitatis secùndum intentionem Eccleſiæ.*
7 *Quomodo in tali caſu poſſit Baptiſmus conferri ſub conditione.*

1 NEgatiuè reſpond. Henriquez *lib. 2. cap. 6. num. 2.* Zanar. *in Direct. Confeſſar. par. 1. de ſacram. Baptiſ. cap. 3.* Filliucius *tom. 1. tract. 1. cap. 2. num. 6.* Couinch. *de ſacram. quæſ. 66. ar. 4. dub. 1. num. 23.* Valent. *tom. 4. diſp. 4. quæſ. 1. puncto 2. ver. Tertia regula* Fernandez *par. 3. Exam. Theol. Moral. cap. 11. §. 2. num. 3.* Diana *par. 3. tract. 4. de ſacram. Reſol. 5. ver. quæritur tertiò.*

2 Ratio eſt; quia talis humor non eſt aqua, ſed ſubſtantialiter eſt ſuccus: quamuis propter perſpicuitatem, & ſimilitudinem appelletur aqua.

3 Oppoſitum docet Io. à Cruce *par. 2. Direct. quæſ. 1. de Baptiſ. dub. 1. concluſ. 2.* Quia putat eſſe aquam ſimplicem, & elementarem.

4 Pro deciſione Exiſtimo probabile eſſe, quòd ille

ille humor, ſtillans ex arboribus, ſit ſubſtantialiter aqua, quia nihil aliud eſt, quàm humor, qui attrahitur è terra, & ab arbore, ſeu vite concoqui non poteſt; vnde effluit per poros ipſius. Quod ex eo patet, quia id præſertim contingit tempore veris, quo virtus concoctiua arborum eſt debilitata à precedenti frigore, & traditur plurimus humor ob indigentiam reſtaurationis, qui poſtea effluit, cum non poſſit concoqui.

5 Vnde, cum probabile ſit eſſe aquam ſubſtantialiter: in extrema neceſſitate, non ſuppetente alia aqua, poterit adhiberi: quia poterit amplecti opinio probabilis, quòd ſit aqua, & tunc miniſter illam aſſumere vt aquam iam determinatam per opinionem probabilem, & baptizare ſaltem ſub conditione. Nec in hoc vlla fiet iniuria ſacramento.

6 Ratio eſt: quia non fit iniuria ſacramento, niſi quatenus fit Eccleſię, & capiti ipſius Chriſto; cum autem Eccleſia ſit benigna mater, & deſideret omnium ſalutem, quantum fieri poteſt, non eſt cenſendum, quòd nolit prouideri de remedio pro baptizando: niſi omnino certi ſimus de materia ſacramenti: Sed potiùs, quòd velit, vt quocunque modo prouideamus, quo probabiliter iudicamus, valiturum remedium.

7 Sed dices. Si aſſumitur ille liquor tanquam aqua ſic iam determinata per opinionem probabilem, poterit conferri baptiſmus abſolutè, & abſque vlla conditione quòd ſit vera materia: quia iam ſupponitur vera materia. Reſp. quòd licet ſupponatur vera materia, & vt talis aſſumatur: quia tamen veritas materiæ non fundatur in ipſa certitudine, ſed in pobabilitate opinionis, quæ ſecum patitur aliquam formidinem, ideo ad euitandam irreuerentiam erga ſacramentum, de qua poteſt timeri ſtante ſola probabilitate, adhiberi poteſt conditio: licet hoc non ſit neceſſarium, ſed poſſit etiam abſolutè conferri.

An Baptiſmus poſſit confici in lixiuio?

Deciſio LXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Baptiſmus confici poteſt in lixiuio.*
2 *Alteratio facta in lixiuio eſt perfectiua aquæ, vt ordinatur ad ablutionem.*
3 *Aliæ quoque aquæ alteratæ per infuſionem herbarum ſufficiunt pro Baptiſmo.*
4 *Baptiſmus priuatus in lixiuio, &c. & dictis aquis alteratis non continet peccatum.*

1 RESP. affirmatiuè cum D. Th. 3. *par. quæſ. 66. ar. 4. ad. 5.* & communi ſenten. præſertim Coninch. *ibid. dub. 1. nu.* 22. Io. à Cruce *par. 2. Direct. conſcient. quæſ. 1. de Baptiſ. dub. 1. concluſ.* 2. Soto *in 4. diſt. 3. ar. 4. ad 4.* Syluestro *verbo Bapt. 2. num. 3. in fine* & alij Deciſ. *ſequenti* citandi contra Pallud. *in 4. diſt. 3. quæſ. 3.* Ratio autem eſt, quia in lixiuio manet ſubſtantia aquæ, quæ tantùm alteratur ex eo, quòd cum cinere concoquitur.

2 Addo etiam, quòd talis alteratio non eſt deſtructiua aquæ, quatenus ordinatur ad ablutionem, ſed perfectiua: quia redditur magis apta ad abluendum. Vnde non eſt alteratio, quæ tollat in aqua moralem aptitudinem ad abluendum: & proinde optimè poſſunt verba Baptiſmi verificari.

3 Ex his colligitur, Eamdem eſſe rationem de cæteris quoque aquis, quæ per infuſionem herbarum, aut florum alterantur, vt ſint magis aptæ ad lauandum: quia talis alteratio non deſtruit ſubſtantiam aquæ, nec moralem aptitudinem ipſius ad abluendum: imò perficit aquam accidentaliter in aptitudine ad lauandum.

4 Secundò colligitur. Quòd, ſi quis baptizaret in lixiuio, aut huiuſmodi aquis, quando baptiſmus eſt priuatus, non peccaret, ſaltem mortaliter, quia materia eſſet apta; Nec etiā per conſuetudinem eſt prohibita: quia, conſuetudo Eccleſiæ adhibendi aquam conſecratam pertinet tantùm ad Baptiſmum publicum. In Baptiſmo autem priuato adhibetur ordinaria aqua, nec adeſt aliqua prohibitio, quòd ſit alterata. Hoc autem præſertim habet locum, ſi fieret propter commodum baptizandi.

An Baptiſmus confici poſſit in aqua iurulenta decoctionis carnium & aliorum elibatorum.

Deciſio LXXX.

SVMMARIVM.

1 *Quando Baptiſmus poſſit confici in aqua iurulenta.*
2 *Aqua iurulenta non eſt habenda pro aqua.*
3 *Talis aqua non eſt apta ad abluendum: vnde nec ad verificanda verba Baptiſmi.*
4 *An aqua lutulenta apta Baptiſmo.*
5 *Aqua iurulenta quando, & quomodo poſſit adhiberi in Baptiſmo.*

1 RESP. D. Th. 3. *par. quæſ. 66. ar. 4. ad 2.* poſſe validè confici, niſi ſit tanta reſolutio corporum elixatorum, vt aqua plus ha-

beat de aliena ſubſtantia, quàm de propria, quem ſequuntur Sotus *in 4. diſt. 3. quaſ. vnica ar. 4. ad 2.* Sylueſter *verbo Baptiſmus. 2. num. 3.* Tabiena § 6. Palud. *in 4. diſt. 4. quaſ. 3.* Henriquez *lib. 2. Sum. cap. 6. num. 2.* Coninch. *De ſacram. quaſ. 66. ar. 4. dub. 1. num. 22.* Tolet. *lib. 2. cap. 17.* vbi etiam Victorel. Viguer. *Inſtit. Theol. tit. 2. § 1. cap. 16.* Valent. *tom. 4. diſp. 4. quaſ. 1. punc. 2. ver. Prima regula.* Suarez *tom. 3. in 3. par. diſp. 20. ſect. 1. concluſ. 2.* Io. à Cruce *par. 2. Direct. conſcient. quaſ. 1. de Baptiſ. dub. 1. concluſ. 2.* & communiter. Ratio eſt, quia quando aqua plus habet de propria ſubſtantia, quàm de aliena, adhuc cenſetur aqua: & ideo pro aqua adhiberi poteſt.

2 Contra hanc tamen doctrinam vrget difficultas; nempe Quòd aqua concoctionis carnium, & aliorum eſculentorum eſt adeo commixta cum ſubſtantia rerum concoctarum, quæ ex vi concoctionis effluit, vt non amplius habeatur pro aqua: quamuis enim conſeruetur ſubſtantia aquæ, adhuc tamen, ſubſtantia elixatorum effluens ita in minutiſſimas partes diuiditur, & cum ipſa commiſcetur, vt efficiatur ſaltem quoddam mixtum imperfectum; quòd ex eo patet, quia inſeruit pluribus vſibus, quibus non inſeruit aqua: acquirit diuerſum ſaporem, & habet alia accidentia diuerſa ab accidentibus aquæ: & potius imitatur in effectibus ſubſtantiam rerum concoctarum, quàm aquæ.

3 Præterea. Huiuſmodi aqua concoctionis non videtur apta, vt ſupra ipſam verificentur verba *Ego te baptizo*: non enim eſt apta ad lauandum, imò moraliter cenſetur inepta: quia præſtat effectum contrarium, cum polluat. Et ſicut, ſi quis alteri infunderet oleum, aut atramentum, falſò diceret *Ego te lauo*, quia pollueret, ita etiam infundens huiuſmodi aquam. Ablutio enim eſt ordinata ex intrinſeca ſua ratione ad detergendas ſordes, non ad polluendum; & ideo quæ polluit, non poteſt dici ablutio. Et proinde cum in Baptiſmo materia proxima ſit ablutio, quæ ſignificat internam ablutionem animæ, debet fundari in ea materia, quæ ſit apta abluere: alioquin nec verba verificarentur, nec heberetur ſignificatio internæ ablutionis.

4 Dices. Sequeretur quòd neque aqua lutulenta poſſet adhiberi, quia hæc quoque polluit. Reſpond. neg. quòd hoc ſequatur: niſi fortè ſit adeo lutulenta, vt potius lutum ſit. quia terræ admixto, ratione cuius ſit lutulenta, non impedit lotionem, vt experientia patet, imò potius adiuuat; vnde aliquando ad detergendum dedita opera admiſcetur aquæ arena, vel aliud genus terræ.

5 Itaque non auderem huiuſmodi aquam adhibere etiam in caſu extremæ neceſſitatis, niſi conferendo Baptiſmum ſub conditione; quia tunc ratione neceſſitatis, & conditionis appoſitæ vitatur irreuerentia ſacramenti, quæ contingere poſſet ratione iterationis.

An vrgente neceſſitate poſſit conferri Baptiſmus cum materia dubia.

Deciſio LXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Vrgente neceſſitate poteſt conferri Baptiſmus cum materia dubia.*

2 *Neceſſitate vrgente, omni meliori modo ſubueniendum eſt ſaluti proximi.*

3 *Conditio adhibita materiæ dubiæ tollit irreuerentiam.*

1 RESp. affirmatiuè, dummodò conferatur ſub conditione, ſi materia ſit apta, cum Soto *in 4. diſt. 3. quaſ. vnica ar. 4. ad 4.* Scoto *quaſ. 3.* Ledeſma *quaſ. 7.* Henriquez *lib. 2. Sum. cap. 6. num. 2.* Valent. *tom. 4. diſp. 4. quaſ. 1. puncto 2. ver. quarta regula* Coninch. *de ſacram. quaſ. 66. ar. 4. dub. 1. num. 22.* vbi ait, Omnes ita fateri. Lugo *diſput. 8. de ſacram. in genere ſect. 9. num. 140.* Diana *par. 5. tract. 3. De caſib. occurrentib. temp. mor. Reſol. 2. ver. Non deſinam.*

2 Ratio autem eſt, Quia vrgente neceſſitate charitas obligat vt ſubueniamus ſaluti ſpirituali baptizandi omni meliori modo, quo fieri poteſt. ergo etiam conferendo Baptiſmum cum materia dubia: quia licet ſubuentio ſit dubia, adhuc tamen poteſt prodeſſe.

3 Nec obſtat irreuerentia ſacramenti: quia adhibendo conditionem, nulla irrogatur iniuria; quia in tantùm adeſſet irreuerentia, in quantùm intenderetur confici ſacramentum per aliquid dubium, quod poſſet reddere irritum: hoc autem non contingit: quia non intenditur quòd ſacramentum conficiatur, niſi materia ſit apta ad conficiendum: quòd ſi non eſt apta, interuenit etiam ex intentione miniſtrantis tantùm illa externa actio, nec ordinatur ad ſacramentum. Hinc Cap. *De quibus. De Baptiſmo* præcipitur, baptizari eos ſub conditione, de quibus dubium, eſt an ſint baptizati; Quia conditio tollit, quòd non iteretur ſacramentum: atque adeo excluditur irreuerentia, quæ [illegible] iteretur ex iteratione.

De Chori Præfecto.

An peccet Chori Præfectus ſi omittat corrigere, & caſtigare defectus in Choro commiſſos ab ijs, qui Choro addicti ſunt.

Deciſio LXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Chori Præfectus peccat ſecùndum aliquos ſi omittat caſtigare defectus.*
2 *Quid præſtare debeat chori præfectus ratione ſui officij.*
3 *Chori præfectus tenetur dirigere orationem chori.*
4 *Quando peccet venialiter, & quando grauiter.*
5 *Non tenetur corrigere defectus, qui committuntur extra recitationem.*
6 *Debet prouidere, ne turbetur oratio publica.*
7 *Ad quid teneatur Præfectus chori Regularium.*

1 Affirmatiuè reſpondet Nauar. *cap. 16 de Orat. num. 78.* & conſentit Io: Ægid. Trullench *opuſc. de Oblig. aſſiſ. in Choro dub. 3. num. 28.* ita vt peccet mortaliter cum in materia graui omittit corrigere: venialiter autem quando omittit in materia leui. Quod etiam extendunt, ſi omittat corrigere: ne correpti conquerantur de ipſo.

2 Verùm fundamentum, in quo fundant hanc doctrinam, non eſt tale, vt ex ipſo deduci poſſit, quòd peccet, vniuerſaliter loquendo, quando omittit corrigere defectus, qui in choro committuntur. Ex eo enim, quòd qui poteſt, & debet, & non corrigit, peccat, vt habetur in Cap. *Sed illud diſt. 45.* non ſequitur quòd ratione ſui officij teneatur corrigere omnes errores in choro commiſſos; quia ex eo, quòd Præfectus ſit, pertinet tantùm ad ipſum regimen chori: atque adeo tenetur tantùm ratione officij impedire defectus chori, quatenus ſubeſt ipſius regimini.

3 Quia autem ſubeſt tantúm ſecùndum recitationem officij, quam tenetur dirigere tanquam orationem quamdam publicam, eam præſcribendo ſecùndum conſuetas rubricas, & cæremonias: ideo ratione ſui muneris tenetur ſolùm corrigere defectus huius publicæ orationis: ita vt rectè procedat in ratione publicæ orationis; non autem defectus particulares interuenientium huic orationi: niſi ſint tales, quòd vitient ipſam publicam orationem. Nam perſonæ particulares non ſubſunt regimini ipſius, vt particulares perſonæ ſunt, ſed ſolùm vt actu communicant in publica oratione; quia ſubſunt tantùm ratione publicæ orationis; Vnde ſi quis in choro furaretur, non teneretur ratione ſui muneris ipſum corrigere.

4 Hinc autem fit, quòd peccet venialiter omittendo corrigere ea, quæ leuiter inficiunt publicam orationem; quæ autem grauiter inficiunt, teneatur corrigere ſub mortali; quod tamen raró contingere poteſt: quia defectus vt plurimùm leues ſunt.

5 Secundò ſequitur. Non teneri Præfectum corrigere eum, ratione ſui muneris, qui vel confabulatur, vel alio modo ita ſe gerit, vt non ſatisfaciat recitationi officij, aut aſſiſtentiæ chori. Ratio eſt, quia hic ſe ſubtrahit communicationi in oratione publica: atque adeo etiam iuriſdictioni Præfecti chori, cui ſubeſt ex eo, quòd communicat in publica oratione, quam ipſe ex officio dirigit. Non tenetur autem compellere ad communicandum: quia ius ipſius eſt immediatè ſupra orationem chori, non autem ſupra perſonas, ad quas tantùm extenditur ratione orationis, cui ſe addicunt.

6 Quia tamen contingere poteſt, quod ipſa oratio publica grauiter turbetur ab ijs, qui in ipſa non communicant: ideo chori Præfectus, quia tenetur eam manutenere, debet prouidere ne turbetur, & perturbantes tenetur corrigere, non autem punire: cum non habeat ſupra ipſos iuriſdictionem.

7 Denique hæc non ſolùm procedunt de Præfecto chori, cui inſeruiunt Canonici, aut Præbyteri ſæculares, ſed etiam de Præfecto chori Regularium, ſiue de eo, ad quem ſpectat regimen ipſius. Nam ratione ſui muneris ipſe quoque non habet aliud ius, quàm ad dirigendam publicam orationem. Et licet Regulares choro aſſiſtentes ad aliquid aliud teneantur iuxta præſcriptionem ſuæ regulæ, ad quod non tenentur ſæculares: dum in hoc peccant, debent à Superiori corrigi, non à Præfecto chori: niſi hoc ipſum quoque inficiat publicam orationem.

An peccet Chori Præfectus, ſi abſit à Choro tempore Diuini Officij.

Deciſio LXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Chori Præfectus peccat ſi abſit à choro tempore Diuini Officij ſecùndum Trullench.*
2 *Niſi gratis inſeruiat, aut cum exiguo emolumento.*
3 *Chori Præfectus etiam abſens poteſt dirigere recitationem officij.*

4 *Chori Præfectus, ſi non timeat de aliquo inconuenienti, poteſt abeſſe à choro.*
5 *Tenetur præcauere etiam errores leues.*
6 *Quinam ſint graues, & quinam leues errores in recitatione Officij.*

SVpponimus, quòd nullum alium ſubſtituat, qui ſuas vices gerat; Et quæritur, an talis abſentia culpabilis ſit, quando non eſt ex legitima cauſa: ex eo, quòd vt Præfectus ratione muneris teneatur aſſiſtere.

1 Affirmatiuè reſp. Io: Ægid. Trullench *opuſc. de Oblig. aſſiſt. in Choro dub. 3. num. 34.* Hoc autem ex eo deducit, quia ratione muneris tenetur dirigere chorum: præſertim ſi intuitu talis muneris habeat aliquas peculiares diſtributiones, aut aliquod ſtipendium: quia tunc prætermittit, quod ex iuſtitia tenetur exhibere; vnde ſi abſit tempore notabili, peccatum erit mortale, quia notabiliter defraudat quod debet.

2 Addit tamen, quòd ſi gratis tale munus exerceat, aut habeat emolumentum adeo exiguum, vt pro nihilo reputetur, non peccat: quia ſatisfacere videtur, ſi adſit per ſe, quando commodè poteſt: quia conſuetudine interpretante ſub tali conditione acceptatur officium.

3 Verùm exiſtimo hanc ſententiam eſſe nimis ſcrupuloſam. Quia Præfectus chori tenetur tantùm dirigere chorum ex munere ſuo, in ordine ad recitationem Diuini officij; hoc autem poteſt præſtare, vt plurimùm, abſque eo, quòd ſit præſens, præſcribendo antea id, quod præſens præſcriberet; quod commodè fieri poteſt: præſertim quando officium non eſt ſolemne; quia tunc conſuetudo in ijs, quæ peragenda ſunt, ſupplet præſentiam Præfecti, & inſeruit loco directionis; quando enim ex directione aliquibus aſſueuimus, ceſſat eſſe neceſſaria ipſa directio.

4 Vnde quando chori Præfectus cenſet probabiliter, nullum ſequuturum inconueniens ex ſua abſentia, poteſt commodè abeſſe abſq; ſcrupulo, quantum eſt ex viſu muneris; & niſi aliunde obligetur intereſſe; ſecus autem quando timet de aliquo defectu, aut inconuenienti: quia tunc tenetur prouidere ne contingat.

5 Sed, quæret aliquis, an teneatur præcauere omnes defectus, & errores etiam leues. Reſp. affirmatiuè. Quia debet perfectè munus ſuum implere: atque adeo exhibere perfectam directionem, quæ impediat omnes defectus; & ideo tenebitur præcauere graues ſub peccato mortali, leues autem ſub veniali.

6 Si autem quæras: Quinam ſint errores, & defectus graues, & quinam leues. Reſp. Illos eſſe graues, qui iudicio prudentia viri notabiliter deturpant recitationem Diuini officij: aut quæ cum ipſa connexa ſunt: vt ſunt cœremoniæ, & alia huiuſmodi; quia in vnoquoque genere eſt error grauis defectus rei notabilis. Et quia huiuſmodi defectus contingere poteſt abſque culpa illius, à quo committitur: ideo, vt ſit grauis, non eſt neceſſe, quòd contineat peccatum mortale: ſed ſufficit, quòd notabiliter deturpet. Et quia Præfectus chori debet ſcire, quænam ſit notabilis deturpatio, & aduertere ratione muneris: ideo ipſe peccat mortaliter, ſi non impediat.

An Præfectus Chori teneatur reſtituere diſtributiones, quas iniuſtè miniſtri percipiunt, eo ſciente, & non impediente.

Deciſio LXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Si Præfectus chori non impediat recipientes diſtributiones iniuſtè, tenetur ad reſtitutionem ſecundum Trullench.*
2 *Etiam ſi nullum ſtipendium percipiat intuitu officij.*
3 *Peccat mortaliter ſi non moneat diſtributorem de iniuſta perceptione, ſi modo ad ipſum ſpectet regulare diſtributiones.*
4 *Non tamen tenetur ad reſtitutionem.*
5 *Nec ad reſtitutionem partis ſtipendij.*
6 *Quando teneatur etiam ad reſtitutionem diſtributionum.*
7 *Quando ex omiſſione conſurgat obligatio reſtituendi ex iuſtitia.*
8 *Præfectus chori interrogatus tenetur ex iuſtitia manifeſtare eos, qui non poſſunt percipere diſtributiones.*

1 REſp. affirmatiuè Io: Ægid. Trullench. *opuſc. de Oblig. aſſiſ. & canen. in Choro dub. 3. num. 33.* Quia, iuxta doctrinam quamplurium, qui tenetur, & poteſt impedire, & non impedit damnum, quod ab alio infertur, cenſetur cooperari iniuſtitiæ; Præfectus autem chori habet ſpecialem obligationem impediendi quòd diſtributiones iniuſtè percipiantur, & poteſt; vnde ſi non impediat, vt cooperans iniuſtitiæ tenetur reſtituere.

2 Addit inſuper. Quòd, etiam ſi nullum ſtipendium percipiat, ratione muneris adhuc teneri ad reſtitutionem: quia cum officium includat obligationem impediendi, ne diſtributiones iniuſtè percipiantur: qui acceptat officium, voluntariè etiam ſuſcipit obliga-

tionem

Digitized by Google

tionem huiuſmodi; vnde eadem lege iuſtitiæ tenetur, ac ſi pro officio reciperet ſtipendium.

3 Verùm hæc ſententia omnino non placet; Vnde ſuppoſito, quòd ad munus Præfecti ſpectet regulare diſtributiones, ita vt non fiant, niſi ſeruata debita iuſtitia: exiſtimo peccare mortaliter; niſi moneat diſtributores, quinam non poſſint iuſtè percipere diſtributiones: quia in re graui non implet munus ſuum. Et hoc verum eſt, etiam ſi gratis exerceat munus; quia hæc eſt obligatio muneris; & eo ipſo, quòd munus aſſumit, aſſumit etiam obligationem, quam tenetur implere.

4 Quod autem ſpectat ad reſtitutionem, Non ita facilè eum obligarem ad reſtituendum diſtributiones iniuſtè perceptas. Quia licet peccet non implendo munus ſuum, non tamen facit contra iuſtitiam in ordine ad diſpenſationem diſtributionum; nam ad diſtributores pertinet ex officio iuſtè diſtribuere; & conſequenter inquirere, quinam iuſtè poſſint percipere; & ideo ſi omittant inquirere, ipſi peccant contra iuſtitiam: quia in illa omiſſione volunt indirectè iniuſtitiam; non autem Præfectus chori, ſi omittat monere diſtributores: quia ex hac omiſſione non ſequitur per ſe illa iniuſtitia, ſed per accidens; Nam ipſa poſita, non ſequeretur, niſi poneretur alia quoque omiſſio, qua diſtributores omittunt inquirere. Quæ eſt vera cauſa per ſe talis iniuſtitiæ.

5 Ex quo fit, quòd Præfectus chori ſolùm faciat contra iuſtitiam, qua tenetur munus ſuum exhibere. Non tamen, ſi accipit ſtipendium, tenebitur ad aliquam partem reſtituendam, quæ correſpondeat huic omiſſioni; quia ſtipendium datur intuitu oneris, & laboris annexi tali muneri, & reſpicit ipſum indiuiſibiliter, non quidem quò ad tempus, quo debet illud exercere, ſed in ordine ad diuerſas functiones; & ideo ſi aliquam omittat, dummodo tamen alias exhibeat, iuſtè percipit totum ſtipendium; quia omiſſio vnius functionis non eſt omiſſio exercitij muneris; præſertim quia omiſſio iſtius eſt omiſſio exigui laboris, & oneris: vnde reducitur ad paucitatem materiæ.

6 In eo tamen caſu, in quo Diſtributores ab ipſo inquirerent, an quiſque iuſtè diſtributiones percipiat, niſi manifeſtaret quinam nequeat percipere, obligaretur ad reſtitutionem: quia ex officio tenetur manifeſtare, & non manifeſtando vult omiſſionem illius, ex quo per ſe ſequitur iniuſtitia; vnde peccat contra iuſtitiam, quatenus indirectè vult inæqualitatem.

7 Hinc ad rationem oppoſitæ ſent. Reſp. Eum ſolum, qui tenetur impedire ex iuſtitia, & non impedit, ſi ſequatur damnum ex hoc, quòd non impediat, teneri ad reſarciendum: ſecus autem ſi teneatur ex aliquo alio capite. Rurſus, Vt conſurgat huiuſmodi obligatio, debet obligatio iuſtitiæ eſſe in ordine ad manutenendam rem illam, in qua conſequitur damnum: alioquin ſi obligatio iuſtitiæ ſit ad aliud, ſi damnum ex omiſſione ſequatur, non fit contra iuſtitiam in ordine ad rem illam: cum obligatio iuſtitiæ non ſit ad ipſam. Præfectus autem chori non habet obligationem iuſtitiæ in ordine ad diſpenſationem diſtributionum, ſed tantùm diſtributores; nam obligatio illius ſe extendit ſolùm ad exhibendum regimen ſuum circa chorum.

8 Quia tamen, ſi interrogetur, tenetur ex iuſtitia manifeſtare, quinam iniuſtè perciperent (nam hæc manifeſtatio pertinet ad munus, quod debet ex iuſtitia adminiſtrare) ideo tenetur tunc ad reſarciendum damnum.

De Confeſſarij electione iuxta Priuileg. Cap. Fin. de Pœnitentia.

An Cardinales Epiſcopi, & Cardinales Legati poſſint ſibi eligere Confeſſarium, qui à proprio Epiſcopo non ſit approbatus.

Deciſio LXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Cardinales Epiſcopi, aut Legati non poſſunt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum à proprio Ordinario ſecùndum aliquos.*
2 *Declaratio Sacræ Congregat. ſuper hoc.*
3 *Poſſunt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum à proprio Ordinario.*
4 *Cardinales Epiſcopi, aut Legati non ſubduntur Ordinarijs loci.*
5 *Tridentinum non tollit Priuileg. Cap.* Fin. de Pœnitent.
6 *Finis Tridentini in requirenda approbatione Ordinarij pro Confeſſarijs.*
7 *Quomodo accipienda declaratio Congregat. de qua num. 2.*
8 *Quomodo non approbatus ab Ordinario non ſit idoneus Confeſſarius.*

1 NOn poſſe tradit Azor. *tom. 2. lib. 4. cap. 6. quæſ. 16. ver. Quæres, an Cardinales.* Præpoſit. 3. *par. quæſ. 7. de Pœnit dub. 7. num. 56. ver. Circa dicta, &c.* Hurtad. *diſp. 10. de Sacram. Pœnit. difficul. 13. init.* Chelliſon. *quæſ. 8. de Sacram. Pœnit. ar. 5. dub. 1. in fine.* Quia priuilegium eligendi ſibi Confeſſarium conceſſum

ceſſum Prælatis etiam minoribus in Cap. Ne *pro dilatione de Pœnit.* habebat locum ante Concil. Trident. ceſſauit autem poſt Trident. quia *ſeſſ. 23. cap. 15. de Reformat.* decernit; Nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſecularium audire, etiam ſacerdotum, nec idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur neceſſarium, aut alias idoneus iudicetur.

2 Quòd ſi dicas. Concil. non derogare priuilegio Cardinalium: quia nomine ſacerdotum non intelliguntur Epiſcopi, & Legati; nam ſimplici appellatione ſacerdotum non compræhenduntur in pœnis, & odioſis ſacerdotes aliqua dignitate prædiri, ſed tantùm ſimplices ſacerdotes. Reſp. Quicquid ſit de hoc, & alijs ſimilibus argumentis, Gregorium XIII. conſultum de hac re, vt habetur in Declar. Cardinal. ſuper Concil. Trident. reſpondiſſe: Potiùs eſſe inhærendum verbis Concilij, quàm Epiſcopis.

3 At oppoſitum tenendum eſt cum Doctoribus infra Deciſ. 92. pro ſecunda ſent. adducendis, & ſpecialiter Beſſio *de Iubilæo ſect. 3. caſu* 2. §. 4. *num.* 110. qui hoc etiam docent de cœteris Cardinalibus, qui nec Epiſcopi, nec Legati ſunt: nimirum poſſe eligere ſibi in Confeſſarium non approbatum à proprio Ordinario.

4 Ratio autem eſt, quia non ſubduntur Epiſcopis in foro pœnitentiali, etiam ſi ſint extra Diœceſim, ſeu locum, in quo exercent iuriſdictionem; ſed ſunt tanquam Ordinarij in ſua familia: & ideo non indigent iuriſdictione in Confeſſario ei collata à proprio Ordinario: cum talis iuriſdictio reſpiciat ſubditos eiuſdem Ordinarij. Sed ipſe eam tradit: atque adeo nec indiget, quòd approbatus fuerit: quia approbatio eſt tantùm in ordine ad communicandam iuriſdictionem, non autem per ſe facit ad poteſtatem abſoluendi. Et confir. Si deberet eſſe approbatus ab Ordinario, non poſſet abſoluere Cardinalem, niſi in virtute iuriſdictionis acceptæ à proprio Ordinario; vnde Cardinalis ſubijceretur iuriſdictioni Ordinarij.

5 Deinde per Concil. Trident. non aufertur priuilegium conceſſum in Cap. Ne *pro dilatione de Pœnit.* quia inhærendo etiam verbis ipſius, reſtringitur decretum ad ſæculares, etiam ſacerdotes. Nec nomine ſacerdotum poſſunt intelligi Cardinales: quia licet ſint ſacerdotes, ratione tamen dignitatis conſtituuntur in ſpeciali ordine Superiori: & ideo non veniunt appellatione ordinis inferioris, præſertim in pœnalibus, & odioſis: nam iuxta regulam *Odia de Regulis iuris in 6.* Odioſa reſtringenda ſunt, & fauorabilia amplianda.

6 Quòd ſpecialiter locum habet, quando eadem ratio extendi non poteſt: quia ceſſante ratione ob quam lex lata eſt, ceſſat etiam lex. Et ideo cum Concil. decernat: Nullum Confeſſarium poſſe excipere confeſſiones ſæcularium, etiam ſacerdotum, niſi ſit approbatus ab Ordinario, ea ratione, vt quiſque recognoſcat paſtorem: & vt Confeſſarius cum dependentia ab Epiſcopo, eiuſdem ſubditis ſacramentum pœnitentiæ adminiſtret: cum hæc ratio ceſſet in Cardinalibus, qui non ſubduntur Epiſcopo: neque ipſum vt proprium paſtorem debent recognoſcere: neque etiam ad ipſos poteſt extendi lex ex hoc quoq; capite.

7 Neque declaratio allata *num.* 2. aliquid obſtat, Tum quia non conſtat, an legitima ſit, neque vlla fides tanquam declarationi eſt adhibenda, cum non ſit in authentica forma, ex Decreto Vrbani VIII. *ſub die 2. Aug.* 1631. Tũ etiam quia non eſt reſponſio Pontificis tanquam Pontificis, ſed tanquam Doctoris, & in oppoſitũ adſunt plures Doctores. Tum etiam quia inhærendo verbis Concilij, vt vult Pontifex, decretum extenditur ad eos tantùm, qui in odioſis veniunt nomine ſacerdotis, quales non ſunt Cardinales.

8 Et ſi inſtes. Quòd qui non eſt approbatus à ſuo Ordinario, non eſt idoneus; atque adeo non poſſe eligi ab eo, qui habet poteſtatem eligendi. Reſp. non eſſe idoneum reſpectu eorum, qui in foro pœnitentiali omnino ſubduntur Ordinario: ſecus autem reſpectu eorum, qui non ſubduntur. Nam iſti ſicut poſſunt eligere, ita etiam poſſunt pro ſe approbare: nam in hoc habent eamdem facultatem, quam habent Ordinarij. Adde non eſſe idoneum quò ad præſumptionem iuris, non autem quo ad ſufficientiam; & ideo ſolùm non poteſt eligi ſtando in iure communi, ab eo, qui non poteſt conferre iuriſdictionem, ſecus autem habita ratione priuilegij.

An Epiſcopi non Cardinales poſſint ſibi extra Diœceſim eligere Confeſſarium non approbatum à proprio Ordinario.

Deciſio LXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopi non poſſunt extra Diœceſim eligere ſibi Confeſſariũ non approbatum ſecundum aliquos.*

2 *Priuilegia inſerta in corpore iuris non tolluntur per clauſulam generalem.*

3 *Tridentinum, vt Confeſſarius ſit idoneus, requirit approbationem Ordinarij.*

4 *Epiſcopi*

4 *Epiſcopi extra Diœceſim poſſunt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum.*

5 *Priuilegium Cap.* Fin. de Pœnit. *manet in ſuo robore, etiam poſt Trident.*

6 *Epiſcopi non includuntur in odioſis ſub nomine ſacerdotis.*

7 *Conditio approbationis Confeſſarij ab Ordinario non eſt neceſſaria in ordine ad Epiſcopos.*

8 *Prælatus poteſt quò ad ſe, quod poteſt quo ad ſubditos.*

9 *Etiam extra locum propriæ iuriſdictionis, ſi ſit exemptus.*

10 *Epiſcopus extra propriam Diœceſim poteſt approbare reliquias.*

11 *Poteſt extra Diœceſim approbare Confeſſarios pro Diœceſi.*

12 *De qua idoneitate intelligendum Trident. pro qua requirit quòd Confeſſarius approbetur ab Ordinario.*

13 *Declarationes Congregationis non habent vim, niſi ſint in authentica forma.*

1 NEgatiuè reſp. Suarez 3. *par. tom.* 4. *diſp.* 28. *ſect.* 4. *num.* 8. Riccius *tom.* 1. *Prax. reſol.* 470. *num.* 2. Graff. *tom.* 2. *lib.* 5. *conſil.* 4. *de Pœnit. & remiſ. num.* 13. Facundez *lib.* 7. *in Præcep. Eccleſ. cap.* 2. *num.* 78. *& ſequent.* Azor. *par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *quæſ* 16. Fillinc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 9. *nu.* 256. Molfeſ. *tom.* 1. *Sum. tract.* 7. *cap.* 15. *num.* 34. Coninch. *diſp.* 8. *de Pœnit. num.* 50. Megala *par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 18. Alphonſus de Leone *tract. de Iubil. par.* 1. *quæſ.* 9. *num.* 28. Barboſ. *tom.* 2. *Collect. lib.* 5. *tit.* 38. *cap.* 16. *num.* 4. Fauſtus *lib.* 4. *de Iubil. quæſ.* 73. Diana *par.* 3. *tract.* 2. *reſolut.* 3. *ver. Secunda ſententia* qui etiam citat Armendariz *in Addit.* ad Recop. *legum* Nauar. *lib.* 1. *tit.* 18. *leg.* 7. *num.* 54. Naldus *verbo Epiſcopus num.* 5. Præpoſit. 3. *par. quæſ.* 7. *de Pœnit. num.* 56. *ver. Circa dicta, &c.* Hurtad. *diſp.* 10. *de Pœnitent. difficult.* 13. *init.* Chelliſon. 3. *par. quæſ.* 8. *de Pœnit. ar.* 5. *dub.* 1. *in fine.*

2 Monentur, quia licet Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de Refor.* non deroget priuilegio ex Cap. *Ne pro dilatione de Pœnit. & remiſ.* vt pote quia eſt priuilegium in corpore iuris inſertum, cui per clauſulam generalem, qualis eſt illa appoſita à Trident. *Non obſtantibus priuilegijs, &c.* non derogatur, vt eſt regula Canoniſtarum, quam tradit Decius *conſ.* 165. *num.* 4. Felin. *in cap.* 1. *num.* 12. & *in cap. Nonnulli num.* 9. *&* 26. *de Reſcript.* Gomez *in cap.* 1. *num.* 93. *de Conſtit. in* 6. Ruyn. *vol.* 1. *conſil.* 228. *num.* 13. Gloſ. *in Auth. Qua in prouincia ver. Illico omni priuilegio. C. de Criminib.* Et habetur ex l. *Eius militis. §. Militia miſſus. de Teſt. milit.*

3 Attamen quia in hoc priuilegio conceditur facultas eligendi ſacerdotem idoneum tamen: & Trident. vt ſit idoneus, requirit tanquam conditionem neceſſariam, quòd ſit approbatus à proprio Ordinario: ideo non poſſunt eligere extra propriam Diœceſim niſi approbatos ab Ordinario loci.

4 Affirmatiuam tamen ſententiam tenendam puto, Quam inter alios tradunt Zerola *par.* 2. *Praxis Epiſco. verbo Epiſcopus num.* 14. Aluin. *cap.* 35. *de Poteſt. Epiſcopi num.* 8. Coriolan. *par.* 1 *de Caſib. reſer. ſect.* 1. *ar.* 21. *num.* 5. Valerus *in Different: vtriuſque fori, verbo Iuriſdictio Dif.* 14. *num.* 2. & *verbo Nullitas. different.* 5. *num.* 2. Villalob. *tom.* 1. *Sum. tract.* 9. *difficul.* 55. *num.* 4. Idem tenet Barboſa quantum eſt ex vi diſputationis. *par.* 2. *de Officio, & poteſt. Epiſcopi. allegat.* 25. *num.* 20. quamuis oppoſitum concludat ob declarationem Congregationis, de qua *num. vlt.* Et abſolutè Graff. *lib.* 4. *Deciſ. aurear. cap.* 15. *num.* 11. *&* 15. Boſius *de Iubileo ſect.* 3. *caſu* 2. §. 4. *num.* 102.

5 Primo. Quia prædicto priuilegio ex Cap. *Fin. de Pœnit.* non derogatur per verba Concilij Trident. cum contineant clauſulam generalem, quæ non complectitur priuilegia inſerta in corpore iuris, vt dictum eſt *num.* 2. & dicemus *deciſ.* 92. *num.* 3. & ideo ex vi priuilegij habent eamdem facultatem, quam antea habebant: vnde ſicut ad ipſos ſpectabat ante Trident. iudicare de idoneitate Confeſſarij electi, nec dependebant à iudicio proprij Ordinarij Confeſſarij, ita & nunc.

6 Secundo. Quia etiam ſi decretum Trident. derogaret priuilegijs in corpore iuris inſertis, non tamen in ordine ad Epiſcopos: quia illud decretum eſt in ordine ad ſæculares, etiam ſacerdotes. Vnde cum ſpecialiter nominentur ſacerdotes, tanquam ij, de quibus dubitari poterat, an includerentur ſub decreto, debent nomine ſacerdotum ij ſolùm intelligi, qui ſub tali nomine veniunt; nomine autem ſacerdotis non compræhenditur Epiſcopus, in materia præſertim, quæ licet alteri fauorabilis ſit, ipſi tamen odioſa eſt. De quò Panor. *in Cap. Non poteſt num.* 3. *de Sent. & re iud.*

7 Ex quo ſit quod ſicuti decretum Trident. non extenditur ad Epiſcopos, ſed eſt tantùm pro Confeſſarijs in ordine ad ſæculares, & eos, qui veniunt nomine ſacerdotis: ita etiam conditio idoneitatis appoſita per tale decretum, ſit tantùm in ordine ad ſæculares etiam ſacerdotes, & non in ordine ad Epiſcopos: cum non poſſit plus extendi conditio, quàm extendatur decretum.

8 Tertio. Quia id conuenit Epiſcopis ex natura rei, præciſo quocumq; priuilegio. Poteſt enim Prælatus quo ad ſe, quod poteſt quò ad ſubditos, quatenus repræſentat duas perſonas, nempe Prælati, ſecùndum quam exercet iuriſdictio-

r*i*ſdictionem, & hominis, ſecùndum quam ſubijcitur iuriſdictioni. Quod deſumitur ex D. Th. *in Addit. ad 3. par. quæſ. 27. ar. 4. ad 3.* & *2. quæſt. 185. ar. 8.* & *in 4. diſt. 20. ar. 5. quæſ. 4. ad 3.* Suarez *3. par. tom. 5. diſp. 41. ſect. 2.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 3. per totam* Soto *1. de Iuſt. & Iure Quæſ. 6. ar. 7. in fine* Caiet. *1. 2. quæſ. 96. ar. 5.* Rodriquez *par. 2. Sum. cap. 30. num. 4.* Palud. *in 4. diſt. 38. Quæſ. 4. ar. 4. conclus. 4.* Gabr. *dicit. 17. Quæſ. 2. ar. 3. dub. 2. init.* Angel. *Verbo Confeſſio 3. num. 7.* Tabiena *Abſolutio 1. num. 37.* Syluestro *verbo Confeſſor. 1. Quæſ. 9.* Sà *ibid. num. 16.* & *verbo Religio. num. 47.* D. Antonin. *3. par. tit. 17. cap. 2. §. 2. init.* Henriquez *lib. 6. de Pœnit. cap. 4. num. 3. in com. litera F.* & *cap. 7. num. 5. in Comment. littera B* Gomez *in expoſit. Cruciatæ Clauſula 10. num. 85.* Maiolo *2. de Irregular. cap. 2. num. 12.* & *lib. 5. cap. 51. num. 7.* Sayr. *tom. 1. lib. 7. cap. 14. num. 5.* Salas *de Legib diſp. 20. ſect. 12. num. 103.* Lopez *par. 2. Ira tract. cap. 5.* Molina *tom. 1. de Ius & iure. tract. 2. diſp. 247. ver. Religioſus tamen* Azor. *lib. 7. Inſtit. mor. cap. 29. Quæſ. 7.* & alijs. Et fundatur in Cap. *Per venerabilem. Qui filij ſint legitimi*, vbi habetur poſſe Regem legitimare filios proprios in ordine ad temporalem hæreditatem. Dum autem diſpenſat cum filio diſpenſat etiam cum ſeipſo, vt poſſit filium inſtituere hæredem. Cum igitur poſſit Epiſcopus deſignare, & approbare confeſſarios pro alijs, poterit etiam pro ſeipſo.

9 Dices. Id eſſe verum, quando Epiſcopus eſt in propria Diœceſi, non autem quando eſt in aliena: quia tunc non habet iuriſdictionem. Verùm falſum eſt quòd Epiſcopus extra propriam Diœceſim non retineat ſuam iuriſdictionem Epiſcopalem in ordine ad propriam Diœceſim; vnde poteſt exercere regimen Epiſcopale ipſius. Et cum dicitur, quòd non habet iuriſdictionem; intelligitur tantùm quò ad ea, quæ non poſſunt exerceri ſine ſtrepitu iudicij (quia non poteſt in aliena Diœceſi erigere tribunal, & quo ad exercitum Ponti-
10 ficalium). Vnde vt notant Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 43. num. 14.* Facundez *lib. 1. in Quinque Præcep. Eccleſ. cap. 4. num. 8. ver. Non poteſt* & cum ijs Barboſa *par. 3. De offic. & poteſt. Epiſ. allegat. 97. num. 16.* poteſt extra Diœceſim abſque licentia Epiſcopi Diœceſis approbare reliquias Sancti canonizati pro ſua Eccleſia: quia hæc non eſt iuriſdictio contentioſa inter partes exercenda, ſed voluntaria: quam regulariter poſſe exerceri ab Epiſcopo extra propriam Diœceſim docet idem Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 19. num. 8.*

11 Hinc poteſt extra propriam Diœceſim approbare confeſſarios pro ſuis ſubditis, & conferre ipſis facultatem; vnde idem præſtare poterit etiam in ordine ad ſeipſum: quia non eſt ſubiectus Epiſcopo loci: atque adeo non dat iuriſdictionem, quæ pertineat ad ipſum, cum tantùm ad ipſum pertineat iuriſdictio in ordine ad proprios ſubditos; ſed exercet iuriſdictionem, quæ ſibi competit ex officio, ratione cuius habet poſſe approbare confeſſarios etiam pro ſe ipſo.

12 Neque vrget ratio in contrarium *num. 3.* allata: quia ſoluta manet ex dictis *num. 7.* Deinde quando Trident. decernit non idoneum confeſſarium, qui non ſit approbatus a proprio Ordinario, intelligit de idoneitate publica in foro exteriori, non de idoneitate intrinſeca, quæ conſiſtit in ſufficientia pro hoc munere: quã approbatio non confert, ſed ſupponit. Priuilegium autem Cap. *fin. de Pœnit.* quo conceditur Epiſcopis eligendi ſibi confeſſarium, & omnibus Prælatis, dummodo ſit perſona idonea, loquitur de idoneitate intrinſeca; nam tex. habet quod poſſint eligere prouidum, & diſcretum, nec vtitur nomine idonei.

13 Nec etiam obſtat illa declaratio Sacræ Congregationis Concilij Tridentini cum approbatione Pontificis, quæ circumfertur: Quòd ſcilicet Epiſcopi non poſſint eligere confeſſarium ſibi non ſubditum, qui non ſit approbatus à proprio ordinario: quia huiuſmodi declarationes, niſi ſint in forma authentica, nullam auctoritatem habent, ex decreto eiuſdem Congregationis, & Summi Pontificis; vnde miror quòd Doctores velint ipſis attribuere illam auctoritatem, quam Pontifex non vult attribui, vt vidimus *Deciſ. Præced. num. 7.*

An Epiſcopi Titulares gaudeant dicto priuilegio Cap. *Fin. De Pænitentia.*

Deciſio LXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopi Titulares non habent circa quod poſſint exercere iuriſdictionem.*

2 *Poſſunt Epiſcopi Titulares ſibi eligere confeſſarium.*

3 *A quo confeſſarius electus per Cap.* Fin. de Pœnit. *habeat iuriſdictionem.*

4 *Titulares Epiſcopi poſſunt eligere confeſſarium non approbatum ab ordinario.*

1 VIdetur negatiuè reſpondendum Quia cum non habeant Eccleſiam, in qua exerceant iuriſdictionem, nec etiam habet facultatem conferendi iuriſdictionem in ordine

ad ſe

ad ſe. Et ita videtur ſentire Palud. *in 4. diſt. 17. Quaſ. 3.*

2 Oppoſitum tamen tenendum eſt cum Suarez *diſp. 27. de Pænit. ſect. 2. num. 5.* Rodriquez *par 4. ſum. Cap. 67. de Epiſcopis. num. 17.* Alzedo *par. 1. de Præced. Epiſcop. dignit. cap. 5. num.* s 21. Præpoſit. 3. *par. Quaſ 7. de Pænit. dub. 7. num. 52. in fine* Henriquez *lib. 6. cap. 13. num. 3.* Boſſio *De Iubilæo ſect. 3 caſu 2 §. 4. num. 106.* quia priuilegium non conceditur ratione iuriſdictionis, ſed ratione dignitatis; & proinde dicitur concedi Epiſcopis, ſignificando dignitatem, propter quam conceditur. Epiſcopus autē Titularis eſt verè Epiſcopus habens veram dignitatem Epiſcopalem: & ideo cum comprehendatur nomine Epiſcopi, non eſt excludendus à participatione priuilegij: præſertim cum fauorabilia ſint amplianda.

3 Nec eſt neceſſe, quòd habeat facultatem conferendi iuriſdictionem; nam confeſſarius ſic electus non recipit facultatem ab eligente, ſed ab ipſo Pontifice; vt conſtat in alijs, qui poſſunt eligere, nec tamen habent facultatem conferendi ipſis iuriſdictionem aliquam: vt ſi Prælatus Regularis eligat aliquem alterius Ordinis.

4 Eſt autem notandum, quòd poſſunt eligere ſicut cæteri Epiſcopi, videlicet etiam non approbatum à proprio Ordinario: quod etiam de cæteris Epiſcopis, de quibus infra dicemus, poſſe eligere, intelligendum eſt.

An Epiſcopus confirmatus, ſed nondum conſecratus, gaudeat dicto priuilegio Cap. *Fin. de Pænit.*

Deciſio LXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non conſecratus non gaudet priuilegio eligendi ſibi Confeſſarium ſecùndum aliquos.*

2 *Tenendum quod gaudeat.*

1 NEgatiuè reſp. Alzedus *par. 1. De Præcellent. Epiſcop. dignit. num. 121.* & qui citat Rodriquez *in Sum.* qui tamen ibi oppoſitum docet, vt videbimus. Ratio eſſe poteſt, Quia quamdiù non eſt conſecratus, nondum eſt perfectè Epiſcopus, cum non habeat ordinem Epiſcopalem: & proinde non poteſt venire nomine Epiſcopi.

2 Oppoſitum tamen tenendum eſt cum Rodriquez *par. 4. Sum. cap. 67. de Epiſcopis num. & concluſ. 17.* vbi cum dixiſſet, Epiſcopum ſolum electum non poſſe gaudere hoc priuilegio, ſubdit *Empero el confirmado le puede eliger, pues ya es Obiſpo* & Suarez *Diſp. 27. de Pænit. ſect. 2. num. 5.* Eſt enim verè Epiſcopus quò ad dignitatem, licet non quò ad ordinem; vnde poteſt exercere quæ ſunt iuriſdictionis, licet non quæ ſunt ordinis; priuilegium autem conceditur intuitu Epiſcopalis dignitatis, quam habet perfectè ex vi confirmationis, & proinde venit ſub nomine Epiſcopi, præſertim in fauorabilibus.

An Epiſcopus electus, ſed nondum confirmatus gaudeat dicto priuilegio.

Deciſio LXXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non confirmatus non poteſt ſibi eligere Confeſſarium.*

2 *Licet habeat ius per electionem ad Epiſcopatum, non tamen eſt Epiſcopus.*

1 REſp. negatiuè cum Rodriquez *par. 4. Sum. cap. 27. de Epiſcopis num. 17.* Suarez *diſp. 27. de Pænit. ſect. 2. num. 5.* Alzedo *par. 1. De Præcellent. Epiſcop. Dignit. cap. 5. num. 121.* Boſſio *De Iubileo ſect. 3. caſu 2. §. 4. num. 107.* Quia nondum eſt Epiſcopus etiam quò ad dignitatem, ſed tantùm deſignatus in Epiſcopum; & ideo non extrahitur à iuriſdictione eorum, quibus ante electionem ſubdebatur.

2 Dices; Qui eligitur fit talis per electionem, & acquirit ius ad id, ad quod eligitur. Ergo Epiſcopus electus habet ius ad Epiſcopatum, atque eſt verè Epiſcopus. Reſp. aliud eſſe, quòd fiat talis, & aliud, quòd acquirat ius. Primum non ſemper habetur ex electione, ſed tunc ſolùm, quando electio eſt ſimul etiam confirmatio: vt cum quis eligitur à pluribus ad aliquam dignitatem, tunc etiam electio eſt etiam ſimul aſſumptio ad dignitatem: ſecus autem quando electio ordinatur ad vlteriorem confirmationem; vt contingit in præſenti caſu; nam tunc non eſt aſſumptio ad dignitatem, ſed tantùm deſignatio.

An

tom. 1. *diſt.* 3. *quæſ.* 3. *ar.* 3. *concluſ.* 2. Poſſeuin. *cap.* 6. *de Officio Curati quæſ.* 2. Barboſa *de Officio Parochi cap.* 18. *num.* 43. Rodrſquez *tom.* 1. *Sum cap.* 25. *num.* 1. Layman. *lib.* 5. *Theol. Mor. tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 1. Conrad. *par.* 2. *Reſp. caſ. conſcient. quæſ.* 78. Victoria *Sum. de Sacram. quæſ.* 12. Viual. *in Candelab. tit. de Bapt.* §. *De materia num.* 3. Soto *in* 4. *diſt.* 3. *quæſ. vnica ar.* 4. Angles *in Florib. tom.* 1. *quæſ.* 1. *de Baptiſmo ar.* 2. *concluſ.* 3. Merat. *tom.* 3. *tract. de Baptiſ. diſp.* 2. *ſect.* 11. *verſ. Hinc duo*. Et alij, quos citat, & ſequitur Diana *par.* 5. *tract.* 3. *de Caſib. occurrentib. tempore mor. Reſol.* 2. Quia nimirum huiuſmodi liquores aquei non ſunt vera aqua elementaris, quæ ſola eſt materia neceſſaria Baptiſmi, vt definiunt Concilia, Lateranenſe, in Cap. *Firmiter de Sum. Trinit.* Florent. *in Decreto Fidei poſt ſeſſ. vltimam* §. *Primum omnium*. Trident. *ſeſſ.* 7. *can.* 2. *de Baptiſmo*.

2 Nihilominus Chamerota *de Sacram. tract.* 2. *de Baptiſ. cap.* 2. *dub.* 2. Putean. *in* 3. *par. quæſ.* 66. *ar.* 4. *num.* 5. Præpoſit. *ibid num.* 22. Tannerus *tom.* 4. *Theol. Scholaſt. diſp.* 4. *quæſ.* 1. *dub.* 2. *num.* 41. aſſerunt; In caſu extremæ neceſſitatis, quando aqua non ſupperit, poſſe adhiberi huiuſmodi liquores aqueos: conferendo, Baptiſmum ſub conditione; Quia licet Concilia ad validitatem Baptiſmi requirant aquam naturalem, non tamen Eccleſia definiuit, quòd alia aqua in nullo alio caſu ſufficiat ad validitatem Baptiſmi. Et cum Baptiſmus ſit ſacramentum maximæ neceſitatis, poteſt ſub conditione conferri in materia dubia, deficiente indubitata: quia fieri poteſt, vt per remedium dubium ſuccurratur proximo: & nulla fit iniuria ſacramento: & charitas obligat vt adhibeatur omne medium.

3 Hæc doctrina nullo modo tenenda eſt; Quia cum Concilia definiant, quòd aqua naturalis ſit materia neceſſaria ad validitatem ſacramenti Baptiſmi, certum manet, quòd ſine ipſa non poteſt confici in quocunq; caſu. Quia vbi deeſt materia ſacramenti, nullo modo fit ſacramentum. Et per hoc ſufficienter eſt ab Eccleſia definitum, quòd in nullo alio caſu alia aqua ſufficiat ad validitatem Baptiſmi; nam definiendo, quòd aqua naturalis ſit materia neceſſaria, ſimul etiam definiuit, quòd in nullo caſu poſſit ſine ipſa fieri ſacramentum; cum certum ſit, quòd non poſſit fieri vnquam ſine vera materia eſſentiali.

4 Rurſus certum eſt etiam, quòd huiuſmodi liquores non ſint aqua naturalis, licet eam referant; nam habent ſinguli proprias virtutes proportionatas rebus, ex quibus extrahuntur: & ſunt ſucci quidam habentes ſinguli propriam ſubſtantiam.

5 Et quamuis Baptiſmus ſit remedium omnino neceſſarium, & charitas obliget ad adhibendum omne medium; non tamen obligat ad illud medium, de quo certum eſt, non eſſe medium; nec poteſt adhiberi ſine iniuria Eccleſiæ, & ſacramenti. Et cum ex ipſius vſu non poſſit ſperari aliquod remedium pro baptizando, irrationabiliter adhiberetur.

6 Et ſi adhibens putaret, quòd quamuis non eſſet aqua, adhuc poſſet confici ſacramentum, dubius eſſet circa definitionem Conciliorum, an eſſent vera. Nec poſſet excuſari, quòd dubius eſſet, an ſit vniuerſalis complectens quoſcunque caſus: quia cum abſolutè definiant aquam naturalem eſſe materiam neceſſariam ad validitatem Baptiſmi, non poteſt dubitari, quòd definitio non complectatur quemcumque caſum.

An poſſit conferri Baptiſmus ſub conditione in extrema neceſſitate cum humore aqueo ſtillante ex vitibus, & alijs arboribus.

Deciſio LXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Baptiſmus in extrema neceſſitate ſecùndum aliquos non poteſt conferri cum humore ſtillante ex arboribus.*
2 *Quia hic humor non eſt aqua.*
3 *Secùndum alios poteſt conferri.*
4 *Talis humor eſt probabiliter aqua.*
5 *Poteſt vrgente neceſſitate adhiberi pro materia in Baptiſmo.*
6 *Præſumitur vſus huius humoris in caſu neceſſitatis ſecùndum intentionem Eccleſiæ.*
7 *Quomodo in tali caſu poſſit Baptiſmus conferri ſub conditione.*

1 NEgatiuè reſpond. Henriquez *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 2. Zanar. *in Direct. Confeſſar. par.* 1. *de ſacram. Baptiſ. cap.* 3. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 2. *num.* 6. Coninch. *de ſacram. quæſ.* 66. *ar.* 4. *dub.* 1. *num.* 23. Valent. *tom.* 4. *diſp.* 4. *quæſ.* 1. *puncto* 2. *ver. Tertia regula* Fernandez *par.* 3. *Exam. Theol. Moral. cap.* 11. §. 2. *num.* 3. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *de ſacram. Reſol.* 5. *ver. quæritur tertiò*.

2 Ratio eſt; quia talis humòr non eſt aqua, ſed ſubſtantialiter eſt ſuccus: quamuis propter perſpicuitatem, & ſimilitudinem appelletur aqua.

3 Oppoſitum docet Io. à Cruce *par.* 2. *Direct. quæſ.* 1. *de Baptiſ. dub.* 1. *concluſ.* 2. Quia putat eſſe aquam ſimplicem, & elementarem.

4 Pro deciſione Exiſtimo probabile eſſe, quòd

ille

ille bumor, ſtillans ex arboribus, ſit ſubſtantialiter aqua, quia nihil aliud eſt, quàm humor, qui attrahitur è terra, & ab arbore, ſeu vite concoqui non poteſt; vnde effluit per poros ipſius. Quod ex eo patet, quia id præſertim contingit tempore veris, quo virtus concoctiua arborum eſt debilitata à precedenti frigore, & traditur plurimus humor ob indigentiam reſtaurationis, qui poſtea effluit, cum non poſſit concoqui.

5 Vnde, cum probabile ſit eſſe aquam ſubſtantialiter: in extrema neceſſitate, non ſuppetente alia aqua, poterit adhiberi: quia poterit amplecti opinio probabilis, quòd ſit aqua, & tunc miniſter illam aſſumere vt aquam iam determinatam per opinionem probabilem, & baptizare ſaltem ſub conditione. Nec in hoc vlla fiet iniuria ſacramento.

6 Ratio eſt: quia non fit iniuria ſacramento, niſi quatenus fit Eccleſię, & capiti ipſius Chriſto; cum autem Eccleſia ſit benigna mater, & deſideret omnium ſalutem, quantum fieri poteſt, non eſt cenſendum, quòd nolit prouideri de remedio pro baptizando: niſi omnino certi ſimus de materia ſacramenti: Sed potiùs, quòd velit, vt quocunque modo prouideamus, quo probabiliter iudicamus, valiturum remedium.

7 Sed dices. Si aſſumitur ille liquor tanquam aqua ſic iam determinata per opinionem probabilem, poterit conferri baptiſmus abſolutè, & abſque vlla conditione quòd ſit vera materia: quia iam ſupponitur vera materia. Reſp. quòd licet ſupponatur vera materia, & vt talis aſſumatur: quia tamen veritas materiæ non fundatur in ipſa certitudine, ſed in pobabilitate opinionis, quæ ſecum patitur aliquam formidinem, ideo ad euitandam irreuerentiam erga ſacramentum, de qua poteſt timeri ſtante ſola probabilitate, adhiberi poteſt conditio: licet hoc non ſit neceſſarium, ſed poſſit etiam abſolutè conferri.

An Baptiſmus poſſit confici in lixiuio?

Deciſio LXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Baptiſmus confici poteſt in lixiuio.*
2 *Alteratio facta in lixiuio eſt perfectiua aquæ, vt ordinatur ad ablutionem.*
3 *Aliæ quoque aquæ alteratæ per infuſionem herbarum ſufficiunt pro Baptiſmo.*
4 *Baptiſmus priuatus in lixiuio, &c. & dictis aquis alteratis non continet peccatum.*

1 RESp. affirmatiuè cum D. Th. 3. *par. quæſ. 66. ar. 4. ad. 5.* & communi ſenten. præſertim Coninch. *ibid. dub. 1. nu. 22.* Io. à Cruce *par. 2. Direct. conſcient. quæſ. 1. de Baptiſ. dub. 1. concluſ. 2.* Soto *in 4. diſt. 3. ar. 4. ad 4.* Sylueſtro *verbo Bapt. 2. num. 3. in fine* & alij Deciſ. *ſequenti* citandi contra Pallud. *in 4. diſt. 3. quæſ. 3.* Ratio autem eſt, quia in lixiuio manet ſubſtantia aquæ, quæ tantùm alteratur ex eo, quòd cum cinere concoquitur.

2 Addo etiam, quòd talis alteratio non eſt deſtructiua aquæ, quatenus ordinatur ad ablutionem, ſed perfectiua: quia redditur magis apta ad abluendum. Vnde non eſt alteratio, quæ tollat in aqua moralem aptitudinem ad abluendum: & proinde optimè poſſunt verba Baptiſmi verificari.

3 Ex his colligitur, Eamdem eſſe rationem de cæteris quoquæ aquis, quæ per infuſionem herbarum, aut florum alterantur, vt ſint magis aptæ ad lauandum: quia talis alteratio non deſtruit ſubſtantiam aquæ, nec moralem aptitudinem ipſius ad abluendum: imò perficit aquam accidentaliter in aptitudine ad lauandum.

4 Secundò colligitur. Quòd, ſi quis baptizaret in lixiuio, aut huiuſmodi aquis, quando baptiſmus eſt priuatus, non peccaret, ſaltem mortaliter, quia materia eſſet apta; Nec etiã per conſuetudinem eſt prohibita: quia, conſuetudo Eccleſiæ adhibendi aquam conſecratam pertinet tantùm ad Baptiſmum publicum. In Baptiſmo autem priuato adhibetur ordinaria aqua, nec adeſt aliqua prohibitio, quòd ſit alterata. Hoc autem præſertim habet locum, ſi fieret propter commodum baptizandi.

An Baptiſmus confici poſſit in aquæ iurulenta decoctionis carnium & aliorum elibatorum.

Deciſio LXXX.

SVMMARIVM.

1 *Quando Baptiſmus poſſit confici in aqua iurulenta.*
2 *Aqua iurulenta non eſt habenda pro aqua.*
3 *Talis aqua non eſt apta ad abluendum: vnde nec ad verificanda verba Baptiſmi.*
4 *An aqua lutulenta apta Baptiſmo.*
5 *Aqua iurulenta quando, & quomodo poſſit adhiberi in Baptiſmo.*

1 RResp. D. Th. 3. *par. quæſ. 66. ar. 4. ad 2.* poſſe validè confici, niſi ſit tanta reſolutio corporum elixatorum, vt aqua plus ha-

beat de aliena ſubſtantia, quàm de propria, quem ſequuntur Sotus *in 4. diſt. 3. quæſ. vnica ar. 4. ad 2.* Syluester *verbo Baptiſmus. 2. num. 3.* Tabiena § 6. Palud. *in 4. diſt. 4. quæſ. 3.* Henriquez *lib. 2. Sum. cap. 6. num. 2.* Coninch. *De ſacram. quæſ. 66. ar. 4. dub. 1. num. 22.* Tolet. *lib. 2. cap. 17.* vbi etiam Victorel. Viguet. *Inſtit. Theol. tit. 2. § 1. cap. 16.* Valent. *tom. 4. diſp. 4. quæſ. 1. punc. 2. ver. Prima regula.* Suarez *tom. 3. in 3. par. diſp. 20. ſect. 1. concluſ. 2.* Io. à Cruce *par. 2. Direct. conſcient. quæſ. 1. de Baptiſ. dub. 1. concluſ. 2.* & communiter. Ratio eſt, quia quando aqua plus habet de propria ſubſtantia, quàm de aliena, adhuc cenſetur aqua: & ideo pro aqua adhiberi poteſt.

2 Contra hanc tamen doctrinam vrget difficultas; nempe Quòd aqua concoctionis catnium, & aliorum eſculentorum eſt adeo commixta cum ſubſtantia rerum concoctarum, quæ ex vi concoctionis effluit, vt non amplius habeatur pro aquæ: quamuis enim conſeruetur ſubſtantia aquæ, adhuc tamen, ſubſtantia elixatorum effluens ita in minutiſſimas partes diuiditur, & cum ipſa commiſcetur, vt efficiatur ſaltem quoddam mixtum imperfectum; quòd ex eo patet, quia inſeruit pluribus vſibus, quibus non inſeruit aqua: acquirit diuerſum ſaporem, & habet alia accidentia diuerſa ab accidentibus aquæ: & potius imitatur in effectibus ſubſtantiam rerum concoctarum, quàm aquæ.

3 Præterea. Huiuſmodi aqua concoctionis non videtur apta, vt ſupra ipſam verificentur verba *Ego te baptizo*: non enim eſt apta ad lauandum, imò moraliter cenſetur inepta; quia præſtat effectum contrarium, cum polluat. Et ſicut, ſi quis alteri infunderet oleum, aut atramentum, falsò diceret *Ego te lauo*, quia pollueret, ita etiam infundens huiuſmodi aquam. Ablutio enim eſt ordinata ex intrinſeca ſua ratione ad detergendas ſordes, non ad polluendum; & ideo quæ polluit, non poteſt dici ablutio. Et proinde cum in Baptiſmo materia proxima ſit ablutio, quæ ſignificat internam ablutionem animæ, debet fundari in ea materia, quæ ſit apta abluere: alioquin nec verba verificarentur, nec heberetur ſignificatio internæ ablutionis.

4 Dices. Sequeretur quòd neque aqua lutulenta poſſet adhiberi, quia hæc quoque polluit. Reſpond. neg. quòd hoc ſequatur: niſi fortè ſit adeo lutulenta, vt potius lutum ſit. quia terræ admixto, ratione cuius ſit lutulenta, non impedit lotionem, vt experientia patet, imò potius adiuuat; vnde aliquando ad detergendum dedita opera admiſcetur aquæ arena, vel aliud genus terræ.

5 Itaque non auderem huiuſmodi aquam adhibere etiam in caſu extremæ neceſſitatis, niſi conferendo Baptiſmum ſub conditione; quia tunc ratione neceſſitatis, & conditionis appoſitæ vitatur irreuerentia ſacramenti, quæ contingere poſſet ratione iterationis.

An vrgente neceſſitate poſſit conferri Baptiſmus cum materia dubia.

Deciſio LXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Vrgente neceſſitate poteſt conferri Baptiſmus cum materia dubia.*

2 *Neceſſitate vrgente, omni meliori modo ſubueniendum eſt ſaluti proximi.*

3 *Conditio adhibita materia dubia tollit irreuerentiam.*

1 Reſp. affirmatiuè, dummodò conferatur ſub conditione, ſi materia ſit apta, cum Soto *in 4. diſt. 3. quæſ. vnica ar. 4. ad 4.* Scoto *quæſ. 3.* Ledeſma *quæſ. 7.* Henriquez *lib. 2. Sum. cap. 6. num. 2.* Valent. *tom. 4. diſp. 4. quæſ. 1. puncto 2. ver. quarta regula* Coninch. *de ſacram. quæſ. 66. ar. 4. dub. 1. num. 22.* vbi ait, Omnes ita fateri. Lugo *diſput. 8. de ſacram. in genere ſect. 9. num. 140.* Diana *par. 5. tract. 3. De caſib. occurrentib. temp. mor. Reſol. 2. ver. Non deſinam.*

2 Ratio autem eſt, Quia vrgente neceſſitate charitas obligat vt ſubueniamus ſaluti ſpirituali baptizandi omni meliori modo, quo fieri poteſt. ergo etiam conferendo Baptiſmum cum materia dubia: quia licet ſubuentio ſit dubia, adhuc tamen poteſt prodeſſe.

3 Nec obſtat irreuerentia ſacramenti: quia adhibendo conditionem, nulla irrogatur iniuria; quia in tantùm adeſſet irreuerentia, in quantùm intenderetur confici ſacramentum per aliquid dubium, quod poſſet reddere irritum: hoc autem non contingit: quia non intenditur quòd ſacramentum conficiatur, niſi materia ſit apta ad conficiendum: quòd ſi non eſt apta, interuenit etiam ex intentione miniſtrantis tantùm illa externa actio, nec ordinatur ad ſacramentum. Hinc Cap. *De quibus. De Baptiſmo* præcipitur, baptizari eos ſub conditione, de quibus dubium, eſt an ſint baptizati; Quia conditio tollit, quòd non iteretur ſacramentum: atque adeo excluditur irreuerentia, on[illegible] itteretur ex iteratione.

De Chori Præfecto.

An peccet Chori Præfectus ſi omittat corrigere, & caſtigare defectus in Choro commiſſos ab ijs, qui Choro addicti ſunt.

Deciſio LXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Chori Præfectus peccat ſecùndum aliquos ſi omittat caſtigare defectus.*
2 *Quid præſtare debeat chori præfectus ratione ſui officij.*
3 *Chori præfectus tenetur dirigere orationem chori.*
4 *Quando peccet venialiter, & quando grauiter.*
5 *Non tenetur corrigere defectus, qui committuntur extra recitationem.*
6 *Debet prouidere, ne turbetur oratio publica.*
7 *Ad quid teneatur Præfectus chori Regularium.*

1 Affirmatiuè reſpondet Nauat. *cap. 16 de Orat. num. 78.* & conſentit Io: Ægid. Trullench *opuſc. de Oblig. aſſiſ. in Choro dub. 3. num. 28.* ita vt peccet mortaliter cum in materia graui omittit corrigere: venialiter autem quando omittit in materia leui, Quod etiam extendunt, ſi omittat corrigere: ne correpti conquerantur de ipſo.

2 Verùm fundamentum, in quo fundant hanc doctrinam, non eſt tale, vt ex ipſo deduci poſſit, quòd peccet, vniuerſaliter loquendo, quando omittit corrigere defectus, qui in choro committuntur. Ex eo enim, quòd qui poteſt, & debet, & non corrigit, peccat, vt habetur in Cap. *Sed illud diſt. 45.* non ſequitur quòd ratione ſui officij teneatur corrigere omnes errores in choro commiſſos; quia ex eo, quòd Præfectus ſit, pertinet tantùm ad ipſum regimen chori: atque adeo tenetur tantùm ratione officij impedire defectus chori, quatenus ſubeſt ipſius regimini.

3 Quia autem ſubeſt tantùm ſecùndum recitationem officij, quam tenetur dirigere tanquam orationem quamdam publicam, eam præſcribendo ſecùndum conſuetas rubricas, & cæremonias: ideo ratione ſui muneris tenetur ſolùm corrigere defectus huius publicæ orationis: ita vt rectè procedat in ratione publicæ orationis; non autem defectus particulares interuenientium huic orationi: niſi ſint tales, quòd vitient ipſam publicam orationem. Nam perſonæ particulares non ſubſunt regimini ipſius, vt particulares perſonæ ſunt, ſed ſolùm vt actu communicant in publica oratione; quia ſubſunt tantùm ratione publicæ orationis; Vnde ſi quis in choro furaretur, non teneretur ratione ſui muneris ipſum corrigere.

4 Hinc autem fit, quòd peccet venialiter omittendo corrigere ea, quæ leuiter inficiunt publicam orationem; quæ autem grauiter inficiunt, teneatur corrigere ſub mortali; quod tamen raro contingere poteſt: quia defectus vt plurimùm leues ſunt.

5 Secundò ſequitur. Non teneri Præfectum corrigere eum, ratione ſui muneris, qui vel confabulatur, vel alio modo ita ſe gerit, vt non ſatisfaciat recitationi officij, aut aſſiſtentiæ chori. Ratio eſt, quia hic ſe ſubtrahit communicationi in oratione publica: atque adeo etiam iuriſdictioni Præfecti chori, cui ſubeſt ex eo, quòd communicat in publica oratione, quam ipſe ex officio dirigit. Non tenetur autem compellere ad communicandum: quia ius ipſius eſt immediatè ſupra orationem chori, non autem ſupra perſonas, ad quas tantùm extenditur ratione orationis, cui ſe addicunt.

6 Quia tamen contingere poteſt, quod ipſa oratio publica grauiter turbetur ab ijs, qui in ipſa non communicant: ideo chori Præfectus, quia tenetur eam manutenere, debet prouidere ne turbetur, & perturbantes tenetur corrigere, non autem punire: cum non habeat ſupra ipſos iuriſdictionem.

7 Denique hæc non ſolùm procedunt de Præfecto chori, cui inſeruiunt Canonici, aut Presbyteri ſæculares, ſed etiam de Præfecto chori Regularium, ſiue de eo, ad quem ſpectat regimen ipſius. Nam ratione ſui muneris ipſe quoque non habet aliud ius, quàm ad dirigendam publicam orationem. Et licet Regulares choro aſſiſtentes ad aliquid aliud teneantur iuxta præſcriptionem ſuæ regulæ, ad quod non tenentur ſæculares: dum in hoc peccant, debent à Superiori corrigi, non à Præfecto chori: niſi hoc ipſum quoque inficiat publicam orationem.

An peccet Chori Præfectus, ſi abſit à Choro tempore Diuini Officij.

Deciſio LXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Chori Præfectus peccat ſi abſit à choro tempore Diuini Officij ſecùndum Trullench.*
2 *Niſi gratis inſeruiat, aut cum exiguo emolumento.*
3 *Chori Præfectus etiam abſens poteſt dirigere recitationem officij.*

4 *Chori Præfectus, ſi non timeat de aliquo inconuenienti, poteſt abeſſe à choro.*
5 *Tenetur præcauere etiam errores leues.*
6 *Quinam ſint graues, & quinam leues errores in recitatione Officij.*

SVpponimus, quòd nullum alium ſubſtituat, qui ſuas vices gerat; Et quæritur, an talis abſentia culpabilis ſit, quando non eſt ex legitima cauſa: ex eo, quòd vt Præfectus ratione muneris teneatur aſſiſtere.

1 Affirmatiuè reſp. Io: Ægid. Trullench *opuſc. de Oblig. aſſiſt. in Choro dub. 3. num. 34.* Hoc autem ex eo deducit, quia ratione muneris tenetur dirigere chorum; præſertim ſi intuitu talis muneris habeat aliquas peculiares diſtributiones, aut aliquod ſtipendium: quia tunc prætermittit, quod ex iuſtitia tenetur exhibere; vnde ſi abſit tempore notabili, peccatum erit mortale, quia notabiliter defraudat quod debet.

2 Addit tamen, quòd ſi gratis tale munus exerceat, aut habeat emolumentum adeo exiguum, vt pro nihilo reputetur, non peccat: quia ſatisfacere videtur, ſi adſit per ſe, quando commodè poteſt: quia conſuetudine interpretante ſub tali conditione acceptatur officium.

3 Verùm exiſtimo hanc ſententiam eſſe nimis ſcrupuloſam. Quia Præfectus chori tenetur tantùm dirigere chorum ex munere ſuo, in ordine ad recitationem Diuini officij; hoc autem poteſt præſtare, vt plurimùm, abſque eo, quòd ſit præſens, præſcribendo antea id, quod præſens præſcriberet; quod commodè fieri poteſt: præſertim quando officium non eſt ſolemne; quia tunc conſuetudo in ijs, quæ peragenda ſunt, ſupplet præſentiam Præfecti, & inſeruit loco directionis; quando enim ex directione aliquibus aſſueuimus, ceſſat eſſe neceſſaria ipſa directio.

4 Vnde quando chori Præfectus cenſet probabiliter, nullum ſecuturum inconueniens ex ſua abſentia, poteſt commodè abeſſe abſq; ſcrupulo, quantum eſt ex vi ſui muneris; & niſi aliunde obligetur intereſſe; ſecus autem quando timet de aliquo defectu, aut inconuenienti: quia tunc tenetur prouidere ne contingat.

5 Sed, quæret aliquis, an teneatur præcauere omnes defectus, & errores etiam leues. Reſp. affirmatiuè. Quia debet perfectè munus ſuum implere: atque adeo exhibere perfectam directionem, quæ impediat omnes defectus; & ideo tenebitur præcauere graues ſub peccato mortali, leues autem ſub veniali.

6 Si autem quæras: Quinam ſint errores, & defectus graues, & quinam leues. Reſp. Illos eſſe graues, qui iudicio prudentis viri notabiliter deturpant recitationem Diuini officij: aut quæ cum ipſa connexa ſunt: vt ſunt cœremoniæ, & alia huiuſmodi; quia in vnoquoque genere eſt error grauis defectus rei notabilis. Et quia huiuſmodi defectus contingere poteſt abſque culpa illius, à quo committitur: ideo, vt ſit grauis, non eſt neceſſe, quòd contineat peccatum mortale; ſed ſufficit, quòd notabiliter deturpet. Et quia Præfectus chori debet ſcire, quænam ſit notabilis deturpatio, & aduertere ratione muneris: ideo ipſe peccat mortaliter, ſi non impediat.

An Præfectus Chori teneatur reſtituere diſtributiones, quas iniuſtè miniſtri percipiunt, eo ſciente, & non impediente.

Deciſio LXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Si Præfectus chori non impediat recipientes diſtributiones iniuſtè, tenetur ad reſtitutionem ſecundum Trullench.*
2 *Etiam ſi nullum ſtipendium percipiat intuitu officij.*
3 *Peccat mortaliter ſi non moneat diſtributores de iniuſta perceptione, ſi modo ad ipſum ſpectet regulare diſtributiones.*
4 *Non tamen tenetur ad reſtitutionem.*
5 *Nec ad reſtitutionem partis ſtipendij.*
6 *Quando teneatur etiam ad reſtitutionem diſtributionum.*
7 *Quando ex omiſſione conſurgat obligatio reſtituendi ex iuſtitia.*
8 *Præfectus chori interrogatus tenetur ex iuſtitia manifeſtare eos, qui non poſſunt percipere diſtributiones.*

1 REſp. affirmatiuè Io: Ægid. Trullench. *opuſc. de Oblig. aſſiſ. & cauen. in Choro dub. 3. num. 33.* Quia, iuxta doctrinam quamplurium, qui tenetur, & poteſt impedire, & non impedit damnum, quod ab alio infertur, cenſetur cooperari iniuſtitiæ; Præfectus autem chori habet ſpecialem obligationem impediendi quòd diſtributiones iniuſtè percipiantur, & poteſt; vnde ſi non impediat, vt cooperans iniuſtitiæ tenetur reſtituere.

2 Addit inſuper. Quòd, etiam ſi nullum ſtipendium percipiat, ratione muneris adhuc teneri ad reſtitutionem: quia cum officium includat obligationem impediendi, ne diſtributiones iniuſtè percipiantur: qui acceptat officium, voluntariè etiam ſuſcipit obliga-

tionem

tionem huiuſmodi; vnde eadem lege iuſtitiæ tenetur, ac ſi pro officio reciperet ſtipendium.

3 Verùm hæc ſententia omnino non placet; Vnde ſuppoſito, quòd ad munus Præfecti ſpectet regulare diſtributiones, ita vt non fiant, niſi ſeruata debita iuſtitia: exiſtimo peccare mortaliter; niſi moneat diſtributores, quinam non poſſint iuſtè percipere diſtributiones: quia in re graui non implet munus ſuum. Et hoc verum eſt, etiam ſi gratis exerceat munus: quia hæc eſt obligatio muneris: & eo ipſo, quòd munus aſſumit, aſſumit etiam obligationem, quam tenetur implere.

4 Quod autem ſpectat ad reſtitutionem, Non ita facilè eum obligarem ad reſtituendum diſtributiones iniuſtè perceptas. Quia licet peccet non implendo munus ſuum, non tamen facit contra iuſtitiam in ordine ad diſpenſationem diſtributionum; nam ad diſtributores pertinet ex officio iuſtè diſtribuere; & conſequenter inquirere, quinam iuſtè poſſint percipere; & ideo ſi omittant inquirere, ipſi peccant contra iuſtitiam: quia in illa omiſſione volunt indirectè iniuſtitiam; non autem Præfectus chori, ſi omittat monere diſtributores: quia ex hac omiſſione non ſequitur per ſe illa iniuſtitia, ſed per accidens; Nam ipſa poſita, non ſequeretur, niſi poneretur alia quoque omiſſio, qua diſtributores omittunt inquirere. Quæ eſt vera cauſa per ſe talis iniuſtitiæ.

5 Ex quo fit, quòd Præfectus chori ſolùm faciat contra iuſtitiam, qua tenetur munus ſuum exhibere. Non tamen, ſi accipit ſtipendium, tenebitur ad aliquam partem reſtituendam, quæ correſpondeat huic omiſſioni; quia ſtipendium datur intuitu oneris, & laboris annexi tali muneri, & reſpicit ipſum indiuiſibiliter, non quidem quò ad tempus, quo debet illud exercere, ſed in ordine ad diuerſas functiones; & ideo ſi aliquam omittat, dummodo tamen alias exhibeat, iuſtè percipit totum ſtipendium; quia omiſſio vnius functionis non eſt omiſſio exercitij muneris; præſertim quia omiſſio iſtius eſt omiſſio exigui laboris, & oneris: vnde reducitur ad paruitatem materiæ.

6 In eo tamen caſu, in quo Diſtributores ab ipſo inquirerent, an quiſque iuſtè diſtributiones percipiat, niſi manifeſtaret quinam nequeat percipere, obligaretur ad reſtitutionem: quia ex officio tenetur manifeſtare, & non manifeſtando vult omiſſionem illius, ex quo per ſe ſequitur iniuſtitia; vnde peccat contra iuſtitiam, quatenus indirectè vult inæqualitatem.

7 Hinc ad rationem oppoſitæ ſent. Reſp. Eum ſolum, qui tenetur impedire ex iuſtitia, & non impedit, ſi ſequatur damnum ex hoc, quòd non impediat, teneri ad reſarciendum: ſecus autem ſi teneatur ex aliquo alio capite. Rurſus, Vt conſurgat huiuſmodi obligatio, debet obligatio iuſtitiæ eſſe in ordine ad manutenendam rem illam, in qua conſequitur damnum: alioquin ſi obligatio iuſtitiæ ſit ad aliud, ſi damnum ex omiſſione ſequatur, non fit contra iuſtitiam in ordine ad rem illam: cum obligatio iuſtitiæ non ſit ad ipſam. Præfectus autem chori non habet obligationem iuſtitiæ in ordine ad diſpenſationem diſtributionum, ſed tantùm diſtributores; nam obligatio illius ſe extendit ſolùm ad exhibendum regimen ſuum circa chorum.

8 Quia tamen, ſi interrogetur, tenetur ex iuſtitia manifeſtare, quinam iniuſtè perciperent (nam hæc manifeſtatio pertinet ad munus, quod debet ex iuſtitia adminiſtrare) ideo tenetur tunc ad reſarciendum damnum.

De Confeſſarij electione iuxta Priuileg. Cap. Fin. de Pœnitentia.

An Cardinales Epiſcopi, & Cardinales Legati poſſint ſibi eligere Confeſſarium, qui à proprio Epiſcopo non ſit approbatus.

Deciſio LXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Cardinales Epiſcopi, aut Legati non poſſunt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum à proprio Ordinario ſecùndum aliquos.*

2 *Declaratio Sacræ Congregat. ſuper hoc.*

3 *Poſſunt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum à proprio Ordinario.*

4 *Cardinales Epiſcopi, aut Legati non ſubduntur Ordinarijs loci.*

5 *Tridentinum non tollit Priuileg. Cap.* Fin. de Pœnitent.

6 *Finis Tridentini in requirenda approbatione Ordinarij pro Confeſſarijs.*

7 *Quomodo accipienda declaratio Congregat. de qua num. 2.*

8 *Quomodo non approbatus ab Ordinario non ſit idoneus Confeſſarius.*

1 NOn poſſe tradit Azor. *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 6. *quæſ.* 16. *ver. Quæres, an Cardinales.* Præpoſit. 3. *par. quæſ.* 7. *de Pœnit dub.* 7. *num.* 56. *ver. Circa dicta, &c.* Hurtad. *diſp.* 10. *de Sacram. Pœnit. difficul.* 13. *init.* Chelliſon. *quæſ.* 8. *de Sacram. Pœnit. ar.* 5. *dub.* 1. *in fine.* Quia priuilegium eligendi ſibi Confeſſarium conceſſum

Digitized by Google

ceſſum Prælatis etiam minoribus in Cap. *Ne pro dilatione de Pœnit.* habebat locum ante Concil. Trident. ceſſauit autem poſt Trident. quia *ſeſſ. 23. cap. 15. de Reformat.* decernit; Nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſecularium audire, etiam ſacerdotum, nec idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur.

2 Quòd ſi dicas. Concil. non derogare priuilegio Cardinalium: quia nomine ſacerdotum non intelliguntur Epiſcopi, & Legati; nam ſimplici appellatione ſacerdotum non comprahenduntur in pœnis, & odioſis ſacerdotes aliqua dignitate præditi, ſed tantùm ſimplices ſacerdotes. Reſp. Quicquid ſit de hoc, & alijs ſimilibus argumentis, Gregorium XIII. conſultum de hac re, vt habetur in Declar. Cardinal. ſuper Concil. Trident. reſpondiſſe: Potiùs eſſe inhærendum verbis Concilij, quàm Epiſcopis.

3 At oppoſitum tenendum eſt cum Doctoribus infra Deciſ. 92. pro ſecunda ſent. adducendis, & ſpecialiter Beſſio *de Iubilæo ſect. 3. caſu* 2. §. 4. *num.* 110. qui hoc etiam docent de cæteris Cardinalibus, qui nec Epiſcopi, nec Legati ſunt: nimirum poſſe eligere ſibi in Confeſſarium non approbatum à proprio Ordinario.

4 Ratio autem eſt, quia non ſubduntur Epiſcopis in foro pœnitentiali, etiam ſi ſint extra Diœceſim, ſeu locum, in quo exercent iuriſdictionem; ſed ſunt tanquam Ordinarij in ſua familia: & ideo non indigent iuriſdictione in Confeſſario ei collata à proprio Ordinario: cum talis iuriſdictio reſpiciat ſubditos eiuſdem Ordinarij. Sed ipſe eam tradit: atque adeo nec indiget, quòd approbatus fuerit: quia approbatio eſt tantùm in ordine ad communicandam iuriſdictionem, non autem per ſe facit ad poteſtatem abſoluendi. Et confir. Si deberet eſſe approbatus ab Ordinario, non poſſet abſoluere Cardinalem, niſi in virtute iuriſdictionis acceptæ à proprio Ordinario; vnde Cardinalis ſubijceretur iuriſdictioni Ordinarij.

5 Deinde per Concil. Trident. non aufertur priuilegium conceſſum in Cap. *Ne pro dilatione de Pœnit.* quia inhærendo etiam verbis ipſius, reſtringitur decretum ad ſæculares, etiam ſacerdotes. Nec nomine ſacerdotum poſſunt intelligi Cardinales: quia licet ſint ſacerdotes, ratione tamen dignitatis conſtituuntur in ſpeciali ordine Superiori: & ideo non veniunt appellatione ordinis inferioris, præſertim in pœnalibus, & odioſis: nam iuxta regulam *Odia de Regulis iuris in 6.* Odioſa reſtringenda ſunt, & fauorabilia amplianda.

6 Quod ſpecialiter locum habet, quando eadem ratio extendi non poteſt: quia ceſſante ratione ob quam lex lata eſt, ceſſat etiam lex. Et ideo cum Concil. decernat: Nullum Confeſſarium poſſe excipere confeſſiones ſæcularium, etiam ſacerdotum, niſi ſit approbatus ab Ordinario, ea ratione, vt quiſque recognoſcat paſtorem: & vt Confeſſarius cum dependentia ab Epiſcopo, eiuſdem ſubditis ſacramentum pœnitentiæ adminiſtret: cum hæc ratio ceſſet in Cardinalibus, qui non ſubduntur Epiſcopo: neque ipſum vt proprium paſtorem debent recognoſcere: neque etiam ad ipſos poteſt extendi lex ex hoc quoq; capite.

7 Neque declaratio allata *num.* 2. aliquid obſtat, Tum quia non conſtat, an legitima ſit, neque vlla fides tanquam declarationi eſt adhibenda, cum non ſit in authentica forma, ex Decreto Vrbani VIII. *ſub die 2. Aug.* 1631. Tū etiam quia non eſt reſponſio Pontificis tanquam Pontificis, ſed tanquam Doctoris, & in oppoſitū adſunt plures Doctores. Tum etiam quia inhærendo verbis Concilij, vt vult Pontifex, decretum extenditur ad eos tantùm, qui in odioſis veniunt nomine ſacerdotis, quales non ſunt Cardinales.

8 Et ſi inſtes. Quòd qui non eſt approbatus à ſuo Ordinario, non eſt idoneus; atque adeo non poſſe eligi ab eo, qui habet poteſtatem eligendi. Reſp. non eſſe idoneum reſpectu eorum, qui in foro penitentiali omnino ſubduntur Ordinario: ſecus autem reſpectu eorum, qui non ſubduntur. Nam iſti ſicut poſſunt eligere, ita etiam poſſunt pro ſe approbare: nam in hoc habent eamdem facultatem, quam habent Ordinatij. Adde non eſſe idoneum quò ad præſumptionem iuris, non autem quo ad ſufficientiam; & ideo ſolùm non poteſt eligi ſtando in iure communi, ab eo, qui non poteſt conferre iuriſdictionem, ſecus antem habitatatione priuilegij.

An Epiſcopi non Cardinales poſſint ſibi extra Diœceſim eligere Confeſſarium non approbatum à proprio Ordinario.

Deciſio LXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopi non poſſunt extra Diœceſim eligere ſibi Confeſſariū non approbatum ſecùndum aliquos.*

2 *Priuilegia inſerta in corpore iuris non tolluntur per clauſulam generalem.*

3 *Tridentinum, vt Confeſſarius ſit idoneus, requirit approbationem Ordinarij.*

4 *Epiſcopi*

Digitized by Google

4 *Epiſcopi extra Diœceſim poſſunt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum.*

5 *Priuilegium Cap.* Fin. de Pœnit. *manet in ſuo robore, etiam poſt Trident.*

6 *Epiſcopi non includuntur in odioſis ſub nomine ſacerdotis.*

7 *Conditio approbationis Confeſſarij ab Ordinario non eſt neceſſaria in ordine ad Epiſcopos.*

8 *Prælatus poteſt quò ad ſe, quod poteſt quo ad ſubditos.*

9 *Etiam extra locum propriæ iuriſdictionis, ſi ſit exemptus.*

10 *Epiſcopus extra propriam Diœceſim poteſt approbare reliquias.*

11 *Poteſt extra Diœceſim approbare Confeſſarios pro Diœceſi.*

12 *De qua idoneitate intelligendum Trident. pro qua requirit quòd Confeſſarius approbetur ab Ordinario.*

13 *Declarationes Congregationis non habent vim, niſi ſint in authentica forma.*

1 NEgatiuè reſp. Suarez 3. *par. tom.* 4. *diſp.* 28. *ſect.* 4. *num.* 8. Riccius *tom.* 1. *Prax. reſol.* 470. *num.* 2. Graff. *tom.* 2. *lib.* 5. *conſil.* 4. *de Pœnit. & remiſ. num.* 13. Facondea *lib.* 7. *in Præcep. Eccleſ. cap.* 2. *num.* 78. *& ſequent.* Azor. *par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *quæſ* 16. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 9. *nu.* 256. Molfeſ. *tom.* 1. *Sum. tract.* 7. *cap.* 15. *num.* 34. Coninch. *diſp.* 8. *de Pœnit. num.* 50. Megala *par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 18. Alphonſus de Leone *tract. de Iubil. par.* 1. *quæſ.* 9. *num.* 28. Barboſ. *tom.* 2. *Collect. lib.* 5. *tit.* 38. *cap.* 16. *num.* 4. Fauſtus *lib.* 4. *de Iubil. quæſ.* 73. Diana *par.* 3. *tract.* 2. *reſolut.* 3. *ver. Secunda ſententia* qui etiam citat Armendariz *in Addit.* ad Recop. *legum* Nauar. *lib.* 1. *tit.* 18. *leg.* 7. *num.* 54. Naldus *verbo Epiſcopus num.* 5. Præpoſit. 3. *par. quæſ.* 7. *de Pœnit. num.* 56. *ver. Circa dicta, &c.* Hurtad. *diſp.* 10. *de Pœnitent. difficult.* 13. *init.* Chelliſon. 3. *par. quæſ.* 8. *de Pœnit. ar.* 5. *dub.* 1. *in fine.*

2 Monentur, quia licet Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de Refor.* non deroget priuilegio ex Cap. *Ne pro dilatione de Pœnit. & remiſ.* vt pote quia eſt priuilegium in corpore iuris inſertum, cui per clauſulam generalem, qualis eſt illa appoſita à Trident. *Non obſtantibus priuilegijs, &c.* non derogatur, vt eſt regula Canoniſtarum, quam tradit Decius *conſ.* 165. *num.* 4. Felin. *in cap.* 1. *num.* 12. & *in cap. Nonnulli num.* 9. *&* 26. *de Reſcript.* Gomez *in cap.* 1. *num.* 93. *de Conſtit. in* 6. Ruyn. *vol.* 1. *conſil.* 228. *num.* 13. Gloſ. *in Auth. Qua in prouincia ver. Illico omni priuilegio. C. de Criminib.* Et habetur ex l. *Eius militis. §. Militia miſſus. de Teſt. milit.*

3 Attamen quia in hoc priuilegio conceditur facultas eligendi ſacerdotem idoneum tamen: & Trident. vt ſit idoneus, requirit tanquam conditionem neceſſariam, quòd ſit approbatus à proprio Ordinario: ideo non poſſunt eligere extra propriam Diœceſim niſi approbatos ab Ordinario loci.

4 Affirmatiuam tamen ſententiam tenendam puto, Quam inter alios tradunt Zerola *par.* 2. *Praxis Epiſco. verbo Epiſcopus num.* 14. Aluin. *cap.* 35. *de Poteſt. Epiſcopi num.* 8. Coriolan. *par.* 1 *de Caſib. reſer. ſect.* 1. *ar.* 21. *num.* 5. Valerus *in Different: vtriuſque fori, verbo Iuriſdictio Dif.* 14. *num.* 2. & *verbo Nullitas. different.* 5. *num.* 2. Villalob. *tom.* 1. *Sum. tract.* 9. *difficul.* 55. *num.* 4. Idem tenet Barboſa quantum eſt ex vi diſputationis. *par.* 2. *de Officio, & poteſt. Epiſcopi. allegat.* 25. *num.* 20. quamuis oppoſitum concludat ob declarationem Congregationis, de qua *num. vlt.* Et abſolutè Graff. *lib.* 4. *Deciſ. aurear. cap.* 15. *num.* 11. *&* 15. Boſius *de Iubileo ſect.* 3. *caſu* 2. §. 4. *num.* 102.

5 Primo. Quia prædicto priuilegio ex Cap. *Fin. de Pœnit.* non derogatur per verba Concilij Trident. cum contineant clauſulam generalem, quæ non complectitur priuilegia inſerta in corpore iuris, vt dictum eſt *num.* 2. & dicemus *deciſ.* 92. *num.* 3. & ideo ex vi priuilegij habent eamdem facultatem, quam antea habebant: vnde ſicut ad ipſos ſpectabat ante Trident. iudicare de idoneitate Confeſſarij electi, nec dependebant à iudicio proprij Ordinarij Confeſſarij, ita & nunc.

6 Secundo. Quia etiam ſi decretum Trident. derogaret priuilegijs in corpore iuris inſertis, non tamen in ordine ad Epiſcopos: quia illud decretum eſt in ordine ad ſæculares, etiam ſacerdotes. Vnde cum ſpecialiter nominentur ſacerdotes, tanquam ij, de quibus dubitari poterat, an includerentur ſub decreto, debent nomine ſacerdotum ij ſolùm intelligi, qui ſub tali nomine veniunt; nomine autem ſacerdotis non compræhenditur Epiſcopus, in materia præſertim, quæ licet alteri fauorabilis ſit, ipſi tamen odioſa eſt. De quò Panor. *in Cap. Non poteſt num.* 3. *de Sent. & re iud.*

7 Ex quo fit quod ſicuti decretum Trident. non extenditur ad Epiſcopos, ſed eſt tantùm pro Confeſſarijs in ordine ad ſæculares, & eos, qui veniunt nomine ſacerdotis: ita etiam conditio idoneitatis appoſita per tale decretum, ſit tantùm in ordine ad ſæculares etiam ſacerdotes, & non in ordine ad Epiſcopos: cum non poſſit plus extendi conditio, quàm extendatur decretum.

8 Tertio. Quia id conuenit Epiſcopis ex natura rei, præciſo quocumq; priuilegio. Poteſt enim Prælatus quo ad ſe, quod poteſt quò ad ſubditos, quatenus repræſentat duas perſonas, nempe Prælati, ſecùndum quam exercet iuriſdictio-

Digitized by Google

riſdictionem, & hominis, ſecùndum quam ſubijcitur iuriſdictioni. Quod deſumitur ex D. Th. *in Addit. ad 3. par. quæſ. 27. ar. 4. ad 3.* & *2. quæſt. 185. ar. 8.* & *in 4. diſt. 20. ar. 5. quæſ. 4. ad 3.* Suarez *3. par. tom. 5. diſp. 41. ſect. 2.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 3. per totam* Soto *1. de Iuſt. & Iure Quæſ. 6. ar. 7. in fine* Caiet. *1. 2. quæſ. 96. ar. 5.* Rodriquez *par. 2. Sum. cap. 30. num. 4.* Palud. *in 4. diſt. 38. Quæſ. 4. ar. 4. concluſ. 4.* Gabr. *dicit. 17. Quæſ. 2. ar. 3. dub. 2. init.* Angel. *Verbo Confeſſio 3. num. 7.* Tabiena. *Abſolutio 1. num. 37.* Syluestro *verbo Confeſſor. 1. Quæſ. 9.* Sà *ibid. num. 16.* & *verbo Religio. num. 47.* D. Antonin. *3. par. tit. 17. cap. 2. §. 2. init.* Henriquez *lib. 6. de Pœnit. cap. 4. num. 3. in com. litera F.* & *cap. 7. num. 5. in Comment. littera B* Gomez *in expoſit. Cruciata Clauſula 10. num. 85.* Maiolo *2. de Irregular. cap. 2. num. 12.* & *lib. 5. cap 51. num. 7.* Sayr. *tom. 1. lib. 7. cap. 14. num. 5.* Salas *de Legib diſp. 20. ſect. 12. num. 103.* Lopez *par. 2. Ira tract. cap. 5.* Molina *tom. 1. de Ius & iure. tract. 2. diſp. 247. ver. Religioſus tamen* Azor. *lib. 7. Inſtit. mor. cap. 29. Quæſ. 7.* & alijs. Et fundatur in Cap. *Per venerabilem. Qui filij ſint legitimi*, vbi habetur poſſe Regem legitimare filios proprios in ordine ad temporalem hæreditatem. Dum autem diſpenſat cum filio diſpenſat etiam cum ſeipſo, vt poſſit filium inſtituere hæredem. Cum igitur poſſit Epiſcopus deſignare, & approbare confeſſarios pro alijs, poterit etiam pro ſeipſo.

9 Dices. Id eſſe verum, quando Epiſcopus eſt in propria Diœceſi, non autem quando eſt in aliena: quia tunc non habet iuriſdictionem. Verùm falſum eſt quòd Epiſcopus extra propriam Diœceſim non retineat ſuam iuriſdictionem Epiſcopalem in ordine ad propriam Diœceſim; vnde poteſt exercere regimen Epiſcopale ipſius. Et cum dicitur, quòd non habet iuriſdictionem; intelligitur tantùm quò ad ea, quæ non poſſunt exerceri ſine ſtrepitu iudicij (quia non poteſt in aliena Diœceſi erigere tribunal, & quo ad exercitum Ponti-
10 ficalium). Vnde vt notant Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 43. num. 14.* Facundez *lib. 1. in Quinque Præcep. Eccleſ. cap. 4. num. 8. ver. Non poteſt* & cum ijs Barboſa *par. 3. De offic. & poteſt. Epiſ. allegat. 97. num. 16.* poteſt extra Diœceſim abſque licentia Epiſcopi Diœceſis approbare reliquias Sancti canonizati pro ſua Eccleſia: quia hæc non eſt iuriſdictio contentioſa inter partes exercenda, ſed voluntaria: quam regulariter poſſe exerceri ab Epiſcopo extra propriam Diœceſim docet idem Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 19. num. 8.*

11 Hinc poteſt extra propriam Diœceſim approbare confeſſarios pro ſuis ſubditis, & conferre ipſis facultatem; vnde idem præſtare poterit etiam in ordine ad ſeipſum: quia non eſt ſubiectus Epiſcopo loci: atque adeo non dat iuriſdictionem, quæ pertineat ad ipſum, cum tantùm ad ipſum pertineat iuriſdictio in ordine ad proprios ſubditos; ſed exercet iuriſdictionem, quæ ſibi competit ex officio, ratione cuius habet poſſe approbare confeſſarios etiam pro ſe ipſo.

12 Neque vrget ratio in contrarium *num. 3.* allata: quia ſoluta manet ex dictis *num. 7.* Deinde quando Trident. decernit non [illegible] idoneum confeſſarium, qui non ſit appr[illegible]tus à proprio Ordinario, intelligit de idoneitate publica in foro exteriori, non de idoneitate intrinſeca, quæ conſiſtit in ſufficientia pro hoc munere: quã approbatio non confert, ſed ſupponit: Priuilegium autem Cap. *fin. de Pœnit.* quo conceditur Epiſcopis eligendi ſibi confeſſarium, & omnibus Prælatis, dummodo ſit perſona idonea, loquitur de idoneitate intrinſeca; nam tex. habet quod poſſint eligere prouidum, & diſcretum, nec vtitur nomine idonei.

13 Nec etiam obſtat illa declaratio Sacræ Congregationis Concilij Tridentini cum approbatione Pontificis, quæ circumfertur: Quòd ſcilicet Epiſcopi non poſſint eligere confeſſarium ſibi non ſubditum, qui non ſit approbatus à proprio ordinario: quia huiuſmodi declarationes, niſi ſint in forma authentica, nullam auctoritatem habent, ex decreto eiuſdem Congregationis, & Summi Pontificis; vnde miror quòd Doctores velint ipſis attribuere illam auctoritatem, quam Pontifex non vult attribui, vt vidimus *Deciſ. Præced. num. 7.*

An Epiſcopi Titulares gaudeant dicto priuilegio Cap. *Fin. De Pœnitentia.*

Deciſio LXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopi Titulares non habent circa quod poſſint exercere iuriſdictionem.*
2 *Poſſunt Epiſcopi Titulares ſibi eligere confeſſarium.*
3 *A quo confeſſarius electus per Cap.* Fin. de Pœnit. *habeat iuriſdictionem.*
4 *Titulares Epiſcopi poſſunt eligere confeſſarium non approbatum ab ordinario.*

1 VIdetur negatiuè reſpondendum Quia cum non habeant Eccleſiam, in qua exerceant iuriſdictionem, nec etiam habet facultatem conferendi iuriſdictionem in ordine ad ſe

Digitized by Google

ad ſe. Et ita videtur ſentire Palud. *in 4. diſt. 17. Quæſ. 3.*

2 Oppoſitum tamen tenendum eſt cum Suarez *diſp. 27. de Pœnit. ſect. 5. num. 5.* Rodriquez *par 4. ſum. Cap. 67. de Epiſcopis. num. 17.* Alzedo *par. 1. de Præced. Epiſcop. dignit. cap. 5. num. 121.* Præpoſit. *3. par. Quæſ. 7. de Pœnit. dub. 7. num. 55. in fine* Henriquez *lib. 6. cap. 13. num. 3.* Boſſio *De Iubilæo ſect. 3 caſu 2 §. 4. num. 106.* quia priuilegium non conceditur ratione iuriſdictionis, ſed ratione dignitatis; & proinde dicitur concedi Epiſcopis, ſignificando dignitatem, propter quam conceditur. Epiſcopus autē Titularis eſt verè Epiſcopus habens veram dignitatem Epiſcopalem: & ideo cum comprehendatur nomine Epiſcopi, non eſt excludendus à participatione priuilegij; præſertim cum fauorabilia ſint amplianda.

3 Nec eſt neceſſe, quòd habeat facultatem conferendi iuriſdictionem; nam confeſſarius ſic electus non recipit facultatem ab eligente, ſed ab ipſo Pontifice; vt conſtat in alijs, qui poſſunt eligere, nec tamen habent facultatem conferendi ipſis iuriſdictionem aliquam: vt ſi Prælatus Regularis eligat aliquem alterius Ordinis.

4 Eſt autem notandum, quòd poſſunt eligere ſicut cæteri Epiſcopi, videlicet etiam non approbatum à proprio Ordinario: quod etiam de cæteris Epiſcopis, de quibus infra dicemus, poſſe eligere, intelligendum eſt.

An Epiſcopus confirmatus, ſed nondum conſecratus, gaudeat dicto priuilegio Cap. *Fin. de Pœnit.*

Deciſio LXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non conſecratus non gaudet priuilegio eligendi ſibi Confeſſarium ſecùndum aliquos.*

2 *Tenendum quod gaudeat.*

1 NEgatiuè reſp. Alzedus *par. 1. De Præcellent. Epiſcop. dignit. num. 121.* & qui citat Rodriquez *in Sum.* qui tamen ibi oppoſitum docet, vt videbimus. Ratio eſſe poteſt, Quia quamdiù non eſt conſecratus, nondum eſt perfectè Epiſcopus, cum non habeat ordinem Epiſcopalem: & proinde non poteſt venire nomine Epiſcopi.

2 Oppoſitum tamen tenendum eſt cum Rodriquez *par. 4. Sum. cap. 67. de Epiſcopis num. & concluſ. 17.* vbi cum dixiſſet, Epiſcopum ſolum electum non poſſe gaudere hoc priuilegio, ſubdit *Empero el confirmado le puede eliger, pues ya es Obiſpo* & Suarez *Diſp. 27. de Pœnit. ſect. 5. num. 5.* Eſt enim verè Epiſcopus quò ad dignitatem, licet non quò ad ordinem; vnde poteſt exercere quæ ſunt iuriſdictionis, licet non quæ ſunt ordinis; priuilegium autem conceditur intuitu Epiſcopalis dignitatis, quam habet perfectè ex vi confirmationis, & proinde venit ſub nomine Epiſcopi, præſertim in fauorabilibus.

An Epiſcopus electus, ſed nondum confirmatus gaudeat dicto priuilegio.

Deciſio LXXXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non confirmatus non poteſt ſibi eligere Confeſſarium.*

2 *Licet habeat ius per electionem ad Epiſcopatum, non tamen eſt Epiſcopus.*

1 REſp. negatiuè cum Rodriquez *par. 4. Sum. cap. 27. de Epiſcopis num. 17.* Suarez *diſp. 27. de Pœnit. ſect. 2. num. 5.* Alzedo *par. 1. De Præcellent. Epiſcop. Dignit. cap. 5. num. 121.* Boſſio *De Iubileo ſect. 3. caſu 2. §. 4. num. 107.* Quia nondum eſt Epiſcopus etiam quò ad dignitatem, ſed tantùm deſignatus in Epiſcopum; & ideo non extrahitur à iuriſdictione eorum, quibus ante electionem ſubdebatur.

2 Dices; Qui eligitur fit talis per electionem, & acquirit ius ad id, ad quod eligitur. Ergo Epiſcopus electus habet ius ad Epiſcopatum, atque eſt verè Epiſcopus. Reſp. aliud eſſe, quòd fiat talis, & aliud, quòd acquirat ius. Primum non ſemper habetur ex electione, ſed tunc solùm, quando electio eſt ſimul etiam confirmatio: vt cum quis eligitur à pluribus ad aliquam dignitatem, tunc etiam electio eſt etiam ſimul aſſumptio ad dignitatem: ſecus autem quando electio ordinatur ad vlteriorem confirmationem; vt contingit in præſenti caſu; nam tunc non eſt aſſumptio ad dignitatem, ſed tantùm deſignatio.

An

An Epiſcopus ſuſpenſus, aut depoſitus gaudeat dicto priuilegio, & quid de excommunicato.

Deciſio XC.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus ſuſpenſus poteſt ſibi eligere Confeſſarium.*
2 *Etiam Epiſcopus depoſitus.*
3 *Excommunicatus Epiſcopus poteſt ſibi eligere Confeſſarium, quando poteſt confiteri. Item Epiſcopus interdictus.*

1 REſp. Epiſcopum ſuſpenſum gaudere priuilegio, vt cum Rodriquez *par. 4. Sum. cap. 67. de Epiſcopis num.* 18. tenet Suarez *diſp.* 27. *de Pœnit. ſect.* 2. *num.* 5. & Alzedo *par.* 1. *de Præcel. Epiſcop. dignit. cap.* 5. *num.* 121. Boſſius *De Iubil. ſect.* 3. *caſu* 2. §. 4. *num.* 108. Ratio eſt, quia ſuſpenſio non priuat dignitate, neq; priuilegijs dignitatis, ſed tantùm impedit executionem ordinis.

2 Idem tenendum eſt cum ijſdem Doctoribus de Depoſito: quia depoſitio priuat tantùm exercitio ordinis & iuriſdictionis, non autem dignitate, & conſequenter, nec priuilegijs conceſſis intuitu dignitatis.

3 De excommunicato autē dicendū eſt, Quòd quando poteſt confiteri, poteſt etiam ſibi eligere confeſſarium iuxta dictum priuilegium; nam excommunicatio nec dignitate priuat, nec priuilegijs, ſed tantùm impedit vſum ipſorum: quatenus eſt inſeparabilis ab ijs, quæ per excommunicationem tolluntur. Et eadem eſt ratio de Epiſcopo interdicto.

An Epiſcopus degradatus fruatur dicto priuilegio.

Deciſio XCI.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus degradatus non poteſt ſibi eligere confeſſarium.*

1 REſp. negatiue cum Rodriquez *par. 4. Sum. cap. 67. De Epiſcopis num.* 18. Suarez *diſp.* 27. *De Pœnit. ſect.* 2. *num.* 5. Alzedo *par.* 1. *De Præcel. Epiſcop. dignit. cap.* 5. *num.* 121. Boſſio *ſect.* 3. *de Iubileo caſu* 2. §. 4. *num.* 108. quia degradatio eſt priuatio facta ab Eccleſia, quantum fieri poteſt, dignitatis, & ordinis, vnde remanet priuatus ijs omnibus, quibus poteſt priuari ab Eccleſia, atque adeo etiam priuilegijs: & in conſpectu Eccleſiæ eodem pacto ſe habet, ac ſi non eſſet Epiſcopus.

Quinam ſint Prælati exempti, quibus conceditur Priuileg. dictum Cap. *Fin. de Pœnit.*

Deciſio XCII.

SVMMARIVM.

1 *Quibus concedatur priuilegium eligendi Confeſſarium per Cap.* Fin. De Pœnit.
2 *Quinam ſint prælati exempti, quibus tale priuilegium conceditur, ſecùndum Angel. & alios.*
3 *Quinam ſecùndum Syluest. & alios.*
4 *Non requiritur exemptio quò ad forum pœnitentiæ.*
5 *Exempti ij ſunt, qui in foro externo non ſubduntur Ordinario.*
6 *Electio confeſſarij per Cap.* Fin. De Pœnit. *poteſt fieri ſine Superioris licentia.*
7 *Vnde dilatio pœnitentiæ oriri poſſit.*

1 PRiuilegium eligiendi Confeſſarium in dicto Cap. *Fin. De Pœnit.* conceditur Epiſcopis, Superioribus, & Prælatis minoribus ſeu inferioribus, exemptis tamen. Et quia ibidem ponuntur Superiores vt condiſtincti à Prælatis exemptis: ideo, quia nomine Superiorum potiùs quàm Prælatorum minorum veniunt Prælati Religionum, dubium eſt quid per Prælatos exemptos intelligiendum ſit.

2 Angelus *in Sum. Confeſſio* 3. ex Hoſtienſi, & Panormitano vult intelligi, qui immediatè, quò ad forum pœnitentię, ſubijciuntur Summo Pontifici. Pro quo faciunt verba tex. quibus finis priuilegij exprimitur: nempe, *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum*. Hoc enim ſolùm verificari poteſt de immediatè ſubiectis Summo Pontifici, nam ſi haberent alium Superiorem, facilè poſſent ipſum adire, nec immineret huiuſmodi periculum.

3 Syluester *verbo Confeſſor* 1. *quæſ.* 8. citans Archidiacon. Palud. *in 4. diſt.* 17. *Quæſ.* 3. Suarez *Diſp.* 27. *de Pœnit. ſect.* 2. *num.* 10. Nomine Prælatorum exemptorum intelligunt illos Prælatos, qui eximuntur à iuriſdictione Epiſcopi, quod Suarez explicat de ſubiectione in foro pœnitentiæ; & proinde dicit, extra Religiones nō inueniri exemplum, in Religionibus verò eſſe Abbates, Prouinciales &c.

4 Sed hæc explicatio de exemptione quò ad forum pœnitentiæ non placet; nam ſi eſſent exempti, poſſent ſibi eligere Confeſſarium,

quam

quàm vellent, abſque priuilegio; vnde cum indigeant priuilegio, oportet vt non poſſint auctoritate propria eligere: atque adeo quòd ſubſint alteri in foro pœnitentiæ.

5 Itaque nomine exemptorum Prælatorum ij ſunt intelligendi, qui in foro externo non ſubduntur Ordinario loci, ſiue immediatè ſubduntur Pontifici, ſiue non. Cum enim Epiſcopus importet iuriſdictionem ordinariam, qui à tali iuriſdictione ſunt exempti, ſimpliciter cenſentur exempti.

6 Et fauet tex. nam hoc priuilegium conceditur Epiſcopis, etiam ſi ſubſint Archiepiſcopis; deinde dicitur, quòd poſſint ſibi eligere Confeſſarium abſque ſui Superioris licentia. Vnde ſupponitur, quòd præter Pontificem habeant aliquem alium Superiorem: non enim intelligi poteſt de Pontifice, quia non abſque illius licentia, ſed cum licentia eligitur Confeſſarius.

7 Neque obſtat, quòd *num.* 2. affertur in oppoſitum; nam dilatio pœnitentiæ nedum oriri poteſt ratione abſentiæ Superioris, à quo peti poſſit licentia eligendi Confeſſarium: ſed etiam ex difficultate, aut erubeſcentia in adeundo Superiorem præſentem: cui vt Pontifex occurreret, concedit priuilegium.

An cæteri Cardinales non Epiſcopi, nec Legati poſſint ſibi eligere Confeſſarium non approbatum à proprio Ordinario ipſius Confeſſarij.

Deciſio XCIII.

SVMMARIVM.

1 *Cardinales non Epiſcopi non poſſunt ſecùndum aliquos ſibi eligere Confeſſarium non approbatum à proprio Ordinario.*

2 *Poſſunt eligere.*

3 *Hæc facultas illis conuenit ex Cap.* Fin. de Pœnitent.

4 *Quid requiratur vt vna lex cenſeatur reuocata per aliam.*

5 *De iure Ordinario poſſunt Cardinales ſibi eligere Confeſſarium.*

6 *Iuriſdictio Cardinalium inſtar Epiſcopalis confirmatur conſuetudine etiam in ordine ad propriam familiam.*

1 NEgatiuè reſp. Hoſtienſ. *in Sum. de Pœnit. & remiſ.* §. *Cui confitendum. ver. Cui Cardinalis.* Syluеſt. *verbo Confeſſor.* 1. *quæſ.* 3. Armill. *verbo Abſolutio num.* 14. Tabien. *abſolut.* 1. *num.* 37. Rubeus *in Aphor. Epiſcop. verbo Cardinalis num.* 5. Azor. *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *quæſ.* 16. *ver. Hoſtienſis.* Quorum duo poſtremi volunt id locum habere poſt Concil. Trident. ob decretum *Deciſ. præced.* allatum. Cæteri vero loquuntur ante Concil. Trident. de Cardinalibus tamen, quando ſunt Romæ: quia tunc non ſunt exempti, ſed proxime ſubiecti Papæ; & ideo confiteri debent vni ex Pœnitentiarijs, aut obtinere facultatem à Pontifice eligendi ſibi Confeſſarium.

2 At poſſe ſibi eligere Confeſſarium non approbatum ab ipſius Ordinario, ſiue Romæ, ſiue alibi commorentur, etiam poſt Tridentinum, docent Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſ.* 4. *ar.* 2. Alban. *de Cardinal. quæſ.* 41. Laudenſ. *de Cardinal. quæſ.* 19. Manticd. *de Cardinal. deciſ.* 118. Toler. *lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 9. Zerola *par.* 2. *Prax. Epiſcop. verbo Epiſcopus num.* 14. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 3. Comitol. *lib.* 1. *quæſ.* 101. *num.* 4. Naldus *in Sum. verbo Cardinalis num.* 8. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *par. diſp.* 27. *ſect.* 2. *num.* 6. Turrian. *de Pœnit. diſp* 23. *dub.* 3. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 7. *num.* 197. Vaſquez *in* 3. *par. tom.* 4. *quæſ.* 93. *ar.* 1. *dub.* 4. *num.* 2. Reginal. *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 5. *ſect.* 1. *num.* 32. Præpoſitus *in* 3. *par. quæſ.* 7. *de Approbat. Miniſt. dub.* 7. *num.* 53. Boſſius *de Iubileo ſect.* 3 *caſ.* 2. § 4. *num.* 11. Ludouicus à Ciuce *in Bullam Cruciat. diſp.* 1. *cap.* 2. *dub.* 21. *num.* 11. Ochagauia *tract.* 2. *de Sacram. confeſſ. quæſ.* 36. *num.* 15. Diana *par.* 5. *tract.* 2. *de Poteſt. & priuil. S. R. E. Cardinal. reſolut.* 10. Qui volunt id eis conuenire ex Cap. *Fin. de Pœnit.* vel ex conſuetudine.

3 Ego autem exiſtimo hoc illis conuenire ex dicto Cap *Fin. de Pœnit.* quia cenſeo, non eſſe reuocatum per decretum Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de Refor.* dum dicitur: Neminem poſſe ſæcularium confeſſiones audire niſi ſit approbatus ab Ordinario loci. Licet enim in executionem huius decreti reuocentur omnia priuilegia, non tamen cenſeri debet reuocatum priuilegium conceſſum Prælatis in prædicto Cap. *Fin.* quia eſt clauſum in Corpore Iuris; & priuilegia huiuſmodi non reuocantur per reuocationem generalem, ſed debet fieri de ipſis ſpecialis mentio Gloſ. *in Authen. Qua in Prouincia C. vbi de Crimine agi opor. Verbo Omni priuilegio;* vbi Barboſ *ver. Vel dic veriùs* Bal. *ver. Tertia eſt ſolutio.* Paulus *in l.* 1. *de Legib.* Iaſon *in l.* 1. *ff. Soluto matrimonio.* Item Gloſ. *in l.* 3. *C. de Silent. & decur.* Suarez *lib.* 8. *de Legib. cap.* 38. *num.* 1. Salas *diſp.* 17. *ſect.* 14. *num.* 73. Caſtr. Palaus *par.* 1. *tract.* 3. *de Priuileg. diſp.* 4. *puncto.* 21. §. 4. *num.* 5. & alij. Et ratio eſt, quia non ſunt pura priuilegia, ſed Canones, & leges; vnde non compræhenduntur nomine priuilegiorum.

4 Nec poteſt cenſeri reuocatum per ſupradictum decretum tanquam per legem contrariam. Quia, vt vna lex ſit contraria alteri, verſari debet circa eaſdem res, & perſonas; hoc autem decretum Tridentini ſe extendit tantùm ad ſæculares ſacerdotes, non autem ad Prælatos, & Superiores, quibus in ſupradicto *Cap. Fin.* conceditur priuilegium eligendi Confeſſarium. Et, cum ea, quæ ſunt in Corpore Iuris, non præſupponantur ignorata à Principe ſeu legiſlatore ex 1. *de Conſtit. in 6.* Si Trident. per ſupradictum decretum voluiſſet reuocare tale priuilegium, cum ſciret conceſſum eſſe ſpecialiter Prælatis, & Superioribus, ipſorum mentionem feciſſet, & non ſpecificaſſet ſolos ſacerdotes. Et proinde dedita opera videtur mentionem feciſſe ſolùm ſacerdotum, vt conſtaret quòd non reuocaret huiuſmodi priuilegium.

5 Deinde hoc illis competit etiam de iure ordinario. Cum enim habeant iuriſdictionem Epiſcopalem in ſuis Eccleſijs titularibus, vt docent Abbas, Butrius, Felin. *in Cap. His, quæ. de Maiorit. & obedient.* hoc tradente ipſo tex. & præterea Monac. *in Cap. Vnicum de Maior. & obedient. in 6.* vbi etiam Probus *num. 6.* Imol. *in Clem. Ne Romani num. 23. de Elect.* Laudenſ. *de Cardinal. quæſ. 60.* Alban. *tract. eodem quæſ. 46* Iacobat. *de Concil. lib. 1. cap. 2.* Azor. *tom. 2. lib. 4. cap. 1. quæſ. 8.* Leo *in Foro Eccleſ. par. 2. cap. 1. num. 7.* & alij, ſequitur quòd etiam habeant eamdem iuriſdictionem in ſua familia, cuius ſunt veluti Ordinarij. Ratione ergo huius iuriſdictionis poſſunt ſibi eligere Confeſſarium: quia eſt iuriſdictio potens approbare Confeſſarios, cum ſit Epiſcopalis.

6 Atque hæc iuriſdictio eſt etiam confirmata conſuetudine, quæ ſola ſufficeret; quia cum rationabilis ſit ex eo, quòd nemini præterquam Summo Pontifici in Foro pœnitentiali ſubduntur (cum ſint inuiſcerati eidem Summo Pontifici vt ait Hoſtienſ. *in Cap. Antiqua num. 5. ver. Sed quæ. Extra de Priuileg.* & Præpoſit. *in Cap. Quamquam num. 13. ver. Tertio patet. 2. quæſ. 7.*) habet vim inducendi legem. Hinc in Curia quoque Romana, quando tempore Paſchatis tenentur fideles ſub præcepto in proprijs Parochijs Euchariſtiam ſumere; Ipſi & familia eorumdem non accedunt ad Parochiam loci, ſed in Oratorio propriæ domus toti familiæ miniſtratur.

An Cardinales poſſint eligere pro ſua familia Confeſſarium non approbatum ab Ordinario loci.

Deciſio XCIV.

SVMMARIVM.

1 *Cardinales poßunt eligere pro familia Confeſſarium non approbatum.*
2 *Cardinales ſunt Ordinarij ſuæ familiæ.*
3 *Cardinales ſunt Prælati vniuerſales incorporati Summo Pontifici.*

1 Reſp. affirmatiuè cum Tanneto *tom. 4. diſp. 6. quæſ. 9. dub. 3. num. 58.* Ludouico à Cruce *in Bul. Cruciat. diſp. 1. cap. 2. dub. 22. num. 17.* Ludouico à *S. Ioanne quæſ. 6. de Sacram. pœnitent. ar. 2. difficul. 5. concluſ. 2.* Naldo *in Summ. verbo Cardinal. num. 8.* & alijs, quos *Deciſ. præcedent. pro 2. ſent.* citauimus contra Auctores primæ ſentent. *Deciſ. præced.* qui cum negent, poſſe Cardinalem eligere Confeſſarium pro ſe ipſo, à fortiori negabunt etiam reſpectu familiæ.

2 Ratio autem eſt, quia cum ſint tanquam Ordinarij ſuæ familiæ, poſſunt pro ipſa approbare Confeſſarium. Quòd autem ſint tanquam Ordinarij ſuæ familiæ, conſtat ex dictis Deciſ. *præced. num. 5. & 6.*

3 Quòd ſi obijcias. Quòd Epiſcopi non poſſunt extra propriam Diœceſim eligere pro familia ſua Confeſſarium non approbatum ab Ordinario loci, & proinde quòd neque etiam poterunt Cardinales. Reſp. Eſſe diuerſam rationem de Epiſcopis, & Cardinalibus; nam familia Laica Epiſcoporum extra Diœceſim ſubditur in foro pœnitentiali Ordinario loci; ſecus autem familia Cardinalium, qui ſemper vbicumque ſint, ſunt Ordinarij reſpectu propriæ familiæ. Et ratio eſt; Quia Epiſcopi ſunt Prælati particulares, qui non habent iuriſdictionem niſi intra propriam Diœceſim: Cardinales verò ſunt Prælati vniuerſales participantes cum Summo Pontifice in regimine vniuerſalis Eccleſiæ; nam illi aſſiſtunt in regenda vniuerſali Eccleſia, & ſunt membra Pontificatus, cuius ipſe eſt caput, & inuiſcerati eidem Summo Pontifici, vt vidimus *Deciſ. præced.* & ideo iuriſdictionem, quam ſemel habent, retinent in quocumque loco.

Digitized by Google

An qui ſunt de Familia Cardinalium poſſint ſibi eligere Confeſſarium non approbatum ab Ordinario loci de licentia ipſorum Cardinalium.

Deciſio XCV.

SVMMARIVM.

1 *Qui ſunt de familia Cardinalium de ipſorum licentia poſſunt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum ab Ordinario.*
2 *Quomodo debeant eſſe de familia, vt gaudeant hac facultate.*
3 *Quomodo hac facultas eligendi Confeſſarium debeat Cardinalis concedere familiaribus.*
4 *Poteſt Cardinalis concedere vniuerſalem facultatem eligendi quemcunque ex certo genere.*
5 *An Confeſſarius electus à familiari Cardinalis poſſit extra domum Cardinalis audire eius Confeſſionem.*

1 RESp. affirmatiuè, Quia cum Cardinales ſint Ordinarij propriæ familiæ, poſſunt vnicuique de familia, ſicut Epiſcopi vnicuiq; ſubditorum, tribuere huiuſmodi facultatem; & ita tenent Auctores citati *num.* 1. Deciſ. *præcedent.*

Eſt tamen aduertendum, quòd hoc tantùm valet, quando familiaris Cardinalis actu degit intra familiam; quia, etiam ſi ſit de familia, ſi tamen moretur in loco, vbi Cardinalis non habet familiam, non poteſt vti huiuſmodi facultate; quia in tantùm poteſt Cardinalis concedere, in quantùm eſt Ordinarius propriæ familiæ: & ideo hanc iuriſdictionem poteſt tantùm exercere in ordine ad propriam familiam, atque adeo in loco vbi ipſe eſt.

3 Rurſus etiam aduertendum eſt; quod non poteſt concedere hanc facultatem alicui ex familia indefinitè ad hos, vel illos eligendos: ſed tantùm pro eligenda determinata perſona: quia talis conceſſio eſt etiam ſimul approbatio idoneitatis perſonæ eligendæ ad miniſtrandum ſacramentum pœnitentiæ; non poteſt autem approbare niſi determinatas perſonas. Alioquin eſſet concedere facultatem, vt quilibet ſiue idoneus, ſiue non, poſſet audire confeſſionem ſui familiaris; quod ſine graui peccato fieri non poſſet; nam in re grauiſſima committeretur iuriſdictio perſonæ incapaci cum præiudicio ſalutis ſpiritualis.

4 Poſſet tamen concedere facultatem generalem eligendi quemlibet ex aliquo certo genere perſonarum, quæ præſupponuntur idoneæ, vt eſſent Decretorum Doctores: quia ſicut poteſt omnes iudicare idoneos, ita poteſt etiam omnes approbare.

5 Quæres. An Confeſſarius electus in virtute huius facultatis à familiari Cardinalis, poſſit confeſſiones ipſius audire extra domum Cardinalis. Reſp. Poſſe: quia licet iuriſdictio miniſtrandi ſacramentum pœnitentiæ ſit in ordine ad perſonas locales, non eſt tamen alligata loco, niſi quatenus eſt colligata perſona, in quam eſt exercenda. Familiares autem Cardinalium etiam extra domum ipſius retinent ſubiectionem ad ipſum: & ideo adhuc ſunt de ipſius iuriſdictione; quod non contingit quando aliquis tranſit de vna ad aliam Diœceſim.

An Generales poſſint ſibi eligere Confeſſarium non ſubditum, qui non ſit approbatus à proprio Ordinario.

Deciſio XCVI.

SVMMARIVM.

1 *Qui negent poſſe Generales Regularium eligere ſibi Confeſſarium non approbatum à proprio ordinario.*
2 *Poſſunt eligere Confeſſarium non approbatum.*
3 *Facultas hac vnde illis conueniat, & an tollatur per Tridentinum.*
4 *An tollatur per declarationem Sacræ Congregationis.*
5 *Quando agitur de priuilegio non licet arguere à paritate, aut à maiori ad minus.*

1 NEgatiuè reſpondent Canus, *Relect. De Pœnit. par.* 5. Vaſquez 3. *par. Quæſ.* 93. *ar.* 2. *dub.* 5. *Ochagauia Quæſ.* 36. *De Pœnit.* Rodriquez *tom.* 4. *Sum. cap.* 67. *num.* 19. & Hieronym. Roder. *in Compend. Quæſ. Reg. Reſol.* 69. *num.* 10. Quia Gregor. XIII. declarauit non poſſe Epiſcopos eligere ſibi Confeſſarium in virtute Cap. *Fin. De Pœnit.* qui non ſit approbatus à proprio ordinario. Vnde Pontifex non vult quòd adhibeatur illud priuilegium, niſi in ordine ad Confeſſarios, qui habeant talem qualitatem, nempe approbationẽ proprij Ordinarij. Deinde ſi non licet Epiſcopo, nec etiam licebit à fortiori Generalibus, aut Prouincialibus.

2 Hæc tamen ſententia nullam habet probabilitatem. Vnde oppoſitum communiter tradunt præſertim Palud. *in* 4. *diſt.* 17. *Quæſ.* 3. *ar.* 2. Gabr. *ar.* 2. *dub.* 5. Adrian. *Quæſ.* 5. *de Confeſ. dub.* 1. D. Antonin. 3. *par. Sum. tit.* 17. *cap.* 2. Sylueſter. *verbo Confeſſor.* 1. *Quæſ.* 8. Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *Quæſ.* 9. *ar.* 1. Roſella *verbo Confeſſor.* 3. Corduba *in Aduot. ad Compen. Priuileg. Mendicant. tit. Accedere ad Monaſteria* §. *Quò ad illa*

poſt med. Medina *Cod. De Conſeſ. Quæſ. de Sacerd. alieno.* Suarez *tom. 4. in 3. par. Diſp. 27. de Pœnit. ſect. 2. num. 9. & 10.* & *tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 22. num. 8.* Coninch. *diſp. 8. de Sacram. Pœnit. dub. 8. num. 60. Præpoſit. Quæſ. 7. dub. 7. num. 53.* Nugr. *3. par. tom. 2. Quæſ. 8. ar. 5. dub. 2.* Syluius *in Addit. ad 3. par. Quæſ. 8. ar. 5. Quæſ. 2.* Filliuc. *tom. 1. tract. 7. cap. 9. num. 231.* Miranda *tom. 2. Manual. Prælat. Quæſ. 20. ar. 7. & Quæſ. 32. ar. 6. concluſ. 1.* Valer. *in Differ. Vtriuſque fori verbo Iuriſdictio Differ. 14 num. 2.* Villalobos *par. 1. Sum. tract. 9. difficul. 47. num. 4.* Barboſa *tom. 2. Collectan. lib. 5. tit. 38. cap. 16. num. 2.* Diana *par. 3. tract. 2. Reſolut. 1.* & idem Rodriquez *tom. 1. Quæſ. Reg. Quæſ. 20. ar. 28.* Hurtad. *diſp. 10. de Pœnit. difficul. 13. ver. Paludanus vero*, &c. Peyrinus *tom. 1. Priuileg. Minim. in Conſtit 4. Sixti IV. num. 28.* Leſana *par. 1. quæſ. Regular. cap. 18. num. 81.* Lugo *diſp. 19. De Pœnit. ſect. 1. num. 4.* Boſſius *De Iubileo ſect. 3. caſu 2. §. 4 num. 112.*

3 Ratio manifeſta eſt, quia Caput *Finale De Pœnit. & Remiſ.* hoc ipſis concedit; nec Tridentinum. *ſeſ. 23. cap. 15. De refor.* derogat huic priuilegio: cum, vt clarum eſt, & omnes fatentur, requirat approbationem ab Ordinario in ordine tantùm ad confeſſiones ſecularium, non verò Regularium.

4 Nec item illi derogat ſupradicta declaratio Congregat. Cardinalium approbata à Gregorio XIII. tum quia de ipſa authenticè non conſtat; vnde iuxta decretum Vrbani VIII. nulla ipſi fides eſt adhibenda, aut auctoritas præſtanda; Tum quia, etiam ſi authentica eſſet, adhuc non faceret ad propoſitum: quia facta fuit ob declarandum decretum Concilij Tridentini, de quo *num. Præcedenti*; vnde non extenditur ad eos, ad quos non extenditur Decretum: quales ſunt Regulares; & præſertim, quia ſpecialiter eſt facta pro Epiſcopis: & cum ſit odioſa non eſt extendenda, cum neque extendatur Decretum Tridentini.

5 Neque valet argumentum, Quod ſi non poſſunt Epiſcopi, nec etiam poſſunt Generales, & Prouinciales. Quia quando agitur de priuilegio, non tenet argumentum à maiori ad minus; ſed attendendum eſt, quid ſit, & quid non ſit conceſſum, & quibus perſonis ſit conceſſum, & quibus non: vnde conſideranda eſt tantùm conceſſio; non verò inæqualitas perſonarum. Vnde Prælati Regularum pluta poſſunt ex priuilegio, quæ non poſſunt Epiſcopi.

An Superiores Regularium inferiores Generalibus gaudeant priuilegio Cap. *Fin. de Pœnit.*, &c. in electione Confeſſarij.

Deciſio XCVII.

SVMMARIVM.

1 *Superiores Regulariũ inferiores Generali non poſſunt ſecundum aliquos ſibi eligere Confeſſarium.*
2 *Poſſunt ſibi eligere.*
3 *Hi ſuperiores includuntur in priuilegio Cap.* Fin. De Pœnit.
4 *Vt Prælatus gaudeat priuilegia Cap.* Fin. de Pœnit. *non eſt opus vt ſit immediatè ſubiectus Pontifici.*
5 *Superiores Regularium ſunt verè Prælati.*

1 NOn gaudere tradunt Sum. *Angel. verbo Confeſſor. 3. §. 5.* Sorbus *in Collect. Priuileg. Mendicant. tit.* Accedere ad Monaſteria §. *Et loquendo in particulari, circa finem.* Reginal. *tom. 1. lib. 1. cap. 4. ſect. 2. num. 36.* & hæc ſententia tribuitur etiam Hoſtienſi, & Panormitano. Fundamentum eſt, quia priuilegium Cap. *Fin. De Pœnit.* non habet locum; niſi in exemptis, Prælatis, & immediatè ſubiectis Pontifici; Superiores autem inferiores Generali, cum ipſi Generali ſubijciantur, non ſunt immediatè ſubiecti Pontifici. Deinde addunt aliqui: quia non ſunt verè Prælati, cum ſubijciantur, quò ad forum interius, Generali. Et a fortiori eamdem ſententiam tenent auctores *num. 1.* allati in Deciſ. *præcedenti.*

2 At gaudere docent communiter D. Antonin. *3. par. tit. 17. cap. 2. §. Et in prima parte.* Sotus *in 4. diſt. 18. Quæſ. 9. ar. 1.* Sylueſter *verbo Confeſſor. 1. Quæſ. 8.* qui citat etiam Archidiacon. & Palud. in 4. Roſella *verbo Confeſſor. 3.* Corduba *in Adnotat. ad Compend. Priuileg.* Sorbi *tit.* Accedere ad Monaſteria §. *Quò ad illa duo poſt med.* & alij, quos *Deciſ. Præcedenti num. 2.* attulimus in locis ibid. citatis. Vnde poſſunt eligere etiam non approbatum, vt *Deciſ. præced.* dictum eſt quod de omnibus alijs intelligi debet, qui gaudent dicto Priuilegio.

3 Et ratio manifeſta eſt, quia huiuſmodi priuilegium Cap. *Final. De Pœnit.* eſt pro omnibus Prelatis exemptis etiam minoribus, vt clarè habet tex. *Permittimus Epiſcopis, & alijs Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, &c.* Superiores autem Regularium inferiores Generali ſunt verè Prælati: quia habent iuriſdictionem non ſolùm in foro interno, ſed etiam in foro contentioſo: & erigunt tribunal.

Gloſ.

Digitized by Google

Gloſ. *in cap. 2. de Iud.* & *in Clement. Dudum De ſepul. verbo Prælati.*] & latiùs *Deciſ. ſequenti* hoc oſtendemus.

4 Nec verum eſt, quòd [v]t Prælati gaudeant hoc priuilegio, debeane eſſe ſubiecti immediatè Summo Pontifici; nam tex. illius Cap. *Fin.* eſt in oppoſitum; habet enim: *Permittimus Epiſcopis, & alijs Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, vt etiam præter ſui Superioris licentiam, &c.* Eece ergo, quomodo maniſeſtè loquitur etiam de ijs Prælatia, qni habent Superiorem, atque adeo non ſunt immediatè ſubiecti Pontifici: a quo forte dubitari poſſet, an deberent petere licentiam.

5 Quòd autem additur, quòd non ſint verè Prælati, falſum eſt: non enim ſubijci alteri in foro interiori tollit prælationem, quando ſunt cum iuriſdictione in foro externo, & interno: ratione cujus Prælatus eſt verè Prælatus.

An omnes Superiores locales Regularium gaudeant priuilegio *Fin. De Pænit.* pro electione Confeſſarij.

Deciſio XCVIII.

SVMMARIVM.

1 *Solos Superiores locales non Mendieantium poſse ſibi eligere Confeſsorem, qui doceant.*
2 *Quid requiratur vt Superiores locales Regul. poſſint ſibi eligere Confeſsarium.*
3 *Omnes Superiores locales Regular. poſsunt ſibi eligere Confeſsarium.*
4 *Superiores omnes locales Regularium ſunt verè Prælati: & ideo guadent priuileg. Cap.* Fin. De Pœnit.
5 *In quo ſundetur prælatura.*
6 *Quomodæ Superiores locales Regular. ſubijciantur Prouincialibus, & Generalibus.*
7 *Priuilegium Cap.* Fin. de Pœnit. *an habeat locum, quando adeſt copia Confeſsarij.*

1 EX ijs, [q]ui docent dictum priuilegium conuenire etiam Superioribus localibus Llamas *par. 1. Methodi cur. anim. cap. 5. §. 5.* Valerus in *Differ. vtriuſq. fori, verbo Iuriſdictio, Differ. 15. num. 2.* negatiuè reſpondent: & volunt, quòd ſolùm Superiorea localea non Mendieantium gaudeant priuilegio; Superiores autem localea Mendieantium non gaudere, quia non ſunt Prælati, ſed tantùm ſortiuntur vicem Curatorum; nam in foro animæ ſuia Generalibua, & Prouincialibus ſubijciuntur: qui caſus reſeruant, & nominant Confeſſarios, etiam reſpectu ipſorum.

2 Verùm hoc eſt quod controuertitur: an ſubijciantur in foro animæ: Quia ſi priuilegium ad ipſos extenditur, non ſubijciuntur: quia poſſunt eligere Confeſſarium, qui in virtute priuilegij abſolnat independenter à Generali, & Prouinciali; ſi verò non extenditur, ſubijciuntur.

3 Affirmatiuam autem ſententiam tradunt communiter, aſſerentes, omnea Superiores locales etiam Mědicantium gaudere illo priuilegio. Ita Syluester *Verbo Confeſsor. 1. Quæſ. 8.* Corduba *in Addit. ad Compend. Priuileg. Mendican. verbo* Accedere ad Monaſteria *§. Qui ad illa duo. circa finem.* Suarez *3. par. tom. 4. Diſp. 27. de Pænit. ſect. 2. num. 9. & 10.* & *tom. 4. de Religione lib. 2. cap. 22. num. 8.* Villalob. *par. 1. Sum. tract. 9. diff. 47. num. 4.* Diana *par. 3. tract. 2. Reſol. 1. & 3. ver. Quoad verò Prælatos.* Præpoſit. *3. par. Quæſ. 7. de Pœnit. dub. 7. num. 52.* Leſana *1. par. Quæſ. Regul. cap. 18. num. 81.* Lugo *diſp. 19. de Pœnit. ſect. 1. num. 4.* Boſſius *De Iubilæo ſect. 3. Caſu 2. §. 4. num. 114. & 120.* D. Antonin. *3. par. tit. 17. cap. 2. & 12.* Henriquez *lib. 6. cap. 13. num. 3.* Rodriqnez *tom. 3. Quæſ. Reg. Quæſ. 20. ar. 28.* Valent. *tom. 4. diſp. 7. Quæſ. 16. punc. 2. ver. ſecundò habet.* Tambur. *de iure Abbat. tom. 2. diſp. 6. Quæſ. 10. num. 2.* Capucin. *De elect. dub. 121. num. 2.* Coriolan. *De caſib. reſeruat. par. 1. ſect. 1. ar. 21.*

4 Et hæc ſententia habet firmiſſimum fundamentum. Nam priuilegium conceditur omnibua Prælatia, etiam minoribus, & habentibus alium Superiorem; & proinde additur in tex. quòd non teneantur petere ab ipſo licentiam. Superiores autem localea Mendicantium ſunt verè Prælati, cum habeant ordinariam iuriſditionem ſupra ſuos ſubditos in foro interno, & contentioſo; quod facit Prælatos Gloſ. *in cap. 2. De ind.* & *in Clem. Dudum de ſepulturis Verbo Prælati, &* tradunt Abbas *in Cap. Decernimus num. 10. De ind.* Corduba *in Adnot ad Compend. Priuileg. Mendicant. Verbo Guardianus:* & ait Clementem IV. & Sixtum IV. ita declaraſſe: & ita vocari paſſim à Pontificibus. Idem tradunt Syluester *Verbo Prælatus. quæſ. 2. Sum.* Angel. *tit. Delegatus num. 3.* Rodriquez *in Quæſ. Regul. tom. 1. Quæſ. 12. ar. 5. & 6.* & Hieronym. Roder. *in Compend. Reſol. 69. num. 1.* Portel *in Dub. Regul. verbo Guardianus. num. 1.* Azor. *par. 2. lib. 3. cap. 25.* & alij.

5 Et ratio manifeſta eſt: quia Prælatura fundatur in auctoritate, & iuriſditione: Superiorea autem localea ex natura rei habent eamdem auctoritatem, & iuriſdictionem erga ſuos ſubditoa, quam habent Generales reſpectu totiua Religionis: & quòd illam non exerceant, prouenit ex prohibitione.

6 Ex quibus conſtat, falſum eſſe fundamentum oppoſitæ ſententiæ: Nam licet Superio-

res locales Prouincialibus, & Generalibus ſubdantur, adhuc tamen retinent iuriſdictionem in foro interno, & externo; quod ſufficit, vt verè ſint Prælati. Illa autem reſeruatio caſuum, & deputatio Confeſſariorum, quæ fit à Prouincialibus, non eſt reſpectu Superiorum localium: quia ipſi eximuntur ab eorumdem iuriſdictione in foro interno, per dictum Cap. *Fin. De Pœnit.* ſed reſpectu ſubditorum.

7 Nec valet quod ait Capucinus citatus, quòd priuilegium tunc ſolùm habeat locum, quando non eſt copia alterius Confeſſarij; quia eſt conceſſum ne differatur pœnitentia vt in eodem Cap. *Fin.* dicitur: Quia licet cauſa motiua fuerit tollere dilationem pœnitentiæ priuilegium tamen conceſſum eſt abſolutè; vnde etiam abſolutè operatur: præſertim, quia finis eſt concedere libertatem circa Confeſſarium; pro ſatisfactione conſcientiæ: vnde durante cauſa finali durat etiam priuilegium, licet ceſſent motiua.

An Vicarij Abbatum, Priorum, Guardianorum, & cæterorum Superiorum Conuentuum poſſint ſibi eligere Confeſſarium alias non approbatum.

Deciſio XCIX.

SVMMARIVM.

1 *Vicarij locales Regularium poſſunt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum.*
2 *Vicarij locales Regularium ſunt Superiores.*
3 *Etiam ſi non exerceant auctoritatem in præſentia Superioris, cuius ſunt Vicarij.*
4 *Habent auctoritatem ordinariam.*
5 *Poſſunt ſibi eligere externum Sacerdotem in Confeſſarium Vicarij locales Regular.*
6 *Quales debeat eſſe Sacerdos electus Confeſſarius per Cap.* Fin de Pœnit.

1 RESp. affirmatiuè ex Capo *Fin. de Pœnit.* vbi conceditur Prælatis & omnibus Superioribus; vt poſſint quem libuerit ſibi eligere in Confeſſarium. Neque poteſt dubitari, an hoc priuilegium ſit reuocatum à Concil. Trident *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de Refor.* per illud decretum, quo ſtatuit neminem futurum idoneum ad excipiendas confeſſiones, niſi ſit approbatus ab Ordinario: quia ſe declarat, quòd loquatur tantùm de confeſſionibus ſæcularium, etiam Sacerdotum, non autem de confeſſionibus Regularium. Neq; hoc ab aliquo in dubium reuocatur. Et ita tenent Megalla 1. *par. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 4. Coriolan. *par.* 2. *de Caſib. reſer. ſect.* 1. *ar.* 34. Alphon. de Leone *tom.* 1. *de offic. confeſ. Recoll.* 6. *num.* 36. & probabile putat Diana *par.* 3. *tract.* 2. *Reſol.* 1. *ver. Non grauabor.* Contra Suarez 3. *par. tom.* 4. *diſp.* 27. *ſect.* 2. *num.* 8.

2 Quod autem Vicarij huiuſmodi ſint Superiores conſtat ex eo, quòd gerant vices Superiorum; atque adeo communicant cum ipſis in auctoritate. Vnde quando ſunt Vicarij eorum, qui habent curam animarum, habent & ipſi eamdem curam. Gloſ. *in Cap. ſuper eo. Verbo Annexa De prabend. in* 6. Et dicuntur habere eamdem iuriſdictionem: vt de Vicario Epiſcopi ait Bart. *in l. Iudicium ver. Vemo par.* 2. *ff. de iud* Et omnia poſſunt, quæ poteſt, cuius ſunt Vicarij. Archi. *in Cap Fin. de offic. Vicar. in* 6. Vnde vnum & idem eſt tribunal. Gloſ. *cap.* 1. *de verbo Ipſius. De officio Vicarij in* 6. Et ideo tanquam Superiores gaudent priuilegio.

3 Dices Id valere de Vicarijs, qui habent auctoritatem ordinariam, & continuam etiam in præſentia principalis: non autem de ijs, qui habent delegatam, & ſolùm in abſentia Superioris: vt ſunt vt plurimùm Vicarij Superiorum Conuentuum. Reſp. quòd licet iſti Vicarij non habeant auctoritatem in præſentia Superioris: dum tamen gerunt vices Superioris in ipſius abſentia, & exercent eamdem auctoritatem, & iuriſdictionem, verè ſunt Superiores; nam funguntur omnino munere

4 Superioris. Et quamuis hoc exercitium ſolùm habeat locum in abſentia Superioris: quia tamen id eis conuenit ex officio, quod continuum eſt, & ſubſiſtit etiam in præſentia Superioris: idcirco verè ſunt Superiores, & habēt auctoritatem ordinariam; quia omnis auctoritas, quæ conuenit ex officio, eſt ordinaria; & ſolùm habent impedimentum exercitij ex præſentia Superioris.

5 Hinc porò fit, vt poſſint Vicarij eligere ſibi in Confeſſarium non ſolùm quemlibet de propria Religione: ſed etiam quemlibet externum ſiue Regularem, ſiue Sæcularem. Quia in prædicto Cap. *Fin. de Pœnit.* facultas, quæ conceditur Superioribus eligendi ſibi Confeſſarium, non limitatur ad certum genus perſonarum.

6 Eſt tamen aduertendum, quòd non quilibet cuiuſcunque qualitatis poteſt eligi. Quia prædicta facultas coarctat electionem ad prouidum, & diſcretum; & ideo ſi alterius qualitatis eſſet, electio eſſet nulla, neque electus acquireret iuriſdictionem: quia eſſet contra facultatem conceſſam. Hoc autem habet locum, quando perſona electa, non haberetur ab eligente pro prouida, & diſcreta. Et

proinde

Digitized by Google

proinde in huius modi electione ſeruandum eſt, quod ſeruatur quando pro alijs eliguntur, & approbantur Confeſſarij.

An ſi prædicti Vicarij, aut alij Superiores habeant Conſtitutiones, ſeu Regulas, aut decreta Religionis, quibus ipſis prohibeatur confiteri extero, poſſint nihilominus ſibi eligere exterum Confeſſarium.

Deciſio C.

SVMMARIVM.

1 *Superiores locales Regularium poſſunt ſibi eligere Confeſſarium, non obſtantibus decretis Religionis in contrarium, ſi Religio non habet facultatem condendi leges contrarias Sacris Canonibus.*

2 *Quid dicendum ſi conſtitutiones & decreta Religionis ſint confirmata à Summo Pontifice.*

3 *Quid ſi confirmatio ſit in forma ſpeciali.*

4 *Confirmatio ex certa ſcientia facit validum quod erat inualidum.*

5 *Confirmatio conſtitutionum Religionis alicuius ex certa ſcientia eas validat, etiam ſi ſint contraria Sacris Canonibus.*

1 RESp. Quòd ſi Religio non habet facultatem condendi leges etiam contrarias Sacris Canonibus, adhuc priuilegium viget pro omnibus Superioribus illius Religionis: quia, cum ſit inſertum in corpore iuris, habet vim legis, & Canonis; & ideo non poteſt derogari per quamcumque conſtitutionem, aut regulam, ſiue decretum in contrarium. Secus autem, ſi Religio habeat facultatem condendi leges contrarias etiam Sacris Canonibus: quod non credo alicui Religioni fuiſſe conceſſum. Quia cum Sacri Canones pertineant ad rectè regulandam conſcientiam, ſunt fundamentum vitæ regularis; vnde poteſt aliquid ipſis ſuperaddi, non autem debent deſtrui. Et ideo in Bullis Confirmationis Religionum, quas vidi, quando conceditur facultas condendi nouas Regulas, & Conſtitutiones, cum clauſula conceditur: dummodò non ſint contrariæ Sacris Canonibus.

2 Quòd ſi aliqua Religio per ſuas conſtitutiones prohibeat etiam Superioribus confiteri extero Sacerdoti, & hæ conſtitutiones ſint confirmatæ à Summo Pontifice: tunc videndum eſt, qualis ſit iſta confirmatio. Si enim ſit confirmatio in forma communi (quia conſtitutio, ſeu regula illa ab initio eſt inualida, quia non adeſt facultas condendi leges contrarias Sacris Canonibus) adhuc remanet inualida: quia talis confirmatio non dat valorem, ſed tantùm roborat, ſi reperit; nam confirmare non eſt de nouo facere, ſed factum roborare. Et ita deſumitur ex Cap. *Examinata de confir. vtil. vel inutil. & ex cap. Dudum in fine de Decimis* & ex Cap. *Quia diuerſitatis de conceſ. præbend.* vbi communiter Doctores. Et ita docent Imol. Innocent. Boſſius in dictum Cap. *Dudum* Felin. *in Cap. eam veniſſet. num. 2. De teſtib.* Panot. *in Cap. Inter dilect. de fide in Sum.* Decius *in Rubr. De confir. vtil. vel inut. dub. vltimo.* Bald. *in Feud. tit. Per quos fiat inueſt. cap. 1. num. 2.*

3 Si verò cõfirmatio ſit in forma ſpeciali, nempe ex certa ſcientia; tunc validatur illa conſtitutio, atque adeo per ipſum derogatur priuilegio quò ad eos, qui ſubſunt tali conſtitutioni.

4 Ratio deſumitur ex eo, quòd confirmatio ex certa ſcientia reddit validum, quod aliàs erat inualidum. Vt deſumitur ex *Cap. 2. de Partis.* & ex Cap. 1. & Cap. *venies, de tranſact.* Et docent Gloſ. *in dict. cap. 1. de tranſact.* vbi etiam Innocent. Et rurſus Gloſ. *in Cap. Quia diuerſit. de conceſ. præf.* & alij *num. præced. allati.* Et præterea Thuſcus *Verbo confirmatio ex certa ſcientia,* qui alios referr. Quibus adde Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 18. num. 12.* Caſtrum Palaum *par. 1. tract. 3. de priuileg. diſp. 4. punc. 2. §. 10. num. 3.*

5 Cum autem confirmatio ex certa ſcientia validet conſtitutionem aliàs inualidam contrariam Canoni, ſequitur etiam, quòd deroget priuilegio, etiam ſi habeat vim legis, quò ad eos, qui ſubſunt tali conſtitutioni. Quia cum Princeps non præſupponatur ignorare quæ ſunt in corpore iuris ex Cap. 1. *De conſtit. in 6.* præſupponitur derogare dum confirmat, & validat conſtitutionem contrariam: quia facit actum ſuę poteſtatis, quę extenditur etiam ad derogandas leges.

Quid dicendum de Superioribus Clericor. Regul. Theatinorum.

Deciſio CI.

SVMMARIVM.

1 *Superiores Theatinorum non poſſe ſibi eligere Confeſſarium tradit Peregrinus.*

2 *Clemens VIII. confirmauit conſtitutiones, & ſtatuta Theatinorum, & quomodo.*

3 Reſpiciu

3 *Reſpectu Superiorum Theatinorum non eſt abrogatum priuilegium Cap.* Fin. de Pœnit. *ideo poſſunt ſibi eligere Confeſſarium.*

4 *Quando res poſterior abroget priorem.*

5 *Decretum Theatinorum prohibens electionem Confeſſarij non contrariatur Cap.* Fin. de Pœnitent.

6 *Quibus priuilegijs per dictum decretum renuncietur.*

7 *Renunciatio priuilegiorum intuitu legis eſt ſecundum exigentiam legis.*

8 *Conſtitutio generalis non tollit ſpecialem.*

9 *Quomodo id accipiendum.*

1 Eſſe reuocatum huiuſmodi priuilegium ex Cap. *Fin. de Pœnit.* quo ad ipſos videtur ſtatim reſpondendum cum Peregrino *in Comment. ad Conſtit. Cler. Reg. par. 1. cap. 9. littera C. & in Addition. par. 3. in 2. quæſ.* quia anno 1601. Capitulum Generale eiuſdem Congregationis edidit decretum tenoris ſequentis: *Nemo noſtrum ſua peccata extero ſacerdoti confiteri queat, ſed ijs tantùmmodo noſtratibus Confeſſarijs, qui à Præpoſito domus fuerint deſignati: non obſtante quocumque priuilegia: cui ex nunc totius Religionis nomine renunciamus, ac cedimus.* Ita in Decretis ad *par. 1. Conſtitut. cap. 6. num. 1.*

2 Et cum Clemens VIII. ſub die 28. *Iulij Anni* 1604. ex motu proprio, & certa ſcientia confirmauerit Conſtitutiones, Ordinationes, & Statuta prædictorum Cler. Reg. cum omnibus alijs ampliſſimis clauſulis, ſequitur, quòd ijs dederit vigorem, etiam quatenus ſunt contra ea, quæ ſunt in Corpore Iuris; quia, vt diximus *Deciſ. præced.* Princeps non præſumitur ignorare, quæ ſunt in Corpore Iuris Cap. 1. *de Conſtit. in 6.* & ideo quòd derogauerit priuilegio ex Cap. *Fin. de Pœnit.* quò ad Superiores eorumdem Cler. Reg.

3 Hoc tamen non obſtante, Exiſtimo huiuſmodi priuilegio non fuiſſe derogatum per ſupradictum decretum. Quòd etiam tradit Diana *par. 3. tract. 2. reſol. 1. ver. Sed contrariam ſententiam.* pro cuius declaratione debet ſupponi, quòd cum tale priuilegium ſit in Corpore Iuris inſertum, habet rationem legis, & Canonis; & ideo eadem eſt ratio de ipſo, ac de cœteris legibus.

4 Cum igitur tunc ſolùm lex poſterior abroget priorem, quando illi contraria eſt, neq; patitur explicationem: quia ſi aliquo modo vitari poteſt contrarietas, correctio quoque legum, quantum fieri poteſt, vitari debet *l. vltima C. de Appellat.* & l. 1. *C. de Inoffic. dotib.* & Cap. *Cum dilectus de Conſuetudine.* & Cap. *Cum expediat de Elect. in 6.* Bart. *l. Si conſtante num. 39. ff. Soluta matrimonio.* & plures alij, quos recenſet, & ſequitur Tiraquel. *in Præf. ad Retract. num. 62.* cuius rationem reddunt: Quia mutatio legum damnoſa eſt communitati; ideo neque cenſendum eſt abrogatum prædictum priuilegium per prædictum Decretum Capitulare, ſi explicatio admitti poteſt.

5 Optimè autem explicatur, quòd non contrarietur Canoni: quia Canon non loquitur de omnibus vniuerſaliter, ſed in ſpecie de Superioribus; Decretum autem Capitulare non loquitur in ſpecie de Superioribus, ſed tantum de omnibus; debuiſſent autem in ſpecie nominari, vt contrariaretur Canoni: nam qui ſpeciali titulo includuntur, ſpeciali etiam titulo debent excludi; quia niſi ex eodem ſpeciali titulo fiat excluſio, non pertinet ad eos, qui intuitu illius ſpecialis tituli includuntur. Superiores autem includuntur in illo Canone ratione ſpecialis tituli ſuperioritatis. Quod ſpecialiter etiam verum eſt: quia odioſa reſtringenda ſunt, iuxta Regulam *Odia. de Regulis iuris in 6.* atque adeo prædictum decretum cum non loquatur de Superioribus, debet reſtringi ad non Superiores.

6 Nec obſtat, quòd in dicto decreto Capitulari renuncietur omnibus priuilegijs. Quia intelligitur renunciatio de priuilegijs, quæ habent puram rationem priuilegij: non autem de ijs, quæ habent etiam vim legis; quia his renunciari non poteſt, cum non ſint purè fauorabilia: ſed etiam obligent, ex eo quòd habent vim legis; & cum ſint tanquam neceſſaria pro communitatis bono, inſerta in Corpore Iuris. Vide etiam quæ diximus *Deciſ. ſequent. num. 4.* Nec obſtat quod renunciatio ſit iuris proprij, & proinde eſſe interpretandum, vt verba ſonant: nam in primis in noſtro caſu verba ſonant tantùm priuilegia, quæ ſunt pura priuilegia. Deinde etiam in ſpontaneis habent locum regulæ iuris: & ideo accipienda ſunt prout leges, & Doctores tradunt debere accipi.

7 Deinde renunciatio priuilegiorum debet accipi ſecùndum exigentiam legis, quando renunciantur vt ipſa habeat ſuum effectum; & ideo non debet ampliùs extendi, quàm extendatur lex. Vnde cum prædictum Capitulare Decretum non ſe extendat ad Superiores, vt vidimus *num. 5.* nec renunciatio priuilegiorum debet extendi, ita vt etiam pro ipſis ſint renunciata.

8 Rurſus Conſtitutio Generalis non tollit conſtitutionem ſpecialem Cap. *Generi de Regul. iur. in 6.* l. *Sanctio legum ff. de Pœnis* l. *In toto iure ff. de Regulis iuris.* Bald. *in Cap. 1. num. 21. de Reſcrip.* Socin. iun. *conſil. 131. num. 51. lib. 2.* & alij *ff. de Legib.* Decretum autem Capitulare eſt quædam conſtitutio generalis totius Religionis; Conſtitutio autem Cap. *Fin. de Pœnit.* eſt conſtitutio ſpecialis priuilegiatiua

tiua

tiua pro Superioribus: & ideo ipſi non poteſt derogari per conſtitutionem generalem, niſi de ipſa fiat expreſſa mentio.

9 Nec obſtat, quòd ſit magis vniuerſalis Conſtitutio Cap. *Fin. de Pœnit.* quàm prædictum Capitulare decretum: quia plures ſunt Superiores, quàm ſint Clerici Regul. quia hoc eſt per accidens, ratione ſubiectæ materiæ, non autem ex natura ſua; quia Conſtitutio Cap. *Final.* ſe extendit tantùm ad certum genus perſonarum, nempe ad Superiores: Capitulare autem decretum ad omnes. Hinc conſtitutio prædicti Cap. *Final.* quatenus pertinet ad Congregat. Cler. Reg. valde ſpecialis eſt.

An Superiores Clericor. Regul. Theatinorum renuncient dicto priuilegio Cap. *Fin. de Pœnit.*

Deciſio CII.

SVMMARIVM.

1 *Superiores Theatinorum ſecùndum Peregrinum renunciant priuilegio Cap.* Fin. de Pœnit.
2 *Capitulum Generalem Theatinorum renunciauit dicto priuilegio ſecùndum Peregrin.*
3 *Oppoſitum eſt tenendum.*
4 *Capitulum Generale non renunciauit dicto priuilegio.*
5 *Nec ipſi Superiores renunciant.*
6 *Quale ſit hoc priuilegium perſonale, an reale.*
7 *Priuilegia dignitatis non poſſunt perſonæ particulares renunciare.*

1 EX alio capite Peregrinus *in Comment. ad Conſtit. eorumdem Cler. Reg. par. 1. conſtit. 6. cap. 9. littera C.* & *in Addition. par. 3. in 2. quæſt.* vult Superiores Clericor. Regularium non poſſe vti dicto priuilegio, quia dum accipiunt Prælaturas, tacitè illi renunciant; interuenit enim implicitum pactum inter ipſos & Religionem obſeruandi Conſtitutiones, & Decreta Capitularia, & curandi vt ab alijs quoque obſeruentur; atque adeo etiam decretum de non confitendo extero ſacerdoti. Neque hoc eſt contra Canonem; quia vnicuique licet proprio priuilegio renunciare l. *Si quis in conſcribendis. C. de Pactis.*

2 Deinde Capitulum Generale, à quo conditum fuit illud decretum, renunciauit huic priuilegio: & cum fuerit confirmatum à Summo Pontifice, habet robur, etiam ſi priuilegium habeat vim Canonis.

3 Oppoſitam tamen ſententiam tradit Diana *3. par. tract. 2. reſol. 1. ver. Sed contrariam ſententiam.* quæ ſanè tenenda eſt; Cùm oppoſita nullo probabili fundamento nitatur: vt enim oſtendimus *Deciſ. præced.* Decretum Capitulare quantumuis à Pontifice confirmatum non derogat priuilegio; neque locum habet aliqua renunciatio.

4 Quòd enim dicitur de renunciatione facta in Capitulo Generali, de ipſa non conſtat: imò oppoſitum aſſerunt, qui illi Capitulo interfuerunt, vt notat Diana *citatus ver. Deinde ſupponitur.* Neque verba illius decreti Capitularis, quibus dicitur renunciari omnibus priuilegijs, extenduntur ad ipſum: quia cum ſit inſertum in Corpore Iuris, non venit nomine priuilegij, ſed habet rationem Canonis, & iuris communis l. *Eius militis. §. Militia miſſus C. de Teſt. milit.* Gloſ. *in l. 3. C. de Silentiariis.* Iaſon *in l. 1. num. 16. de Conſtit.* & *in l. Item 1. ff. Soluto matrimonio* Salas *diſp. 17. de Legib. ſect. 14. num. 73.* Lotter. *tom. 1. de Re Benef. lib. 2. quæſ. 7. num. 26.* Pontius *lib. 8. de Matrim. num. 16.* Henriquez *lib. 6. Sum. cap. 6. num. 4.* Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 38. num. 2.* Miranda *tom. 1. Manual. quæſ. 45. ar. 6.* Rodriquez *in Quæſt. Regul. tom. 1. quæſ. 59. ar. 2.* Palaus *par. 1. tract. 3. diſp. 4. de Priuileg. puncto 21. §. 4. num. 5.* Decius *conſil. 165. num. 4.* Ruyn. *conſil. 228. num. 13. vol. 1.* Rebuf. *reſp. 15. ver. Septimo etiam.* & *reſp. 134. ver. Item ſi mandetur.* Gomez *in Cap. 1. num. 93. de Conſtit. in 6.* Felin. *in Cap. 1. num. 12.* & *in Cap. Nonnulli num. 9. & 26. de Reſcriptis in 6.* & communiter Doctores in Auth. *Quo C. Vbi de crim. agi oportet. ver. Omni priuilegio.*

5 Neque etiam interuenit renunciatio particularis implicita; quia licet, quando Superiores accipiunt Prælaturas, per pactum implicitum obligentur ad ſeruandas Conſtitutiones, & curandum, vt ab alijs ſeruentur: in hoc tamen pacto non interuenit implicita renunciatio dicti Priuil. Cap. *Fin. de Pœnit.* Quia obligantur ad ſeruandas conſtitutiones, & decreta ſolùm quatenus obligant: illud autem decretum non obligat Superiores, neque contrariatur iuri dicti Cap. *Fin. de Pœnit.* vt oſtendimus Deciſ. *præced.*

6 Deinde huiuſmodi priuilegium non eſt perſonale, ſed reale; quia non reſpicit perſonam, ſed dignitatem Prælationis; & ideo eſt priuilegium ſtatus Prælationis, & reſpicit bonum commune: quia valdè intereſt communitati, quòd Superiores habeant liberam facultatem circa Confeſſarios, ob diuerſos reſpectus, qui impedire poſſunt, ne cum libertate accedant ad proprios ſubditos; & proinde, vt tale, inſertum eſt in Corpore Iuris.

7 Huiuſmodi autem priuilegijs non poſſunt perſonæ particulares renunciare, quia non ſunt bona propria ipſarum, ſed ſtatus l. *Cum*

publicum

publicum ff. de partis & Cap. §. *diligenti de foro competenti*. Et communiter docent cum de priuilegio fori reſpectu Clericorum.

An Vicarij Superiorum, Regularium localium gaudeant priuilegio Cap. Fin. *De Pœnitentia* pro electione Confeſſarij etiam in præſentia Superioris.

Deciſio CIII.

SVMMARIVM.

1 *Vicarios Superiorum Regularium ſolùm in abſentia Superioris poſſe ſibi eligere Confeſſarium, qui tradant.*
2 *Poſſunt ſibi eligere Confeſſarium etiam in præſentia Superioris.*
3 *Vicarij Superiorum Regularium habent ordinariam iuriſdictionem.*
4 *Subrogatus fruitur priuilegijs illius, in cuius locum ſubrogatur.*
5 *Vicarij ſubrogantur in locum Superiorum apud Regulares.*
6 *Subrogatio dat ius abſolutum ad priuilegia illius, in cuius locum fit.*

1 Gaudere ſolùm in abſentia Superioris tradunt Megal. *par. 1. lib. 1. cap. 10. num.* 4. Alphonſus de Leone *tom. n. de officio confeſſ. recollect. 6. num. 36.* Diana *par. 3. tract. 2. Reſolut. 1. ver. Non grauabor* Coriolan. *par. 1. de Caſib. reſer. lib. 1. cap. 10. num. 4.* Fundamentum eſt, quia præſente Superiore non habent iuriſdictionem nec in foro conſcientiæ, nec in foro contentioſo.

2 Oppoſitum tamen probabilius exiſtimo, atque adeo gaudere etiam in præſentia ſui Superioris. Moueor, quia adhuc ipſo præſente ſunt verè Superiores: quia Superioritas ipſis conuenit ratione officij; & quamuis non poſſint exercere iuriſdictionem præſente Superiore, illam tamen habent, licet impeditam; quia fundatur in officio; quod etiam ex eo patet, quia abſentia Superioris non confert iuriſdictionem, ſed electio; & ipſa ſolùm tollit impedimentum: aliud enim eſt, non habere iuriſdictionem, & aliud, habere impeditam. Hinc autem fit, quòd vt Superiores gaudeant priuilegio; non enim priuilegiũ conceditur intuitu exercitij iuriſdictionis, ſed intuitu dignitatis. & Superioritatis.

3 Quod etiam confir. quia ſicut ſubrogatus loco iudicis abſentis habet ordinariam iuriſdictionem, vt docet Bar. *in l. Ne quicquam §. Vbi decretum ff. de off. procon.* & *in l. 1. ver. Oppono ble. ff. de offi. eius, cui man.* ita etiam Vicarij, cum ſint ſubrogati in locum Superioris, habent ordinariam iuriſdictionem: atque adeo ſunt verè Superiores, etiam in præſentia proprij Superioris localis.

4 Deinde ſubrogatus in locum alterius fruitur iiſdem priuilegijs, quibus ipſe *l. Decernimus C. De aqueduc. lib. 11.* & *l. Comperimus C. de prox. ſacr. ſui. lib. 12. l. Maior. §. penul. ff. De procur.* vbi Bald. Bar. *in cit. l. Decernimus.* & *Comperimus.* Tiraquel. *tract. De iure primogen. quæſt. 40. num. 43. & 110.* Tambur. *tom. 1. de iure Abbat. diſp. 15. quæſt. 11. num. 10.* Et ſumitur argum. ex Cap. *Eccleſia 2. Vt lite penden. l. fin. C. de litigioſis.*

5 Vicarij autem ſunt ſubrogati in locum Superiorum localium, atque adeo in ipſorum quoque priuilegia. Et quia ſubrogatio non eſt ſolùm in ipſorum abſentia, ſed etiam in præſentia: quia cum continuò ſint Vicarij, continuata quoque eſt ſubrogatio; ideo etiam ſubrogatio in priuilegijs continua eſt, & poſſunt ſemper ipſis vti, quando non continent exercitium iuriſdictionis.

6 Nec obſtat, quòd ſicut in præſentia Superioris non poſſunt exercere iuriſdictionem, ita nec habere exercitum priuilegiorum. Hoc enim non ſequitur, quando tale exercitum non continet actum iuriſdictionis; quia ſubrogatio dat quidem ordinariam iuriſdictionem, ſed ſolùm in abſentia Superioris exercendam: atque adeo dat iuriſdictionem cum exercitio conditionato: quia hoc petit natura ſubrogationis; at eadem ſubrogatio dat ius abſolutum ad priuilegia non iuriſdictionalia; quia horum exercitium non præiudicat Superiori, ſicut præiudicaret exercitium iuriſdictionis.

An Præpoſiti Cler. Regularium Theatinorum poſſint eligere in Confeſſorum ſimplicem Sacerdotem non approbatum à Generali.

Deciſio CIV.

SVMMARIVM.

1 *Præpoſiti Theatini non poſſunt eligere Confeſſarium non approbatum à Generali ſecùndum Peregrinum.*
2 *Probabilis opinio confert iuriſdictionem.*
3 *Præpoſiti Theatini poſſunt eligere in Confeſſarium non approbatum à Generali.*

4 Pri-

4 *Priuilegium Cap.* Fin. de Pœnit. *concedit abſolutam facultatem eligendi Confeſſarium.*
5 *Quomodo quando ceſſat cauſa ceſſet priuilegium.*
6 *Prepoſiti Theatini ſecluſo priuilegio poſſunt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum à Generali.*
7 *Declaratur conſtitutio Theatinorum quò ad hoc.*
8 *Quomodo accipenda declaratio, quod non poſſit eligi Confeſſarius non approbatus ab ordinario.*

1 NEgatiuè Reſp. Peregrinus *in Comment. ad Conſtit. eorundem Clericor. Reg. par. 1. cap. 5. littera C.* & *in Addition. 3. par. quæſ. 5.* addens, hanc ſententiam eſſe tenendam tanquam arctiorem: quia circa Sacramenta obligamur ex charitate, ſequi tutiorem opinionem: vt prouideamus ea remedia, quæ ſunt abſque periculo.

2 Verum, optimè Diana *citandus* aduertit, hoc non habere locum quando opiniones verſantur circa iuriſdictionem: cum probabilis opinio conferat Sacerdoti iuriſdictionem; qui pro hoc plures Doctores citat. Addi etiam poſſet, quòd ex probabilibus opinionibus vna non eſt altera tutior; nam ſtatim ac eſt probabilis, certi ſumus, quòd ſecundum ipſam operantes non peccent.

3 Sed iſta opinio Peregrini non eſt opinio: cum omni probabilitate careat; vnde conſtat, quòd tutior opinio ſequenda ſit; & ideo tenendum eſt cum eodem Diana *par. 3. tract. 2. reſol. 3. ver. Ex his infero*, & Alphonſo de Leone *tom. 2. de Offic. & poteſt. Confeſſ. Recollect. 6. num. 92.* quòd poſſint ſupradicti Præpoſiti eligere ſibi in Confeſſarium ſimplicem ſacerdotem ſibi ſubditum; quod certum exiſtimo.

4 Certum enim eſt, quod ipſis conceditur abſoluta facultas eligendi Confeſſarium per Capit. *Fin. de Pœnit.* & quòd Trident. *ſeſſ. 23. cap. 15. de Reformat.* nihil innouauit quo ad Regulares; nec Conſtitutiones, aut Decreta Religionis derogant priuilegio; cur igitur non poterunt vti in ordine ad quemlibet ſimplicem ſacerdotem?

5 Neque valet, quod ait Peregrin. Quòd ceſſante cauſa priuilegij, ceſſat priuilegium: hoc enim veriſſimum; ſed malè ab ipſo applicatur; quia tunc tantùm hæc doctrina valet, quando priuilegium non eſt ſtatus, ſed perſonæ, atque non eſt abſolutum, ſed conditionatum: ita vt dependeat à permanentia conditionis. Quando verò priuilegium conceditur ob cauſam, quæ integra tunc exiſtit, non ceſſat ceſſante cauſa; quia non eſt dependens à permanentia ipſius: vt cum communi tradit Suarez 8. *de leg. cap. 30. nu. 13.* & Palaus *par. 1. num. 3. diſp. 4. punc. 15. num. 7.* & hoc præſertim valet, ſi priuilegium ſit inſertum in Corpore Iuris. Adde non ceſſaſſe cauſam finalem, quæ eſt plena libertas Superiorum confitendi cuinam voluerint.

6 Deinde, Adhuc ſecluſo priuilegio poſſent eligere: ſunt enim Ordinarij ſuorum ſubditorum, vnde deſignant Confeſſarios pro ipſis poſſunt ſibi reſeruare caſus, præcipere ſub præcepto obedientiæ &c. vnde tanquam Ordinarij poſſunt conferre iuriſdictionem cuilibet ſubdito ſacerdoti in ordine ad propriaa confeſſiones excipiendas, ſicut conferunt pro excipiendis confeſſionibus ſuorum ſubditorum.

7 Neque obſtat noſtra Conſtitutio *par. 1. cap. 6.* quòd nemo poſſit exponi ad audiendas confeſſiones, niſi obtenta facultate à Patre Generali; quia loquitur manifeſtè de confeſſionibus ſæcularium: vnde etiam in facultate, quæ à Generali conceditur, id explicatur, dum facultas datur pro audiendis confeſſionibus virorum, ſeu etiam mulierum. Imò dum conſtitutio taxat prohibitionem pro confeſſionibus ſæcularium, ſupponit quòd abſque Generalis licentia poſſint audire confeſſiones ſuorum.

8 Nec item obſtat quod ait idem Peregrinus, Quod adeſt declaratio Summi Pontif. de qua in ſuperioribus, quòd non poſſit eligi Confeſſarius non approbatus à propria Ordinario; nam præter ibi dicta, expreſsè loquitur dicta declaratio de Epiſcopis, pro quibus facta eſt; & ſi voluiſſet complecti etiam Regulares, illos expreſſiſſet, ſicut ſolent in alijs exprimi. & hic habet locum doctrina, quam non ad rem affert Peregrin. dicta 3. *par. Addit. quæſ. 2. ad. 2.* Quòd qui poteſt, & tacet affirmare videtur: quam tradit Panor. cum Gloſ. *in Cap. Nonne de Præſumpt. verbo Tacendo.* Dicitur enim: Pontifex potuit exprimere Regulares; non exprimendo conſentit vt vtantur iure ſuo.

An Parochi, ſeu Curati poſſint ſibi eligere Confeſſarium ex priuilegio Cap. *Fin. De Pænit.*

Deciſio CV.

SVMMARIVM.

1 *Qui affirment, & qui negent poſſe Parochos ſibi eligere Confeſſarium.*
2 *Parochi appellantur Prælati in iure.*
3 *Non tamen ſunt exempti.*
4 *Parochi ſecundum ius commune poſſunt ſibi eligere Confeſſarium.*

5 Poſt

5 *Poſt Tridentinum poſſunt eligere approbatum à quocumque Ordinario.*
6 *Poſſunt etiam non approbatum ab Ordinario.*

1 AFfirmatiuè reſp. Panor. *in dict. Cap. Fin. de Pœnitent.* Syluester *verbo Confeſſor* 1. *quaſ.* 8. *ver. Notandum.* contra eos, qui hoc de Cardinalibus, & Epiſcopis negant, quos *in ſuperioribus Deciſionibus* adduxi, & ſpecialiter contra Suarez *diſp.* 27. *de Pœnit. ſect.* 2. *num.* 7. Lugum *diſp.* 19. *de Pœnit. ſect.* 1. *num.* 6. Boſſium *ſect.* 3. *de Iubilæo caſu* 2. §. 4. *num.* 124.

2 Quia ipſi quoq; comprænhendũtur ſub nomine Prælati, ex Cap. *Tua de Cler. ægrot.* & notat. Azor. *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 25. citans Abbat. *in Cap. Decernimus num.* 16. *de Iud.* Et quamuis non propriè ſint Prælati (nam in Clement. *Dudum* §. *In Eccleſijs de Sepul.* Rector, & Prælatus ponuntur, vt condiſtincti) quia tamen ſumus in fauorabilibus, ideo priuilegium ad ipſos quoque extendendum eſt tanquam comprænhenſos ſub nomine Prælati.

3 Hæc tamen ratio non valet. Quia licet venirent Parochi ſub nomine Prælati, non tamen ſub nomine Prælati exempti: priuilegium autem conceditur ſolùm minorib. Prælatis exemptis, vt clarè habet tex.

4 Hanc ſententiam. exiſtimo probabilem ſiſtendo in terminis iuris communis, Quia cum in prædicto Cap. *Fin.* priuilegium concedatur omnibus Superioribus habentibus etiam alium Superiorem; qui modus exprimendi perſonas priuilegiatas importat priuilegium conceſſum cum amplitudine: ideo amplè accipiendum eſt, & nomen Superioris cum tota ſua amplitudine: quia apparet, fuiſſe intentionem concedentis amplificare priuilegium.

5 Difficultas tamen eſt, An modò poſt Concil. Trident. idem dicendum ſit ob illud decretum *cap.* 15. *ſeſſ.* 23. *de Refor.* quo prohibetur, quòd nullus ſacerdos ſit idoneus pro audiendis confeſſionibus ſæcularium, etiam ſacerdotum, niſi ſit approbatus à proprio Ordinario. Et quidem certum eſt, huiuſmodi priuilegium non eſſe reuocatum per prædictum decretum; quia eſt inſertum in Corpore Iuris; & hæc priuilegia, vt conſtat ex dictis ſupra *Deciſ.* 86. *num.* 2., & *Deciſ. ſequent. num.* 3. non reuocantur per clauſulas generales, ſed opus eſt ſpeciali mentione. Ex quo fit, quòd poſſint eligere approbatos à quocumque Ordinario, etiam ſi non ſint in illa Diœceſi, proqua approbati ſunt.

6 Imò exiſtimo poſſe eligere etiam non approbatum ab Ordinario; quia ſtante priuilegio in ſuo robore, non officit quod decernit Tridentinum in illa *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de Refor.* dum dicit Quòd *nemo poſſit reputari idoneus ad audiendas Confeſſiones qui non ſit approbatus ab ordinario, aut Parochiale beneficium non obtinuerit.* Nam Concilium, vt diximus etiam in ſuperioribus, loquitur de idoneitate publica, & declarata: non de idoneitate ſufficientiæ; nam multi ſunt ſufficientes, qui non ſunt approbati. Cap. autem *Fin. de Pœnit.* dat facultatem eligendi idoneum idoneitate ſufficientiæ: quia inquit, quòd poſſint eligere *Prouidum & diſcretum.* Vnde qui prouidus, & diſcretus eſt, ex vi huius priuilegij eſt idoneus cenſendus pro illis, qui poſſunt eligere; & cum Tridentinum nil immutet in hoc priuilegio: neque etiam determinat idoneitatem Confeſſarij in ordine ad priuilegium, quòd debeat eſſe publica. Et ſicut non reuocat priuilegium quatenus fauet eligentibus, quia de ipſo non facit ſpecialem mentionem; ita nec in ordine ad eligendos ob eamdem rationem: & proinde remanent idonei ex vi huius priuilegij, per id quòd ſint prouidi, & diſcreti.

An Plebani, Decani, Archipræsbyteri, & alij, qui habent in Eccleſia prærogatiuam, & gradum honorificum, gaudeant priuilegio dicti Cap. *Fin. de Pœnitentia.*

Deciſio CVI.

SVMMARIVM.

1 *Plebani, Decani, Archipresbyteri non poſſunt eligere Confeſſarium non approbatum.*
2 *Niſi tamen habeant annexam curam animarum.*
3 *Quod valet etiam poſt Concil. Trident.*
4 *Qui teneant hanc ſententiam.*
5 *Quinam Archipræsbyteri poſſint ſibi eligere confeſſarium.*

1 RESp. negatiuè, Quia licet ipſi quoque comprehendantur ſub nomine Prælati, ex Cap. 1. *de ætate, & qualit. ordinand.* & ex Cap. *Romana* §. *Nec etiam de foro competenti in* 6. & notat. Abbas *in Cap. decernimus. num.* 16. *de iud.* & Azor. *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 25. Non tamen ſunt exempti: & proinde ad ipſos priuilegium extendi non poteſt.

2 Hoc autem eſt intelligendum, ſi non habeant annexam curam animarum; nam ſi habent, licet tunc priuilegium non extendatur ad ipſos vt Prælatos, extenditur tamen, vt ad Superiores: quia eſſent verè Paſtores animarum.

3 Et hoc

3 Et hoc valet etiam poſt Trident. quia cum priuilegium maneat in ſuo robore, non obſtat decretum Tridentini, de quo in *deciſ. præced.* ſicut non obſtat Parochis ob rationem ibi allatam.

4 Atque quòd Plebani, Decani, Archipræſbyteri, & alij habentes huiuſmodi dignitates non gaudeant priuilegio eligendi ſibi Confeſſarium, docent Palud. *in 4. diſt. 17. quaſ. 3.* Syluester *verbo* Cõfeſſor 1. *num.* 8. Io: Valerus *verbo* Iuriſdictio *different.* 14. *num.* 1. Boſſius *ſect.* 3. *de Iubilæo caſu* 2. §. 4. *num.* 122. contra Henriquez *lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 3.

5 Excipiendi tamen ſunt cum Suarez *diſp.* 27. *de Pœnit. ſect.* 2. *num.* 8. quidam Archipræſbyteri, qui habent iuriſdictionem in ſoro externo; quia iſti fruuntur priuilegio veluti Prælati, ſi exempti ſunt; vel vt Superiores, ſi non ſunt exempti.

An virute priuilegij Cap. *Fin. de Pœnit.* poſſit quis eligere Confeſſarium Regularem non expoſitum ad audiendas confeſſiones à proprio Superiori.

Deciſio CVII.

SVMMARIVM.

1 *Virtute Cap.* Fin. de Pœnitentia *non poteſt eligi in Confeſſarium, qui non eſt expoſitus à ſuis Superioribus ſecundum Peregrinum.*
2 *Poteſt tamen eligi.*
3 *Regularis eligitur in Confeſſarium virtute Cap.* Fin. de Pœnit. *independenter ab ipſius Superioribus.*

1 NEgatiuè reſp. Peregrin. *in Comment. ad noſtras Conſtit. Clericor. Regular. par.* 1. *cap.* 5. *littera* C. loquens de Epiſcopis; motus ex Decreto Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de Refor.* vbi decernitur, quòd non poſſit quis audire, aut eſſe idoneus ad audiendas confeſſiones, niſi ſit approbatus à proprio Ordinario: vnde cum Ordinarius Regularium ſit ipſorum Superior, debent eſſe approbati ab ipſo. Et aſſert declarationem Sacræ Congregationis, de qua abundè, ſicut de hoc decreto Tridentini, diximus, quòd non obſtet, quominus Epiſcopi poſſint eligere Confeſſarium, ſicut & cæteri qui gaudent dicto priuilegio, eo pacto, quo eligebant ante Tridentinum.

2 Affirmatiua igitur ſententia tenenda eſt. Quia dictum Cap. *Final.* dat facultatem eligendi quemcumque prouidum, & diſcretum. Ergo ſi Regularis ſit prouidus, & diſcretus, abſque alia facultate poteſt eligi; quia facultas conceſſa à Summo Pontifice, non poteſt ab alio limitari, aut ab alio dependere, niſi expreſsè in ipſa conceſſione exprimatur.

3 Solùm obſtare poteſt, quòd Regularis, cum ſit omnino ſubiectus Superiori, non poteſt independenter ab eius voluntate exercere actus iuriſdictionis. Vnde Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. *de Refor.* decernit, quòd ſubiectus contra voluntatem Prælati non poſſit ad Ordines promoueri: aut ſuſpenſus, etiam extra iudicialiter, illos exercere quacumque reſtitutione obtenta. Reſpondetur tamen hoc non obſtare; quia talis electio fit cum conſenſu, & facultate Pontificis: qui cum ſit ſupremus Superior omnium Religionum, facultas ipſius non ſubijcitur facultati Superiorum Regularium, neque ab ijs dependet. Neque Tridentinum in hoc ſubijcit Regulares ſuis Superioribus; quia nec derogat priuilegio dicti Cap. *Final.* nec loquitur de Regularibus omnibus, ſed tantùm de ſuſpenſis.

An requiratur, vt Prælatus exemptus habeat iuriſdictionem in foro Pœnitentiali, vt poſſit ſibi eligere Confeſſarium iuxta indultum Cap. *Fin. de Pœnit.*

Deciſio CVIII.

SVMMARIVM.

1 *Debet Prælatus habere iuriſdictionem in foro Pœnit. vt poſſit ſibi eligere Confeſſarium ſecundum aliquos.*
2 *Non eſt neceſſaria talis iuriſdictio.*
3 *Auditor Cameræ poteſt ſibi eligere Confeſſarium. Item Theſaurarius. Item Clerici Cameræ, & omnes, qui habent iuriſdictionem fori contentioſi.*
4 *Prælati ſubordinati alijs Superioribus, vt Præſes, poſſunt ſibi eligere Confeſſarium.*
5 *Poſſunt eligere etiam non approbatum ab Ordinario.*

1 REquiri iuriſdictionem non ſolùm in foro externo, ſed etiam in interno docet Palud. *in 4. diſt. 17. quæſ. 3. ar. 2. §. Prælati.* cuius ratio eſſe poteſt, Quia cum ſit priuilegium in foro Pœnitentiali, videtur conceſſum tantùm ijs, qui ſunt Prælati in foro Penitentiali.

2 Oppoſitum tamen tenendum eſt cum Suarez

diſp. 27. de Pœnit. ſect. 2. num. 8. Coſſio *ſect. 3. de Iubilæo caſu 2. §. 4. num. 124.* Quia priuilegium conceditur Prælatis exemptis: nec requiritur quòd habeant iuriſdictionem in foro conſcientiæ; vnde cum ipſi quoque ſint verè Prælati ratione iuriſdictionis in foro exteriori, iuxta Gloſ. *in Cap. 2. de Iudic. & in Clement. Dudum. de Sepul. verbo Prælati*, non eſt ipſis ſubtrahendum priuilegium; præſertim cum fauorabilia amplianda, non autem reſtringenda ſint. Et in ipſis quoque militet ratio finalis priuilegij, *Ne* ſcilicet *pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum.*

3 Hinc fit, Quòd Prælati Curiæ Romanæ, vt Auditor Cameræ Apoſtolicæ, Theſaurarius, Clerici Cameræ, & alij, qui habent iuriſdictionem fori contenrioſi, poſſunt ſibi eligere Confeſſarium iuxta dictum priuilegium, etiam In curia Romana; quia priuilegium eſt abſolutum à quocumque tempore, & loco; & ideo valet in quocumque tempore, & loco: vt notant Syluester *verbo* Confeſſor 1. *quaſ.* 8. cum Hoſtienſ., & Paludan. & Suarez *citat. 27. diſp. de Pœnit. ſect. 2. num. 8. in fine.*

4 Et quia priuilegium conceditur omnibus Prælatis minoribus, extenditur etiam ad alios Prælatos curiæ Romanæ, qui exercent officia inferiora, & ſubordinati ſunt Prælatis Superioribus, vt Præſes Cameræ, & alij huiuſmodi; nam hi verè ſunt Prælati exempti, & habent iuriſdictionem in foro contentioſo: nec vlla adeſt ratio, cur excludatur à participatione priuilegij.

5 Et cum priuilegium non ſit reuocatum per decretum Tridentini *ſeſſ. 23. cap. 15. de Refor.* quia eſt inſertum in Corpore Iuris, vt diximus ſupra *decis.* 85. *num.* 2. *& deciſ. ſequenti nu.* 3. fit, vt non ſolùm poſſint eligere quemcumq; approbatum à quocumque Ordinario, etiam ſi non ſit in illa Diœceſi, pro qua eſt approbatus, ſed etiam non approbatum; quia, vt diximus *deciſ.* 104. *num.* 6. priuilegium dat facultatem eligendi prouidum, & diſcretum; & quando Tridentinum declarat quòd non ſit habendus pro idoneo, qui non eſt approbatus; loquitur tantùm de idoneitate publica, non de idoneitate neceſſaria pro exercendo munere Confeſſarij: quæ ſola ſufficit, vt poſſit eligi Confeſſarius in virtute huius priuilegij.

An Protonotarij Apoſtolici gaudeant priuilegio Cap. *Fin. de Pœnit.*

Deciſio CIX.

SVMMARIVM.

1 *Protonotarij Apoſtolici poſſunt ſibi eligere Confeſſarium ſi ſint Participantes.*
2 *Habentes titulos honorarios à Sede Apoſtolica ſubijciuntur Ordinarijs.*
3 *An ſint exempti, & quomodo Ordinarijs ſubijciantur.*
4 *Declaratio Sacræ Congregationis quò ad exemptionem habentium titulos honorarios.*
5 *Quid dicendum de hac declaratione.*
6 *Habentes titulos honorarios non ſunt exempti.*
7 *Probabile tamen eſt eſſe exemptos.*

1 RESp. affirmatiuè loquendo de Participantibus; quia ſunt omnino exempti à poteſtate, & iuriſdictione Ordinariorum, & quorumcumque iudicum inferiorum, & immediatè ſubiecti Sedi Apoſtolicæ per Conſtit. Siſti V. quæ incipit *Laudabilis* §. 13. *Dat. Non. Februar.* 1586. & ſunt Prælati: nam *eadem Conſtit.* §. 7. declarantur Prælati familiares Pontificis. Huiuſmodi autem priuilegium eſt conceſſum omnibus Prælatis exemptis.

2 Maior difficultas eſt de Protonotarijs titularibus, ſeu nō participantibus; quia Trident. *ſeſſ. 24. cap. 11. de Refor.* ſubijcit iuriſdictioni Ordinarium omnes inſignitos huiuſmodi honorarijs titulis, & in ſpecie Pronotarios iſtos titulares: vnde cum non ſint exempti, nec etiam poſſunt gaudere huiuſmodi priuilegio, quod ſolùm exemptis Prælàtis conceditur.

3 Exiſtimari poſſet ipſos quoque gaudere dicto priuilegio, & cenſendos eſſe Prælatos exemptos. Nam Concilium Tridentinum ipſos non ſubijcit abſolutè Ordinarijs, ſed ſolùm tanquam delegatis Sedis Apoſtolicæ: habet enim, quòd per huiuſmodi priuilegia *Nihil detractum eſſe Ordinarijs intelligatur, quominus ij, quibus ea conceſſa ſunt, vel in poſterum concedi contigerit, ipſis Ordinarijs tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatis plenè in omnibus ſubiecti exiſtant.* Vnde cum ipſis ſubijciantur vt delegatis Apoſtolicæ Sedis, ſolùm ſubijcientur In ijs, quæ vt delegati Apoſtolicæ Sedis cognoſcere poſſunt, in cęteris autem erunt exempti; & ideo erunt exempti ab ordinaria iuriſdictione, vt erant antea vigore Conſtit. Leonis X. *Dat. Romæ IV. Non. Maij Anno* 1515. Que incipit *Regimini.* & ita docent Anton. de Prætis *cap. 8. de Iuriſdict. Epiſcop. pa. 3. allegat. 74. num. 31. & 32.* Cochier. *par. 1. de Iuriſdict. Ordinar. in exempt. quaſ. 18. num. 3.* qui tamen limitat, ſi habitum deferant, Barboſa *lib. 1. de Vniuer. iure*

4 *Eccleſ. cap. 23. nu. 35.* Qui addit Sacram Congregat. Concil. *in vna Papienſi 1630 die 14. Decemb.* cenſuiſſe, eſſe exemptos ab Ordinarij iuriſdictione in ciuilibus, quò ad cauſas excedentes ſummam 25. Ducarorum, ex Bulla 8. *Gregorij X.* quia Concilium non derogauit priuilegijs

uilegijs Protonotariorum, niſi iu crimiualibus.

5 Stante hac declaratione, non dubitarem, eſſe exemptos; Quia haberent aliquam exemptionem, quæ ſufficeret, vt dici poſſent exempti: & vt priuilegium ad ipſos extenderetur; quia fauorabilia amplianda ſunt. Sed quia declaratio non eſt authentica, nullum fundamentum iu ipſa fieri poteſt.

6 Nec iuuat explicatio Trident. quia eſt contra intentionem Concilij, quòd intendit ſubijcere Ordinarijs perſonas habentes huiuſmodi titulares dignitates; quod non aſſequeretur, ſi ſubijceret tantùm in ijs caſibus, in quibus Epiſcopi procedere poſſunt vt delegati Apoſtolicæ Sedis. Eſt eriam contra ſenſum decreti; quia habet quòd plenè in omnibus ſubijciantur; quod non eſſet verum, ſi ſolùm in dictis caſibus eſſent ſubiecti. Et vt locum habear talis plena ſubiectio, conſtituit Epiſcopos delegatos Apoſtolicæ Sedis in omnibus reſpectu habentium has dignitates: vt nimirum habeant titulum iuriſdictionis ſupra has titulares dignitates.

7 His tamen non obſtantibus, valde probabile puto adhuc eſſe exemptos, & gaudere præſenti priuilegio; Quia licet in omnibus plenè ſubijciantur Epiſcopis vt Apoſtolicæ Sedis delegatis, non tamen vt Ordinarijs; & ideo ſunt exempti ab iuriſdictione ipſorum ordinaria; licet non à delegata: quod ſufficit ad ſaluandam exemptionem. Si enim Trident. voluiſſet facere non exemptos, non conſtituiſſet Epiſcopos delegatos Apoſtolicæ Sedis, ſed ſimpliciter ſubieciſſet Epiſcopis, ſicut ſubiecit alios, de quibus agit in fine prædicti cap. Voluit ergo ſolùm prouidere inconuenientibus, quæ contingebant, ex eo quòd non haberent Superiorem præſentem.

An Referendarij gaudeant priuilegio Cap. *Fin. de Pænit.*

Deciſio CX.

SVMMARIVM.

1 *Referendarij poſſunt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum tanquam Prælati.*
2 *Referēdarij ſunt exempti à iuriſdictione Ordinarij.*
3 *Non ſolùm aſſiſtentes ſignaturæ, ſed etiam cæteri ſunt exempti.*

1 REſp. affirmatiuè. Nam ſunt Prælati habentes iuriſdictionem; iuxta enim Conſtitutionem Sixti V. editam 10. *Kal. Octobris anno* 1586. quæ incipit *Quemadmodum prouidus* §. 14. ſunt in dignitate conſtituti, & exercere poſſunt iuriſdictionem admittendo rranſlationes penſionum ab ijs, qui facultatem habent eas transferendi. Deinde habent digniratem ſimul cum officio; nam habent votum in ſignatura coram Præfecto, ſignant ſupplicationes, & alia huiuſmodi exercent.

2 Prærerea ſunt etiam omnino exempti à iuriſdictione Ordinariorum, & immediatè ſubiecti Summo Pontifici, ſiue ſint vtriuſque, ſiue alterius tantùm ſignaturæ, vt ſtatuit idem Siſtus V. *in dicta Conſtit.* §. 8. His verbis: *Omnes, & ſingulos nunc, & pro tempore exiſtentes Referendarios vtriuſque, vel alterius ſignaturæ huiuſmodi in noſtros, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis familiares continuos commenſales gratioſè recipimus, & ab omni iuriſdictione Ordinariorum locorum quorumcumque eximimus, & totaliter liberamus: ac nobis, & dictæ Sedi immediatè ſubijcimus, &c.* Et proinde habent conditiones requiſiras, vt gaudere poſſint dicto priuilegio Cap. *Fin. de Pænitentia.*

3 Ex quibus patet, non eſſe audiendum Zerolam *par. 2. Praxis Epiſcop. verbo Referendarij.* qui vult illos tantùm eſſe exemptos, qui ſunt de numero aſſiſtentium ſignaturæ: non autem cæteros: Nec item Riccium *in praxi aurea reſol.* 30. dum vult, quòd ſubſint Ordinarijs ratione beneficiorum; quia Conſtitutio Siſti V. omnes omnino eximit à iutiſdictione Ordinariorum, & totalirer: non autem eos tantùm, qui ſunt de numero aſſiſtentium.

An Auditores Rotę Romanę ſint participes priuilegij Cap. *Fin. de Pęnit.*

Deciſio CXI.

SVMMARIVM.

1 *Auditores Rotæ Romanæ poſſunt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum. Sunt Prælati exempti.*
2 *Auditores Rotæ habent iuriſdictionem in foro externo.*
3 *Locum tenentes Auditorum Rotæ Romanæ poſſunt ſibi eligere Confeſſarium. Gaudent priuilegijs Referendariorum.*

1 AFfirmatiuè Reſpondendum eſt. Nam ſunt Prælati exempti, atquè adeo ex ijs, quibus priuilegium conceſſum eſt. Cum enim gaudeant priuilegijs omnibus Referendariorum, ex motu proprio, & certa ſcientia Pauli III. non ſolùm tunc temporis conceſſis, ſed

etiam concedendis, iuxta *XII. Conſtit.* ipſius, quæ incipit *Romani Pontificis: editam die 7. Auguſ. anno* 1537. §. 3. conſequenter ſunt perſonæ in dignitate conſtitutæ, ac omnino, & totaliter exempti ab Ordinariorum iuriſdictione, & immediatè ſubiecti Apoſtolicæ Sedi.

2 Et habent iuriſdictionem in foro externo, vt patet ex cauſis, de quibus iudicant: & proinde ſunt propriè Prælati iuxta Gloſ. *in Cap. 2. de Iudic. & in Clement. Dudum de Sepulturis. verbo Prælati.*

3 Et hoc extendendum eſt etiam ad Locumtenentea Auditorum; Quia ipſis quoque conceduntur eadem priuilegia Referendariorum: vt conſtat ex citato §. *dictæ Conſtit.* Pauli III. Vnde ipſi quoque ſunt in dignitate conſtituti habentes iuriſdictionem in foro contentioſo; & proinde Prælati, atque exempti ab Ordinariorum iuriſdictione.

An familiares Papæ gaudeant præſenti priuilegio.

Deciſio CXII.

SVMMARIVM.

1 *Quinam ſint familiares Papæ.*
2 *Familiares Papæ ſunt exempti à iuriſdictione Ordinariorum.*
3 *Familiares Papæ obtinentes iuriſdictionem poſſunt ſibi eligere Confeſſarium.*
4 *Secus autem ſi non habeant iuriſdictionem.*

1 FAmiliares Papæ ſunt ij omnes officiales, qui accipiunt panem de Palatio, etiam ſi accipiant ſolùm panem, & non aliud. Nec rurſus requiritur quòd, ſi ſint Prælati, accipiant ratione officij: ſed ſufficit ſi accipiant ratione perſonæ. Ita ſtatuit Iulius III. *Conſtit.* 21. quæ incipit *Sanctiſſimus in Christo*, edita *die 13. Februarij anno* 1553. Nec requiritur, quòd habitent in Palatio, nec aliquid aliud.

2 Hinc autem fit, quòd ſint exempti ab Ordinariorum iuriſdictione; quia non habent Ordinarij iuriſdictionem ſupra familiam Pontificis, quæ ſequitur rationem capitis tanquam corpus; familiares autem ſunt membra huius corporis. Et hoc intelligi debet, ne dum quando actu ſunt in familia, ſed etiam ſi per accidens contingat abeſſe à familia, dummodò retineant familiaritatem; quia priuilegium ſequitur conditionem perſonæ, non autem exercitium conditionis, quando conceditur perſonis talis conditionis.

3 Ex quo fit, quòd ij omnes, qui ratione officij obtinent iuriſdictionem, atque adeo ſunt Prælati, gaudeant priuilegio Cap. *Fin de Pœnit.* cum in ipſis concurrant conditiones requiſitæ ad conſtituendas perſonas priuilegiatas, nempe Prælatio, & Exemptio. Qui verò non habent iuriſdictionem, non poſſunt gaudere; quia, licet ſint exempti, non tamen ſunt Prælati. Quinam autem ſint iſti, qui habent iuriſdictionem, determinandum eſt ex qualitate officij, quo funguntur.

4 Hinc ſequitur quòd qui tantùm ratione perſonæ, & non ratione officij accipiunt panem de Palatio, quamuis ſint verè commenſales, & familiares Papæ, non tamen gaudeant hoc priuilegio: quia defectu officij, & iuriſdictionis non ſunt Prælati.

An præſens priuilegium extendatur etiam ad Magiſtrum Sacri Palatij.

Deciſio CXIII.

SVMMARIVM.

1 *Aliqua conueniunt Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici vt Regulari.*
2 *Tanquam Prælatus poteſt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum.*
3 *Magiſter Sacri Palatij eſt exemptus à iuriſdictione Ordinarij.*

1 NOn debet conſiderari Magiſter Sacri Palatij vt Regularis: nam vt Regulari aliqua conueniunt, quæ aliàs non conuenirent; ſed debet conſiderari officium, an trahat ſecum huiuſmodi priuilegium.

2 Certum omnino exiſtimo, nec in dubium reuocari poſſe, Quòd officium trahat ſecum huiuſmodi priuilegium; nam dat prælationem; ſiquidem habet annexam iuriſdictionem tam in foro interno, quàm in externo; nam poteſt abſoluere à cenſuris contractis ob lectionem librorū prohibitorum, facit etiam edicta, quæ concernant materiam librorum; dat licentiam imprimendi, & alias huiuſmodi iuriſdictiones exercet.

3 Prætereà eſt etiam exemptus à iuriſdictione Ordinarij, & immediatè ſubiectus Pontifici: quia eſt de Palatio, & familia Pontificis: vnde cum ſit Prælatus exemptus, comprehenditur in ijs, quibus conceditur priuilegium Cap. *Fin. de Pœnit.*

Digitized by Google

An Inquiſitores contra hæreticam prauitatem ſint capaces præſentis priuilegij Cap. Fin. de Pœnit.

Deciſio CXIV.

SVMMARIVM.

1 *Inquiſitores contra hæreticam prauitatem non poſſunt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum.*
2 *Inquiſitores non ſunt ratione officij Superiores, aut Prælati.*
3 *Quando vniuerſaliter delegatus habeat ordinariam auctoritatem, & iuriſdictionem.*
4 *Quando iuriſdictio conueniens ratione officij ſit ordinaria.*
5 *Qui putent iuriſdictionem Inquiſitorum Fidei eſſe ordinariam.*
6 *Non eſt ordinaria. Quid requiratur vt iuriſdictio ſit ordinaria.*

1 RESp. negatiuè, Quia neq; tanquam Prælati, neque tanquam Superiores poſſunt ipſum participare. Priuilegium enim conceditur ſolùm Prælatis, & Superioribus. Hoc autem debet intelligi quantum eſt ex vi officij: nam ex alio capite, ſi ſint Superiores, aut Prælati poterunt participare.

2 Quòd autem poſſint ratione officij, cum ſint Superiores, aut Prælati, ex eo colligitur, quòd non habent iuriſdictionē ordinariam, ſed tantùm delegatam ex Cap. *Per hoc de Hæreticis in 6.* & docent Dec. *in Cap. Cauſam num. 10. de Officio Delegati* Alciat. *in Rubr. num. 19. de Officio Ordin.* Param. *de Origine Officij S. Inquiſit. lib. 3. quæſ. 2. num. 37.* Direct. *Inquiſit. par. 3. quæſ. 4.* vbi Pegna *comment. 53.* Simanch. *tit. 34. de Cath. præſcrip. num. 13.* Barboſa *in l. Cum prætor §. 1. num. 44. & 51. ff. de Indic.* Molina *tom. 6. de Iuſt. diſp. 28. num. 1.* Et ratio eſt, Quia non procedunt auctoritate propria, quæ ſit ipſis communicata vt ordinaria, quam habeant vt diſtinctam ab auctoritate Pontificis: ſed procedunt auctoritate Apoſtolica, Cap. *Vt officium init. de Hæreticis in 6.* Non poteſt autem quis eſſe Prælatus, aut Superior, niſi habeat iuriſdictionem ordinariam.

3 Nec obſtat Quòd Inquiſitores vniuerſaliter delegentur ad cauſas fidei; & proinde debeat iuriſdictio cenſeri ordinaria, iuxta l. 1. *ver. Cum vrbem ff. de Officio Præfecti*, quia hoc tantùm valet de delegatione ſimplici, & non reſtricta ad auctoritatem delegantis; quia tunc cenſetur conſtitui noua auctoritas; ſecus antem, quando in delegatione declaratur quòd delegatus procedat auctoritate delegantis; vt contingit in Inquiſitoribus, qui procedunt, vt vidimus, auctoritate Apoſtolica. & ita notat Menoch. *lib. 2. de Præſumpt. præſumpt: 16. num. 31.* iuxta regulam Cap. *Cum aliquibus de Reſcriptis in 6.*

4 Neque etiam dici poteſt, quòd iuriſdictio conueniat Inquiſitoribus cum officio Cap. *Ne aliqui.* Cap. *Vt officium.* Cap. *Vt commiſſis. de Hæreticis in 6.* & ideo ſit iuriſdictio ordinaria: cum iuriſdictio ordinaria ea ſit, quæ conuenit ratione officij, dignitatis, &c. Quia allegata iura debent intelligi de illo officio, quod quilibet delegatus exercet, dum fungitur ſua delegatione; vnde eſt officium exercitij, non autem officium dignitatis; & conuenit ratione iuriſdictionis delegatæ, non autem iuriſdictio ratione officij, vt notat etiam Barboſa *in Collect. in Ius Canon. in Cap. Per hoc. num. 5. de Hæreticis in 6.*

5 Dices Ab initio quidem fuiſſe iuriſdictionem delegatam, nunc verò tranſiſſe in ordinariam; quia apud Hiſpanos conſtitutum eſt tribunal Inquiſitionis perpetuum ſub vno Inquiſitore Generali: vnde Molin. *tom. 6. de Iuſt. diſp. 28. num. 1. & 4.* putat eſſe iuriſdictionem mixtam ex delegata, & ordinaria. Quod videtur ſentire etiam Barboſa *in Collect. in Ius Canon. in dictum Cap. Per hoc nu. 11. in fine de Hæret. in 6.*

6 Hoc tamen non habet locum vniuerſaliter. Sed neque vbi eſt perpetuum tribunal Inquiſitionis; quia vbi non eſt neceſſaria conditio alicuius poteſtatis, ibi neque eſt talis poteſtas: neceſſaria autem conditio, vt iuriſdictio ſit ordinaria, eſt: vt ſit propria, & non alterius: Inquiſitores autem ſemper procedunt, non auctoritate propria, ſed Apoſtolica; vnde per nullam perpetuitatem, & continuationem poteſt iuriſdictio tranſire in ordinariam, ſed tantùm delegatio ad ſummum erit ordinaria; quod valde diuerſum eſt: quia quòd delegatio ſit ordinaria, non tollit quin procedant auctoritate delegantis.

An Aduocati Conciſtoriales ſint participes præſentis priuilegij.

Deciſio CXV.

SVMMARIVM.

1 *Aduocati Conciſtoriales non poſſunt ſibi eligere Confeſſarios. Non ſunt exempti.*
2 *Non ſunt Superiores, nec habent iuriſdictionem Eccleſiaſticam.*
3 *Neque ſunt Prælati.*

1 NOn reperio Aduocatos Conciſtoriales eſſe exemptos ab auctoritate Ordinarij:

rij; vnde neque poſſunt tanquam Prælati participare priuilegium Cap. *Fin. de Pœnit*. Imò neque etiam ſunt veri Prælati; quia non habent iuriſdictionem in foro Eccleſiaſtico.

2 Sed neque etiam poſſunt participare vt Superiores; quia licet ijs conueniat collegialiter ſumptis regimen ſtudij vniuerſalis in Vrbe, quod vulgò *Sapientia* dicitur, ex conceſſione Siſti V. facta *ex motu proprio 10. Kal. Septembris anno* 1587. quæ eſt *Conſtitutio* 62. Quia tamen hæc iuriſdictio non eſt Eccleſiaſtica, nec in foro conſcientiæ, ideo non ſunt Superiores (quia Superiores habent regimen animarum) ſed tantùm Rectores. Et ideo nullo modo participant dictum priuilegium: cum ſit conceſſum ſolis Prælatis exemptis, & Superioribus.

3 Nec huiuſmodi iuriſdictio, ſicut nec facultas doctorandi ſufficit vt ſint Prælati; quia neutra ex genere ſuo eſt Eccleſiaſtica, ſed Laica. In iure autem Prælatus ſemper ſupponit pro ijs, qui habent aliquam auctoritatem Eccleſiaſticam; vnde eſt nomen Eccleſiaſticæ perſonæ,

---

An cœteri, qui habent titulos honorarios Eccleſiaſticos, poſſint eligere Confeſſarium iuxta priuilegium Cap. *Fin. de Pœnitentia*.

Deciſio CXVI.

SVMMARIVM.

1 *Habentes titulos honorarios cum iuriſdictione Eccleſiaſtica poſſunt ſibi eligere Confeſſarios.*

2 *Habentes titulos honorarios ſunt exempti, ſi alias titulus det exemptionem.*

1 Pendet reſolutio ex dictis in ſuperioribus. Si enim cum titulis habent auctoritatem, & iuriſdictionem Eccleſiaſticam ſufficientem vt cenſeantur Prælati, tunc poſſunt eligere Confeſſarium iuxta dictum priuilegium; quia licet ſubijciantur Ordinarijs à Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 11. *de Refor.* non ſubijciuntur tamen tanquam Ordinarijs, ſed tanquam Delegatis Sedis Apoſtolicæ: vnde adhuc retinent exemptionem ab ordinaria Epiſcoporum iuriſdictione.

2 Nec dubitandum eſt de exemptione; quia Concil. dum ipſos ſubijcit Epiſcopis vt delegatis Apoſtolicæ Sedis, ſupponit exemptos; quia non eſſet opus delegatione, niſi eſſent exèmpti; imò ibi habet quòd tales exemptiones pariunt perturbationem in Epiſcoporum iuriſdictione: & ideo cum non poſſint Epiſcopi ſupra ipſos exercere iuriſdictionem vt Ordinarij, conſtituit Delegatos Apoſtolicæ Sedis.

An, qui non habent iuriſdictionem proprio titulo, ſed tantùm alieno, vt ſunt Vicarij Epiſcoporum, gaudeant priuilegio Cap. *Fin. de Pœnit*.

Deciſio CXVII.

SVMMARIVM.

1 *Qui non habent iuriſdictionem proprio titulo non poſſunt ſibi eligere Confeſſarium, ſecùndum aliquos.*

2 *Poſſunt ſibi eligere, vt ſunt Vicarij Epiſcoporum.*

3 *Vicarius Epiſcopi cenſeri poteſt Prælatus.*

1 Negatiuè reſp. Suarez *diſp.* 27. *de Pœnit. ſect.* 2. *nu.* 8. Lugo *diſp.* 19. *de Pœnit. ſect.* 1. *num.* 3. quia non ſunt Prælati verè, cum non habeant iuriſdictionem ex proprio titulo; ſed tantùm ex commiſſione vtantur aliena iuriſdictione.

2 Oppoſitum tamen cenſeo probabilius cum Henriquez *lib.* 6. *Sum. cap.* 13. *littera K. in Comment.* Boſſio *ſect.* 3. *de Iubileo caſu* 2. §. 4. *num.* 109. quia licet non poſſunt tanquam Prælati gaudere dicto priuilegio: poſſunt tamen tanquam Superiores; nam cum habeant eamdem iuriſdictionem, vt ait Bar. *in l. Iudicium verbo Venio. par.* 2. *ff.* de *Iud.* & Archidiacon. *in Cap. Fin. de Officio Vicarij in* 6. habent etiam eamdem ſuperioritatem; Priuilegium autem conceditur non ſolùm Prælatis, ſed etiam Superioribus.

3 Imò quia Vicarius communicat in eadem iuriſdictione cum Epiſcopo, communicat etiam ſi non totaliter, ſaltem aliqua ex parte in Prælatione; & ideo cenſeri poteſt Prælatus per communicationem. Quia tamen non eſt exemptus, non poteſt vt Prælatus gaudere dicto priuilegio.

De

De Commendatione.

Quando illicita ſit commendatio etiam generalis.

Deciſio CXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Commendatio generalis, & commendatio ſpecialis.*
2 *Commendatio generalis eſt illicita quando commendatus non correſpondet atteſtationi.*
3 *Commendatio ſine notitia commendati, aut cum notitia dubia eſt illicita.*
4 *Atteſtatio ſupponit cognitionem in atteſtante: vnde illicita quando ipſam non ſupponit.*
5 *Commendationi ſufficit probabilis notitia perſonæ commendatæ.*

1 DVpliciter contingere poteſt commendatio. Generaliter, quando atteſtor, aliquem eſſe virum probum, virtute præditum, litteris ornatum, & dignum in quem beneficia conferantur, & alijs huiuſmodi verbis generalibus induco aliquem ad aliquid præſtandum, quod alioquin non præſtaret. Et ſpecialiter, quia fit atteſtatio de aliqua bona qualitate in ſpeciali in ordine ad aliquid ſpeciale obtinendum; vt ſi dicam: poſſe alicui tutò tale negocium committi, eſſe dignum qui cæteris in electione præferatur, &c.

2 Dico primo. Commendationem etiam in generali eſſe illicitã, quando ſcio eum, quem commendo, non eſſe talem, quem atteſtor. In hoc omnes Doctores conueniunt: & certum omnino eſt; quia in tali commendatione interuenit mendacium, & dolus: decipitur enim is, cui fit commendatio. Vnde, ſi eſt in materia graui, erit peccatum mortale.

3 Dico ſecundo. Quando commendans non nouit eum, quem commendat eſſe talem, qualem atteſtatur, aut dubius eſt, an ſit talis: adhuc illicita eſt commendatio, & continet peccatum graue, ſi eſt in materia graui. Ratio

4 autem eſt: quia atteſtatio ſupponit ex natura ſua in atteſtante cognitionem rei atteſtatæ: quia innititur auctoritatis dicentis: & auctoritas dicentis eiuſdem cognitioni. Et proinde quò magis infallibilis eſt cognitio, eò magis infallibilis eſt auctoritas; & ob hanc cauſam auctoritas Dei eſt omnino infallibilis, quia eius cognitio eſt omnino certa. Si ergo nulla eſt cognitio in atteſtante, nulla ab ipſo poteſt eſſe atteſtatio; & ideo ſi atteſtetur, decipit; quia prætendit auctoritatem, quam non poteſt habere: & inducit ad credendum per atteſtationem, quę non poteſt eſſe vera atteſtatio.

5 Non requirit autem commendatio in commendante notitiam certam perſonæ, quam commendat: ſed ſufficit quòd probabiliter iudicet eſſe talem, qualem atteſtatur. Tunc enim in commendando ſequitur opinionem probabilem, quam habet de tali perſona, & ideo prudenter operatur. Rurſus non eſt neceſſe, quòd immediatè cognoſcat perſonam, quam commendat, ſed ſufficit quòd talem putet, qualem atteſtatur, ex aliorum relatione, qui tamen ſint fide digni.

An quando commendatio Generalis eſt cauſa damni, teneatur commendans ad reſarciendum.

Deciſio CXIX.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo commendatio poſſit eſſe cauſa damni.*
2 *Commendatio cum dolo inducit obligationem reſarciendi.*
3 *Obligatio reſarciendi damnum oritur ex facto contra ius.*
4 *Atteſtans ſine notitia, aut cum dubietate aliquem eſſe talem, obligatur ad reſarcienda damna orta, quia non fuerit talis.*
5 *Commendatio cum bona fide non inducit obligationem reſarciendi damna inde ſequuta.*
6 *Niſi tamen commendans in ſe recipiat periculum.*
7 *Quòd quis facilè credat commendanti non euacuat eiuſdem dolum.*

1 POteſt eſſe cauſa damni vel ei, qui eam acceptat, eo quòd fiſus tali commendationi res ſuas committit commendato; vel etiam alteri, quatenus operans iuxta atteſtationem commendatis, facit aliquid iniuſtum, ex quo reſultat damnum tertij: & vtroque modo dubitatur An adſit obligatio reſarciendi.

2 Dico primò. Si commendatio generalis cum dolo fiat, & inde cauſetur alicui damnum, conſurgit obligatio reſarciendi. Ita Rebel. 1. *de obligat. iuſt. quaſ 6. ſect. vltima num. 47. & ſequentib.* Anton. Gomez 2. *variar. cap. 13. num. 5.* Salas *diſp. 21. de legib. ſect. 9. init.* Palaus *par. 1. & tract. 3. diſp. 5. de ceſſat. & interpr. leg. puncto 3. §. 6. num. 2.* Et habetur ex lege. *Et eleganter: §. vltimo ff. De dolo*, vbi etiam Gloſa.

3 Ratio autem eſt. Quia tunc conſurgit obligatio reſarciendi damnum, quando oritur ex aliquo pacto contra ius alterius; eſt autem contra ius alterius, agere cum ipſo cum dolo; quilibet enim habet ius, ne decipiatur; vnde

ſi ex

ſi ex hoc ſequitur damnum, tenetur ad reſarciendum.

4 Et hoc etiam extendendum eſt ad eum, qui atteſtatur in commendatione, aliquem eſſe talem, qualem non nouit eſſe: aut dubius eſt, an ſit talis; quia adhuc interuenit dolus: non enim procedit cum debita ſinceritate; imò mentitur; quia affirmat id quod non ſcit, tanquam ſi ſciret. Dum enim, aliquem, atteſtatur eſſe virum probum, & non ſcit eſſe talem: idem eſt ac ſi affirmaret, ſe ſcire eſſe talem: cum atteſtatio neceſſariò fundetur in cognitione; ac proinde affirmabit ſe ſcire, quod non ſcit.

5 Dico ſecundo. Si commendatio fiat bona fide ſine dolo, non inducit aliquam obligationem reſarciendi damnum, ſi inde ſequatur. Ita auctores *num 2. citato* & præterea habetur ex eadem *l. Et eleganter tit. §. & l. fin. ver.* Nec *C. quod cum ea*: vbi etiam Gloſ. Bart. Angel. Salicet. Ratio eſt, quia damnum, quod ſequitur, eſt omnino per accidens, & præter intentionem commendantis, & omnino inuoluntarium, cum non potuerit præuideri. Vnde nec fit aliquid iniuſtè à commendante; ex ſola autem iniuſtitia oritur obligatio reſarciendi.

6 Hoc tamen limitandum eſt, niſi commendans in ſe periculum recipiat: quia tunc ſe obligat ad conſeruandum illæſum quemcunq; qui ex tali commendatione damnum pati poteſt: & proinde tenetur ad reſarciendum damnum, ſi ſequatur; vt inter alios notat Salas *citatus*.

7 Et ſi dicas, quòd non debet quiſquam ita facilè credere commendationi generali: atque adeo, ſi credit, debet ſibi imputare. Reſp. quòd non per hoc tollitur, quòd non adhibeatur dolus, & quòd dolus non ſit cauſa damni. Nec qui facilè credit commendanti, malè agit, ſed potiùs in fauorem ipſius: vnde eò magis commendans tenetur cauere à dolo, quo faciliùs ſibi fidem adhibendam eſſe videt.

An quando ex commendatione ſequitur damnum, competat læſo actio contra commendantem.

Deciſio CXX.

SVMMARIVM.

1 *Quando actio competat læſo contra commendantem.*

2 *Quilibet poteſt in iudicio repetere, quod ſibi ex iuſtitia debetur.*

3 *Dolus adhibitus in commendatione dat actionem læſo, ſi probari poſſit.*

1 SOlùm actio cõpetere poteſt læſo cõtra commendantem quando oritur obligatio iuſtitiæ: atque adeo quando commendatio per verba generalia fit cum dolo. Tunc autem reſpondendum eſt, Competere actionem læſo contra commendantem. Vt ſumitur ex eadem l. *Et eleganter §. vltimo ff. De dolo* vbi Gloſ. & Doctores communiter. lex. enim ibi loquitur de obligatione quò ad forum externum. Et ita notat Salas *diſp. 21. de legib. ſect. 9. ver. ſecundo; ſi in fine.*

2 Et militat ratio generalis. Quòd quilibet poteſt repetere in iudicio, quod ſibi ex iuſtitia debitum eſt; vnde cum ſibi ſit debita recompenſatio damni, poteſt in iudicio ipſam repetere.

3 Quia tamen dolus eſt fundamentum talis obligationis, non poterit læſus commendantem conuenire in iudicio, niſi in eodem iudicio poſſit conſtare de dolo. Vnde quamuis ſciat dolum interueniſſe, ſi tamen non poſſit ipſum probare, non poteſt iuſtè, atque adeo ſine peccato mortali, ipſum conuenire: quia non habet ius ad conueniendum, cum non poſſit dolus in iudicio manifeſtari, niſi ſit ex ſe manifeſtabilis iuridico modo: & ideo conueniendo infert grauame iniuſtum.

Quid requiratur, vt commendatio ſpecialis ſit licita.

Deciſio CXXI.

SVMMARIVM.

1 *Vt commendatio ſpecialis ſit licita, debet continere veritatem notam.*

2 *Quid requiratur, vt abſit omnis dolus.*

3 *Non eſt abutendum ſimplicitate, in commendatione, illius, cui fit commendatio.*

4 *An poſſim vti commendatione ſpeciali ſine notitia commendati, quando ſcio futuram eſſe fruſtratoriam.*

1 REſp. requiri vt abſit omnis dolus; atque adeo vt atteſtatio veritatem notam commendanti contineat. Deſumitur ex ijs, quæ tradunt Rebel. *par. 1. de obligat. Iuſt. lib. 1. quaſ. 6. ſect. vlt. num. 48.* Gomez 2. *Variar. cap. 13. de Fideiuſ. num. 5.* qui etiam alios citat. Salas *diſp. 21. de legib. ſect. 9.* Palaus *par. 1. tract. 3. de legib. diſp. 5. punc. 3. §. 6.* Et debet recipi communiter ab omnibus, quia ſemper dolus malus eſt: & commendatio ab ipſo ſolo vitiari poteſt in

ſe, ab

Digitized by Google

ſe, abſtrahendo à fine extrinſeco commendantis, de quo modò non loquimur: quia commune eſt omnibus actionibua vt malæ fiant, ſi ordinentur ad finem malum.

2 Vt autem commendatio fiat abſque omni dolo, nō ſufficit quòd nihil obſtare ſciamus perſonæ, quam commendamus in eo genere, in quo eſt commendatio: ſed inſuper requiritur, quòd poſitiuè notas habeamus illas qualitates, quas atteſtamur: alioquin, vt dicebamus de commendatione in generali, fallax eſſet, & mendax commendatio; nam atteſtaremur tanquam ſcientes id, quod non ſcimus: quod eſt atteſtari falſè, licet per accidens poſſit eſſe atteſtatio veri.

3 Rurſus, Vt fiat abſque omni dolo, aduertere etiam oportet, ad diſpoſitionem illius, cui fit commendatio; quomodo videlicet ſit eam acceptaturus; quia ſi cenſemus facilè crediturum, tenemur lege charitatis non abuti ſimplicitate ipſius; atque adeo cauere debemus, ne ratione noſtræ commendationis exponatur alicui damno.

4 Sed quæres: Quid, ſi ſciam non præbiturum fidem meæ atteſtationi, aut nihil in gratiam meæ commendationis facturum; an poſſim tunc vti commendatione ſpeciali, quamuis non ſciam eum eſſe talem, quem in commendatione talem atteſtor? Reſp. Negatiuè; quia licet tunc commendatio non eſſet illicita ratione damni, quod poteſt cauſare; eſt tamen illicita de ſe; quia continet atteſtationem illius, de quo nequeo atteſtari; cum de ipſo non habeam cognitionem ſufficientem pro atteſtatione; vnde in materia graui erit peccatum mortale.

An ex commendatione ſpeciali oriatur obligatio reſarciendi, quando damnum inde alicui ſequitur.

Deciſio CXXII.

SVMMARIVM.

1 *Commendatio ſpecialis facta cum dolo inducit obligationem reſarciendi damna per ipſam cauſata.*

2 *Dolus inducit obligationem reſarciendi.*

3 *Commendatio ſpecialis ſine dolo non inducit obligationem reſarciendi damna.*

4 *Nemo obligatur ex conſilio, quando eſt ſine fraude.*

1 RESP. cum Salas *diſp.* 21. *de Legib. ſect.* 9. *ver. Tertiò ſi verba*, Palao *par.* 1. *tract.* 3. *de Legib. diſp.* 5. *de Ceſſat. leg. punc.* 3. §. 6. *num.* 4. *ver. Verum ſi*. Rebel. *de Obligat. iuſt. par.* 1. *lib.* 1. *quæſ.* 6. *ſect. vlt. num.* 49. & alijs. Si cum dolo fiat, adeſſe obligationem reſarciendi; non autem adeſſe ſi fiat bona fide, & abſque dolo.

2 Dolus enim ex natura ſua ſemper eſt malus, & iniuſtus; & ideo quando eſt cauſa damni inducit obligationem reſarciendi. Et ſi hoc facit in commendatione generali, iuxta l. *Et eleganter* §. *vltimo ff. de Dolo.* & l. *Final. ver. Nec C. Quod cum eo*, vt in ſuperioribus tradidimus, multò magis id præſtabit in commendatione ſpeciali; quia ſicut hæc eſt magis ex natura ſua aſſecuratiua, ita etiam debet eſſe magis aliena à quocumque dolo.

3 Si autem fiat ſine omni dolo; non habet, vnde poſſit inducere hanc obligationem; quia nullo pacto cooperatur damno: cum nec ex ſe ad ipſum concurrat, cum reſpiciat bonum commendati; nec extendatur ad damnum alterius: nec ex intentione commendantis; vnde damnum omnino per accidens ſe habet, & prima eius radix aliunde incipit. Nec quò ad hoc eſt diuerſa ratio de ipſa ac de generali, vt notat Palaus; quod enim ſpecialis ſit, non ponit ſpecialem obligationem in commendante; nec habet, quod cooperetur damno.

4 Et fauet 62. Regula *De regulis iuris in* 6. *Nullus ex conſilio, dummodò fraudolentum non fuerit, obligatur.* Commendatio autem eſt quoddam conſilium; cum ſit ordinata, mediante atteſtatione bonarum qualitatum commendati, ad perſuadendum aliquid ei, cui ſit commendatio.

An quando commendatio ſpecialis eſt cum damno tertij, teneatur commendans in foro externo reſarcire, etiam ſi bona fide proceſſerit in commendando.

Deciſio CXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Commendans non tenetur ad damnum tertij in foro externo, ſi bona fide proceſſit ſecùndum aliquos.*

2. *Secùndum alios tenetur.*

3 *Non valet argumentum à mandato ad commendationem.*

4 *Quomodo læſus poſſit habere actionem in commendantem.*

5 *Quo-*

5 *Quomodo in commendatione ceſſet præſumptio doli, ſi ex ipſa damnum tertij ſequatur.*

1 NOn teneri docet Salas *diſp.* 21. *de Legib. ſect.* 9. *ver. Tertio, Si verba.* Tum quia commendatio non continet mandatum, aut fideiuſſionem, etiam ſi ſpecialis ſit, vnde poſſit oriri obligatio. Tum quia habet tantùm rationem conſilij; & ex conſilio, niſi fraudolentum ſit, nemo obligatur; ex Regula *Nullus, de Regulis iuris in* 6. Tum quia actio mandati non competit ex ſimplici atteſtatione, qualis eſt commendatio; ratione autem commendationis ſpecialis ſola actio mandati contra commendantem competere poteſt.

2 At teneri tradunt Gomez 2. *Variar. cap.* 13. *num.* 5. qui etiam alios citat, Palaus *par.* 1. *tract.* 3. *de Legib. diſp.* 5. *de Ceſſat. leg. punct.* 3. §. 6. *num.* 4. *ver. Verùm ſi* ex l. *Lucius ff. de Fideiuſſ.* ex l. *Si litteras. C. Mand.* Vbi etiam Gloſ. Bart. Bal. Angel. & alij Doctores. Quia cum commendatio teſtetur ſecuritatem, habet rationem mandati.

3 Ex his tamen legibus hoc non colligitur; quia loquuntur non de litteris commendaritijs, ſed de litteris continentibus mandatum, vt explicat Gloſ. *ibid.* Neque valet arguere ab vno ad aliud; quia licet commendatio contineat atteſtationem non tamen continet mandatum, vt rectè notat Salas *num.* 1. allatus; eſt enim ſolùm quædam laudatio atteſtatiua, quæ non inducit actionem mandati ex l. *Si verò. §. Quidam. ff. Mandati.* & Gloſ. *in l.* 1. *ff eodem.* Io. Andr. *in Cap. Nemo. de Elec. in* 6. Deinde quando interuenit mādatum, id quod exhibetur mādatario, exhibetur nomine mandantis; quod non contingit in commendatione.

4 Itaque ſolùm ratione doli præſumpti poteſt læſus habere actionem in commendantem; quamuis enim non adſit dolus, poſſunt tamen concurrere tales circumſtantiæ, vt in foro externo poſſit dolus præſumi. Cum enim non debeat aliquis ſpeciali atteſtatione commendari (vt rationabilis ſit commendatio) quando alteri damnoſa eſſe poteſt, niſi probè cognoſcantur qualitates commendati; præſumuntur ſemper cognitæ commendanti, atque adeo interueniſſe dolum, quando non correſpondeant atteſtationi; præſertim ſi commendans addat, ſe probè noſſe hominem, & alia huiuſmodi, quæ moraliter cogunt ad credendum atteſtationi.

5 Ex aliquibus tamen circumſtantijs poteſt ceſſare talis præſumptio; vt ex modo commendationis; nimirum ſi fiat tepido modo, aut per verba non multùm aſſertoria, ita vt parum vrgeant ad credendum. Ex qualitate etiam commendantis: Vt ſi ſit ſimplex vir, & qui facilè alijs credat, aut facilè decipiatur, aut nimis leuiter feratur ad aliquid aſſerendum. In his enim, & ſimilibus caſibus, quia non debet prudenter acceptari commendatio: qui eam acceptat, ſibi imputare debet; nec debet prætendere dolum ex parte commendantis; ſed ſolùm quòd imprudenter commendauerit, & ipſe imprudenter acceptauerit commendationem.

An licita ſit commendatio in ijs, quæ non ſunt arbitraria, ſed ſecùndum iuſtitiam, vel aliquam aliam legem debent adminiſtrari.

Deciſio CXXIV.

SVMMARIVM.

1 *In arbitrarijs licita eſt commendatio.*
2 *Commendatio eſt illicita circa ea quæ ſunt ex obligatione, quando tendit in aliquid oppoſitum obligationi.*
3 *Niſi fortè quod prætenditur in commendatione ignoretur oppoſitum obligationi.*
4 *Et niſi poſſit interpretari vt conditionata.*
5 *Commendatio accipienda cum conditione, quòd iuſtum ſit quod petitur.*
6 *Quomodo commendans debeat interpretari ſuam commendationem.*
7 *Quando commendans teneatur deſiſtere à commendatione.*
8 *Quando commendatio in ijs, quæ ſunt de iuſtitia, ſit licita.*

1 QVia in ijs, quæ adminiſtranda ſunt ſecùndum menſuram alicuius obligationis, habet locum aliquo pacto arbitrium quò ad aliqua, quæ non mutant ſubſtantiam, ſaluis ijs, quæ exiguntur à præſcriptione obligationis; ideo in ijs poteſt habere locum licita commendatio. Sicut enim in arbitrarijs, & licitis vtrinque poteſt voluntas flecti in hanc, vel illam partem: ita licitum eſt adhibere ea motiua, quæ poſſunt inducere potiùs ad vnam partem, quàm ad aliam: quorum vnum præcipuum eſt commendatio, præſertim ſi ſit à perſona, cui multum debeamus, aut cui gratum facere cupiamus.

2 Præciſis autem arbitratijs, dico, Commendationem eſſe malam ex obiecto, quando tendit in aliquid, quod eſt contrarium illi, ad quod ex obligatione tenetur is, cui ſit commendatio. Ratio eſt, Quia quod eſt ſecùndum obligationem eſt ſecùndum dictamen rectæ rationis; & quod eſt huic contrarium, eſt contra dictamen; quod autem eſt contra dicta-

men

men rectæ rationis, eſt obiectum turpe; Vnde ſi ſit in materia graui, fundabit peccatum mortale. Deinde talis commendatio eſſet inductio ad malum; quia induceret ad operandum contra obligationem, atque adeo contra conſcientiam.

3 Hæc autem regula eſt limitanda, quòd valeat quando cognoſcitur commendatio ordinari ad id, quod eſt illicitum, & contrarium obligationi illius, cui fit commendatio; quia ſi hoc ignoretur, excuſatur à malitia; quia defectu cognitionis, quod eſt illicitum eſt inuoluntarium.

4 Secundò eſt limitanda, quòd vera ſit quando commendatio eſt ita abſoluta, vt neque interpretatiuè poſſit cenſeri conditionata; Secus autem, ſi cenſeatur ſolùm habere locum, ſi id, quod petitur, honeſtum ſit. Si enim cum tali conditione, ſaltem interpretatiuè, procedat, non tendit in obiectum malum: & ideo nullam contrahit malitiam.

5 Quia autem præſumendum eſt quòd vnuſquiſque in ſuis actionibus prudenter procedat, & iuxta regulas conſcientiæ, niſi oppoſitum conſtet; ideo ſemper commendatio vniuſcuiuſque accipienda eſt cum interpretatiua conditione: ſi iuſtum ſit, quod petitur: vt habeat locum commendatio; niſi ex modo, quo fit, conſtet eſſe omnino independentem in quacumque conditione.

6 Imò ille quoque qui commendat (vt liberetur à ſcrupulis) poſtquam commendauit, debet præſupponere quòd hanc tacitam conditionem interpretatiuam adhibuerit, niſi ſibi conſtet, ſe omnino voluiſſe quod in commendatione petijt, ſiue iuſtum, ſiue iniuſtum fuerit: & de hoc recordetur, atq; adeo ſciat, ſe cogitaſſe de turpitudine petitionis, aut ſaltem dubitaſſe quòd potuerit eſſe turpis.

7 Ex his colligitur. Quòd quando commendans audit id, quod petit, non poſſe fieri, ſalua obligatione illius, cui fit commendatio, tenetur deſiſtere à commendatione; alioquin ſi inſiſteret, tenderet in obiectum turpe, & induceret ad malum. Nec poteſt excuſari, niſi fortè ſibi perſuaderet prætendi obligationem in contrarium, excuſationis gratia; quod tamen tunc non habet locum, quando aut redditur ratio obligationis: aut perſona, cum qua agitur, eſt talis auctoritatis, vt ei credendum ſit: alioquin perſuaſio de excuſatione eſſet irrationabilis.

8 Colligitur ſecundò, Licitam eſſe commendationem, quando continet petitionem conformem obligationi illius, cui fit petitio: tunc enim eſt cooperatio quædam ad rectè agendum; quia per ipſam inducitur ad id, quod rationabiliter debet operari. Quod habet locum, etiam ſi ex hoc alterius damnum ſecutum ſit; quia hoc non eſt velle damnum alterius, ſed id, quod rectum eſt; cum quo per accidens alterius damnum connectitur: & ſicut poteſt licitè fieri ab eo, cui fit commendatio; ita etiam licet per commendationem ipſum inducere ad id faciendum.

An in rebus arbitrarijs licita ſit commendatio Magnatum ac Potentium facta inferioribus.

Deciſio CXXV.

SVMMARIVM.

1 *Commendatio quando licita circa arbitraria.*
2 *Commendatio Magnatum circa arbitraria cum debita moderatione eſt licita.*
3 *Quomodo talis commendatio reſpectu inferiorum non ſit iniurioſa.*
4 *Etiam ſi inducat reuerentialem metum.*
5 *Commendatio Magnatum cum violentia morali eſt illicita. Emxa petitio Principis cauſat metum.*
6 *Eſt iniurioſa libertati diſponendi.*
7 *Verba Magnatum conſtringentia ſufficiunt ad incutiendum metum.*
8 *Quando reuerentialis metus cadat in conſtantem virum.*

1 COmmendatio in arbitrarijs de ſe licita eſt; niſi aliqua mala circumſtantia vitietur; quia ſemper reſpicit quod licitum eſt: tale enim eſt arbitrarium, quòd nimirum licitè fieri, & prætermitti poteſt. Adeſt tamen ſpecialis difficultas, quando prouenit à potentibus; quia tunc videtur coniuncta cum quadam morali coactione.

2 Dico primò. Si talis commendatio ſit cum debita moderatione, tunc omnino licita eſt. Eſt autem cum debita moderatione, quando ſolùm interponitur petitio, quantumuis efficax ſit, & oſtendat magnum deſiderium obtinendi id, quod petitur. Ratio eſt quia efficacia deſiderij, illiuſque oſtenſio non eſt mala, quando deſiderium ipſum non eſt malum; tunc autem deſiderium non eſt malum, quando quod deſideratur non eſt malum; non eſt autem malum deſiderare obtinere ab aliquo, quod ipſi arbitrarium eſt; vnde talis commendatio eſt moderata ſecùndum regulas rectæ rationis.

3 Dices, Commendationem huiuſmodi eſſe iniurioſam; quatenus continet vim quamdam, & coactionem ad obtinendum intentum; cum inferior non poſſit congruè reſiſte-

re tali

re tali efficaci petitioni. Reſp. Nullo pacto eſſe iniurioſam; quia non excedit limites petitionis, nec continet aliquam vim coactiuam; tunc enim ſolùm petitio eſt iniurioſa, & coactiua, quando, niſi ipſi ſatisfiat, petens eſt paratus inferre damnum; vt cum quis alteri minitatur mortem, niſi tradat pecuniam; ſecus autem ſi ſolùm vrgeat per oſtenſionem efficacis deſiderij: quia ſemper remanet libertas negandi, quod petitur.

4 Sed rurſus dices, Efficaciam petitionis, excitare reuerentialem metum, ob quem non manet libertas ad negandum, quod petitur. Reſp. quamuis excitetur huiuſmodi reuerentialis metus: quia tamen commendatio non eſt extra limites commendationis, quæ ex natura ſua tantùm proponit, & petit, relinquens arbitrium etiam moraliter: non autem conſtringit; ideo manet libertas illæſa, nec vis aliqua infertur, per quam extorqueatur quod petitur. Alioquin potentia, & dignitas præiudicaret potentibus, ne vti poſſent commendatione: quia ſemper ratione potentiæ, & dignitatis haberet locum reuerentialis metus.

5 Hinc Dico ſecundò. Quando talis commendatio fit cum quadam violentia morali, illicita eſt. Tunc autem fit cum violentia morali, quando adhibentur verba conſtrictiua, & commendans declarat ſe omnino velle quod in commendatione petit.

6 In hoc enim caſu locum habet metus ſaltem reuerentialis; & proinde iniuria contra libertatem diſponendi. Hinc quod fit enixè petente Principe, metu factum cenſetur: vt inter alios Gloſ. *in l. 1. ff. Quo ius.* Imol. *in Cap. cum inter De elect.* Paris. *Conſ. 5. num. 152. vol. 4.* Eadem autem eſt ratio proportionaliter de quolibet potente.

7 Et verba conſtringentia, & huiuſmodi declaratio, de qua diximus, æquiualent vultui atroci, imò ſuperant. Vultus autem atrox potentis ſufficiens eſt ad incutiendum metum: vt docent Bal. *in §. Iniuria De pa. curam. firman.* Angel. *in l. qui in aliena §. fin. ff. de acquir. hær.* Decius. *in Cap. 1. De off. Deleg.*

8 Dices, Reuerentialem metum non cadere in virum conſtantem: vt cum pluribus docet Sanchez *lib. 4. de matrim. diſp. 6. num. 7.* & ideo non impedire ex ſe libertatem diſponendi, ſed tantùm ex imbecillitate diſponentis. Reſp. quòd quicquid ſit, quando metus reuerentialis concipitur ex ſola qualitate perſonæ, an impediat liberam diſpoſitionem: quando tamen concipitur non ſolùm ex perſona, ſed etiam ex qualitate petitionis; quia videlicet oſtendit animum omnino determinatum ad obtinendum quod petitur: tunc certè cadit in conſtantem virum; quia rationabiliter ſibi perſuadet, quòd niſi obſequatur, petens grauiter indignabitur; vnde verecundia coniuncta eſt cum timore indignationis, & damni, quod poteſt ex ea ſequi: & ideo eſt ſufficiens, vt cadat in conſtantem virum. Imò ſi non timeret, non eſſet conſtans, ſed temerarius.

An in commendatione circa res arbitrarias liceat adhibere minas.

Deciſio CXXVI.

SVMMARIVM.

1 *In commendatione circa arbitria licet adhibere minas de ſubtractione gratuitorum.*
2 *Quando minæ ſint malæ, & quando non.*
3 *Non licet in commendatione adhibere minas de malo iniuſtè inferendo.*
4 *Etiam ſi non adſit intentio inferendi damnum.*
5 *Quomodo aliquando adhibens minas in commendatione excuſetur à mortalis.*
6 *Quomodo aliquando cum minis non adſit intentio extorquendi voluntatem in commendatione.*
7 *Minæ ex verboſitate adhibita in commendatione an ſint mortale peccatum.*

1 VIdetur ſtatim Reſpondendum, quòd non liceat; quia ſemper minæ important aliquam coactionem, quæ iniurioſa eſt.

Sed dico primò, Licere adhibere minas de ſubtractione gratuitorum: ita vt commendans poſſit interminari quòd ſi non obtinebit quod petit, non ampliùs conferet beneficia, nunquam gratificabitur, & alia huiuſmodi.

2 Ratio eſt, quia minæ de ſe non ſunt malæ, ſed tantùm quando ſunt de obiecto iniuſto: vnde Deus minatur mala in punitionem peccatorum: licet patri, & domino minari pœnas filio, & ſeruis. In caſu autem noſtro obiectum minarum non eſt malum, nec iniuſtum; quia eſt ſubtractio gratuitorum, quæ poteſt licitè ad beneplacitum fieri. Imò ſi is, cui fit commendatio non obſequitur in re arbitraria, meretur vt ei ſubtrahantur gratuita.

3 Secundò dico. Non licere adhibere minas de damno quocumque iniuſtè inferendo. Damnum enim iniuſtè illarum eſt contra iuſtitiam: atque adeo etiam minæ de ipſo inferendo iniuſtæ ſunt, cum ſint de obiecto iniuſto.

4 Imò, etiam ſi minæ ſint abſque intentione de inferendo damno: quia tamen ordinantur ad incutiendum metum, & extorquendam voluntatem, iniurioſæ ſunt; cogunt enim ad faciendum

Digitized by Google

ciendum id, quod alioquin non fieret; & proinde qui facit minis coactus, cenſetur inuitus facere: Vnde adhuc peccatur ſecundum iuſtitiam; quia nõ ſeruatur alteri ius liberè diſponendi de ijs, quæ habet in propria poteſtate.

5 Excuſari tamen poteſt à peccato mortali, ſi non habeat intentionem inferendi damnum, quod minatur; & minæ non ſortiantur effectum extorquendi voluntatem, eo quòd non timeantur; tunc enim nec ex intentione continent malitiam grauem: quia non ſunt ex intentione inferendi damnum; nec ſunt cauſa alicuius rei iniuſtæ: quia nullum cauſant effectum, cum non timeantur.

6 Quòd ſi dicas: adhuc adeſſe intentionem extorquendi voluntatem, quæ eſt iniuſta intentio. Reſp. In hoc caſu non adeſſe talem intentionem abſolutam, & efficacem; quia intentio non reſpicit extorſionem voluntatis, niſi medijs minis, vt cauſa illius; cum igitur quis cognoſcit ſuas minas non timeri, ſed contemni (vt contingit in ijs, qui faciles ſunt ad loquendum, & minandum) cum illas adhibent non cenſentur per hoc velle extorquere voluntatem, niſi aliunde habeant talem intentionem; nam nec in ſe, nec in cauſa volut huiuſmodi extorſionem.

7 Vnde excuſantur illi à mortali, per hoc præcisè quòd minantur, qui non conſueuerunt minas implere, ſed potiùs ex quadam verboſitate illas adhibent; quia adhibentur potius ad oſtendendam diſplicentiam, aut etiam indignationem, ſi negetur quod petitur: quàm ad extorquendam voluntatem. Huiuſmodi enim minæ non inducunt verum metum, & iuſtum; vt inter alios notant Bart. & Alex. *in l. Metum. C. Quod met. cau.* & Pariſ. *conſil. 67. nu. 42. vol. 3.* & ideo quando adhibentur, non cenſentur adhiberi ad incutiendum metum; cum ex natura ſua ad ipſum non ordinentur. Omnis autem eligens media cenſetur velle tantùm illum finem, ad quem ipſa perducunt, niſi aliam intentionem expreſſam habeat.

An quando perſona Princeps ſuſcepit aliquem commendandum inferiori, poſſit perſiſtere, etiam ſi difficultates reperiat: ne propriæ auctoritati præiudicet.

Deciſio CXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Mos Principum in commendando.*
2 *Quando Princeps debeat deſiſtere à commendando.*
3 *Ex cauſa, ſola atteſtatione nota, quòd non poſſit fieri quod petitur, debet Princeps deſiſtere à commendatione.*
4 *Princeps reperiens notabilem reſiſtentiam tenetur deſiſtere à commendatione.*
5 *Quando commendatio Principis euadat violenta.*
6 *Quando inferior debeat cedere Superiori.*
7 *Princeps ſine præiudicio auctoritatis poteſt deſiſtere à comendatione, & quando.*
8 *Ad quæ iuſtè ſe extendat auctoritas Principis.*
9 *Peccatum commendantium.*

1 SOlent aliqui viri Principes, aut non ſuſcipere aliquem commendandum, aut ſi ſuſcipiunt, velle omnino obtinere quod in commendatione petunt: exiſtimantes quòd ſi non obtineant, non tanti fiant, quanti debent fieri; & quòd præiudicium patiantur in propria auctoritate.

2 Dico tamen primò. Debere deſiſtere à commendatione, quando reperiunt cauſas graues, ob quas quod petunt non expedit fieri; & ſi non deſiſtunt, peccant mortaliter. Quod clarè patet; quia quando adſunt huiuſmodi cauſæ graues: aut quod petitur iniuſtum eſt in ſeipſo: aut eſt notabiliter præiudiciale alicui communitati: ſi fiat, aut alicui perſonæ particulari: ſiue ſit is, cui fit commendatio, ſiue aliquis alius: quocumque modo res ſe habeat, ſemper quod petitur eſt obiectum peccati mortalis.

3 Atque hoc nedum verum eſt, quando cauſæ ob quas iniuſtum euadit quod petitur, claræ ſunt: ſed etiam quando ex ſola atteſtatione innoteſcunt. Cum enim dolus non præſumatur, niſi de ipſo conſtet, l. *Meritum ff. Pro ſocio.* & l. *Dolum C. de Dolo.* vbi Doctores præſertim Bar. & proinde qui ipſum allegat, tenetur probare; non eſt enim præſumendum quòd is, cui fit commendatio, alleget falſas cauſas, & velit decipere commendantem; & ideo cenſendum quòd verum dicat, & deſiſtendum à commendatione.

4 Secundò dico. Quòd ſi perſona Princeps commendans reperit notabilem renitentiam: ita vt is, cui commendat, cenſeatur cum triſtitia notabili facturus quod petitur, & inuitus: licet facturus tamen ob reuerentiam commendantis: tenetur commendans ſub mortali, ſi commendatio ſit in materia graui, deſiſtere à commendatione.

5 Ratio eſt, Quia etiam ſi quod petitur ſit conueniens, concurrentibus tamen huiuſmodi circumſtantijs, commendatio euadit notabiliter oneroſa ei, cui fit; imò non habet ampliùs rationem commendationis, ſed eſt vis quædam ad extorquendum quod petitur; ac proinde eſt contra iuſtitiam, quæ præcipit, quòd vnicuique ſeruetur quod ſuum eſt; atq;

adeo etiam libertas diſponendi eorum, quæ habet ſub propria poteſtate: & prohibet, quòd non extorqueatur violenter diſpoſitio.

6 Dices. Cum tali poteſtate diſponendi concurrit auctoritas perſonæ Principis commendantis; Ergo cum ſimus in caſu, in quo aut vna, aut altera debet cedere, recta ratio exigit vt cedat poteſtas diſponendi, tanquam ea, quæ minùs debet æſtimari. Reſp. Tunc quod eſt minoris pretij debere cedere, quando quod eſt maioris pretij periclidatur, aut iniuſtè, aut ex aliqua extrinſeca neceſſitate, cui ſubueniendum ſit ab eo, qui poſſidet id, quod eſt minoris pretij; ſecus autem ſi quod eſt maioris pretij periclitetur ex iniuſta voluntate poſſidentis; quia tunc ſibi debet imputare; nec tenetur alter cum proprio damno ſubuenire. In caſu autem noſtro auctoritas perſonæ principis periclitatur ex iniuſta voluntate ipſius: qualis eſt voluntas oſtentandi auctoritatem in eo, quòd commendatio propria efficax ſemper ſit, etiam ſi id contingat cum alterius præiudicio.

7 Deinde. Falſum eſt quòd ipſius auctoritas præiudicium patiatur; quia quamuis ſuſceperit aliquem commendandum, & inſuper promiſerit ſe obtenturum quod petit: adhuc poteſt in prædictis caſibus à commendatione deſiſtere; quia ſemper præſumitur quòd prudenter ſuſcepta ſit commendatio, & facta promiſſio: atque adeo vt executioni mandanda ſecùndum regulas prudentiæ, quæ non patiuntur aliquam operationem exerceri, quæ quocumque modo contrarietur virtuti: vt eſſet commendatio vrgens in prædictis caſibus.

8 Et quia auctoritas debet regulari ſecùndum regulas prudentiæ (alioquin non eſſet auctoritas, ſed violentia) ideo ex natura ſua non extenditur niſi ad id, quod eſt ſecùndum regulas eiuſdem prudentiæ; & ideo, ſi non obtineatur quod non eſt ſecùndum tales regulas, non patitur præiudicium vera auctoritas, & quæ æſtimanda eſt: ſed palliata auctoritas, quæ reuera tyrannica violentia eſt.

9 Ex his colligitur grauiter eos peccare, qui volunt commendationibus proprijs omnea ſubijcere caput: nec contra ipſas replicare. Non ſolùm enim ſe exponunt periculo inducendi ad res illicitas, quales poſſunt eſſe quæ in commendatione petuntur (quamuis non appareant tales commendanti, ſed apparerent, ſi audiret quæ ſibi poſſent replicari) Sed etiam iniquè ſe gerunt: quia volunt eſſe domini alienæ voluntatis, cum tamen non ſint; cuius dominium violentò ſibi vſurpant: non ſecus ac iniquè ſe gereret, ſi quis de re aliena diſponeret, renitente domino.

De Epiſcoporum Regularium bonis.

An Epiſcopus Regularis translatus de vna ad aliam Eccleſiam poſſit ſecum deferre bona acquiſita proprio, & peculiari titulo.

Deciſio CXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus Regularis non poteſt ſecum deferre ad aliam Eccleſiam bona in priori acquiſita ſecùndum aliquos.*
2 *Cur non poſſit.*
3 *Admiſſo ad Monaſterium vel Eccleſiam, ſi recedat, debent reſtitui bona, quæ ſecum detulit.*
4 *Bona patrimonialia ſequuntur perſonam.*
5 *Suarez dubius an Epiſcopus Regularis poſſit ſecum ferre ad aliam Eccleſiam bona acquiſita.*
6 *Epiſcopus Regularis poteſt ſecũ ad aliam Eccleſiam deferre bona proprio titulo acquiſita.*
7 *Quod nam ius proprium conueniat Epiſcopo Regulari.*
8 *Habet ius proprium adminiſtrandi bona acquiſita.*
9 *Quomodo hoc ius illi conueniat.*
10 *Quomodo Epiſcopus Regularis acquirat Eccleſiæ.*
11 *Epiſcopus non poteſt diſponere de acquiſitis nomine Eccleſiæ.*
12 *In quo differat Epiſcopus Regularis à puro Regulari.*
13 *Ius, quod habet Epiſcopus Regularis circa bona proprio titulo acquiſita, ſequitur perſonam.*
14 *Quomodo Epiſcopo mutare Eccleſiam ſit quoddam mori.*

1 QVæ in his Deciſionibus dicturi ſumus, intelligenda ſunt, ſuppoſito quòd in Epiſcopis Regularibus non eſſet votum paupertatis; nam ſi ceſſat, eadem eſt ratio de ipſis, ac de cœteris Epiſcopis. Negatiuè igitur Reſp. Bellet. *par. 1. Diſquiſit. Cleric. Tit. De bonis Cleric.* §. 8. *num.* 5. *in fine* citans Barbat. *conſil.* 20. *volum.* 3. & Speculum *de ſtatu Monach. num.* 29. Et videtur de ſum. ex Cap. *ſtatutum* 18. *quæſ.* 1. vbi habetur de Regulari conſecrato in Epiſcopum *Poſtquam enim Epiſcopus ordinatur, ad altare, ad quod ſanctificatur, & titulatur, ſecundum Sacros Canones, quod acquirere poterit, reſtituat.* & Cap. *Cum olim* 2. *De priuileg.* vbi Monaſterium Sanctæ Crucis cogitur reſtituere Eccleſiæ certam ſummam pecuniæ.

pecuniæ, quam acceperat ab Epiſcopo aſſumpto ex eodem Monaſterio; eo quòd iam promotus eſſet ad Epiſcopatum quando eam acquiſiuit.

a Ratio autem eſt, Quia cum non habeat proprium dominium, quicquid acquirit, ſuæ Eccleſiæ acquirit: & ſicut quod acquirit exiſtens intra Religionem non poteſt ſecum deferre, ſi ad aliam Religionem tranſeat, aut aſſumatur ad Epiſcopatum: ita nec dum ab vna ad aliam Eccleſiam transfertur. Deinde, Eſt tantùm adminiſtrator horum bonorum: & adminiſtratio tantùm conuenit ratione prælationis. Ergo ſi deponit prælationem, amittit etiam adminiſtrationem: atque adeo non poteſt vt adminiſtrator ſecum deferre illa bona. Tertiò, Mutare Eccleſiam idem eſt ac mori eidem Eccleſiæ. Cap. *In apibus* §. *Ecce* 7. *quæſ.* 1. Cap *Si Epiſcopus De ſuppl. negot. Prælat. in* 6. Clement. 1. *Vt lite pendente*; ſuccedente autem morte, quæ acquiſiuit Epiſcopus remanent Eccleſiæ. Cap. *Quia ſæpe De elect. in* 6. & Cap *fin. De officio ordinar. item in* 6.

3 Suarez autem *tom. 4. de Relig. lib. 3. De Religios. mutant. ſtatum cap.* 16. *num.* 25. docet probabile eſſe quòd poſſit huiuſmodi bona ſecum transferre: ducto argumento ex Cap. *Ex tranſmiſſa de Renunc.* Et ex Cap. *Quod ad te de Clericis coniugatis*. Verùm hi textus nihil iuuant hanc ſententiam; Quia vtrobique agitur de eo, qui in Eccleſiam vel Monaſterium admiſſus adfert ſecum aliqua bona, quæ debent reſtitui, ſi à Monaſterio, vel Eccleſia recedat: quia, vt notat Gloſ. cenſeatur ad inſtar dotis, & ea conditione implicita donata, ſi ibi perſeuerauerit.

4 Deinde probat: Quia bona patrimonialia, vt docet etiam Panor. *in citat. Cap. Quod ad te de Clericis Coniug.* citans *l.* 1. *ff. de Collegijs illicitis:* ſequuntur perſonam, & per ſe non pertinent ad Eccleſiam, ſed per accidens: ratione conditionis talis Perſonæ. Vnde ſequuntur perſonam ad quamcumque Eccleſiam transferatur. Verùm neque hoc valet: Quia ſequuntur perſonam iuxta ipſius capacitatem: & ſi Epiſcopus Regularis non habet proprium dominium, ſed transfertur in Eccleſiam; per ſe talia bona pertinent ad Eccleſiam; quia pertinent ratione dominij, quod à perſona ad Eccleſiam translatum eſt.

5 Ideo *num.* 27. reuocat in dubium quod antea dixerat; & concludit non adeſſe ſufficiens fundamentum, ob quod dicendum ſit poſſe Epiſcopum ſecum talia bona transferre; niſi ipſis indigeat ad ſui ſobſtentationem.

6 Nihilominus hanc ſententiam tenendam exiſtimo; Vt videlicet Epiſcopus Regularis poſſit de vna ad aliam Eccleſiam ſecū transferre ea bona, quæ non titulo Eccleſiæ, ſed proprio, & peculiari acquiſiuit.

7 Quod ex eo conuincitur, Quia Epiſcopo Regulari cõuenit aliquod ius proprium: & eſt ius adminiſtrandi Epiſcopatum, conferendi beneficia, & alia huiuſmodi præſtandi; huic autem iuri eſt etiam annexum ius adminiſtrandi bona temporalia Epiſcopatus, & ea diſtribuendi ad beneplacitum, in vſus tamen honeſtos: neque poteſt iuſtè à Pontifice priuari hoc iure; vnde quò ad hoc efficitur iuris proprij.

8 Stante autem quòd ſit iuris proprij quò ad adminiſtrationem, & vſum bonorum temporalium; extenditur hoc ius ad omnia illa bona, quæ quocumque modo, & titulo Epiſcopo obueniunt; & ideo reſpectu omnium, quæ acquirit, ſiue mobilium, ſiue immobilium, habet ius proprium vſus, & adminiſtrationis; atq; adeo quæ proprio, & ſpeciali titulo acquirit, poteſt ſibi retinere quo ad vſum, & adminiſtrationem; quia cum ſit capax talis iuris; non tranſeunt in ius Eccleſiæ, ſed ſequuntur perſonam. Et ſicut talia bona, ſi acquirantur ab Epiſcopo ſæculari tranſeunt abſolutè in ius ipſius proprium; vnde poteſt de ipſis etiam teſtari, vt communiter notant in Cap. 1. *de Teſtam.* non alia ratione, niſi quia eſt capax dominij; ita cum Epiſcopus Regularis ſit capax iuris adminiſtratiui, fiunt talia bona de iure ipſius perſonali quò ad adminiſtrationem: Et proinde in citato Cap. *Statutum* 18. *quæſ* 1. de monacho electo in Epiſcopum dicitur: *Velut legitimus hæres paternam ſibi hæreditatem poſtea iure vendicandi poteſtatem habeat*. Si ergo ſibi vendicat, acquirit aliquod ius ſupra ipſam.

9 Quòd ſi obijcias. Hoc ius illi competere ratione Eccleſiæ, & proinde eſſe ius Eccleſiæ: quia cum ſit Regularis, non poteſt habere aliquid proprium: Vnde Gloſ. in cit. Cap. *Statutum* Ly *Sibi* explicat, quòd idem ſit, ac *Eccleſiæ*. Reſp. Eſto non poſſit habere aliquid proprium quò ad dominium; poteſt tamen habere aliquid proprium quò ad adminiſtrationem; & ideo talia bona fiunt de iure proprio in ordine ad adminiſtrationem. Cum autem dicitur quòd hoc ius illi competit ratione Eccleſiæ; non eſt ſenſus, quòd illi competat tanquam ius Eccleſiæ; ſed ex eo, quod eſt perſona Eccleſiaſtica, & ſit capax talis iuris: & illi conuenit tanquam proprium, & perſonale in ordine ad bona, quæ acquirit. Hinc interpretatio Gloſſæ ad ſummum habet locum in ordine ad dominium.

10 Hinc Ad tex. ex Cap. *Statutum, num.* 1. allatum dicitur, Quòd ad ſummum inde colligitur quòd tranſeant hæc bona ad Eccleſiam quò ad dominium; nam dicit, quòd Monachus Epiſcopus acquirit poteſtatem ſibi vendicandi paternam hæreditatem: allata autem verba ſolùm dicunt quòd debeat reſtituere

altari, cui titulatur, quod poteſt acquirere. Si ergo, debet reſtituere, ſupponitur quòd prius ad ſe tranſtulerit. Niſi fortè ſenſus ſit; quòd ſicut dum erat Monachus acquirebat Monaſterio, ita, dum ſit Epiſcopus, hoc ius, quod habebat Monaſterium, reſtituitur ipſi intuitu altaris, ad quod titulatur.

11 Alter verò tex. ex Cap. *Cum olim* 2. *de Priuil.* ſi aliquid probaret, conuinceret quòd Epiſcopus Regularis neque vt adminiſtrator poſſet aliquid donare, etiam titulo eleemoſynæ. Vnde dicendum eſt, Quòd Monaſterium illud cogitur reſtituere illam ſummam pecuniæ: quia Epiſcopus illam acquiſierat nomine Eccleſiæ; & ideo non poterat eam ab Eccleſia alienare. Adde quòd ea non fuit ſententia Pontificis, ſed aliorum iudicum; & ſolùm Pontifex eam reaſſumit vt in ſupplici libello ſibi expoſitam, nec circa ipſam aliquid decernit; & proinde non facit ius.

12 Ad 1. Rationem, Eſto nullum habeat dominium; habet tamen ius proprium adminiſtrandi; & ideo quæ acquirit, cedunt in proprium ius ſaltem quo ad adminiſtrationem. Nec eſt eadem ratio de Regulari: quia hic non habet tale ius proprium adminiſtrandi.

13 Ad 2. Licet habeat tantùm ius adminiſtrandi; quia tamen hoc ius acquirit ratione propriæ perſonæ, non ratione Eccleſiæ, ideo ſequitur perſonam; prælatio enim non dat talia bona, neque tale ius: ſed tantùm facit, vt ſit capax: ius verò aliunde venit; & ideo licet dimittat talem prælationem, non dimittit tale ius, ſed vt proprium perſonale retinet: & ſolùm dimittit ius, quod illi conueniebat in ordine ad bona talis Eccleſiæ.

14 Ad 3. Mutare Eccleſiam idem eſſe, ac mori eidem Eccleſiæ, quò ad propria illius Eccleſiæ; & ideo omnia propria ipſius ad eam reuertuntur; non autem quò ad ea, quæ ſunt iuris perſonalis Epiſcopi; quale eſt ius adminiſtrandi bona, quæ proprio titulo acquiſiuit. Cap. autem *Quia ſæpe.* & Cap. *Fin.* ſolùm decernunt quòd, moriente Epiſcopo, conſeruentur Eccleſiæ, quæ iam ſunt eiuſdem Eccleſiæ: ita vt non diſtrahantur: vnde non decernunt quòd aliqua fiant Eccleſiæ: ſed quòd, quæ ſupponuntur eſſe ipſius, debeant conſeruari.

An Epiſcopus Regularis tranſiens ad aliam Eccleſiam poſſit ſecum deferre bona acquiſita ex redditibus prioris Eccleſiæ.

Deciſio CXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus Regularis non poteſt ad aliam Eccleſiam ſecum deferre acquiſita ex redditibus prioris Eccleſiæ, ſecùndum aliquos.*
2 *Acquiſita ex fructibus Eccleſiæ ſunt Eccleſiæ ſecùndum eoſdem.*
3 *Epiſcopus Regularis poteſt ad aliam Eccleſiam aſportare acquiſita ex fructibus prioris Eccleſiæ.*
4 *Acquiſita ex fructibus Eccleſiæ non ſunt Eccleſiæ, ſed Cameræ Apoſtolicæ.*
5 *Fructus Epiſcopatus ad quem vſum ordinentur.*
6 *Vbi non ſunt ſpolia adhuc Epiſcopi Regulares ſibi vindicant bona acquiſita ex fructibus.*
7 *Epiſcopus facit fructus ſuos ratione ſeruitij exhibiti.*
8 *Ius Monaſterij, quod habet ratione Monachi, ceſſat, ſi Monachus fiat Epiſcopus.*
9 *Acquiſita ex fructibus Eccleſiæ cuius ſint.*
10 *Epiſcopus Regularis poteſt ſemper diſponere de acquiſitis ex fructibus Eccleſiæ.*
11 *Epiſcopus Regularis non præiudicat Eccleſiæ ſi ſecum aſportet acquiſita ex fructibus.*
12 *Quæ res Eccleſiæ non debeant minui, aut perire ex tranſitu Epiſcopi ad aliam Eccleſiam.*
13 *Quomodo translatus ad aliam Eccleſiam nihil debeat habere commune cum priori.*

1 NEgatiuam ſententiam tradunt Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 3. de Religioſ. mutan. ſtatum cap. 16. num. 24.* Bellet. *in Diſquiſit. Clerical. tit. de Bonis Clericor.* §. 8. *num. 7.* citans Barbat. *conſil. 20. num. 11. ver. Et vidi hoc anno. vol. 3.* aientem ſe id conſuluiſſe, & tale conſilium fuiſſe confirmatum per Doctores ſolemnes: Præterea Paulus *conſil. 337. nu. 8. lib. 1.* Alciat. *reſp. 1. num. 49. lib. 1.* Sarmient. *par. 2. de Reddit. cap. 4. in fine,* Barboſa *in l. Diuortio num. 52. ff. Soluto matrimonio.* alter Barboſa *de Officio, & Poteſt. Epiſcopi par. 3. allegat. 114. num. 16.*

2 Mouentur, quia cum ſint talia bona acquiſita ex fructibus Eccleſiæ, ſunt eiuſdem Eccleſiæ ex intrinſeco titulo; & Epiſcopo conceditur tantùm vſus, & adminiſtratio; vnde debent relinqui eidem Eccleſiæ eo ipſo, quòd dimittitur Epiſcopatus, tanquam propria illius. Præterea ſi eſſet quantitas magna pecuniæ vel aliarum rerum, quæ vſu conſumuntur,

tur, poſſet ea ſecum deſerre, & in ſuum vſum conſumere; quod eſſer in magnum præiudicium Eccleſiæ; quod non debet operari rranſlatio ad aliam Eccleſiam: quia Principis conceſſio non continet præiudicium rerrij in dubio: Cap. *Super eo de Offic. Deleg.* & l. 2. *ff. Ne quid in loco publico*.

3 At hanc ſententiam nimis tigoroſam exiſtimo; & praxis Prælatorum timoraræ conſcientiæ eſt in contrarium; vnde cenſeo, poſſe ſecum aſportare omnia illa bona, quæ acqniſiuit ex fructibus ſuæ Eccleſiæ. Quod eriam ſentiunt Calderin. *de Reb. Eccleſ. conſ.* 12. Pauin. *de Poteſt. Capit. par.* 2. *quæſ.* 8. *nu.* 28. *ver. Et adde*. Vbaldens. *par.* 2. *de Succeſ. ab inteſt.* §. *Furta num.* 11.

4 Moueor, quia in morte Epiſcopi Camera Apoſtolica facit ſpolium, vindicando ſibi omnia bona, quæ poſſidebat; ergo ralia bona non ſunt Eccleſiæ illius parricularis, cui præſidet Epiſcopus; ſed perſonæ Eccleſiaſticæ; quæ ſicuti non ſubijeitur illi Eccleſiæ particulari, ſed tanrùm vniuerſali; ita eriam bona ipſius ad Eccleſiam particularem non pertinent, ſed ad vniuerſalem; & proinde poteſt ſecum illa aſportare.

5 Confir. Fructus Eccleſiæ non ordinantur ad augenda bona ipſius, ſed ad ſubſtentationem Epiſcopi; & quæ ſuperſunt ſubſunt liberæ adminiſtrationi ipſius; ergo quæ acquirit ex his fructibus, non pertinent ad Eccleſiam; quia ab Eccleſia tranſeunt ad Epiſcopum; & cum Epiſcopus non ſubijciatur illi Eccleſiæ, ſed Pontifici: non poſſunt reuerti ad Eccleſiam, ſed pertinent ad Pontificem. Quia in tantùm deberent reuerti ad Eccleſiam, in quantùm Epiſcopus Regularis non poreſt ſibi acquirere. Sed ex hoc capite non reuertuntur; quia votum paupertaris, quod facit, vt ſibi non poſſit acquirere, facit vt acquirat illi, in quem tranſtulit ius ſuum, atq; adeo Superiori; quia vouetur Deo paupertas in manibus Prælati Superioris. Superior autem Epiſcopi non eſt Eccleſia illa particularis, ſed Summus Pontifex.

6 Dices. Hoc valere tantùm, vbi fiunt Spolia, non aurem in cœteris locis. Reſp. Valere vniuerſaliter. Quia ſi alicubi non fiunt ſpolia, eſt ob compoſitionem aliquam, quæ interceſſit; per quam tamen non eſt derogatum ius Epiſcoporum Regularium retinendi ſibi bona acquiſira ex fructibus Eccleſiaſticis, & aſportandi ſecum ad alios Epiſcopatus; quia in virtute huius compoſitionis ceduntur rantùm ſpolia; & proinde ceſſio incipit habere vigorem ſolùm quando ſuccedir mors Epiſcopi. Deinde præciſis ſpolijs, adhuc vrger ratio, quòd ius Epiſcopi ſir traslatum in Superiorem ipſius, non in illam Eccleſiam, cui miniſtrat: vt modò dicebamus.

7 Præterea. Epiſcopus ratione ſeruitij, quod præſtat Eccleſiæ, facit ſuos fructus, quantùm poſſibile eſt; & ſi non poreſt facere quo ad dominium, facit ſaltem quò ad plenam, & liberam adminiſtrationem; & idcirco poreſt de ipſis diſponere ad libitum ranquam ſalrem adminiſtrator, & applicare ijs vſibus, quos cenſuerit honeſtos. ergo ratione plenæ, & liberæ adminiſtrationis poteſt quæ acquirit ex fructibus ſuæ Eccleſiæ, ſiue ſit pecunia, ſiue aliquid aliud, ea ſibi applicare in vſum proprium vſque ad mortem: non ſecus ac poſſet applicare alteri · non ſolùm quò ad vſum, ſed etiam quò ad dominium: quia non eſt ipſe inferioris conditionis; & eſt capax talis vſus perpetui. Alioquin alij poſſent magis participare de fructibus ſuæ Eccleſiæ, quàm poſſet ipſe.

8 Objjcies ex Cap. *Statutum* 18. *quæſ.* 1. vbi decernitur quòd quicquid acquirere poteſt Epiſcopus ſit Eccleſiæ, cui intitulatur. Ergo non poteſt ſecum deferre quæ acquiſiuit ex fructibus Eccleſiæ, cum tranſit ad alium Epiſcopatum. Reſp. Ex hoc Cap. nihil concludi contra ea, quæ diximus. Quia ibi tanrùm intenditur declarare quòd quando Monachus eligitur in Epiſcopum, ceſſat Monaſterio ius ea acquirendi, quod illi ratione Monachi competebat: & tranſit ad Eccleſiam; & non intelligitur de ijs, quæ inſeruiunt Epiſcopo in proprios vſus: ſed de ijs, quæ non poſſunt ipſi inſeruire; nam ibi agitur de hæreditate paterna, & proinde nihil continet quod obſtet ijs, quæ diximus.

9 Ad primum in oppoſitum Reſp. Falſum eſſe, quòd ea, quæ acqnirit ex fructibus Eccleſiæ, ſint eiuſdem Eccleſiæ: cum ius ipſius non ſit tranſlatum in illam Eccleſiam, ſed in Summum Pontificem; ſed ſunt illius, cui ipſe ea applicat, & poteſt applicare ratione liberæ adminiſtrationis; poteſt autem ſuo perpetuo vſui ea applicare, vt vidimus.

10 Nec obſtat, Quòd Canones transferant in Eccleſiam titularem Epiſcopi ius eiuſdem Epiſcopi; quia ſicuti hoc non derogat iuri, quod habet vſus, & adminiſtrationis bonorum Eccleſiæ: ita nec facit, quòd ea, quæ acquirit ex fructibus Eccleſiæ, & in vſus proprios ſeponit, non ſequantur perſonam; quia hæc non tranſeunt in ius illius Eccleſiæ: & poreſt ſemper de ipſis diſponere tanquam de perſonalibus; eo ipſo autem, quòd ea ſecum aſportat ad alium Epiſcopatum, cenſetur diſponere: ſi tamen eſt neceſſaria alia diſpoſirio.

11 Ad 2. Conceditur Sequel. Neg. tamen hoc eſſe præiudiciale Eccleſiæ; qnia, cum non teneatur Epiſcopus augere bona Eccleſiæ ex fructibus eiuſdem Eccleſiæ: ſi, quæ acquiſiuit, ipſi non relinquat, ſed in alios vſus diſtribuat,

non violat aliquod ius Eccleſiæ: atque adeo nullum præiudicium infert.

12 Nec rectè affertur in contrarium tex. ex Cap. *Manifeſta* 12. *quæſ.* 1. vbi dicitur, quòd in tranſitu inopinato Epiſcopi ad aliam Eccleſiam, non debent res Eccleſiæ minui, aut perire; quia cum loquatur de rebus Eccleſiæ: intelligitur de ijs, quæ ſtant ſub titulo ipſius Eccleſiæ, & ipſi addicta ſunt; non de ijs, quæ ſtant ſub titulo perſonali Epiſcopi, & applicata ſunt vſibus ipſius; quia hæc non ſunt res Eccleſiæ, ſed Epiſcopi.

13 Nec item tex. *Si quis iam translatus* 21. *quæſ.* 2. vbi definitur, quòd translatus ad aliam Eccleſiam *Nihil habeat commune cum priori*. nam loquitur de communitate eorum, quæ pertinent ad adminiſtrationem, & negocia Eccleſiæ; quia cum Eccleſiæ ſint ſeparatæ, non debent inuicem commiſceri. Deinde ex eo, quòd Epiſcopus translatus ſecum deferat quę acquiſiuit ex redditibus Eccleſiæ, nihil habet commune cum priori Eccleſia; quia cum faciat fructus ſuos, & acquiſita applicet in proprios vſus, non ſunt bona prioris Eccleſiæ, ſed perſonalia; & ideo ſequuntur perſonam.

Ad quemnam ſpectent bona Epiſcoporum Regularium Titularium.

Deciſio CXXX.

SVMMARIVM.

1 *Bona Epiſcoporum Regularium Titularium ſecùndum aliquos pertinent ad Monaſterium.*
2 *Non poſſunt pertinere ad Monaſterium.*
3 *Pertinent ad Eccleſiam Titularem ſecùndum Suarez.*
4 *Non pertinent ad ipſum.*
5 *Pertinent ad Summum Pontificem.*
6 *Epiſcopus Regularis Titularis ſoli Pontifici ſubditur.*
7 *Bona Regularium morientium extra clauſtra ad quem pertineant.*

1 RESP: Sà *Verbo Religio num.* 52. Huiuſmodi bona ſpectare ad Monaſterium, etiam ſi talis Epiſcopus ſit confirmatus; quia nec ſedem habet, nec iuriſdictionem acquiſiuit. Hoc autem deſumpſit ex Soto *lib.* 10. *de Iuſt. & iure quæſ.* 5. *ar.* 7. *ad.* 3. & ex Rodriquez *tom.* 3. *Quæſt. Regul. quæſ.* 69. *ar.* 4. *in fine*. Sequitur Hieronym. Rodriquez *in Compend. Quæſt. Regul. reſol.* 60. *de Epiſcopis num.* 7. *in fine*, Portel. *in Dub. Reg. verbo Epiſcopus nu.* 6.

2 Verùm cum talis Epiſcopus ſit omnino exemptus à Religione, non ſecus ac cœteri, nec alium Superiorem agnoſcat præter Summum Pontificem: bona, quæ ad ipſum pertinent, non poſſunt pertinere ad Monaſterium; quia in tantùm pertinent, in quantum pertinet ius Monachi, & efficitur ius ipſius Monaſterij; in tantùm autẽ efficitur ius Monaſterij, in quantùm Monachus ſubijcitur Monaſterio, & eſt membrum illius; quod non conuenit Epiſcopo titulari: quia cum ſit abſolutus à iugo regularis obſeruantię, non communicat ampliùs cum communitate Religionis: atque adeo non eſt ampliùs membrum illius.

3 Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 3. *de Relig. mutant. ſtatum cap.* 17. *num.* 5. reſp. acquirere ſuæmet Eccleſ. titulari iuxta ius commune; quia tamen non poſſunt cum effectu ipſi applicari talia bona, in pia opera diſpenſanda ſunt: & hæc diſpenſatio eidem Epiſcopo eſt commiſſa.

4 At non ſoluit difficultatem; quia etiam in alijs Epiſcopis huiuſmodi bona commiſſa ſunt diſpenſationi ipſorúm; quamdiù viuunt; ſuccedente autem morte, quando non habet ampliùs locum diſpenſatio, adeſt difficultas cuiuſnam ſint. Deinde ſi ſolùm ſunt commiſſa Epiſcopo ſecùndum diſpenſationem, debent eſſe alicuius ſecùndum ius: & cum non poſſint Eccleſiæ titulari cum effectu applicari: iam talis Eccleſia non acquirit ius; præſertim, quia reuera non adeſt talis Eccleſia ſecùndum ſubſtantiam, ſed ſolùm ſecùndum titulum. Et ſi aliquando adeſt, habet alium Epiſcopum præſidentem, & Titularis eſt ſeparatus ab ipſa, non ſecus ac ſi ipſam dimiſiſſet. Vnde ſicuti ſecùndum perſonam eſt ſeparatus, ita etiam ſecùndum ius, & ſecùndum bona.

5 Itaque meliùs reſp. Azor. *tom.* 1. *Inſtit. Moral. lib.* 2. *cap.* 10. *quæſ.* 7. *in fine*, Sanchez *tom.* 2. *Sum. lib.* 7. *cap.* 32. *num.* 68. Fauſtus *lib.* 8. *Theſauri Relig. quæſ.* 45. *impreſſionis tertiæ Neapolitanæ*. Barboſa *par.* 3. *de Offic. & Poteſtate Epiſcopi allegat.* 114. *num.* 30. Franciſcus Lopez de Texeda *tom.* 1. *Contrauer. Moral. lib.* 2. *tract.* 2. *controuer.* 16. *dub.* 3. *num.* 27. Bona Regularium Epiſcoporum Titularium pertinere ad Pontificem. quod omnino tenendum eſt.

6 Ratio autem eſt, Quia ratione dignitatis Epiſcopalis remanet omnino à quocumque exemptus, & ſolùm Pontifici ſubijcitur; & quia bona ſequuntur conditionem perſonæ, ſequitur, quòd bona ipſius ſubijciantur Pontifici; quia ius quoque ipſius eidem Pontifici ſubijcitur.

7 Et confir. Bona ipſorum Regularium, qui adhuc ſubijciuntur Prælatis ſuæ Religionis, dum degunt extra clauſtra, etiam de licentia

ſuorum

Digitized by Google

ſuorum Superiorum, comprehenduntur nomine ſpoliorum, & pertinent ad Cameram Apoſtolicam: vt ſanciuit Gregor. XIII. *Conſtit.* 13. & 72. ergo à fortiori pertinent etiam bona Epiſcoporum Regularium Titularium: ob paritatem rationis; quamuis alioquin non pertinerent ex natura rei.

Ad quem pertineant bona Epiſcoporum Regularium, qui dimiſerunt Epiſcopatum, & ad nullum alium tranſlati ſunt.

Deciſio CXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Eadem ratio de Epiſcopo Regulari, qui dimiſit Epiſcopatum, quò ad acquiſita, ac de Titulari.*
2 *Bona Epiſcopi Regularis, qui dimiſit Epiſcopatum, pertinent ad Pontificem.*
3 *Etiam acquiſita poſt dimiſſum Epiſcopatum.*

1 RESolutionem huius difficultatis, apud neminem reperi. Exiſtimo tamen eſſe eamdem rationem de ipſo, ac de Titulari. Quia dimiſſo Epiſcopatu retinet tantùm dignitatem, & titulum.

2 Itaque exiſtimo, Bona ipſius pertinere ad Pontificem, ſeu Cameram Apoſtolicam. Cum enim ratione dignitatis Epiſcopalis remaneat exemptus ab obedientia Prælatorum Religionis, & immediatè ſubijciatur Pontifici; ius quoque ipſius eſt ſub dominio Pontificis: & pertinet ad ipſum, vt ad Superiorem immediatum.

3 Quod etiam verum eſt de ijs bonis, quæ acquiſiuit poſtquam dimiſit Epiſcopatum. Quia cum non habeat ius proprium, ſed tantùm ius ipſius ſit ſub dominio Pontificis: ideo quicquid fit de iure ipſius, fit etiam de iure Pontificis. An verò ſit eadem ratio de Abbatibus, qui dimiſſa Abbatia remanent extra clauſtra, vide ſupra. *Deciſ.* 37.

Quo tempore Regularis factus Epiſcopus deſinat acquirere Monaſterio.

Deciſio CXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Regularis factus Epiſcopus deſinit acquirere Monaſterio cum conſecratur, ſecùndum aliquos.*
2 *Secùndum aliòs, quando accipit corporalem poſſeſſionem Eccleſiæ.*
3 *Deſinit aquirere quando à Pontifice confirmatur.*
4 *Regularis per confirmationem eximitur à iure Monaſterij.*
5 *Quomodo confirmatio, & quomodo conſecratio faciant Epiſcopum.*
6 *Ante poſſeſſionem corporalem Eccleſiæ Epiſcopus eſt plenè Epiſcopus.*

1 PRima ſentent. docet, tunc ſolùm deſinere acquirere Monaſterio, quando conſecratur; quia per conſecrationem fit verus Epiſcopus, vt habet Gloſ. *cap.* 1. *verbo* Dedicanda *De Religioſis domib.* Et ita tenent Alciat. *Conſil.* 1. *num.* 22. *lib.* 1. Hoſtienſ. *Cap. cum olim.* 2. *num.* 10. *De Priuileg.* Anan. *cap. fin. num.* 8. *De Regul.* Portel. *in Dub. Regul. verbo Epiſcopus. num.* 12. Et fundantur in tex. cap. *Vnico* 18. *quæſ.* t. vbi eximitur à iugo regulæ is, quem ſacra ordinario de monacho Epiſcopum facit. Ergo cum ante conſecrationem non ſit exemptus, non deſinet acquire Monaſterio.

2 Secunda ſent. tunc ſolùm deſinere acquirere Monaſterio, quando accipit corporalem poſſeſſionem Eccleſiæ: vnde etiam ſi priùs ſit conſecratus, adhuc acquiret Monaſterio: ita tamen, vt ſi ante conſecrationem accipiat hanc poſſeſſionem, deſinat Monaſterio acquirere. Ita Gloſ. *fin. Cap. Ne pro cuiuslibet* 16. *quæſ.* 1. & 18. *quæſ.* t. *in ſum. in fin.* allegans Hug. Turrecrem. *ibid nu.* 2. Imola *Cap. Vt vnuſquiſq; num.* 2. *oppoſit.* 2. *De peoul. Cler.* Anchatan. *Cap. Cum Olim.* 2. *num.* 7. *De Priuil.* Tapia *Auctenth. Ingreſſi, verbo* Sua. *Cap.* 6. *num.* 83. *C. De Sacroſant. Eccleſ.* Beroius *quæſ.* 83. *num.* 1. Quia nimirum ante hanc poſſeſſionem non eſt plenè in Eccleſiam tranſlatus.

3 Tertia tamen ſententia probabilior eſt. Nimirum tunc deſinere acquirere Monaſterio, quando a Pontifice confirmatur Epiſcopus. Ita Rodriquez *tom.* 2. *Sum. cap.* 70. & in *Quæſ. Regul. tom.* 3. *quæſ.* 69. *ar.* 4. Sanchez *tom.* 2. *Sum. lib.* 7. *cap.* 32. *num.* 67. Fauſt. *lib.* 8. *Theſauri Religioſ. quæſ.* 46. *editionis tertiæ Neapolitanæ.* Barboſa *De off. & Poteſt. Epiſcopi par.* 3. *alleg.* 114. *num.* 29.

4 Et hoc efficaciter probatur; Quia eo ipſo quòd eximitur à iure Monaſterij, deſinit ipſi acquirere: cum tunc ius ipſius non ſit ampliùs ius Monaſterij; eximitur autem ſtatim ac poſt nominationem ad Epiſcopatum confirmatur à Pontifice; quia eximitur per id, quòd transfertur ad ſtatum Epiſcopalem; transfertur autem per confirmationem; cũ per ipſam verè conſtituatur Epiſcopus. Vnde accipit iuriſdictionem Epiſcopalem quò ad ea quæ

non

non ſupponunr characterem; & proinde poteſt illam exercere, & aſſumere poſſeſſionem corporalem Eccleſiæ, quamuis non ſit cõſecratus; quod non poſſet, niſi eſſet verè Epiſcopus.

5 Ad fundamentum primæ ſent. Dicẽdum eſt: quòd in illo tex. habetur *quem canonica electio à iugo Monaſticæ profeſſionis abſoluit*, quibus manifeſtum ſit, quòd per electionem, ſeu confirmationem eximitur à iure Monaſterij, & transfertur ad ſtatum Epiſcopalem; quod ſufficit: vt deſinat acquirere Monaſterio. Cum autem ſubditur. *Et ſacra ordinatio de Monacho Epiſcopum facit*. Si nomine ſacræ ordinationis intelligatur conſecratio, ſenſus eſt: quòd ipſa de Monacho faciat Epiſcopũ completiuè: non quia dat ſtatum, ſed quia complet ſtatum per poteſtatem Ordinis. Non eſt tamen neceſſarium huiuſmodi complementum vt deſinar acquirere Monaſterio; ſed ſufficit translatio ad ſtatum Epiſcopalem. Poteſt tamen nomine ſacræ ordinarionis intelligi inſtitutio diuina, quæ in electione Epiſcopi executioni mandarur.

6 Ad fundam. ſecundæ ſent. Reſp. ante poſſeſſionem corporalem Eccleſiæ Epiſcopum per confirmationem eſſe plenè translarum ad ſtatum Epiſcopalem: quamuis nõ ſit plenè translatus in ſuam Eccleſiam particularem; ſufficit autem translatio ad ſtatum: vt omnino eximatur à iure Monaſterij.

An Epiſcopus Regulatis nominatus, ſed nondum confirmatus, poſſit ad libitum diſponete de ijs, quæ acquirit intuitu Epiſcopatus, an verò pertineant ad Monaſterium.

Deciſio CXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Quæ Epiſcopus Regularis non confirmatus acquirit intuitu Epiſcopatus videntur pertinere ad Monaſterium.*

2 *Non pertinent, ſed poteſt de ipſis ad libitum diſponere.*

3 *Quomodo poſſit diſponere, cum nondum ſit exemptus à regula.*

4 *Poteſt diſponere circa vſum donationis.*

5 *An id locum habeat, ſi donans non declaret ſe donare intuitu Epiſcopatus.*

6 *Quando donatio cenſeatur facta intuitu Epiſcopatus.*

1 Videntur pertinere ad Monaſterium; Quia per nominationem ad Epiſcopatum non eximitur Regularis à iure Monaſterij; & ideo adhuc quicquid acquirit, Monaſterio acquirit.

2 Reſp. tamen, poſſe de ipſis ad libitum diſponere. Quia, cum non poſſit acquirere ante confirmationem, niſi in virtute alicuius donationis factæ intuitu Epiſcopatus (nam cum non ſit adhuc Epiſcopus, non poteſt acquirere quæ pertinent ad Eccleſiam Epiſcopalem) cenſerur talis donatio conditionara, ſeu alligata ex diſpoſitione donantis: ita vt tranſeat in eos vſus, quos ipſe Epiſcopus determinauerit; vnde non habet Monaſterium ius ad ipſam; & proinde nec debet tranſire in dominium ipſius.

3 Nec obſtat, quòd Epiſcopus nondum ſit exemptus à iure Monaſterij: & proinde non poſſir aquirere, niſi eidem Monaſterio; quia non acquirit ius aliquod, aut dominium: ſed qui donat, diſponit de ſuo: & Epiſcopus tantùm dererminat vſum donationis, iuxta facultatem ſibi factam à donante; vnde quicquid conuertit in proprios vſus, adhuc manet ſub dominio donantis, quouſque Epiſcopus nominatus poſſit ſibi ipſi acquirere: tunc enim tranſit in dominium ipſius.

4 Nec item obſtat, quòd neque poſſit Regularis diſponere circa vſus donationis abſque licentia ſui Superioris: cum hoc ſit quidam actus dominij. Nam præſumitur huiuſmodi licentia, tanquam ea, quæ non poſſet niſi irrationabiliter negari: præſertim ſi donatio ordinetur ad ſubueniendum Epiſcopo in ijs, quorum indiget in ordine ad Epiſcopatum.

5 Atque hæc non ſolùm locum habent, quando donans declarat talem eſſe ſuam voluntatem: ſed etiam ſi nulla fiat declaratio: dummodò donatio fiat intuitu Epiſcopatus; quia hoc ſufficit, vt habeatur voluntas interpretatiua donantis.

6 Tunc autem donatio cenſetur facta intuitu Epiſcopatus, quando aut res, quæ donantur, ſunt propriæ dignitatis Epiſcopalis: aut quando excedunt vſus conſuetos Regularium: aut ſi ſunt communes, ita vt poſſint inſeruire etiam pro vſibus Monaſterij, adſunt tamen probabiles coniecturæ quòd donatio non fiat intuitu Monaſterij, aut perſonæ quia Regularis ſit: ſed quia ad Epiſcopatum nominatus ſit: ita vt non fieret, ſi ad Epiſcopatum non eſſet nominatus.

De Epiſcoporum Regularium Priuilegijs.

An Epiſcopi Regulares gaudeant adhuc priuilegijs ſuæ Religionis.

Deciſio CXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopi Regulares non gaudent priuilegijs ſuæ Religionis ſecùndum aliquos.*
2 *Decretum Sixti IV. quòd Epiſcopi Regulares non gaudeant priuilegij Religionis.*
3 *Quos afficiat dictum decretum, & de quibus priuilegijs procedat.*
4 *Priuilegia Regularium ſuat conceſſa intuitu Religionis.*
5 *Priuilegia Regularium quædam conceſſa communitati; quædam ſingulis perſonis.*
6 *Epiſcopi Regulares non gaudent priuilegijs Religionis conceſſis communicati.*
7 *Gaudent autem conceſſis ſingulis perſonis.*
8 *Epiſcopi Regulares retinent ius acquiſitum ad priuilegia.*
9 *An priuilegia Regularium ſint realia, an perſonalia.*
10 *Quando ceſſet priuilegium ex ſeparatione rei, ob quam perſona gaudet priuilegio.*
11 *Priuilegia Regularium ſingulis conceſſa ſequuntur naturam priuilegij perſonalis.*
12 *Quomodo priuilegia Regularium ſint conceſſa intuitu Religionis.*
13 *Quando ceſſante cauſa ceſſet priuilegium.*

1 NEgatiuè Reſpondet Rodeiquez *in Regular. quæſ. tom. 2° quæſ.* 58. *ar.* 4. citans Mandos. *de Priuileg. Gloſ.* 3. *num.* 11. Quos ſequitur Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 6. *num.* 33. Portel. *in Dub. Regular. verbo Epiſcopus nu.* 15. Fauſtus *lib.* 6. *Theſauri Religio: quæſ.* 177. *edit. Neap.* Peregrin. *in Commentar. ad Conſtit. Cler. Reg. Theatin. par.* 3. *cap.* 9. *litter. T.* §. 4. Lauret. de Franch. *in Controuer. inter Epiſcop. & Regul. quæſ.* 116. Alzed. *lib.* 1. *De præcel. Epiſcop. dignitatis cap.* 3. *num.* 39. Hieronym. Rodeiquez *in Compend. quæſ. Regul. Reſol.* 60. *de Epiſcop. num.* 5.

2 Afferet etiam Rodeiquez decretum Sixti IV. *Quòd ſi aliqui Fratres Minores, aut Prædicatores obtinuerint habilitationem ad habenda beneficia Eccleſiaſtica, & quòd interim, vel poſtquam ea habuerint, valeant reſidere in domibus dicti Ordinis, & ibidem Cameras, ac vocem actiuam, & paſſiuam in Capitulis Generalibus habere; & priuilegijs dictorum Fratrum, & Ordinum gaudere: quòd iſti tales, poſtquam aliquod beneficium pacificè adepti fuerint, aut pro Capellanis in aliquibus Eccleſijs deſeruire cœperint, conceſſionibus prædictis nequeant gaudere, aut alijs conſimilibus Ordinem concernentibus, niſi de Prælatorum conſenſu.*

3 Verùm huiuſmodi decretum non afficit omnes Regulares, ſed tantùm Minores, & Prædicatores: nec ad alios extendendum eſt, cum ſimus in odioſis. Deinde loquitur tantùm de priuilegijs, quæ ipſa Religio concedere ſolet ſuis ſubditis; non autem de priuilegijs conceſſis Religioni à Summis Pontificibus. Quod non ſolùm patet ex priuilegijs exemplificatis; ſed etiam quia ait Pontifex, quòd poſſint ipſis gaudere de conſenſu Prælatorum; & proinde loquitur de priuilegijs, quæ poſſunt, à Prælatis concedi, & communicari: qualia non ſunt priuilegia Pontificia. Quod etiam conſtat ex eo, quòd Pontifex hoc decernit, ne inferant grauamen Ordini.

4 Solùm facit pro hac ſententia: Quòd priuilegia Pontificia conceduntur intuitu Religionis: & ideo cum Epiſcopus recedat à Religione, non communicat ampliùs in priuilegijs ipſius; quia ceſſante cauſa debet etiam ceſſare priuilegium; argumento ex l. *Tria* §. *Vſuras ff. De legatis*. Gloſ. *in Cap. Ita Deus, verbo Ceſſauerit* 25. *quæſ.* 2.

5 Diſtinguendum igitur eſt cum Suarez *tom.* 4. *De Relig. lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 2. de priuilegijs. Aliqua enim ſunt conceſſa communitati Religionis, vt communitas eſt: ita vt non poſſint habere ſuum effectum, niſi in ipſa communitate: quia non ſunt pro ſingularibus perſonis, ſed tantùm pro corpore Religionis; vt eſt priuilegium: Quòd incurrant excommunicationem reſeruatam Summo Pontifici impedientes ingreſſum in Religionem: quod aliquibus Regularibus conceſſum eſt. Alia vero ſunt priuilegia ſingulis perſonis communitatis conceſſa, quæ in omnibus, & ſingulis poſſunt habere ſuum effectum.

6 Si igitur loquamur de priuilegijs prioris generis, Epiſcopi Regulares non poſſunt ijs gaudere. Quia cum non poſſint in ipſis habere ſuum effectum, nec etiam ſunt capaces talium priuilegiorum. Deinde non ſunt priuilegia ſingularium perſonarum, ſed ſolùm totius communitatis Regularis: quæ non ſeruatur in Epiſcopo nec etiam repræſentatiuè; & ideo non extenduntur ad ipſum vt ſingularem perſonam.

7 At priuilegia poſterioris generis, quia ſunt omnibus, & ſingulis conceſſa, conferunt ius proprium perſonale omnibus & ſingulis: ita vt ius vnius non ſit dependens à iure alterius, & quilibet faciat ſibi proprium priuilegium, & ius ad ipſum.

8 Et quia ius perſonale ſequitur perſonam

ideo

ideo Regulares, qui iam fecerunt priuilegium ſibi proprium, & acquiſiuerunt ius ad ipſum: cum ad Epiſcopatum promouentur retinent hoc ipſum ius ad priuilegia, tanquam ius perſonale acquiſitum. Quam ſententiam tenet etiam Villalobos *tom. 2. Sum. Tract. 35. difficul. 40. num. 22.*

9 Dices, Huiuſmodi priuilegia eſſe realia: & proinde non ſequi perſonam, ſed ipſam rem: ſeu ſolùm perſonam, quatenus communicat cum re priuilegiata: vnde non extendi ad Regulares iam Epiſcopos: quia non communicant ampliùs cum Religione, quæ eſt res priuilegiata. Reſp. hæc priuilegia non eſſe realia; quia ſint in fauorem rei: nam ſunt immediatè in fauorem perſonæ; & proinde ſingulis immediatè conceduntur; ſed ſolùm ſunt realia, quia conceduntur ratione rei; conceduntur enim omnibus membris communitatis, ratione communitatis; ſunt tamen in fauorem perſonæ, & ipſi dant ius proprium, & perſonale. Vnde non eſt ius rei, ſed perſonæ: & hoc ius tanquam perſonale ad priuilegium reale ſequitur perſonam. Hinc hæc priuilegia non ſunt conceſſa rei, ſed certo generi perſonarum; & proinde in hoc imitantur perſonalia, quòd ſint annexa perſonæ, non rei.

10 Et ſi rurſus dicas, Quòd ſeparata re, ratione cuius conceditur priuilegium, à perſona, non gaudet ampliùs perſona priuilegio, vnde perſona, quæ non eſt amplius miſerabilis, non gaudet ampliùs priuilegijs miſerabilium perſonarum. Reſp. id eſſe verum quando priuilegium eſt in fauorem ſtatus, quem habet perſona ratione rei: vt ſunt priuilegia miſerabilium perſonarum, quæ ſunt ad ſubleuandum ipſarum ſtatum: ſecus autem quando priuilegia ſunt in purum fauorem perſonæ, & reſpiciunt rem vel vt conditionem, vel vt motiuum ad fauendum perſonæ; & præſertim ſi priuilegium ſit veluti remuneratiuum intuitu rei:

11 Priuilegia autem Regularium omnibus, & ſingulis conceſſa ſunt huiuſmodi; quia licet realia ſint: quatenus tamen ſpecialiter vnicuique applicantur, & ad ipſum diriguntur, ſequuntur conditionem priuilegij perſonalis: & res, nempe Religio, cuius intuitu conceduntur, ſe habet vt motiuum ad fauendum perſonæ: fauor autem ſemel conceſſus alicui & factus de iure ipſius, non ceſſat, quamuis ceſſet motiuum.

12 Ad id, quòd affertur *num.* 4. pro oppoſita ſententia, quando dicitur, quòd priuilegia conceduntur intuitu Religionis: Reſpond. ſtatum Religionis eſſe motiuum concedendi priuilegia: quia tamen Regulares ſinguli acquirunt ius perſonale ad priuilegium, ideo quamuis ceſſet motiuum, ratione iuris acquiſiti durat priuilegium, vt iam dictum eſt. Quia motiuum concedendi non debet ſemper durare durante re conceſſa.

13 Cum additur, quòd ceſſante cauſa debet ceſſare priuilegium. Reſp. id eſſe verũ, quando priuilegium dependet in conſeruari à cauſa: quia ſcilicet illam continuò requirit, vt rationabile ſit: ita vt illa ceſſante euadat irrationabile. At non omnia priuilegia requirunt continuationem cauſæ: ſed ſufficit ſi adſit aliqua cauſa quando primò conceduntur: quando præſertim ſunt merè gratioſa. Deinde in Epiſcopis Regularibus non ceſſat cauſa, ſed commutatur in aliam maiorem; cauſa namq; cur Regularibus ſint conceſſa priuilegia eſt ſtatus Religionis, labores, quos ſubeunt, & ſeruitium, quòd præſtant Eccleſiæ; hæc autem habent locum multò magis in Epiſcopis Regularibus: cum ſubeant maiores labores, & pręſtent Eccleſiæ maius ſeruitium.

An Epiſcopi Regulares gaudeant priuilegijs Prælatorum ſuæ Religionis.

Deciſio CXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopi Regulares non gaudent priuilegijs Prælatorum ſuæ Religionis.*

2 *Etiam ſi quando aſſumuntur ad Epiſcopatum ſint Prælati Religionis.*

1 RESp. Negatiuè. Quia quamuis talia priuilegia ſint conceſſa certo generi perſonarum, vt ſunt Prælati Religionum: quia tamen non reſpiciunt perſonam, ſed dignitatem ſolam: ideo ſunt purè realia, & non ſubſiſtunt, niſi ſubſiſtente dignitate, quia ſunt priuilegia dignitatis; & ideo non poſſunt Epiſcopi Regulares ipſis gaudere.

2 Quod verum eſt, etiam ſi quando Regulares aſſumuntur ad Epiſcopatum, Prælaturam habeant in Religione; & tunc gaudeant priuilegijs Prælatorum; nam cum ſint priuilegia dignitatis, ea non faciunt ſua: & proinde non ſequuntur perſonam, ſed tantùm dignitatem, quæ cum extinguatur in ipſis, extinguuntur etiam priuilegia.

An

An Epiſcopi Regulares gaudeant priuilegijs ſuæ Religionis concernentibus forum conſcientiæ tam in ordine ad abſoluendum, quàm in ordine ad diſpenſandum, & commutandum.

Deciſio CXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopi Regulares videntur non gaudere priuilegijs concernentibus forum pœnitentia.*
2 *Cur priuilegia concernentia forum pœnitentiale ſint conceſſa Regularibus.*
3 *Epiſcopi Regulares non gaudent priuilegijs fori pœnit. conceſſis ſolis Prælatis.*
4 *Gaudent conceſſis omnibus, & ſingulis.*
5 *Cauſa, ob quam priuilegia fori pœnitentialis ſint conceſſa Regularibus, durat in Epiſcopis Regularibus.*
6 *Quando priuilegium requirens cauſam ſucceſſiuam ceſſet defectu cauſæ.*
7 *Priuilegia fori pœnitentialis ſunt conceſſa Regularibus independenter à duratione cauſæ.*
8 *Quid ſignificet particula* Omnes, & ſinguli.
9 *An priuilegia fori pœnitentialis conceſſa Regularibus ſint conditionata.*
10 *Priuilegia Regularium omnibus, & ſingulis conceſſa, ſunt ſimul realia, & perſonalia.*
11 *Sunt conceſſa in fauorem perſonæ, quæ ex Regularibus ſit Epiſcopus.*

1 Videdur negatiuè reſpondendum; Quia huiuſmodi priuilegia ſunt priuilegia Religionis; atq; adeo realia, & non perſonalia, vnde ſequuntur Religionē, non autē perſonam; & ideo cum Ediſcopus ceſſet eſſe membrum Religionis, ceſſar etiam communicare in bonis ipſius.

2 Præterea. Hæc prinilegia conceſſa ſunt in fauorem Religionis in eum finem, vt poſſit commodiùs ſaluti proximi incumbere: non autem in fauorem Epiſcoporum. Ergo non ſequuntur Regulares, quando fiunt Epiſcopi.

3 Cum diſtinctione procedendum eſt. Aliqua enim ex priuilegijs conceſſa ſunt ſolis Prælatis Regularibus; aliqua verò non ſolùm Prælatis, ſed omnibns, & ſingulis Confeſſarijs illius Religionis. Si loquamur de prioribus priuilegijs: Epiſcopi Regulares non gaudent ipſis, etiamſi eſſent Prælati Regularium, quando aſſumpti ſunt ad Epiſcopatum: aut vſi fuiſſent dictis priuilegijs ex delegatione Prælatorum. Cum enim talia priuilegia ſint conceſſa Prælatis, atque adeo intuitu dignitatis, ſunt omnino priuilegia realia, & ſequuntur dignitatem: atque adeo ceſſant, ceſſante dignitate, ex l. *Maximarum C. de Excuſat. mun.* vbi Bart. & l. *Semper ff. de Iure immunit.* vbi tamen Bart. & l. *Scrimarios C. de Teſt. milit.* Felin. *Cap. Clerici de Iudic.* Bal. *l. Inſtar C. de Iure Fis.*

4 Si verò loqnamur de priuilegijs, omnibus & ſiugulis conceſſis: Epiſcopi Regulares adhuc ipſis fruuntur. Vnde abſoluere poſſunt ab ijs omnibus reſeruatis, à quibus antea poterant, & diſpenſare, & commutare ſicut priùs: ita vt non amittant quicquam de facultate, quam antea obtinebant in foro pœnitentiali.

5 Ratio eſt, quia licet deſinant eſſe membra Religionis, adhuc tamen perſeuerat in ipſis cauſa principalis, propter quam priuilegia conceſſa ſunt. Nam principale motiuum fuit Eccleſiæ vtilitas, & animarum; cum ad hanc, tanquam ad finem ordinentur. Specialiter autem delecti ſunt Regulares, quibus concederentur hæc priuilegia, quia cenſenrur meliores adminiſtratores ſalutis animarum: tum ob ſcientiam, tum ob vitæ probitatem: & qui meliùs, quàm cœteri poſſint vti his priuilegijs. Hæc autem omnia adhuc perſeuerant in Epiſcopo; quia retinet eamdem habilitatem, ſcientiam, & vitæ probitatem: & durat finis vtilitatis animarum.

6 Quia autem tunc ſolùm ceſſat priuilegium requirens cauſam ſucceſſiuam continuatam, quando ceſſat cauſa, ex Cap. *Generaliter. 16. quæſ. 1.* & ex Cap. *Tua. de Cleric. non reſident.* & ex Cap. *Abbate in fin. de Verborum ſignificatione.* Imò etiam nec ceſſat quando ex pluribus cauſis aliqua durat, l. *Si ventri. l. In bonis ff. de Priuilegijs creditor.* vbi etiam Bart. & §. *Affinitatis Inſtit. de Nuptijs.* ideo dicta priuilegia durant in Epiſcopis.

7 Addo etiam, Huiuſmodi priuilegia eſſe abſoluta, & independentia à conditione durationis cauſæ, ob quam conceſſa ſunt; quia non conceduntur ſub illa conditione, quòd durer cauſa, ſicut conceduntur alia; vt ſumitur ex Cap. *Abbate de Verborum ſignificat.* & alias Epiſcopi acquiſierunt ius ſuper huiuſmodi pri
8 uilegia; quia conceſſa ſunt omnibus, atque ſingulis; & ipſis conueniunt nedum vt ſunt membra corporis Religionis, ſed etiam vt ſunr tales perſonæ ſingulares, non conſideratæ vt communicant in corpore Religionis; nam particula *Omnes* appellat Regulares cum collectione ad inuicem, atque adeo vt membra vnius corporis: particula verò *Singuli* appellat eoſdem vt ſingulares perſonas ſeorſim, atque adeo, vt non communicantes in corpore Religionis. Ex quo fit, quòd durent in Epiſcopis Regularibus: etiam ſi requirant ſtatum Religionis, vt incipiat ipſorum participatio.

9 Neque

9 Neque dicas, Quòd huiuſmodi priuilegia cenſentur conditionata: quia cum conceduntur intuitu Religionis, cenſentur concedi ſub conditione, quòd duret Religio in perſona priuilegiata. Nam hoc non poteſt dici. Quia talis conditio non exprimitur: & priuilegia abſoluta cenſenda ſunt, & non conditionata, quando conditio non exprimitur: imò oppoſitum indicat particula *Singulis*: quia indicat concedi vt ſeorſim à corpore Religionis, atque adeo independenter à conditione Religionis.

10 Ad primum. Reſp. Hæc priuilegia ita eſſe realia, vt ſimul etiam ſint perſonalia: quia conceduntur omnibus, & ſingulis: & ideo ſequuntur ſimul & Religionem, & perſonam.

11 Ad ſecùndum. Licet non ſint conceſſa in fauorem Epiſcoporum, ſunt tamen conceſſa in fauorem illius perſonæ, quæ fit Epiſcopus; & quia nouus fauor non præiudicat priori, niſi ſit cum ipſo incompoſſibilis: ideo Regularis, qui fit Epiſcopus, non debet priuari his priuilegijs, quia fiat Epiſcopus. Non ſolùm enim ſunt conceſſa in fauorem Religionis, ſed etiam perſonarum; quod ex eo patet, quia non omnes de illis participant, ſed ij ſolùm qui propria induſtria, & labore ſe habilitauerunt, vt exponerentur ad audiendas confeſſiones: vnde etiam intuitu perſonarum conceſſa ſunt.

An Regularis nondum expoſitus audiendis confeſſionibus, ſi fiat Epiſcopus, gaudeat dictis priuilegijs concernentibus forum conſcientiæ in ordine ad alios.

Deciſio CXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Regularis nondum expoſitus audiendis confeſſionibus non gaudet priuilegijs fori conſcientiæ, ſi fiat Epiſcopus.*
2 *Cur non gaudeat, licet fiat capax.*
3 *Quid ſi Regularis factus Epiſcopus ſit habilitatus ad audiendas confeſſiones, nondum tamen ſit approbatus ab Ordinario.*

1 Reſpondetur negatiuè; Quia quando fit Epiſcopus nondum acquiſiuit ius ad illa priuilegia, nec illa fecit ſua; cum enim conceduntur tantùm Regularibus in ordine ad confeſſionem ſacramentalem: & ſi in conceſſione non exprimatur quòd conceduntur ſolis confeſſarijs, ex natura rei ipſi ſolis cenſentur conceſſa; quia ſoli ſunt capaces vſus ipſorum; & quia non acquiritur ius, niſi quando adeſt capacitas actus, in quo ſundatur priuilegium: ideo Regulares non acquirunt ius ad ipſa niſi quando euadunt confeſſatij.

2 Nec obſtat, quòd Regularis factus Epiſcopus fiat capax priuilegij; quia cum non ſit ampliùs membrum Religionis, non eſt in eo ſtatu, nec cum illa conditione, quæ requiritur ex vi conceſſionis, ad participandum priuilegium, & ad acquirendum ius ſupra ipſum; nec poteſt acquirere ius ſupra bona Religionis.

3 Sed quid dicendum, ſi Regularis dum creatur Epiſcopus, ſit habilitatus à Religione ad audiendas confeſſiones, nondum tamen approbatus ſit ab Ordinario? Reſp. ad acquirendum ius ſuper huiuſmodi priuilegia ſufficere ſi ſit habilitatus à Religione; quia ſunt priuilegia conceſſa confeſſarijs talis Religionis: & ideo ſufficit, ſi deſtinati ſint confeſſarij ab ipſa Religione: quia per hoc conſtituuntur illæ perſonæ, quibus conceditur priuilegium.

De ijs, quæ feſto die licent.

An licent Doctori conſulere die feſto.

Deciſio CXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Licet die feſto conſulere in cauſis pauperum, & pro Forenſibus.*
2 *Licet etiam conſulere pro cuiuſcunque cauſa.*
3 *Conſulere non eſt opus corporale aut ſeruile.*
4 *Licet Doctori legere die feſto, etiam ob lucrum.*

1 Licere conſulere in cauſis pauperum, quia hoc eſt opus pietatis, in quibus dierum non habetur diſtinctio: Rurſus licere etiam conſulere pro cauſis forenſium, ne diutius detineantur: ita tamen vt conſulens de mercede eleemoſinam eroget, docet Moditius *in §. Prudentum reſponſa Dub. 9. num. 2.* citans Iaſ. *in l. D. Traianus. num. 3. ff. de Ferijs.* Vnde per hos non licet conſulere regulariter, accipiendo mercedem. Idem tenet Syluest. *verbo* Dominica *num. 7.*

2 At eſſe licitum communiter docent Theologi, quatenus tradunt licere exercere opus, quod non ſit ſeruile: etiam ſi ex mercede fiat: quod præcipuè notaut Suarez *tom. 1. De Relig.*

de Relig. lib. 2. *cap.* 30. *num.* 9. Soto 2. *de Iuſt. & iur. quæſ.* 4. *ar.* 4. *ad.* 3. Nauar. *in Man. c.* 13. *nu.* 12. Azor. *tom.* 2. *lib.* 1. *cap* 27. *quæſ.* 3. Bonacina *diſp.* 5. *de Tertio præcepto Decalogi quæſ vnica punct.* 2. *num.* 7. & 8. Caſtr. Palaus *par.* 2. *tract.* 3. *diſp.* 2. *puncto* 6. *num.* 2. & deſumitur ex D. Th. 2. 2. *quæſ.* 122. *ar.* 4. *ad.* 3. quatenus docet ſolum opus ſeruile eſſe prohibitum: vt habetur ex *cap.* 23. Leuit.

3 Fundamentum eſt, quia conſulere non eſt opus corporale, & ſeruile: quæ ſola diebus feſtis ſunt prohibita; nec ex eo, quòd fiat ex mercede tranſit in ſeruile; quia merè eſt ipſi extrinſeca; & proinde non extrahit ipſum à

4 ſua conditione. Imò per ipſum Moditium licet Doctori legere die feſto etiam ob lucrum: vt habet *dub.* 11. *num.* 18. *in idem* §. *Prudent. reſponſa*; & tamen cum legere ſit opus eiuſdem generis, eſt de ipſo quoque eadem ratio, nec ſit illicitum ex lucro.

An liceat ſcribere die Feſto ob lucrum.

Deciſio CXXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Qui doceant non licere ſcribere die feſto ob lucrum.*

2 *Scribere an fiat actio ſeruilis quando ordinatur ad lucrum.*

3 *Licet die feſto ſcribere ob lucrum.*

4 *Scribere ſemper computatur vt eadem actio cum expreſſione conceptuum.*

5 *Scribere nunquam eſt pura actio materialis.*

1 NOn licere docent Sum. Confeſ. *lib.* 1. *tit.* 12. *quæſ.* 9. Angel. *verbo* Feriæ *num.* 9. & 31. Tabien. *ibid. num.* 39. & 40. Roſel. *ibid. num* 12. Piſancl. *ibid.* Sylueſt. *verbo* Dominica *quæſ.* 5. *ver. Sexta.* Aſtenſ. *lib.* 1. *tit.* 22. *ar.* 4. & *tit.* 23. *ar.* 3. *quæſ.* 5. Riccar. *in* 3. *diſt.* 37. *ar.* 2. *quæſ.* 4. Soto *lib.* 2. *de Iuſt. & iure quæſ.* 4. *ar.* 4. *ad.* 3. Azor. *par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 27. *quæſ.* 4. & alij citandi *Deciſ. ſequenti* pro prima ſent. Horum autem opinio ita debet intelligi, vt locum habeat quando interuenit pura ſcriptio; quod contingit cum quis dictat, & alius ſcribit; qui enim ſcribit exercet meram ſcriptionem, præſertim ſi non intelligat quod dictatur.

2 Proprium, & magis firmum fundamentum huius opinionis eſt, quòd ſcribere eſt quædam actio materialis, & corporalis, quæ fit ſeruilis, vel liberalis iuxta determinationem, quam ſortitur. Vnde licet opus liberale ob lucrum exhibitum non euadat ſeruile: quando tamen ammittit id, ob quod eſt liberale, euadit ſeruile. Hoc autem contingit in ſcriptione, quando eſt pura ſcriptio, vt in caſu; quia caret illa forma, ob quam eſt liberalis, nam ceſſat deſeruire animæ ſcribentis; cum per ipſam non intendat aliquid, quod ad eſſe internum ipſius ſpectet: vnde eſt mera actio laborioſa, corporalis, atque adeo ſeruilis.

3 Nihilominus eſſe licitum docent Caiet. 2. 2. *quæſ.* 122. *ar.* 4. Nauar. *in Manuali cap.* 13. *nu.* 14. Sayrus *in Claui Regia lib.* 7. *cap* 2. *num.* 13. Lopez 1. *par. Inſtruct. conſcient cap* 52. Medina *lib.* 1. *Inſtruct. cap.* 14. §. 8. Tolet. 4. *Sum. cap.* 24 *num.* 3. Facundez *lib.* 1. *de Præcep. Eccleſ. cap.* 11. *num.* 3. & 4. Layman *lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 2. *num.* 3. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 24. Bonacina *de Tertio præcepto Decal. quæſ. vnica punct.* 2. *num.* 25. Caſtr Palaus *par.* 2. *tract.* 3. *de Obſeruat. Feſtor. diſp.* 2. *punc.* 5. *nu.* 3. Gordon. *lib.* 6. *Theol. Moral. quæſ.* 7. *cap.* 6. *ver. Dubium.* & alij à fortiori, quos *Deciſ. ſequenti* citabimus pro poſteriori ſententia. Quia ſcriptura eſt actio deſeruiens per ſe animæ, & non corpori; atque adeo non eſt opus ſeruile. Verùm hoc non habet locum in caſu noſtro; quia ſcriptio non inſeruit vllo pacto animæ ipſius ſcribentis, cum purè intendat ſcribere, & nihil aliud; vnde remanet pura corporalis actio.

4 Itaque cenſeo licitam eſſe puram ſcriptionem die feſto ob lucrum, quia cum debeat neceſſariò exprimere internos conceptos, nec exprimat conceptus ſcribentis, oportet vt exprimat conceptus dictantis; vnde non eſt ſeparabilis ab actione exprimendi conceptus: atque adeo ſimul cum ipſa computatur pro eadem actio, & ab eadem deſumit determinationem; & ideo cum ſit licitum exprimere proprios conceptus, erit etiam licitum totum, quod concurrit ad talem expreſſionem; atque conſequenter ipſa ſcriptio, quamuis fiat per alterum; quia ſe habet vt inſtrumentum, cuius actio ſequitur conditionem principalis actionis.

5 Hinc ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ. Reſp. Actionem ſcribendi nunquam poſſe remanere in eſſe materiali corporali; quia eſt eſſentialiter expreſſiua internorum conceptuum, vel ipſius ſcribentis, vel alterius; & tunc determinatur, vt ſit actio liberalis, ab ipſo dictante; quatenus ea vtitur ad exprimendos proprios conceptus.

An licitum ſit die feſto tranſcribere propter lucrum.

Deciſio CXL.

SVMMARIVM.

1 *Non licet tranſcribere propter lucrum ſecùndum aliqnos.*
2 *Tranſcribere ex mercede videtur opus mechanicum.*
3 *Licce tranſcribere ob lucrum die feſto.*
4 *Quomodo tranſcriptio per ſe primò ordinetur ad animum.*
5 *Eadem eſt ratio de tranſcriptione, & ſcriptione.*
6 *Tranſcribere non eſt opus mechanicum, ſed liberale.*

1 NEgatiuè Reſp à fortiori, quos *Deciſ. praecd. num.* 1. citauimus, & prætcrea Caiet. 2. 2. *quaeſ.* 122. *ar.* 4. *in reſp. ad* 2. Syluius *ibid. ar.* 1. Nauar. *in Manuali cap.* 13. *nu.* 14. Tolet. *lib.* 4. *Sum. cap.* 24. *num.* 11. D. Antonin. *par.* 2. *tit.* 9. *cap.* 7. §. *Quantum.* Fernandez *par.* 1. *Exam. Theol. cap.* 7. §. 1. *num.* 10. Vega *in Sum. tom.* 1. *cap.* 114. *caſu* 3. Comitol. *lib.* 4. *Reſp. moral. quaeſ.* 58. *nu.* 3. Azor. *par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 27. *quaeſ.* 5. Anton. de Litterat. *par.* 2. Sum. *cap.* 17. *nu.* 21. Reginal. *tom.* 1. *lib.* 19. *cap.* 3. *num.* 40. *in fine* Sanchez *tom.* 2. *Opuſ. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 9. *num.* 4. quamuis *nu.* 5. doceat, quando ordinatur ad ſtudium, etiam alterius, eſſe licitum.

2 Fundamentum eſt, quia tranſcribere ex mercede non eſt ratione ſui opus liberale, ſed mechanicum; quia non eſt effectus alicuius artis liberalis, neque opus mentis, ſed purus labor corporalis, ſicut etiam imprimere libros.

3 Verùm licere tranſcribere ob lucrum, docent Medina *lib.* 1. *Inſtruct. cap.* 14. §. 8. Lopez *par.* 1. *Inſtruct. cap.* 52. Facundez *lib.* 1. *in Quinque Eccleſ. praecep. cap.* 11. *num.* 3. & 4. Sayr. *lib.* 7 *Clauis Regia cap.* 2. *num.* 15. Margarita Caſuum Conſcient. *Verbo Feſta* Suarez *tom* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 4. Molteſ. *tom.* 1. *Sum. tract.* 11. *cap.* 17. *num.* 42. Sà *in Aphor. Confeſ. Verbo* Feſtum *num.* 5. Layman *lib.* 4. *Theol. Moral. tract.* 7. *cap.* 2. *num.* 3. Rodriquez *in Sum. tom.* 3. *cap.* 168. *num.* 3. Naldus *Verbo* Feſtum *num.* 5. Bonacina *de Tertio Decal. praecep. quaeſ. vnica punc.* 2. *num.* 25. Caſtr. Palaus *par.* 2. *tract.* 3. *de Obſeruat. Feſt. diſp.* 2. *puncto* 5. *num.* 4. Diana *par.* 1. *Reſolut. Moral. tract.* 15. *reſol.* 35. Io: de la Cruz *par.* 1. *Direct. Conſcient. praecep.* 3. *ar.* 1. *nu.* 2. Gordon. *lib.* 6. *Theol. Moral. quaeſ.* 7. *cap.* 6. *ver. At quid ſaltem.*

4 Et hanc ſententiam non ſolùm probabiliorem, ſed etiam veram exiſtimo; Nam licet tranſcriptio purè materiali modo fiat à tranſcribente, abſque eo, quòd inde aliquod emolumentum ſpirituale percipiat; adhuc tamen ordinatur ex ſui natura ad animum: quatenus ſcriptura eſt eſſentialiter ordinata ad communicandos internos conceptus ipſi legenti; quod ſufficit vt non ſit opus ſeruile; cum in hoc liberale opus diſtinguatur à ſeruili: quòd hoc per ſe primò ordinatur ad corpus, illud verò ad animum. Nec ex eo quòd fiat ex lucro euadit ſeruile; quia lucrum non eſt finis operis, ſed operantis, atque adeo extrinſecus; vnde non immutat naturam operationis.

5 Nec eſt diuerſa ratio de tranſcriptione, & ſcriptione; nam ſicut ſcriptio excipit conceptus dictantis ex ore ipſius, & eſt quædam manifeſtatio ipſorum; ita tranſcriptio excipit conceptus dictatos non per verba, ſed per ſcripturam, & eſt quædam manifeſtatio ipſorum; per accidens autem ſi habet ad naturam actionis, quòd excipiat conceptus vel per verba, vel per ſcripturam. Vnde non rectè aliqui concedunt licitum eſſe ſcribere, non autem tranſcribere.

6 Ad rationem oppoſitæ ſententiæ negandum eſt quòd tranſcribere ſit opus mechanicum, & merus labor corporalis; nam debet conſiderari ſecùndum proprium finem intrinſecum, qui eſt manifeſtare conceptus internos; qui licet non intendatur à tranſcribente: ex natura tamen ſua illi conuenit, cum ſine ipſo eſſe non poſſit; vnde nunquam ſeorſim poteſt accipi, quia ſemper debet accipi cum ordine ad eum, cui eſt communicatiua conceptuum; & ad eum etiam, cuius conceptus communicat; hoc autem pacto ſemper eſt actio liberalis, & ordinata ad animum, & eſt effectus illius, cuius conceptus communicat; nam tranſcribens ſolùm inſtrumentaliter ſe habet, quia ſolùm inſtrumentaliter cauſat communicationem conceptus.

An liceat die feſto pingere, addiſcendi gratia, & tranſumere picturas ex peritorum exemplaribus.

Deciſio CXLI.

SVMMARIVM.

1 *Non licet pingere feſto, aut tranſumere picturas die feſto ſecùndum aliquos.*
2 *Eſt licitum.*
3 *Pingere eſt actio indifferens reſpectu ſeruorum, & ingenuorum.*

4 Pinge-

4 *Pingere; addiſcendi gratia, eſt opus diſciplinæ perficiens animam.*

5 *Licet pingere diſcendi gratia, etiam ſi poſteà pictura vendatur.*

1 NOn eſſe licitum deberent docere ij, qui tenent eſſe de ſe opus ſeruile, vt Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 26. num.* 4. Sà *Verbo* Feſtum *num.* 5. Facundez *lib. 1. in Præcepta Eccleſiæ cap.* 11. *num.* 10. Bonacina *diſp.* 5. *de Tertio præcep. quæſ. vnica puncto* 2. *nu.* 25. Caſtr. Palaus *par.* 2. *tract.* 3. *de Obſer. feſt. diſp.* 2. *puncto* 5. *num.* 7. Sanchez *tom.* 2. *Opuſ. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 12. Quia opus ſeruile non euadit licitum ex eo quòd ordinetur ad addiſcendum; vnde non licet, addiſcendi gratia, colere agros, fabricare arcam, & alia huiuſmodi ſeruilia præſtare. Aliqui tamen oppoſitum docent, vt Sà, & Sanchez.

2 Eſſe autem licitum tradunt Syluester *Verbo* Dominica *quæſ.* 5. §. *Sexta*. Roſel. *Verbo* Feriæ *num.* 13. Armil. *Verbo* Feſtum *nu.* 21. Tabien. *Verbo* Feriæ *num.* 40. Angel *num.* 31. Caiet. *Verbo Feſtorum violatio*. Naldus *Verbo* Feſtum *num.* 6. *ver. Et quod hic.* Medina 1. *Inſtruct. cap.* 14. §. 8. Lopez *par.* 1. *Inſtruct. cap.* 52. §. *Licet ſcribere.* Layman *lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 2. *num.* 3. *ver. Dico tertio.* Azor. *par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 27. *quæſ.* 6 Sanchez *tom.* 2. *Opuſ. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 6 *num.* 8. Sà *Verbo* Feſtum *num.* 5. quod & ipſe verum puto.

3 Ratio autem eſt, Quia pingere de ſe eſt actio indifferens reſpectu ſeruorum, & ingenuorum; vnde tractari ſolet pictura etiam à nobilibus viris; & Pictores inſignes ſolent honorari ijs inſignibus, quibus decorantur nobiles viri, vt ſunt caualeratus, & alia huiuſmodi; quod non fieret, ſi pictura eſſet opus

4 ſeruile. Et proinde pingere, addiſcendi gratia, eſt quoddam exercitium diſciplinæ perficiens animam; atque adeo licitum die feſto; quo ſola opera ſeruilia prohibentur, & quædam alia expreſſa in canone.

5 Et hoc locum habet, etiam ſi interueniat lucrum: ita vt picturæ vendantur, quæ fiunt addiſcendi cauſa, vt notant Syluester, Angel. Roſel. Naldus citati, & Sanchez *num.* 9. *ſequenti.* quia lucrum non immutat operationem: vt cum alijs notat Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 25. atque adeo non facit, vt de licita fiat illicita.

An exercere artem pictoriam ſit licitum die feſto.

Deciſio CXLII.

SVMMARIVM.

1 *Poteſt, recreationis gratia, exerceri ars pictoria die feſto.*

2 *Secundum aliquos abſolutè non licet.*

3 *Abſolutè licet pingere die feſto etiam lucri cauſa.*

4 *Pingere eſt opus commune liberis & ſeruis; vnde non eſt ſeruile.*

5 *Pingere non dedecet nobiles viros, nec officit nobilitati.*

6 *Quomodo pictura ordinetur ad animum.*

7 *Cenſura Ludouici Turriani notata.*

1 PRima ſent. docet eſſe licitum, ſi exerceatur recreationis cauſa, ſecus autem ſi ob lucrum. Angel. *Verbo* Feriæ *num.* 31. Roſel. *num.* 13. Tabiena *num.* 40. Syluest. *Verbo* Dominica *quæſ.* 5. §. *Sexta*. Armil *Verbo* Feſtum *num.* 21. Azor. *par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 27. *quæſ.* 6. Quia nimirum, pingere, animum reficiendi cauſa, non eſt artem exercere, & facere ſeruile opus, quærendo mercedem; ſed eſt animum reficere.

2 Altera opinio abſolutè docet, non eſſe licitum. Ita Sà *Verbo* Feſtum *nu.* 5. Naldus *ibid. num.* 6. Molfeſ. *tract.* 11. *cap.* 17. *num.* 45. Pedrazza *in Sum. præcep.* 3. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 4. Facundez *lib.* 1. *in Quinque Eccleſ. præcep. cap.* 11. *num.* 10. Bona c. *diſp.* 5. *de* 3. *præcep. Decal quæſ. vnica puncto* 2. *num.* 25. Caſtr. Palaus *par.* 2. *tract.* 3. *de Obſer. Feſt. diſp.* 2. *punct.* 5. *num.* 7. Gordonius *lib.* 6. *Theol. Moral. quæſ.* 7. *cap.* 6. *ver. His affine.* Sanchez *tom.* 2. *Opuſ. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 12. *nu.* 2. & 3. qui tamen addit, oppoſitam opinionem non carere probabilitate, pro aliqua vice; ita vt non multùm extendatur. Verùm ſi pro aliqua vice habet probabilitatem, ſemper habebit; cum non ſit maior ratio de vna vice, quàm de alia. Fundant ſuam opinionem in eo, quòd pingere ſit opus ſeruile.

3 Tertia ſent. abſolutè concedit, eſſe licitum pingere, ſiue recreationis, ſiue lucri cauſa. Ita Sayr. *lib.* 7. *Clauis Reg cap.* 2. *num.* 13. Lopez *par.* 1. *Inſtruct. cap.* 52. Medina *lib.* 1. *Inſtruct. Confeſ cap.* 14. §. 8. *in fine.* Io: à Cruce *par.* 2. *Direct. Conſcient. præcep.* 3 *ar.* 1. *num.* 2. Layman *lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 2. *num.* 3. *ver. Dico tertio.*

4 Et hanc ſententiam exiſtimo probabiliorem, Quia pingere non eſt opus ſeruile, ſed ex ijs, quæ Caiet. 2. 2. *quæſ.* 122. *ar.* 4. §. *In tertio*

Digitized by Google

ſine Nauar. *in Sum.cap.*13.*num.*11. §. *ſexto.* Lopez *lib.*1.*Inſtruc.conſcient. cap.*52.Sà *in Aphor. Verbo* Feſtum *num.* 5. Bonac. *diſp.* 5. *de* 3. *præcep. quæſ. vnica.puncto.*2.*num.*25.Palat.*in Sum. verbo Feſtor. violat.* Soto *lib.* 2. *de Iuſt. & iur. quæſ.* 4. *ar.* 4. *ad* 3. *in* 3. *genere operum licit.* quatenus docet venari eſſe opus commune liberis, & ſeruis. Sanchez *tom.* 2. *opus. lib.* 5. *cap.*2. *dub.*14.*num.* 2.Io. à Cruce *in Direct.conſcient. præcep* 3.*ar.*1. *num.*2. Rodriquez *par.* 1. *Sum.cap.*122.*num.*2. Layman *lib.* 4.*tract.*7.*cap.* 2.*num.*4. *ver. Dico ſeptimo.*

5 Atque hæc ſent. non ſolum benignor eſt, ſed etiam probabilior, & conformis conſuetudini; quæ, cum ſit optima legum interpres, exiſtimandum eſt quòd rectè interpretur legem ſanctificandi feſta, dum in ipſis admittit vt licitam venationem, & aucupium; præſertim cum viri timoratæ conſcientiæ, & ipſi Paſtores Eccleſiæ talem conſuetudinem admittant.

6 Et ſolido fundamento nititur: nimirũ quòd venatio, & aucupium non ſunt opera ex ſe ſeruilia, ſed communia ſeruis, & ingenuis; quod patet ex praxi: quia Nobiles, & Principes ijs valde incumbunt: quod certè non contingeret, ſi non eſſet exercitium dignum viro ingenuo. Vnde Xenophon. *lib.* 1. *Cyriped.* & Athenæo *lib.*1. *Dipnoſoph. cap.* 20. *exercitationem venandi, aiunt, apud Perſas celebrem, & frequentem*; at noſtris temporibus quilibet fere Principum, & Regum venationi plurimùm indulget. Imò Iulius Pollux ſcribens Commodo Imperatori *lib.*5. *Oromaſt.init.* hortatur, vt ſit ſtudioſus venationis: cum ſit ſtudium heroicum conferens ad bonam corporis, & animi conſtitutionem. Cum igitur ſit opus venatio & aucupium dignum ingenuo viro, non eſt cenſenda prohibita, etiam ſi fiat ex officio, & ratione lucri; quia lucrum & officium non immutat naturam operationis, nec facit quòd ſit prohibitum, quod alias non eſt prohibitum.

7 Præterea. Habent venatio & aucupium vim reficiendi animum, & relaxandi à curis, ob delectationem, quam ſecum afferunt: & ob id nobiles viri, & Principes ipſis incumbunt; quia autem hæc delectatio eſt ab ipſis inſeparabilis, ideo etiam ſi ex officio exerceantur, & ob lucrum, adhuc illam cauſant, quod etiam conſtat ex teſtimonio ipſorum venantium, & aucupantium ex arte & officio. Ergo falſum eſt quòd ſiſtant circa corpus, ſed etiam ſe extendunt ad animum perficiendum per delectationem, quam cauſant.

8 Neque redditur illicita venatio aut aucupium ratione illorum, quæ ſunt connexa: vt ſunt, tendere, & parare retia, & ea reficere, &c. quatenus id ex accidenti pro illo tunc contingat opus eſſe: nam cæteris diebus refici poſſunt; hæc enim ſunt acceſſoria actui venationis & aucupij: & ideo licita, non de ſe, ſed ratione illius: quia acceſſoria ſequuntur naturam principalis. *De regulis iuris in* 6.*reg.*42.

9 Hinc ad fundamentum primæ ſentent. Neg. eſt, quòd huiuſmodi ſint actiones ſiſtentes tantùm circa corpus: cum per ſe ordinẽtur etiam ad animi delectationem: vt patet ex modo dictis. Deinde etiam ſi ſiſterent, quia tamen non ſunt actiones ſeruiles, ſed indifferentes, ideo non cenſentur prohibitæ.

10 Ad fundamentum ſecundæ ſentent. Opus, quod de ſe non eſt ſeruile, non euadere ſeruile, etiam ſi fiat ob lucrum, & ex officio, & ordinetur ad ſubſtentationem vitæ. Vt conſtat in ijs, qui ex officio inſeruiunt altari ob lucrum, quo vitam ſubſtentant: in ijs, qui mercede conducti docent, & alijs huiuſmodi; & ideo nec venatio & aucupium euadunt ſeruilia, etiam ſi ſint ex lucro, ob vitam ſubſtentandam.

An piſcatio licita ſit die Feſto.

Deciſio CXLIV.

SVMMARIVM.

1 *Quæ piſcatio conceſſa die feſto per Cap.* Licet. De Ferijs.
2 *Qui doceant, piſcationem non eſſe licitam die feſto.*
3 *Eſt licita ſecùndum aliquos, recreationis gratia, ſi ſit abſque magno labore.*
4 *Secùndum alios eſt abſolute licita.*
5 *Piſcatio non eſt opus ſeruile, ſed indifferens.*
6 *Piſcatio eſt licita die feſto, etiam ſi ſit cum magno labore, quando ita exigit commodum.*
7 *Quæ non poſſunt omitti abſque incommodo, non ſunt prohibita die feſto.*
8 *Piſcatio non eſt vetita die feſto ratione laboris, cum quo fit.*
9 *Et ſi labor ſit magnus.*
10 *Quomodo piſcantes die feſto diſtinguant dies feſtos à non feſtis.*
11 *Modus, quo exercetur actio, ſequitur actionem: ideo ſi actio non eſt ſeruilis, nec etiam modus.*
12 *Quid indulgeat Pontifex in Cap.* Licet De Ferijs.

1 MAior difficultas eſt de Piſcatione, An ſit licita in die feſto, propter Cap. *Licet. De Ferijs.* vbi Pontifex concedit ex indulgentia piſcationem diebus feſtis, quò ad Allecias: quia certis diebus ſolent apparere: cum onere tamen, poſt capturã, erogandi eleemoſynam. Ergo ſi ex diſpenſatione conceditur

tur piſcatio diebus feſtis, iam ex natura ſua eſt prohibita,

2 Ideo Prima ſententia tenet eſſe opus ſeruile, & proinde non eſſe licitam, niſi ob neceſſitatem: vt cum piſces certis diebus apperér, ita vt magna pars amitteretur, niſi etiam diebus feſtis caperentur. Ita Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 28. num. 3.* Facundez *lib. 1. in Quinque Eccleſ. præcepta cap. 11. num. 16.* Caſtr. Palaus *par. 2. tract. 3. De Feſt. obſer. diſp. 2. puncto 5. num. 9.* Sà *in Aphoriſ. Verbo Feſtum. num. 5.* Victorel. *in Addit ad lib. 4. cap. 25.* Tolet. *ver. Piſcationem*. Addunt tamen piſcationem moderatam in flumine abſque magno labore miniſtrantium in ipſa, eſſe licitam. Fundamentum huius ſent. eſt, Quia piſcatio eſt opus ſeruile; & ideo ſupponitur prohibita in Cap. *cit. De Ferijs*.

3 Alij autem docent piſcationem eſſe licitam die feſto, ſi fiat recreationis gratia; non autem ſi fiat ob lucrum. Ita Syluester *Verbo* Dominica *quæſ. 4. concluſ. 6.* & *Verbo* Piſcari. *quæſ. 2.* Tabiena *ibid.* Armil. *num. 1.* & *Verbo* Feſtum *num. 20.* Gordon *lib. 6. Theol. Moral. quæſ. 7. cap. 6. ver. Quæ res quid.* & alij. Quia, dum ordinatur ad recreationem, eſt medium ad expellendum otium; & ideo ordinatur ad vtilitatem animæ, & habet quamdam moralem, neceſſitatem. Quod etiam tenet Azor. *par. 2. lib. 1. cap. 27. quæſ. 7.* qui vult eſſe tantùm prohibitam piſcationem die feſto, non de ſe, ſed tantùm ratione operum ſeruilium, quæ cum ipſa connexa ſunt.

4 Tertio tamen alij exiſtimant abſolutè piſcationem eſſe licitam die feſto, etiam ob lucrum. Ita Medina *lib. 1. Inſtruc. confeſ. cap. 12. §. 8.* Lopez *par. 1. Inſtruct. cap. 52.* Nauar. *in Sum. cap. 13. num. 11. §. Sexto.* Bonacina *diſp. 5. De tertio præcep. Decal. quæſ. vnica punc. 2. num. 25.* Palat. *in Sum. Verbo Feſtorum violatio* Io. à Cruce *par. 1. Direct. præcep. 3. ar. 1. num. 2.* Sanchez *tom. 2. opuſ. lib. 5. cap. 2. dub. 15. num. 2.* qui addit, id locum non habere, quando piſcatio habet magnam occupationem, vt eſt piſcatio thunnorum: tunc enim non eſt licita, niſi ob neceſſitatem.

5 Ego autem primò exiſtimo, piſcationem de ſe non eſſe opus ſeruile, ſed indifferens; & ideo non eſſe prohibitum die feſto. Ratio autem eſt, quia huiuſmodi exercitium piſcationis eſt valde recreatiuum: & proinde ab ingenuis, recreationis cauſa, adhiberi poteſt: & conſequenter cum ſit commune etiam ingenuis, ita vt non pudeat, eos ipſi vacare, ſicut puderet vacare operi ſeruili ideo non eſt opus ſeruile, ſed commune.

6 Deinde etiam puto Eſſe licitam piſcationem die feſto, etiamſi ſit cum magno labore, quando agitur de commoditate ciuitatis, aut alterius loci, quo piſces portantur ad vendendum; & proinde poſſe piſcatores piſcari: vt de facto practicatur in aliquibus locis; & hæc commoditas non ſolùm attenditur quando dies ſequens feſtum eſt ieiunij dies: ſed etiam quando licet veſci carnibus, plures tamen conſueuerunt veſci piſcibus.

7 Ratio autem eſt: Quia conſuetudo, quæ eſt optima legum interpretatrix, declarat quòd præceptum ſanctificandi dies feſtos non obligat ad ea omittenda, quæ non poſſunt omitti abſque incommodo; vnde non obligat ad parandum cibum die præcedenti, aut ad conficiendum panem: ſed hæc ob commodum communitatis fieri poſſunt etiam die feſto. Ergo ob idem commodum licet etiam piſcari die feſto.

8 Rurſus Tertiò exiſtimo piſcationem nō eſſe, vetitam die feſto, ratione laboris, cum quo exercetur. Ratio eſt, quia labor corporalis non eſt actio ſeruilis, ſed communis: & ſolùm determinatur ad eſſe ſeruile ratione operis, cum quo coniungitur; vnde de ſe non eſt prohibitus, nec etiam coniunctus cum aliquo opere, quod non ſit ſeruile: vt labor in ſcribendo equitando, ſaltando, & in alijs huiuſmodi actionibus, quæ cum labore corporali exercentur. Et ideo non facit corporalis labor, quòd opus de ſe non prohibitum euadat prohibitum; atque adeo cum piſcatio de ſe non ſit prohibita, nec etiam erit prohibita ratione laboris, cum quo exercetur.

9 Quod locum habet etiam ſi labor ſit magnus; nam augmentum laboris non mutat naturam operationis: quia ſemper operatio remanet eiuſdem ſpeciei; nec labor de ſe eſt ſeruilis; alioquin omnis labor corporalis de ſe eſſet prohibitus die feſto; nec euadit ſeruilis ex eo quòd ſit magnus: Quia incrementum rei non mutat eiuſdem conditionem: eſſe autem ſeruile, vel non ſeruile ſequitur rei conditionem, & naturam.

10 Et ſi dicas, Quòd nullum eſſet diſcrimen inter dies feſtos, & non feſtos, ſi piſcatores poſſent die feſto piſcari; nam eodem pacto eſſent occupati, ac cæteris diebus. Reſp. futurum diſcrimen in eo, quòd implerent præceptum ſanctificandi dies feſtos. Quod præſtarent audiendo Miſſam: in quo conſiſtit ſanctificatio feſtorum. Quod etiam contingere poteſt in ijs, de quibus eſt certum poſſe exerceri die feſto: vt ſtudere. Qui enim die feſto ſtudet, non facit in exercitio vllum diſcrimen inter diem feſtum, & non feſtum, præter quàm audiendo miſſam.

11 Atque ſi rurſus obijcias, Quòd piſcatio exercetur modo ſeruili: & proinde tranſit in opus ſeruile. Reſp. modum, quo exercetur piſcatio, eſſe intrinſecum eidem piſcationi: &

conſiſtit in iaciendo, & trahendo retia, & in colligendis piſcibus: cœtera autem, quæ poſſunt vilem facere actionem, vt vti plebeio veſtitu, & alia huiuſmodi, per accidens ſe habent, & non prohibita die feſto: modus autem intrinſecus ſequitur naturam actionis: & ſi ipſa non eſt ſeruilis, neque ratione modi redditur ſeruilis.

12 Hinc ad Cap. *Licet De Ferijs* reſp. quòd Pontifex non declarat, piſcationem eſſe opus ſeruile, ſed ex ſuppoſitione quòd ſit, indulget, vt concurrentibus circumſtantijs ibi explicatis, poſſit exerceri die feſto; Quæſierat enim Tiburenſis Archiepiſcopus diſpenſationem, ſupponens eſſe opus ſeruile: & Pontifex admittens talem ſuppoſitionem, nec circa ipſum aliquid decernens, vt moris eſt, quando in contrarium non vrget neceſſitas, concedit diſpenſationem. Dum autem expenſum eſt exercitium piſcationis, repertum eſt non eſſe ſeruile, atque adeo nec prohibitum die feſto.

An liceat militibus pugnare die feſto, & alia munia militaria exercere.

Deciſio CXLV.

SVMMARIVM.

1 *Licet die feſto pugnare, & alia munera militaria exercere, ſi ad ſit neceſſitas.*
2 *Secluſa neceſſitate, non licet ſecùndum aliquos.*
3 *Secluſa neceſſitate licet pugnare, & militaria munera exercere die feſto.*
4 *Militia non eſt exercitium ſeruile.*
5 *Etiam ſi modo ſit ars mercenaria.*
6 *Militia eſt quadam adminiſtratio Reipublicæ.*
7 *Militia non eſt ars mechanica.*
8 *Exercitationes militares ſunt licitæ die feſto.*
9 *Tempore Quadrageſimæ non eſt vetitum pugnare.*
10 *Nec etiam in feſtis principalioribus, præſertim ſi ſe offerat opportuna occaſio.*

1 Conueniunt Doctores communiter licere præliari, & alia munera militaria exercere quando neceſſitas vrget; & quia ferè ſemper adeſt huiuſmodi neceſſitas (quia ſi bellũ eſt defenſiuum, hæc omnia ordinantur ad propriam defenſionem: ſi verò eſt aggreſſiuum, adeſt neceſſitas acquirendi victoriam, quando opportunitas occurit: quæ ſi ommitteretur, ſequeretur inde graue præiudicium) ideo ferè ſemper licita ſunt ratione neceſſitatis: vt habetur ex l. *Omnes iudices C. De Ferijs*, & ex l. *Duces ff. De ferijs.* & inter alios notat Azor. *tom.2.lib.1.cap.27. quæſ.2.* Solùm dubitatur, an id licitum ſit, ſecluſa neceſſitate.

2 Quòd autem non ſit licitum docent Suarez. *tom.2. de Relig. lib.2.cap.28. num.8.* Facundez *lib.1. in quinque Pracep. Eccleſ. cap.11. num.2.* Caſtr. Palaus *par.2.tract.3. de obſer. Feſt. diſp.2. puncto.5.num.11.* Victorel. *In Addit. ad Tolet. lib.4.cap.25.ver. Regere militiam.* Gordon. *lib.6. Theol. Moral. quæſ.7. cap.6. ver. Quarunt etiam multi.* Horum fundamentum eſt, Quia bellum eſt opus ſeruile cum ſit actio merè corporalis, & laborioſa, & vſus artis mechanicæ.

3 At alij ex oppoſito cenſent non eſſe opus ſeruile: atque adeo eſſe licitum. Ita idem Suarez *de Virtutibus Theol. diſp.13. de Bello ſect.7. num.24.* Caiet. *2.2. quæſ.40. ar.4. §. Ad ſecundum dicitur.* Banneſ. *ibid. dub.4.* Valent. *diſp.6. quæſ.16. punc.5. ver. Tertio* Becan. *cap.25. quæſ.17. num.4.* Medina *de Iuſt & iure. diſp.111.* Sà *in Aphor. Verbo* Bellum *num.15.* Bonacina *diſp.2. de Reſt. quæſ. vltim. ſect.1. punc.12. §.4. in fine.* Layman *lib.4. tract.7. cap.2. num.4. ver. Dico ſeptimo.*

4 Quod ſanè probabilius eſt. Et quòd exercitium militiæ non ſit opus ſeruile, ex eo ſatis conſtat, quòd apud Romanos non erat conceſſum ſeruis, ſed tantùm liberis; & milites gaudebant plurimis priuilegijs; quæ ſatis oſtendebant eſſe exercitium dignum ingenuo viro. Et noſtris quoque temporibus, nobiles viri, & Principes non dedignantur militare vt priuati milites; quod ſufficit, vt exercitium militiæ non ſit opus ſeruile, atque adeo eiuſdem operationes, vt præliari, & aliæ huiuſmodi non ſint prohibitæ die feſto. Vt enim aliquod opus non ſit ſeruile, ſufficit ſi ſit tale, vt poſſit à nobilibus exerceri abſque detrimento nobilitatis; quia tunc ſecùndum prudentum moralem æſtimationem non habetur pro ſeruili; cum exercitium operis ſeruilis deroget nobilitati.

5 Sed dices, Militiam his temporibus eſſe diuerſæ rationis; nam facta eſt ars mercenaria, cui tantùm operam dant perſonæ de populo: & ſi quando aliqui nobiles ipſi inſeruiunt, non exercent munera militiæ, niſi pugnando, & abſque mercede: vnde neque milites gaudent ampliùs priuilegijs militiæ antiquæ. Verùm hoc non obſtat, nec facit quòd militia ſit exercitium ſeruile. quod enim milites nunc non gaudeant priuilegijs antiquis, & quòd mercede conducantur, & quòd ſint de populo, non variat naturam exercitij; & ideo tanquam aliqua extrinſeca non extrahunt à ſua conditione, ita vt reddant ſeruile. Neque alterius conditionis eſt militia nobilium; quia ſolùm immunes ſunt ab aliquibus exercitijs laborioſis militiæ, vt ſunt excubiæ: non autem à principali, quod eſt pugnare.

6 Ratio

Digitized by Google

6 Ratio autem cur exercitium militiæ, atq; eiuſdem præcipuus actus non ſit opus ſeruile, eſt, Quia eſt quædam adminiſtratio Reipublicæ; nam eſt agere cauſam Reipublicæ, & veluti litem agitare, quæ per arma deciditur. Quis autem dicat, quòd ſubſtentare partes Reipublicæ, & agere cauſam illius ſit opus ſeruile; cum ſit quædam participatio in adminiſtratione Reipublicæ? nam milites exequuntur ipſam adminiſtrationem Reipublicæ, prout à Principe, & ducibus dirigitur.

7 Hinc ad fundamentum primæ ſent. Reſp. Pugnare non eſſe opus ſeruile, vt patet ex dictis; neque eſſe actionem purè corporalem, & laborioſam; ſed eſſe quamdam partem adminiſtrationis Reipublicæ. Et proinde non eſſe exercitium artis mechanicæ; quia licet vtatur artibus mechanicis, ipſa tamen non eſt, ſed eſt pars quædam politiæ: quatenus conſiſtit in executione eorum, quæ politica præſcribit pro conſeruatione Reipublicæ.

8 Ex quibus colligitur, Exercitationes militares, quibus tempore pacis milites inſtruuntur ad præliandum, non ſolùm eſſe licitas die feſto, ratione conſuetudinis, & moralis neceſſitatis, cum ceteris diebus non poſſint commodè fieri; vt notat Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 28. *nu.* 8. Sed etiam quia de ſe non ſunt prohibitæ; nam ſunt in ordine ad apprehendendam militiam, atque adeo illam partem Politiæ, ſeu adminiſtrationis Reipublicæ, quæ conſiſtit in ſubſtentandis per arma iuribus ipſius.

9 Præterea. Tempore Quadrageſimæ, à fortiori, ſequitur non eſſe vetitum pugnare, vt contra Syluest. *Verbo* Bellum 1. *quæſ.* 8. notat Suarez *citato loco de Virtutib. Theol. diſp.* 13. *de Bello ſect.* 7. *num.* 24. Non enim de ſe eſt illicitum præliari, neq; adeſt aliqua prohibitio vetans ipſum in tempore Quadrageſimæ. Neq; enim Caput *Si nulla.* 23. *quæſ.* 8. neq; Caput *Vnicum extra. de Tregua, & pace.* eſt receptum: vt notat Gloſ. ibid. & Valent. 2. 2. *diſp.* 3. *quæſ.* 16. *punc.* 5. *ver. Dubium autem.* imo conſuetudo eſt in contrarium; Neque prohibitio eſſet tolerabilis, ſed nimis oneroſa; tum propter expenſas ingentes, quæ pro illo tempore fierent in ſubſtentando exercitu ſine fructu; tum etiam quia opportunæ occaſiones rei benè gerendæ cum graui incommodo Reipublicæ præterirent.

10 Sed quæres, De feſtis principalioribus, vt Paſchatis, Natiuitatis Domini, & huiuſmodi: an licitum ſit pugnare extra neceſſitatem. Et quidem non eſſe opus prohibitum iam conſtat ex dictis. Quia tamen ſunt Feſta digna ſpeciali reuerentia, ideo, extra neceſſitatem, videtur abſtinendum. Si tamen ſe offerat occaſio rei benè gerendæ, tunc ceſſabit præſumptio irreuerentiæ, atque adeo etiam ſcandalum, & peccatum; quia opportunitas honeſtabit actionem, & tollet omne ſpecimen irreuerentiæ.

An iter die feſto ſit prohibitum.

Deciſio CXLVI.

SVMMARIVM.

1 *Iter die feſto eſt ſolùm licitum ratione conſuetudinis.*
2 *Non ſolùm eſt licitum ratione conſuetudinis, ſed abſolutè.*
3 *Iter habere, etiam pedibus, non eſt opus ſeruile.*
4 *Neque etiam ſi longum ſit iter.*
5 *Curſores etiam pedeſtres poſſunt iter habere die feſto.*
6 *Licet etiam die feſto ducere mulos, &c. portantes res inſeruientes in itinere.*
7 *Licet etiam hominibus in feſto deferre lecticas, in quibus ſint iter habentes.*

1 Eſſe prohibitum, ex conſuetudine tamen licitum docent Caiet. 2. 2. *quæſ.* 122. *ar.* 4. §. *His igitur expeditis* Sotus 2. *de Iuſt. & iure quæſ.* 4. *ar.* 4. §. *Tertium genus.* Quibus addi poteſt etiam Abulens. *quæſ.* 25. *in cap.* 10. *Exodi.* Intelligunt autem de longo itinere: quia quaſi ſeruiliter fit; vnde in lege veteri erat prohibitum.

2 Hæc tamen ſententia nullo modo probabilis eſt: & ideo oppoſita eſt tenenda vt certa; Vt nimirum iter, de ſe, die feſto licitum ſit, ſiue equo, ſiue pedibus fiat. Ita Maior *in* 3. *diſt.* 37. *quæſ.* 23. *in* 2. *Concluſ.* Nauar. *in Sum. cap.* 13. *num.* 6. Armilla *in Sum. Verbo* Feſtum *nu.* 13. *&* 14. Roſel. *Verbo* Fer. *num.* 20. *&* 26. Alcozer. *item in Sum. cap.* 17. Angel. *Verbo* Feriæ *nu.* 15. Azor. *tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 27. *quæſ.* 8. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 27. *num* 2. Sà *Verbo* Feſtum *num.* 15. Caſtr. Palaus *par.* 2. *tract.* 3. *de Obſer. Feſt. diſp.* 2. *punc.* 5. *num.* 2. Sanchez *tom.* 2. *Opuſ. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 7. *nu.* 4. Layman *lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 2. *num.* 4. *ver. Dico quinto.*

3 Fundamentum eſt, quia iter agere etiam pedibus non eſt actio ſeruilis, ſed merè naturalis motus, & quædam continuata ambulatio; quis autem dicat: quòd actio naturalis, & ambulatio ſit opus ſeruile: cum ſit communis omnibus, tam ſeruis, quàm ingenuis? Confir. Modica ambulatio non eſt actio ſeruilis: Ergo neque continuata per totum diem; quia continuatio per quoduis tempus non variat

riat naturam actionis, neque ipſam extrahit à ſua conditione.

4 Neque valet, quòd, quando eſt longum iter, ſeruili modo fiat; nam hoc falſum eſt: Si enim equo, vel curru fiat, quam ſpeciem ſeruitutis habet, cum Reges quoque tali pacto iter habeant? Si verò pedibus fiat, non eſt modus ſeruilis, ſed humilis, & pauperum; neque hic modus mutat conditionem actionis, cum ſit extrinſecus, & per accidens ſe habeat. Quod autem longum iter fuerit prohibitum in lege veteri, non facit quòd ſit actio ſeruilis; quia non ſolùm ſeruilia, ſed etiam aliqua alia ſpecialia erant prohibita. Imò cum lex vniuerſaliter prohibuerit omnia ſeruilia, & ſpecialiter etiam longum iter, ſequitur, quòd non ſit actio ſeruilis; quia ſi eſſet ſeruilis, non opus ſuiſſet ſpeciali prohibitione.

5 Ex his infertur, non eſſe prohibitum Curſores, ſiue pedeſtres, ſiue equeſtres die feſto iter ſuum continuare, aut etiam incipere; quia quòd fiat currendo non variat rationem actionis; ſicut nec variat, quòd fiat ex mercede. Vt inter alios notat Sanchez *tom. 2. Opuſ. lib. 5. cap. 2. dub. 7. num. 5.* citans Caiet. *in Sum. Verbo* Feſtum §. *de Violatione*.

6 Inſuper infertur cum eodem Sanchez *num 6. ſequenti* Licitum eſſe ducere mulos, aut alia iumenta cum lectis, & alijs rebus, quæ inſeruiunt itineri; quia hæc tanquam acceſſoria ſequuntur naturam principalis; hæc enim ſunt propter iter, quod de ſe licitum eſt. Quod etiam notauit Nauar. *in Sum. cap. 13. num. 6.*

7 Rurſus, Quòd liceat quoque baculis deferre dominos in lecticis, vt moris eſt præſertim Neapoli: quia licet illa delatio ſit opus ſeruile, ſequitur tamen vt acceſſorium conditionem itineris; vnde cum iter cum ſuis commoditatibus ſit licitum, eſt etiam licita talis delatio.

An liceat die feſtò deſignare in chartis quæ poſtea ſunt executioni mandanda.

Deciſio CXLVII.

SVMMARIVM.

1 *Licet die feſto deſignare in chartis, quæ poſtea ſunt executioni mandanda.*
2 *Quid requiratur, vt operatio ad inſtruendum ordinata, ſit licita die feſto.*

DIfficultas procedit de Architectis, & alijs huiuſmodi magiſtris, ad quos pertinet in chartis delineare, quæ ab inferioribus miniſtris ſunt executioni mandanda.

1 Affirmatiuè Reſp. Caiet. *in Sum. Verbo Feſtorum violatio* Armil. *Verbo* Feſtum *num. 21.* Io: de la Cruz *in Direct. Conſcient. par. 1. præcep. 3. ar. 1. num 2.* Sanchez *tom. 2. Opuſ. lib. 5. cap. 2. dub. 6. num. 7.* Quia non eſt opus mechanicum, ſed ſpiritualis doctrinæ, ordinatum ad inſtruendum aliquem de futuro opere.

2 Quia tamen non ſufficit, vt operatio ſit licita, quòd ordinetur ad inſtructionem alicuius; nam alioquin poſſet faber arcam fabricare, vt aliquem inſtrueret ad aliam huiuſmodi arcam fabricandam; ideo vlteriùs opus eſt, quòd operatio ex natura ſua ſit inſtructio; ita vt doctrina ſit finis ipſius intrinſecus; Vt contingit in huiuſmodi chartis delineandis; quia tales delineationes non ſunt aliud, quàm expreſſio quædam internæ ideæ, quam magiſter proponit imitandam artificibus; vnde finis intrinſecus ipſius eſt edocere, quomodo res ſit facienda, non autem rem facere.

An acu pingere, vulgo *Ricamare*, ſit opus licitum die feſto.

Deciſio CXLVIII.

SVMMARIVM.

1 *Acu pingere eſt licitum die feſto, diſcendi cauſa, ſecùndum Sà.*
2 *Eſt licitum abſolutè ſecùndum aliquos.*
3 *Probabile eſt, quòd acu pingere non ſit opus ſeruile.*
4 *Quodnam eximendum ſit ab opere ſeruili. Acu pingere proprium ingenuarum fœminarum.*
5 *Acu pingere oſtentat ingenium.*
6. *Cur acu pingere eximatur ab operibus ſeruilibus.*

1 PAuci admodum de hoc in terminis loquuntur. Sà *Verbo* Feſtum *nu. 5.* Reſp. Eſſe licitum diſcendi cauſa. Verùm aut eſt abſolutè licitum, aut neque eſt licitum diſcendi cauſa; quia quòd opus de ſe prohibitum ordinetur ad doctrinam, non facit, vt euadat licitum; vt dicebamus *Deciſ præced. num. 2.*

2 Ideo eſſe abſolutè licitum Reſp. Io: à Cruce *in Direct. Conſcient. par. 1. præcep. 3. ar. 1. num. 2.* citat. Armil. *Verbo* Feſtum *nu. 21.* Sed tantùm docet, quod retulit ex Sà *num. præcedenti* imò addit hoc habere locum ratione conſuetudinis. Fundamentum autem ipſius eſt, Quia non putat eſſe opus ſeruile. Hoc etiam probabile putat Auctor *caſuum conſcientiæ Bononiæ diſcuſſorum anno 1635. menſe Martio, caſu 2.*

3 Ego

Digitized by Google

3 Ego autem vix poſſum aliquid certi decernere. magis tamen inclino, quamuis abſolutè non aſſeram, quòd non ſit opus ſeruile; atq; adeo non prohibitum die feſto.

4 Moneor autem, quia cum opera ſeruilia ſint illa, quæ ſunt propria ſeruorum; ita vt dedeceant ſtatum ingenuorum; ſecùndum quamdam moralem æſtimationem ſeruilia à non ſeruilibus diſcerenda ſunt; ita vt ea ſeruilia ſint, quæ ſecùndum moralem æſtimationem cenſentur dedecere perſonam ingenuam. Acu autem pingere, vulgò *ricamare* non cenſetur dedecere ſtatum ingenuarum fęminarum, non ſolùm quià à nobilibus huiuſmodi exercitium ſolet vſurpari; ſed etiam, quia in exercitijs proprijs mulierum debent dari aliqua, quæ non ſint ſeruilia: vt habeant in quibus iuxta ſtatum muliebrem poſſint ingenuo modo ſe exercere; Tale autem cenſendum eſt huiuſmodi exercitium acu pingendi; quia eſt ex nobilioribus, quæ poſſint à fœminis exerceri.

5 Deinde. Acu pingere èſt quædam operatio, quæ exprimit non vulgare ingenium, quod requiritur pro tali exercitio; vnde conſiderari poteſt tanquam ordinata ad oſtenſionem ingenij, non ſecus ac ſunt cœtera, quæ procedunt ab ingenio; quæ ſi ordinato modo fiat, honeſta erit.

6 Sed dices. Ingenuæ fœminæ vacant alijs muliebribus exercitijs: vt ſunt, conſuere veſtes, lineamina, & alia huiuſmodi; & tamen non ex hoc cenſentur non ſeruilia; Ergo neq; ex eo quòd vacent exercitio acu pingendi, ſequetur, quòd non ſit ſeruile. *Reſp.* Eſſe diſparem rationem. Quia huiuſmodi exercitia exercentur tantùm ab ijs fœminis honeſtis, quæ iuxta conſuetudinem vacant etiam rebus ſeruilibus neceſſarijs pro familia: & ideo non attollunt exercitia illa, vt fiant non ſeruilia; ſed ipſæ ſe demittunt ad ſeruilia, ob vtilitatem familiæ; at acu pingere vſurpatur tantùm à nobilibus, quæ non vacant exercitijs familiæ: & multoties recreationis cauſa; quod ſatis indicat ex ſua conditione non eſſe ſeruile.

An Typographia ſit licita die feſto.

Deciſio CXLIX.

SVMMARIVM.

1 *Quæ in typographia conſideranda ſint. Fabricatio characterum, vt ſeruilis, eſt prohibita die feſto.*

2 *Actio quoque imprimendi.*

3 *Ordinatio, & compoſitio characterum pro impreſſione eſt licita ſecùndum aliquos.*

4 *Secùndum alios non eſt licita.*

5 *Non eſt licita; quia eſt opus mechanicum.*

6 *Ordinatio characterum pro impreſſione non eſt expreſſio conceptuum.*

1 TRia in typographia conſiderari poſſunt, quę ſunt operationes valde diuerſę: nempe, fabricatio characterum, compoſitio, ſeu ordinatio eorumdem in ordine ad impreſſionem, atque ipſa impreſſio. De prima, & tertia operatione non dubitatur, an ſint ſeruiles; quia omnes conueniunt eſſe tales, atque adeo prohibitas die feſto. Et hoc patet, quia important aliquid mechanicum; nam fabricatio characterum pertinet ad artem fuſoriã, quæ mechanica eſt, & dicit tantùm formationem quarumdam figurarum, quæ non ordinantur ad illuſtrandam mentem: cum non habeant vim manifeſtatiuam conceptuum; quia vt habeant, adhuc opus eſt alia operatione.

2 Alia quoque actio imprimendi mechanica eſt; quia pertinet ad artem ſigillatiuam; nihil enim aliud de ſe dicit, quàm intinctionem characterum, & eorumdem impreſſionem ſuper papyrum; quod eſt quid commune cum alijs artibus, quæ in aliqua materia imprimunt figuras & characteres. Quòd autem reſultet expreſſio conceptuum per litteras, non habetur ex vi talis operationis, ſed ab extrinſeco; quia videlicet characteres taliter ſunt ordinati; vnde poteſt tota iſta operatio exerceri abſq; eo, quòd reſultet aliqua expreſſio cõceptuum. ſi videlicet inſtrumenta illa non litteras, ſed aliquid aliud continerent; aut ſi characteres non eſſent ordinati. Tota ergo difficultas eſt de ſecunda operatione.

3 Prima ſententia ait, Eſſe licitam. Ita Homobon. *in Conſul. Caſuum Conſcient. vol. 1. par. 2. reſp 34.* Layman *lib. 4. Theol Moral. tract. 7. cap. 2. num. 3. ver. Dico tertio in fine* Diana *par. 4. tract. 4. Moſcel. reſol 62.* Nullam tamen rationem afferunt. Fundari tamen poteſt hæc ſententia, quòd ordinatio characterum in ordine ad impreſſionem non ſit opus ſeruile; quia eſt quædam manifeſtatio conceptuum & ordinatur ad illuſtrandum intellectum ita, vt ſit veluti quædam tranſcriptio. Nec obſtat, quòd illi characteres poſſint ita componi, vt nullum manifeſtarent conceptum; nam hoc quoque in ſcriptura contingere poteſt; quia poſſunt litteræ ſic calamo diſponi, vt nihil ſignificent: & tamen hoc non facit quòd ſcribere ſit opus ſeruile, & quòd ſit illi accidentarium exprimere conceptus.

4 Altera autem ſententia docet, eſſe opus ſeruile, atque adeo non licitum die feſto. Ita Caſtr. Palaus *par. 2. tract. 3. de Obſeruat. feſt. diſp 2. puncto 5. num 5.* Gordon. *in Theol. Moral. lib. 6. quæſ. 7. cap. 6. ver. At quid ſaltem.*

Suarez

Suartz, *tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 25. num. 8.* Victor. *in Addit. ad Tolet. lib. 4.. cap. 25. ver. Tranſcriptionem.*

5 Hanc poſteriorem ſententiam probabiliorem exiſtimo. Moueor, Quia illa ordinatio characterum de ſe ſe non eſt expreſſio conceptuum, aut tranſeriptio expreſſionis conceptuũ: ſed eſt fabricatro quædam inſtrumenti mechanici, quod inſeruire debet ad opus mechanicum; dum enim componunr characteres, fabricant illas, quas vocant formas, quibus deinde vtuntur ad cudendas litteras Quod autem conficiatur huiuſmodi purum inſtrumentum mechanicum, & non aliqua expreſſio conceptuum, conſtar ex eo, quòd illæ formæ non ordinantur ad aliud, quàm ad cudendas litteras; nemo autem ijs vtitur ad exprimendos, aut percipiendos conceptus.

6 Hinc ad fundam. oppoſitæ ſent. negandum eſt, illam ordinationem characterum eſſe manifeſtationem conceptuum, aut ordinari ad illuſtrandum intellectum. Quod ſatis ex to patet, quòd characteres inuerſo modo ponuntur, ac ponantur in ſcriptura; quod ſatis indicat non ordinari ad lectionem, aut ad manifeſtandos conceptus; ſed diſponi, vt ſint congruum inſtrumentum ad cudendas litteras. Quòd autem id, quod ex impreſſione reſultat, ordinetur ad illuſtrandum intellectum: boc non haber ratione impreſſionis, ſed ratione ſcriptionis, & illius, à quo ſcriptio dictata fuit; impreſſio autem ſolùm mechanico modo transfert litteras de exemplari in impreſſum, idque per inſtrumenta mechanica.

An liceat die feſto rationes ſubducere, vulgò *Far conti.*

Deciſio CL.

SVMMARIVM.

1 *Non licet ſecundum aliquos die feſto rationes ſubducere.*
2 *Eſſe licitum, quando non ſit ex officio, docet Sanchez.*
3 *Abſolutè eſt licitum.*
4 *Deſcriptio dati, & accepti, & tranſcriptio de vno in alium librum eſt licita die feſto.*

1 NEgatiuè Reſp. Sylueſter *Verbo* Dominica *quaſ.* 3. Tabiena *Verbo* Feriæ *num.* 39. Angel. *num.* 31. Medina *lib.* 1. *Sum. cap.* 16. §. 9. Abulenſ. *quaſ.* 26. *in cap.* 12. *Exod.* D. Antonin. 2. *par. tit.* 9. *cap.* 7. §. *vltimo.* Horum fundamenentum eſt; quia eſt opus ſeruile, præſertim ſi ex officio fiat.

2 At licitum eſſe docet Sanchez *tom. 2. Opuſ. lib. 5. cap. 2. dub. 11. num. 2.* & extendit tam ad rationes dati & accepti ordinarias, quàm extraordinarias: & ait hanc ſententiam eſſe doctorum Recentinrum. Attamen *num. 3.* limitat, vt hoc non habeat locum in eo, qui in Republica id haberet ex officio, pacta mercede; & fortaſſe etiam in eo, qui ex officio id præſtaret; quia hoc pacto vergit aliquo modo in opus ſeruile.

3 Abſolutè tamen cenſerem, eſſe operationem licitam die feſto, ſiue fiar incidenter, ſiue etiam ex officio, & ex mercede. Duo enim in hac operarione conſiderari poſſunr: nempe ſupputatio, & deſcriptio dati, & accepti: ſeu translatio de vno in alium librum; neutrum autem eſt opus ſeruile, & prohibitum: quia ſuppuratio rationum non eſt aliud quàm exercitium artis arithmeticæ, quæ liberalis eſt; & eſt opus intellectuale; quia conſiſtit in diuidendis, componendis, & ſubtrahendis numeris, & in reducendis ipſis ad certum ordinem, cui correſpondeat pecunia, aut aliquid aliud.

4 Si verò conſideretur deſcriptio dati, & accepti, aut translatio de vno in alium librum; neque continet aliquid ſeruile, quia conſiſtit ſolùm in ſcriptione, aut tranſcriptione; neutra autem eſt opus ſeruile, vt vidimus *in ſuperioribus Deciſ. 149. & 150.* Deinde, Deſcriptio dati, & accepti eſt expreſſio conceptus mentalis, qua exprimitur ille ordo, quo ordinantur expenſæ, ſeu exitus, & introitus. Tranſcriptio quoque ſupputationum eſt noua expreſſio conceptus mentalis, quia nouo ordine tranſcribuntur; & ideo quocumque modo accipiatur, ſemper eſt opus intellectuale, atque adeo non ſeruile.

An die feſto liceat torneamenta, choreas, & alios ſimiles ludos exercere.

Deciſio CLI.

SVMMARIVM.

1 *Choreæ, & torneamenta non licent die feſto ſecundum aliquos.*
2 *Oppoſitum eſt verum.*
3 *Torneamenta, & choreæ ordinantur ad relaxandos animos.*
4 *Labor corporis eſt indifferens reſpectu operis ſeruilis, & non ſeruilis.*

5 *Chorea, & alij ſimiles ludi recreant etiam animos exercentium.*

6 *Exercere opus ſeruile die feſto, etiam per iocum, eſt peccatum.*

1 NOn licere docent Riccar. *in 3. diſt. 37. ar. 3. quæſ. 4.* Angel. *Verbo Chorea*; quia putant eſſe opus ſeruile, & laborioſum.

2 Oppoſitum tamen tenent Armil. *Verbo* Chorea *nu.* 1. Syluеſ. *quæſ.* 1. & *Verbo* Ludus *quæſ.* 2. Caiet. 2. 2. *quæſ.* 168. *ar.* 3. *dub.* 3. Cordub. *Sum. quæſ* 62. Sanchez *tom.* 2. *Opuſ. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 16. *num.* 2. quia non ſunt opera ſeruilia; nam vt ait Caiet. labores ludicri non ſeruiles, ſed liberales ſunt. Quod tamen abſolutè non placet; nam labor de ſe ſeruilis non euadit liberalis ex eo, quòd fiat ludicrè; nam finis extrinſecus, qualis eſt fieri ludicrè, cum ſit finis operantis, non operis, non immutat naturam ipſius: atque adeò non facit, vt non ſit ſeruile; quod alioquin eſt tale.

3 Tenenda tamen eſt hæc poſterior ſententia; Quia huiuſmodi torneamenta, & alij ludi huius generis ex ſua natura, & intrinſeco fine ordinantur ad relaxandos animos; quia cum cauſent delectationem, faciunt ipſum quieſcere, atque adeo refocillari, ſicut corpus per quietem corporalem refocillatur, vt docet D. Th. 2. 2. *quæſ.* 168. *ar.* 2. *in corpore.* Et propterea in ipſis exercetur virtus Eutrapeliæ. Vnde non ſunt operationes ſeruiles, cum proximus effectus ipſarum ſit animum recreare.

4 Neque obſtat, quòd interueniat labor corporis; quia ipſe de ſe indifferens eſt ad eſſe, & non eſſe ſeruile: & determinatur ab operatione, in qua reperitur.

5 Et hoc habet locum etiam reſpectu eorum, qui exercent huiuſmodi ludos; nam licet fatigentur in corpore, recreantur tamen in animo; vnde intuitu ſolius recreationis aſſumuntur huiuſmodi ludi laborioſi, & indifferenter ſolent ab omnibus exerceri etiam nobilibus; imò quidam à ſolis nobilibus.

6 Ex his colligitur non eſſe admittendum quod ait Syluеſt. *citato Verbo* Ludus *quæſ.* 2. quod ſi quis ioco araret, vel aliquid ſimile faceret die feſto, non peccaret; nam reuera exerceret opus ſeruile prohibitum; & ſicut peccaret qui ioco blaſphemaret Deum, quia exerceret opus prohibitum: ita etiam qui talia opera ſeruilia ioco exerceret, niſi paruitas materiæ excuſaret.

An liceat tabellionibus, ſeu notarijs facere ſcripturas publicas die feſto.

Deciſio CLII.

SVMMARIVM.

1 *Non licet die feſto tabellionibus facere ſcripturas publicas, ſecundum aliquos.*

2 *Eſt licitum.*

3 *Si tamen non contineant actus iudiciales prohibitos.*

4 *Scriptura publica nihil continet ſeruilis.*

5 *Cur ſit licita die feſto.*

6 *An debeat die feſto ſolùm ſcribi conſenſus, & ſequenti die formari ſcriptura.*

7 *Extra neceſſitatem poteſt die feſto confici teſtamentum, inſtrumentum, &c.*

8 *Inſtrumenta emptionis, & venditionis ſunt licita die feſto, ratione mercatus.*

1 NEgatiuè reſp. Syluеſt. *Verbo* Dominica *quæſ* 3. D. Antonin. 2 *par. tit.* 9. *cap.* 7. §. *vltimo*, qui docet hoc abſolutè non eſſe licitum, ſed tantùm vbi eſt conſuetudo: quatenus conſuetudo derogat legi.

2 Affirmatiuam verò ſententiam tradunt Nauat. *in Sum. cap.* 13. *num.* 14. Lopez *lib.* 1. *Inſtruct. cap.* 52. §. *Licet etiam conſcribere.* Sanchez *tom.* 2. *Opuſ. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 10. *num.* 2. qui ait eſſe etiam ſententiam doctorum Recentiorum.

3 Et hæc ſententia tenenda eſt. Nota tamen, procedere de ijs tantùm ſcripturis, quæ continent illos actus, qui die feſto non ſunt prohibiti; nam ſi actus eſſent prohibiti, vt ſolemnis examinatio teſtium, etiam ſcriptura continens tales actus, vt eſt formatio proceſſus, eſt prohibita; quia eſt pars illius actus, qui prohibetur, atque continetur ſub eadem prohibitione.

4 Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia ſcriptura publica duo continet: & ipſum ſcribere, quod non eſt ſeruile, vt vidimus in ſuperioribus (cum ſit manifeſtatio conceptuum in ordine ad inſtruendum alium) Et reductio illius actus, quem continet ſcriptura, in acta publica; ſi quidem publica ſcriptura notarij inſeruit ad aſtruendam fidem publicam pro illo actu, qui exercetur, & ad ipſum regiſtrandum inter acta publica. Hoc autem neque eſt prohibitum: quia non adeſt ius ipſum prohibens; neque eſt opus ſeruile: quia ordinatur ad publicè inſtruendum quotquot opus fuerit de illo actu.

5 Præterea cum actus ipſe non ſit prohibitus, nec etiam ipſa ſcriptura publica erit prohibita: cum ſit quoddam complementum eiuſdem

actus

actus; neque enim actus cenſetur completus, donec in publica acta ſit redactus.

6 Ex his colligitur; Sanchez *num. 4. dub. ſupracitat.* abſque neceſſitate aſſerere quòd melius ſit, die feſto ſcribere ſolùm conſenſum, & altera die conficere ſcripturas; quia cum conficere tales ſcripturas non ſit prohibitum, cur melius erit expectare alteram diem? non enim poteſt eſſe melius, niſi per accidens; quatenus tempus, quod inſumeretur in ipſa conficienda, concedatur meliori operationi.

7 Inſuper colligitur, Etiam extra neceſſitatem licere die feſto conficere teſtamenta, ſcripturas donationis, renunciationis, debiti ſoluti, &c. Item inſtituere procuratorem ad exigendum, & ſoluendum, ad contrahendum matrimonium, ad eligendum, &c: Fidem facere ſcriptura publica de vita, aut morte alicuius, authenticare Reliquias Sanctorum, & alias huiuſmodi ſcripturas licitas eſſe. An autem liceat conficere ſcripturas, quæ licet non contineant actus prohibitos ſint tamen in ordine ad ipſos, vt inſtituere procuratorem ad lites, videbimus alibi.

8 Denique licet etiam facere inſtrumenta emptionis, & venditionis in ijs locis, in quibus vel ex conſuetudine, vel ex permiſſione exercentur mercatus. Vt etiam notat Sanchez *num. 3. dub. ſupracitat.*, Quia tunc, cum emptio, & venditio licitæ ſint, erit etiam licita ſcriptura. Nota tamen, quòd vt liceat facere huiuſmodi inſtrumentum, oportet vt emptio & venditio pertineat ad mercatum; quia eſt tantùm licitum ratione mercatus.

De Fidei confeſſione.

An peccet contra confeſſionem externam Fidei, qui vtitur veſtibus inſtitutis ab infidelibus, aut hæreticis ad diſcernendam propriam religionem.

Deciſio CLIII.

SVMMARIVM.

1 *Vſus veſtium, quibus ex conſuetudine infideles, & hæretici vtuntur, non eſt illicitus.*
2 *Niſi vrgeat præceptum confitendi fidem.*
3 *Non requiritur neceſſitas, quaſi occultatio fidei abſque neceſſitate ſit mala.*
4 *Nec quia talis vſus habeat apparentiam mali.*
5 *Vſus veſtium, quæ ordinantur ad diſcernendam religionem, eſt illicitus ſecùndum aliquos.*
6 *Hæ veſtes, ſecùndum eoſdem, imitantur verba ſignificantia profeſſionem falſæ ſectæ.*
7 *Harum veſtium vſus eſt licitus ex neceſſitate.*
8 *Hæ veſtes nullo modo ſunt proteſtatiuæ falſæ ſectæ, ſed occultatiuæ fidei.*
9 *Aliud ſignum proteſtationis religionis, & aliud perſonæ profitentis religionem; & hoc vti non eſt illicitum.*
10 *Qui hoc vtitur non oſtendit ſe profiteri falſam religionem.*
11 *Nec etiam apparet, quòd qui vtitur faciat contra propriam religionem.*
12 *Non eſt eadem ratio de ſignificatione veſtium, & verborum.*
13 *Secluſis circumſtantijs indicantibus abnegationem fidei, vſus veſtium diſcernentium religionem non eſt mortale.*

1 Difficultas non procedit de veſtibus, quibus vtuntur infideles, aut hæretici ex conſuetudine veſtiendi: quæ ſolent eſſe diuerſæ, ſicut ſunt inter catholicos: & illa diuerſitas non ordinatur ad indicandam diuerſitatem religionis; quia conueniunt omnes Doctores, non eſſe contra externam confeſſionem fidei illis vti. D. Antonin. 2. *par. tit.* 12. *cap.* 6. Angel. *in Sum. Verbo* Infidelitas *num.* 9. & *Verbo* Fides *num.* 9 Syluest. *Verbo* Apoſt. *quaſ.* 1. *num.* 4. & *Verbo* Fides *quaſ.* 5. *nu.* 8. Armilla *Verbo* Fides, & *Verbo* Infidelitas *vtrobique in fine*, Tabiena *Verbo* Fides *quaſ. vltima*, & *Verbo* Infidelitas *in fine*. Tolet. *lib* 4. *Sum. cap.* 2. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 4. *num.* 17. Coninch *diſp.* 15. *de Fide num.* 65. *ver. Contra verò*. Turrian. *diſp.* 35. *dub.* 4. *ver. Rurſus*. Suarez *diſp.* 14. *ſect.* 5. *num.* 4. Merat. *tom.* 2. *diſp.* 29. *ſect.* 2. *concluſ.* 2. Quia videlicet cum huiuſmodi veſtes non ſint vllo pacto ſigna religionis, induens illas non ſignificat aliquid contra ſuam veram religionem; vnde hoc in vſu eſt etiam apud viros timoratæ conſcientiæ. Neq; continet hic vſus aliquod mendacium; quia veſtes non ſe habent per modum ſigni.

2 Hoc tamen debet limitari ad caſum, in quo non vrget præceptum confitendi fidem; quia ſi vrgeret, eſſet peccatum mortale: non vſus illarum veſtium præcisè, ſed quia occultaretur non ſolùm fides, ceſſando à confeſſione, ſed etiam habitus, vnde fides dignoſci poſſet.

3 Vt plurimùm autem ſupracitati Doctores limitant, quòd ad excuſandum à peccato debeat vrgere aliqua neceſſitas. Verùm non video in quanam ratione fundetur huiuſmodi limitatio. Non enim fundatur in eo, quòd occultatio fidei ſit mala; quia cum ſit mala, quatenus eſt contra exteriorem confeſſionem, tunc ſolùm poteſt eſſe mala, quando vrget obligatio exterioris confeſſionis. Deinde huiuſmodi veſtes, neque occultant fidem; quia in

tantùm occultarent, in quantùm tollerent aliquod ſignum; quem tamen non tollunt; quia ſupponimus, quòd veſtes conſuetæ non ſint in ſignum religionis.

4 Nec item in eo fundatur, quod hæc actio, licet non ſit mala, habeat tamen aliquam ſpeciem mali, à qua ſit abſtinendum, iuxta id 1. Theſſ. 5. *Ab omni ſpecie mali abſtinete vos.* quiá Apoſtolus intelligit de vera ſpecie mali, non de apparenti. Nec video quam ſpeciem mali habeat vſus harum veſtium; quia tota ſpecies mali, quam poſſet habere, eſſet, quia videretur aliquid contra fidem. Non poteſt autem prudenter accipi tanquam aliquid contra fidem; quia cum non ſint illæ veſtes ſignum religionis, non poſſunt accipi tanquam aliquid contra religionem.

5 Quod ſpectat ad veſtes inſtitutas ad diſcernendam religionem: Quamplures docent, eſſe peccatum mortale contra exteriorem fidei confeſſionem ijs vti, etiam ob vitandum quodlibet graue periculum. D. Anton. 2. *par. tit.* 12. *cap.* 6. *in fine* Caiet. *in Sum. Verbo* Habitus *in fine.* Armilla *Verbo* Fides *in fine*, & *Verbo* Infidelitas *in fine* Syluester *Verbo* Apoſtaſia *quæſ.* 1. *num.* 4. & *Verbo* Fides *quæſ.* 5. *num.* 8. Tabiena *Verbo* Fides *quæſ. vltima*, & *Verbo* Infidelitas *in fine*, Angel. *Verbo* Infidelitas *num.* 9. & *Verbo* Fides *num. item* 9. Nauar. *cap.* 11. *Sum. num.* 24. *ver.* 4. Philiarcus *de Officio Sacerd. tom.* 1. *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 5. *poſt init.* qui indifferenter loquuntur de omnibus, quæ ſunt ſigna falſæ religionis. Et ſpecialiter de veſtibus Caiet. 2.2. *quæſ.* 3. *ar.* 2. *dub.* 1. *in fine.* Tolet. *lib.* 4. *Sum. cap.* 2. *num.* 7. qui hanc opinionem ſequitur ex eo, quòd putat eſſe communem. Merat. *tom.* 2. *diſp.* 29. *de Fide ſect.* 2. *concluſ.* 1.

6 Fundamentum eſt. Quia cum iſtæ veſtes lege vel conſuetudine ſint ſigna falſæ religionis, habent parem ſignificationem exteriorem cum verbis; vnde nunquam ſunt licitæ: ſicut nec verba ſignificantia profeſſionem falſæ ſectæ; quia & ſi poſſint aliud ſignificare, & non ſint inſtitutæ ad falſam religionem profitendam: ex conſuetudine tamen ita ſignificant, & ſaltem conſequenter includunt profeſſionem falſæ religionis.

7 Oppoſitam ſententiam, nempe non eſſe peccatum ex graui neceſſitate vti huiuſmodi veſtibus, tradunt Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 27. *quæſ.* 4. Lopez 1. *par. Inſtruct. cap.* 41. *ver. Peccat mortaliter.* Palatius *in* 3. *diſt.* 25. *diſp.* 4. Banneſ. 2. 2. *quæſ.* 3. *ar.* 2. *dub.* 2. *concluſ.* 3. Aragon. *ibid.* Peſant. *diſp.* 1. *quæſ.* 5. Ledeſma *in Sum. tom.* 2. *tract.* 1. *cap.* 4. *ante* 10. *concluſ.* Rodriquez *in Sum. tom.* 1. *cap.* 119. *nu.* 5. Rutilius Benzon. *tract. de Fuga lib.* 1. *diſp.* 1. *quæſ.* 4. *ad.* 4. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 4. *nu.* 19. Suarez *diſp.* 14. *de Fide ſect.* 5. *num.* 7. Valent. *tom.* 3. *diſp.* 1. *quæſ.* 3. *puncto* 2. *dub.* 4. *in fine*, & *dub.* 5. Coninch. *diſp.* 15. *de Fide num.* 66. *concluſ.* 8. Turrian. *diſp.* 35. *dub.* 4. Sà *Verbo* Fides *num* 4. Caſtr. Palaus *par.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 1. *puncto* 17. *num.* 3. Becan. *tract. de Fide cap.* 9. *quæſ.* 5. *num.* 29. Gordon. *lib.* 6. *Theol. Moral. quæſ.* 12. *cap.* 9. *num.* 21. Duual. 2. 2. *tract. de Fide quæſ.* 3. *ar.* 3. *concluſ* 2. Tanner. *tom.* 3. *diſp.* 1. *quæſ.* 7. *dub.* 5. *num.* 110. Hurtad. 2. 2. *diſp.* 48. *ſect.* 3. §. 27.

8 Et hæc ſententia tenenda eſt. Cuius ratio fundamentalis eſt, quia tales veſtes non ſe habent neque formaliter, neque conſequutiuè vt proteſtatiuæ falſæ ſectæ, ſed tantùm vt occultatiuæ perſonæ profitentis veram religionem. Et ratio eſt, quia de ſe non ſunt proteſtatio religionis, cum non ſint aliquis cultus: ſed ſolùm poſſunt eſſe proteſtatiuæ tanquam ſignum. Verùm neque hoc pacto proteſtantur; nam ſignificatio ſigni menſuratur tum ex intentione illud aſſumentis tum ex acceptione eorum, quibus fit ſignificatio. Huiuſmodi autem veſtes non ſunt ſignum proteſtationis falſæ religionis ex intentione aſſumentis, quia ob ſolam occultationem perſonæ aſſumuntur; nec à Catholicis accipiuntur vt tale ſignum, quia quilibet prudens iudicabit tantùm aſſumentem velle latere. Nec etiam ab ijs, qui falſam ſectam profitentur; nam ſolùm ſupponent quòd ille ſit ſuæ ſectæ, & ob conſuetudinem vel legem vtatur illis veſtibus; non autem illas accipient tanquam ſignum proteſtationis talis ſectæ, ſed potiùs tanquam actum obedientiæ legi Principis, vel conformationis cum conſuetudine.

9 Dices Ex illis veſtibus indicari quòd ille ſit eiuſdem religionis cum ipſis; & proinde eos accipere tanquam ſignum indicatiuum religionis: vnde, qui ijs vtitur, dat iuſtam occaſionem formandi tale iudicium. Reſpond. aliud eſſe ſignum proteſtationis religionis, & aliud, ſignum perſonę profitentis religionem. Differunt enim; nam illud eſt veluti quædam externa confeſſio religionis: & ideo eſt contra exteriorem confeſſionem fidei, ſi ſit ſignificatiuum falſæ ſectæ. Signum verò perſonæ profitentis religionem, quia non aſſumitur cum ordine ad ipſam, non eſt confeſſio religionis; & ideo cum de ſe non indicet religionem, non poteſt eſſe contra exteriorem confeſſionem fidei, etiam ſi indicet perſonam alterius ſectæ; vnde dum aſſumitur, ſolùm aſſumitur ſpecies perſonæ alterius ſectæ, non autem ſignum proteſtationis religionis: quia eſt ſignum ciuile. Hinc licet ex ipſo poſſit argui perſona alterius ſectæ, non tamen qui illud aſſumit, facit aliquid contra veram religionem. Et cum non ſit ſignum neceſſarium, quòd

aſſumens

aſſumens ſequatur falſam ſectam, eſt in libertate alterius hoc indicare, vel non iudicare; & ideo de ſe non determinat ad iudicium: atque adeo nec etiam ex hoc capite eſt contra veram religionem.

10 Quòd ſi dicas, eſſe ſignum ciuile, & perſonæ, ſed tamen profitentis falſam religionem; & ideo aſſumentem oſtendere, ſe profiteri falſam religionem. Reſp. Non oſtendere, ſe profiteri falſam religionem: ſed ſe occultare ſub perſona profitentis falſam religionem; quia cum adſint tales perſonæ profitentes falſam religionem, aſſumit ſpeciem alicuius ipſarum; vnde non oſtendit in perſona propria ſe profiteri falſam religionem: ſed tantùm in perſona illius, quæ verè talem ſectam profitetur. Vnde iudicium, quod ex tali habitu formatur, non eſt, niſi quòd perſona, quæ præſupponitur talis ſectæ, & quæ ex habitu apparet, profiteatur talem ſectam. In quo nihil continetur contra obligationem confeſſionis fidei; quia talis obligatio non conſurgit, niſi in eo, qui habet veram fidem; In hoc autem

11 caſu qui habet veram fidem, non facit aliquid contra obligationem; nec item quis iudicat, quòd faciat aliquid contra talem obligationem; nam non apparet in perſona habentis talem obligationem apud eos, qui putant profiteri eamdem religionem cum ipſis, cum ſe exhibeat tanquam vnum ex ipſis: vnde nec etiam iudicare poſſunt quòd deficiat à propria religione; ſed tantùm exiſtimabunt quòd ſit ille, qui apparet: in quo errabunt; & quòd ille, qui apparet, profiteatur talem ſectam: quod eſt verum. Et ideo profeſſio talis ſectæ non adſcribitur veræ, ſed apparenti perſonæ; & conſequenter cum falſa ſectæ profeſſio non coniungatur cum vera perſona, ipſa nihil habet, quod ſit contra exteriorem confeſſionem fidei.

12 Quare non eſt eadem ratio de ſignificatione veſtium ac verborum, vt volebant auctores prioris ſententiæ; quia veſtes indicant perſonam, & conſequutiuè religionem in perſona apparenti. Verba autem ſignificant immediatè res ipſas; & ideo ſunt ſignum religionis immediatum, etiam ſi ambiguæ ſint; quia ſaltem ſecùndum vnam ſignificationem ſignificarent falſam ſectam, & ſecùndum talem ſignificatinnem acciperentur.

13 Quia autem ex natura rei, præciſis quibuſcumque circumſtantijs extrinſecis, adhibere tales veſtes non continet aliquam proteſtationem falſæ ſectæ, neque reſpectu illorum, qui illam ſequuntur, neque reſpectu Catholicorum: ſed tantùm occultationem perſonæ profitentis veram religionem ſub perſona profitentis falſam; ideo, ſecluſo periculo, non erit peccatum illas adhibere: etiam ſi aliqui ex Auctoribus pro ſecunda ſententia allatis num. 7. oppoſitum ſentiant; dummodo tamen non concurrant aliæ circumſtantiæ, quæ indicent abnegationem fidei. Ratio autem eſt; Quia vſus harum veſtium ſecùndum ſe conſideratus non eſt malus, niſi quatenus poteſt eſſe contra obligationem confeſſionis exterioris fidei. Non eſt autem, etiam ſi adhibeatur abſque periculo; quia qui cognoſcent adhiberi à Catholico, ſolùm exiſtimabunt quòd velit ſub illo habitu latere: niſi aliæ circunſtantiæ moueant ad aliter iudicandum; Qui autem non cognoſcent eſſe Catholicum, ſicut non percipient in adhibente obligationem confitendi fidem catholicam, ita nec percipient aliquid contra ipſam. Vſus autem talium veſtium de ſe eſt tantùm occultatiuus perſonæ, non autem proteſtatiuus religionis, atque ſolùm vt occultatiuus adhibetur.

An ſit contra confeſſionem fidei exteriorem deferre veſtes infidelium habẽtes depictas figuras idolorum, vel auctorum falſæ ſectæ.

Deciſio CLIV.

SVMMARIVM.

1 *Eſt contra exteriorem confeſſionem fidei deferre veſtes habentes depicta idola, &c.*
2 *Non eſt contra exteriorem confeſſionem fidei.*
3 *In hoc vſu non interueniat apparentia externa contra veram fidem.*
4 *Vnde colligatur per has veſtes non deferri idolo aliquem cultum.*
5 *Quodnam ſignum figura idolorum depicta in veſtibus.*
6 *Vti veſtibus magis proprijs profitentium falſam ſectam, an licitum.*

1 RESp. affirmatiuè Sanchez *lib* 2. in *Decal. num.* 2 *&* 23. *in fine*, Suarez *diſp.* 14. de *Fide ſect.* 5. *num.* 8. Caſtr. Palaus *par.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 1. *puncto* 17. *num.* 4. Beçan. *tract.* de *Fide, Spe, &c. cap.* 5. *quaſ.* 5. *num.* 34. Et à fortiori id tenent Auctores primæ ſentent. *Deciſ. præcedent. num.* 5. allati; intelligunt tamen de publica geſtatione, non autem de priuata; Quia nimirum per talem geſtationem defertur quidam cultus, & veneratio idolo, ſiue auctori falſę ſectæ.

2 Verùm oppoſitum docet Hurtad. 2. 2. *diſp.* 48. *ſect.* 4. §. 57. Et ratio eſt, Quia cum ſolùm ratione externæ apparentiæ poſſit interueni-

re peccatum contra exteriorem confeſſionem fidei: quia ſupponitur quòd tales veſtes adhibeantur cum recta intentione; videtur neque ex hoc capite vſum reddi illicitum, eo quòd non adſit talis externa apparentia; quia ratione veſtium induit alienam perſonam, ſub qua ſe occultat; vnde quicquid poteſt eſſe apparentiæ contra veram fidem, non ſtat in perſona propria illius, ſed in aliena, quæ præſupponitur ſequi falſam ſectam; & ideo aſſumens tales veſtes, non oſtendit extrinſecùs ſe deſerere veram fidem: ſed tantùm vtitur apparentia perſonæ non habentis veram fidem, ad ſe occultandum.

3 Et quia non poteſt conſurgere aliquod peccatum, quò ad externam apparentiam, niſi ſuperueniat aliqua noua actio, & externa apparentia (quia omne peccatum fundatur in actione proportionata) ideo in tali caſu non adeſt peccatum: quia non interuenit noua iſta actio externæ apparentiæ contra veram fidem; nam cultus ille falſus ratione figurarum depictarum in veſtibus non eſt noua actio perſonæ aſſumentis huiuſmodi veſtes: quia cùm occultet per illas veſtes propriam perſonam, non exhibet talem actionem in propria perſona; ſed eſt actio iam præexiſtens in perſona falſæ ſectæ, qua vtitur ſimul cum veſtibus ad ſe occultandum. Et eodem ferè pacto Chriſtus aſſumpſit externam apparentiam peccatoris iuxta illud Ad Rom. 8. *In ſimilitudinem carnis peccati*, non tamen per hoc peccauit.

4 Deinde, Si deferens huiuſmodi veſtes cognoſcatur vt Catholicus ab aliquo, is ex hoc præcisè quòd eum videat deferre tales veſtes (niſi aliæ circumſtantiæ concurrunt) non exiſtimabit deſeruiſſe catholicam fidem, ſed tantùm velle latere ſub illis veſtibus: præſertim ſi adſit conſuetudo ſe occultandi ſub veſtibus infidelium Hoc autem indicium ſatis indicat quòd non defertur Idolo aliquis cultus, adhibendo huiuſmodi veſtes.

5 Quod præſertim verum eſt, Quia figuræ Idolorum depictæ in veſtibus tranſeunt in ſignum diſtinguens eos, qui profitentur falſam ſectam: non autem retinent rationem rei venerabilis; & ideo eadem eſt ratio de ipſis, ac de veſtibus, quæ ſunt ſignum infidelium profitentium falſam religionem: de quibus diximus *Deciſ. præcedent.* Hæc autem debent intelligi, quando non vrget præceptum confeſſionis fidei.

6 Ex his autem colligitur quid dicendum de doctrina, quam tradit Coninch. *diſp. 15. de Fide, dub. 3. num. 74.* Quòd videlicet non liceat vti veſtibus, quæ magis propriæ ſunt profitentium falſam ſectam, & magis illam exprimunt, quando licet vti veſtibus minùs proprijs, & minùs falſam fidem exprimentibus. Non enim hoc videtur illicitum, quia non ſit licitum vti talibus veſtibus, ratione circunſtantiarum, quæ faciant quòd faciliùs ſit licitum vti vnis, quàm alteris veſtibus; ſed quia talis vſus de ſe nullam dicit proteſtationem falſæ fidei: ſed tantùm occultationem perſonæ, ſub perſona & apparentia profitentis falſam fidem. Si enim diceret proteſtationem falſæ ſectæ, ex nulla circunſtantia fieret licitus talis vſus; quia circunſtantiæ non tollunt quod res dicit de ſe.

An vſus veſtium, quæ directè inſtitutæ ſunt ad profitendam falſam fidem, ſit contra exteriorem confeſſionem fidei.

Deciſio CLV.

SVMMARIVM.

1 *Veſtes ad profitendam falſam fidem ſunt in duplici genere. Et eæ illicitæ quæ ſunt propriæ cultus falſi, per quas ipſe exercetur.*
2 *Veſtes habitualiter inſtitutæ in proteſtationem falſæ ſectæ, etiam neceſſitate vrgente, ſunt illicitæ ſecùndum aliquos.*
3 *Cur ſecùndum ipſos illicitæ.*
4 *Secùndum alios licitæ ob vitandum graue periculum.*
5 *Aut ſemper licitæ, àut neque ob vitandum graue periculum.*
6 *Non ſunt illicitæ, & quare.*
7 *Per has veſtes non exhibetur aliquis cultus à Catholico falſæ ſectæ, neque quò ad apparentiam.*
8 *Nec profitetur falſam ſectam, & quare.*
9 *Quale ſignum cultus falſæ ſectæ non ſit licitum.*
10 *Proteſtatio falſæ ſectæ in ſigno habituali non appropriatur perſonæ latenti ſub ipſo.*
11 *Dictæ veſtes non ſunt licitæ, ſi adſit ſcandalum.*

1 HÆ veſtes ſunt in duplici differentia; Quędam enim actualiter important profeſſionem actualem falſæ fidei, eò quod à profeſſoribus non ſoleant adhiberi habitualiter, ſed ſolùm actualiter, nempe in ipſo actu, quo profitentur falſam fidem; vt eſſent veſtes, quibus ſacerdotes vtuntur ſolùm dum actualiter ſacrificant: vt contingit etiam apud Catholicos, quò ad veſtes, quibus vtuntur ſacerdotes, dum actualiter celebrant. Et de his certum eſt non poſſe eſſe vllo modo licitas; quia neque poſſunt deſeruire ad occultandum, cum

ſint

ſunt in vſu ſolùm in actuali exercitio falſæ religionis: vnde non poſſunt deſeruire, niſi ad falſam religionem profitendam, ſi ſeriò adhibeantur. Aliæ verò ſunt habituales, quæ etiam extra exercitium actuale falſæ religionis adhiberi ſolent, ſunt tamen inſtitutæ ad illam profitendam; vt ſunt illę, quæ ſunt propriæ falſorum ſacerdotum, aut illæ, quas Princeps præſcriberet tali ſectæ; vt per ipſas profiterentur qui ſunt talis ſectæ, ſe eſſe talis ſectæ. Et de his inquirimus.

2 Affirmatiuam ſententiam tradunt à fortiori Auctores ſupra Deciſ. 153. *num.* 5. allegati, & ſpecialiter Arragon. 2. 2. *quæſ.* 3. *ar.* 2. *dub.* 1. Lopez *par.* 1. *Inſtitut. Moral. cap.* 41. *ver. Accipiens habitum.* Benzon. *tract. de Fuga lib.* 1. *diſp.* 1. *quæſ.* 4. *ad.* 4. Suarez *diſp.* 4. *de Fide ſect.* 5. *nu.* 12. Turrian. *diſp.* 35. *dub.* 4. Merat. *tom.* 2. *tract. de Fide diſp.* 29. *ſect.* 2. *ver. Iam dico primò.* Becan. *tract. de Fide cap.* 9. *quæſ.* 5. *num.* 35. Gordon. *lib.* 6. *Theol. Moral. quæſ.* 12. *cap.* 9. *num.* 20. Caſtr. Palaus *par.* 1. *tract.* 4. *de Fide diſp.* 1. *puncto* 17. *num.* 7. Et hoc intelligunt, etiam ſi non vrgeat præceptum confeſſionis fidei.

3 Prob. Quia vſus talium veſtium eſt quidam cultus, & honoratio falſæ ſectæ, cui honos maior accreſcit, quò plures ijs vtuntur. Secundò, Eſſet profeſſio falſæ ſectæ; nihil autem refert quòd quis illam profiteatur facto, aut verbo; verbo autem nunquam licet profiteri. Tertiò, Nunquam licet vſurpare ſignum externum inſtitutum ad cultum falſæ religionis; veſtis autem deputata ad profeſſionem falſæ ſectæ eſt inſtituta ad cultum falſæ religionis; quia omne externum inſtitutum ad proteſtandam aliquam religionem ex ſua inſtitutione ordinatur ad cultum illius. Quartò, Proteſtatio falſæ ſectæ eſt moraliter inſeparabilis ab vſu talium veſtium, licet metaphyſicè poſſit ſeparari; quia eſt iam determinatus ad talem proteſtationem, ſicut etiam ponere in thuribulo incenſum, modo inſtituto ad cultum religionis, habet annexam proteſtationem illius, licet de ſe ſit indifferens. Quinto addunt, quòd rarò huiuſmodi vſus poterit à ſcandalo excuſari.

4 Nihilominus contrariam ſententiam ſequuntur Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 27. *quæſ.* 4. *in fine* Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 4. *nu.* 20. Coninch. *diſp.* 15. *de Fide dub.* 3. *concluſ.* 9. Dual. 2. 2. *tract. de Fide quæſ.* 3. *ar.* 3. *concluſ.* 3. Hurtad. *diſp.* 48. *ſect.* 4. §. 54. Vuigers *quæſ.* 3. *ar.* 2. *num.* 56. Eam tamen limitant: Vt ſolùm locum habeat quando vrget graue periculum, quod aliter vitari non poteſt. Quia in tali vſu harum veſtium nequit eſſe ſignum falſæ ſectæ.

5 Verùm non video quomodo id dici poſſit. Nam vel in tali vſu continetur proteſtatio falſæ religionis: & tunc quocumque vrgente periculo erit illicitus; quia talis proteſtatio nunquam eſt licita. Vel non continetur: & tunc neque præciſo periculo aderit huiuſmodi proteſtatio: & proinde adhuc vſus erit licitus, niſi aliunde illicitus fiat. Neque poteſt dici quòd periculum eximat vſum à proteſtatione: quia licet eximat quò ad intentionem, non tamen quò ad externam apparentiam; cum veſtes habeant eamdem externam apparentiam, quam haberent ſi non adeſſet periculum; vnde neque ratione periculi verba eximuntur à tali proteſtatione, quando ex ſua inſtitutione illam habent.

6 Itaque hanc ſecundam ſententiam abſolutè amplectendam exiſtimo abſque iſta limitatione. Quia in vſu harum veſtium, præter externam apparentiam, nihil aliud illiciti eſſe poteſt; hæc autem externa apparentia non de nouo fit ab vtente his veſtibus, ſed iam ſupponitur eſſe in ijs, qui falſam religionem profitentur; neque vtens eam aſſumit in propria perſona, ſed relinquit in perſona, in qua verè præſupponitur eſſe: & ſolùm ſibi medijs veſtibus adaptat apparentiam illius perſonæ, ad ſe occultandum. Vnde apparentia profeſſionis falſæ ſectæ non coniungitur cum ipſo, ſed remanet in profitente: & ideo à nullo ei adſcribitur; nam profeſſores falſæ religionis putant eſſe vnum ex ſeipſis, non autem Catholicum, qui in externo talem religionem profiteatur. Catholici verò accipiunt talem apparentiam, vt in perſona cultoris falſæ ſectæ aſſumpta ad occultationem, ſi contingat vt ipſum agnoſcant vt Catholicum. Hinc ſi agnoſceretur vt Catholicus ab infidelibus, non contenti eſſent illa externa apparentia ex veſtibus, ſed aliunde certificationem exigerent quòd Catholicam religionem reliquiſſet; quod ſignum eſt huius modi apparentiam externam accipi vt occultatiuam perſonæ, non vt proteſtatiuam religionis.

7 Ad primum oppoſitæ ſententiæ reſp. Quòd quicquid cultus & honoris prouenit falſæ ſectæ ex vſu talium veſtium, non eſt nouus exhibitus de nouo à Catholico: ſed ſupponitur exhiberi à perſonis, quarum apparentiam aſſumit Catholicus. Neque ex eo quòd creſcat numerus vtentium his veſtibus, creſcit honor; tum quia pauci ſunt illi, qui indigeant occultari ſub ipſis: vnde nunquam percipietur incrementum numeri; tum etiam quia quilibet de ſe non facit incrementum alicuius conſiderationis; nec tenetur reſpicere ad illud, quod faciunt alij, ſed ſolùm quid ſibi præcisè liceat. Solùm hoc haberet locum, quando tota aliqua multitudo ſimul decerneret vti his veſtibus.

8 Ad 2. Non eſſet profeſſio falſæ ſectæ, ſed occultatio ſub perſona profitente etiam per veſtes, tanquam per ſignum, falſam ſectam. Nec eſt eadem ratio de verbis; quia hæc ſunt immediatè perſonæ loquentis, nec poſſunt alteri, quàm ipſi attribui. proteſtatio autem falſæ religionis per veſtes non attribuitur perſonæ latenti ſub ipſis, ſed illi, quæ ſtat in apparentia per tales veſtes.

9 Ad 3. Non licere vſurpare ſignum inſtitutum ad cultum falſæ ſectæ, quando continet actuale exercitium illius religionis: vt eſſet reuerentiam exhibere idolo. Quando autem ſignum importat cultum habitualem, vt contingit in veſtibus: tunc quamuis non liceat illud vſurpare in propria perſona; quando tamen contingit propriam perſonam occultari ſub apparentia illius, qui falſam religionem profitetur, tunc licet illud vſurpare; quia non tranſit per appropriationem in propriam perſonam, ſed remanet in ea, in qua iam reperiebatur.

10 Ad 4. Etiam ſi proteſtatio falſæ ſectæ ſit moraliter inſeparabilis ab illis veſtibus: attamen quia non appropriatur perſonæ latenti, ſed illi, quæ ſtat in apparentia, in qua iam ſupponebatur: ideo non contingit peccari.

11 Ad 5. Quod diximus procedit ſecluſo ſcandalo; quia ſolùm intendimus quòd non ſit contra obligationem confeſſionis exterioris fidei. Verùm potiùs e contra raro poterit adeſſe ſcandalum. Quia non aderit reſpectu eorum, qui falſam religionem profitentur; nam non cognoſcent vtentem illis veſtibus vt Catholicum; nec reſpectu Catholicorum; quia vel non agnoſcent ipſum vt Catholicum: vel ſi agnoſcent, ſentient quòd gratia ſe occultandi id faciat.

An ſit contra exteriorem confeſſionem fidei relinquere ſignum impoſitum à Principe ad dignoſcendos Catholicos.

Deciſio CLVI.

SVMMARIVM.

1 *Relinquere ſignum inſtitutum ad manifeſtandam profeſſionem fidei eſt contra exteriorem confeſſionem fidei, ſecùndum Caietanum.*
2 *Non eſt contra exteriorem confeſſionem fidei, ſi non vrgeat præceptum confitendi.*
3 *Occultatio fidei quando ſit licita.*
4 *Omiſſio ſigni inſtituti à Principe ad profitendam fidem, non eſt negatio fidei.*
5 *Lex præſcribens ſignum Catholico non interrogat an ſit Catholicus.*
6 *Neque præſcribens tale ſignum exigit confeſſionem fidei.*
7 *Quod ſi exigeret, non obligaret, vt pote iniuſta. Quando vrgeat obligatio confitendi fidem.*

1 Affirmatiuè reſp. Caiet. 2. 2. *quæſ.* 3. *ar.* 1. Quando lex eſt in vigore, & ſignum non eſt inſtitutum ob finem politicum, ſed ad manifeſtandam profeſſionem fidei; Quia tune Catholicus per legem, atque adeo publica auctoritate interrogatur de fide; imò pluſquam interrogatur; quia à lege exigitur confeſſio fidei; vnde tenetur reſpondere; alioquin ſubtrahit debitum honorem Deo. Secus autem ſi ſit ob finem politicum.

2 At oppoſitum tradunt Banneſ. 2. 2. *quæſ.* 3. *ar.* 2. Peſant. Arragon. ibid. *dub. vltimo.* Valent. *diſp.* 1. *quæſ.* 3. *puncto* 2. *dub. vltimo.* Lopez 1. *par. Inſtruct. cap.* 42. *ver. Accipiens habitum.* Rodriquez *tom.* 1. *Sum.* 2. *edit. cap.* 119. *num.* 5. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 4. *nu.* 29. Suarez *diſp.* 14. *de Fide ſect.* 5. *num.* 10. Coninch. *diſp.* 15. *dub.* 3. *concluſ.* 10. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 27. *quæſ.* 4. Becan. *tract. de Fide cap.* 9. *quæſ.* 5. *num.* 39. Caſtr. Palaus *par.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 1. *puncto* 18. Et hæc ſententia tenenda eſt, ſuppoſito quòd non vrgeat præceptum confeſſionis fidei.

3 Ratio autem potiſſima eſt, Quia licet occultare fidem, quando non vrget præceptum confeſſionis: quia tunc non ſubtrahitur debitus cultus Deo, cum tunc non ſit obligatio exhibendi; & tunc ſolùm occultatio eſt illicita, quando ſubtrahitur debitus cultus; omiſſio autem ſigni præſcripti eſt tantùm occultatio fidei, non autem negatio, etiam quò ad apparentiam; quia nemo prudens arguet ex tali omiſſione negationem fidei, niſi aliæ circunſtantiæ concurrerent, quæ id ſuaderent. Ratio autem eſt, quia negatio fidei debet eſſe determinata; omiſſio autem ſigni, cum de ſe ſit occultatiua, non eſt determinata vt ſit negatio fidei: & ſolùm poteſt determinari ex eo quòd vrgeat præceptum confeſſionis.

4 Sed dices: Cum à Principe conſtitutum ſit illud ſignum, vt fidei proteſtatiuum: omiſſio erit negatio iuxta præſcriptum Principis. Reſp. tamen, quòd licet omiſſio ſigni à Principe acciperetur vt negatio fidei: quia tamen de ſe non eſt talis, neque vt talis adhiberetur à Catholico: ideo reuera non eſſet negatio fidei; neque vt talis poſſet accipi à Principe, quò ad praxim; nam non agnoſceret quòd Catholicus omiſerit ſignum; quia putaret eſſe vnum è propria ſecta. Addo etiam quòd ſi agnoſceret, neque per hoc cenſetur quòd negauerit

gauerit fidem (niſi aliæ circunſtantiæ concurrerent) ſed tantùm quòd voluerit latere. Vnde quòd omiſſio ſigni ſit negatio fidei iuxta præſcriptum Principis, eſt tantùm ponere ſtimulum, ad nonomittendum ſignum; non autem facere quòd reuera ſit negatio fidei.

5 Ad Caiet. Reſp. Legem non habere vim interrogandi. Quia aliud eſt interrogare, an ſis Catholicus; & aliud, ſuppoſito quòd ſis, præſcribere, vt aliquo externo ſigno id profitearis; in quo, vt per ſe patet, nulla inuoluitur interrogatio. Et ſolùm hoc ſecundum reperitur in tali lege; quia eſt facta in eum finem, vt qui Catholici ſunt, ſe per tale ſignum manifeſtent. Adde quòd ſi haberet vim interrogandi, illa interrogatio eſſet vniuerſalis, non autem huic, & illi particulariter facta; & ideo non tenetur quilibet in particulari reſpondere: quia interrogatio non fit ipſi in particulari.

6 Cum autem addit: quòd lex exigit confeſſionem fidei. Reſp. Id eſſe falſum; quia tantum præſcribit modum profitendi fidem; & illum ad ſummum exigit. In quo tamen non obligat; quia non ſpectat ad Principem ſæcularem præſcribere talem modum. Deinde obligatio confeſſionis fidei non poteſt induci maior, quàm exigat ipſa fides; quia tota obligatio radicatur in exigentia ipſius. Fides autemnon exigit, vt Catholici ſint in continua profeſſione illius: vnde neque talis obligatio poteſt induci per legem.

7 Adde, quòd lex iſta iniuſta eſſet: quia eſſet in odium fidei; vnde neque etiam obligaret; præſertim quia obligatio confitẽdi fidem tunc tantùm vrget in externa apparentia, quando in externa apparentia adeſt aliquis, ad quem ſpectet confiteri; in hoc autem caſu, dum ſe occultat qui deberet confiteri, neque etiam apparet obligatio: & proinde neque etiam aliquid contra obligationem.

An peccet contra exteriorem confeſſionem fidei qui latens ſub veſtitu Turcarum, dicit ſe eſſe Turcam, intelligendo quò ad externam apparentiam.

Deciſio CLVII.

SVMMARIVM.

1 *Dicens ſe eſſe Turcam, quando vrget obligatio confitendi fidem, peccat.*
2 *Non licet vti verbis ambiguis, quibus videamur negare fidem.*
3 *Si quis ſub veſtitu Turcarum dicat ſe eſſe Turcam, intelligendo quò ad habitum, non negat fidem.*
4 *Nec interuenit quò ad externam apparentiam; vnde nec peccat.*
5 *Neq; etiam apud Catholicos illum agnoſcentes.*
6 *Dum dicit ſe eſſe Turcam, non plus manifeſtat, quàm manifeſtet habitus.*
7 *Qualem ſenſum habeant hæc verba.*
8 *Cur indutus habitu Turcarum, & dicens ſe eſſe Turcam, non vtatur verbis ambiguis, ex quibus colligi poſſit negatio fidei.*

1 SVppono, quòd non vrgeat obligatio confeſſionis fidei: alioquin peccaret, ſaltem omittendo confeſſionem. Hunc caſum in terminis apud Doctores non reperio; ideo ex ijs, quæ certa ſunt, debet reſolui.

2 Ratio autem dubitandi eſt, Quia communiter ſentiunt non licere vti verbis ambiguis, quibus videamur negare fidem, hic autem vteretur verbis, quibus videretur, fidem negare.

3 Certum autem eſt in tali caſu non interuenire veram negationem fidei; quia dicit ſe eſſe Turcam, quò ad externam apparentiam, non autem quò ad profeſſionem fidei, quam nullo pacto intendit negare; vnde ſolùm poteſt peccare ratione externæ apparentiæ, quatenus appareret fidem negare.

4 Sed neque hoc pacto puto peccare, nec interuenire apparentiam negationis fidei. Ratio eſt, Quia apparentia externa negationis fidei non habet locum niſi adſit etiam externa apparentia fidei, quæ negatur, & obligationis illam confitendi; nam ſicut negatio fidei eſt diſceſſio à fide, ita apparentia negationis eſt apparens diſceſſio à fide; non poteſt autem eſſe apparens, niſi appareat etiam fides cum obligatione retinendi illam, à qua fiat diſceſſus. Sic cum infidelis dicit ſe eſſe infidelem, non negat, neque apparet negare fidem Catholicam; quia illam non habet. In caſu autem noſtro non apparet habens fidem Catholicam: quia Catholicus latet ſub veſtitu Turcæ: atq; adeo nec obligatio confitendi illam; vnde nec negatio quò ad externam apparentiam.

5 Quòd ſi fortè Catholicus latens ab aliquo alio Catholico agnoſcatur, non per hoc cenſebitur ab ipſo negare fidem: quia eò ipſo, quòd videbit eum occultari ſub alieno habitu, cenſebit etiam, quòd vtatur huiuſmodi verbis ad ſe occultandum.

6 Et rurſus poteſt declarari. Ex eo quòd Catholicus indutus habitu Turcarum dicat ſe eſſe Turcam: non plus de eo cognoſcitur, quàm cognoſcebatur ex habitu: nec alius conceptus formatur, quàm formabatur ex habitu. Ergo

ſi priùs

ſi prius non aderat apparentia negationis fidei, nec etiam modo adeſt.

7 Denique. Licet infideli dicere ſe eſſe infidelem: neque in hoc peccat, vt dicemus infra. Ergo indutus habitu Turcarum poteſt dicere ſe eſſe Turcam: intelligendo quò ad externam apparentiam; quia cum hoc dicat exiſtens in apparentia alienæ perſonæ, ſenſus eſt, quòd perſona, quæ apparet, ſit Turca; quod omnino verum eſt. Nec Catholicus ſibi adſcribit confeſſionem ſectæ Mahumetanæ; ſed perſonæ, quæ reuera illam profitetur, & cuius apparentiam habet.

8. Ad rationem dubitandi Reſp. Hæc non eſſe verba ambigua in caſu noſtro, ex quibus appareat negatio fidei; Quia cum non dicantur in apparentia perſonæ Catholicæ, ſed perſonæ infidelis, cenſetur, quod loquatur perſona infidelis, & quòd manifeſtet veritatem; non autē appræhenditur aliqua negatio fidei.

De Hæreſi, & Hæretico.

An crimen hæreſis ſufficienter probetur per teſtes ſingulares.

Deciſio CLVIII.

SVMMARIVM.

1 *Forum Inquiſitionis gaudet ſpecialibus priuilegijs.*
2 *Opinio affirmans ſufficere teſtes ſingulares ad probandam hæreſim.*
3 *Teſtes ſingulares plenè probant in crimine læſæ maieſtatis. Item in ſollicitatione facta in confeſſione.*
4 *Quomodo ſuppleatur defectus teſtium conteſtium.*
5 *Lex firmatur conſuetudine.*
6 *In quo conſiſtat perfecta probatio iudicialis.*
7 *Quæ inditia in criminibus occultis faciant plenam probationem iudicialem.*
8 *Opinio negans ad probandam hæreſim ſufficere teſtes ſingulares.*
9 *Opinio quòd ſufficiant teſtes ſingulares plures duobus, niſi ſint ſingulares ſingularitate obſtatiua.*
10 *Opinio, teſtes ſingulares in loco & tempore, conteſtes verò in ſpecie hæreſis plenè probare.*
11 *Teſtes ſingulares in nullo vnquam caſu plenè probant hæreſim.*
12 *Teſtes ſingulares nunquam probant, niſi fiant conteſtes.*
13 *Cur teſtes ſingulares non probent ſufficienter.*
14 *In crimine hæreſis cautè procedendum eſt, & probationes debent eſſe rigoroſæ.*
15 *Teſtes ſingulares non præponderant dicto rei negantis. Probatio in genere ſuo inſufficiens non valet nec in criminibus difficilis probationis. Damnare propter teſtes ſingulares eſt contra legem diuinam.*
16 *Fauor fidei non admittit teſtes ſingulares. Quid præſtet fauor.*
17 *Teſtes ſingulares ſe habent ac vnicus teſtis, qui non computatur.*
18 *In crimine hæreſis debent probationes eſſe clariores luce meridiana.*
19 *Teſtes ſingulares ſe mutuò adiuuantes non faciunt probationem luce meridiana clariorem.*
20 *Materia occulta non admittit vt claram probationem, quæ ex genere ſuo non eſt talis.*
21 *Quando ex pluribus imperfectis non fiat vna perfecta probatio.*
22 *Quomodo ſingula quæ non poſſunt, multa collecta iuuent.*
23 *Quando imperfectæ probationes poſſint coniungi.*
24 *Quid faciat teſtes coniungi in conteſtes.*
25 *Teſtes non ſunt ſingulares quando deponunt de ijs, quæ pertinent ad eamdem ſpeciem hæreſis.*
26 *In quo conſiſtat hæreſis.*
27 *Quomodo teſtes ſingulares in tempore, loco, facto, &c. poſſint deponere de eadem hæreſi.*
28 *Quando probatur hæreſis ſufficit teſtes eſſe conteſtes in dicto, non in ratione dicti.*
29 *Quid deducatur in iudicium quando deducitur hæreſis.*
30 *Ex teſtibus ſingularibus in loco, tempore, &c. concordibus tamen in ſpecie hæreſis, creſcit certitudo.*
31 *Quæ ſingularitas teſtium in materia hæreſis non tollat fidem.*
32 *Quando diuerſitas temporis, & loci faciat teſtes ſingulares.*
33 *Quomodo puniendus qui per teſtes ſingulares conuincitur ſpargere hæreſes.*
34 *Quomodo teſtes, qui in crimine læſæ maieſtatis dicuntur ſingulares, ſint conteſtes.*
35 *Teſtes ſingulares præciſè non ſufficiunt in crimine ſollicitationis in confeſſione ſacramentali.*
36 *Defectus conteſtium poteſt ſuppleri, non autem teſtium ſingularium.*
37 *Teſtes ſingulares quò ad ſubſtantiam delicti nunquam per leges ſufficiunt.*
38 *Teſtes ſingulares, quò ad ſpeciem, & ſubſtantiam hæreſis, nunquam inducunt animum ad plenè credendum.*
39 *Teſtes omnino ſingulares non faciunt indicium indubitatum.*

1 ADeſt ſpecialis difficultas in crimine hæreſis, quia forum Inquiſitionis gaudet ſpecialibus priuilegijs; ita exigente bono communi ob periculum infectionis; vnde hæretici denūciandi ſunt abſq; eo, quòd præmittatur correptio fraterna.

2 Pri-

2 Prima ſententia abſolurè affirmat, hæreſim ſufficienter coniunci per teſtes ſingularea. Ita Bald. l. Actor. num. 4. C. de Probat. Butrig. l. Arriani C. de Hæret. Salicet. l. Quicunque C. eodem Caccialup. l. Admonendi num. 84. ver. Et illam. iuncto ver. Sed reſponderi poteſt ff. de Iure iurando. Albert. l. Ob carmen, ver. Iacobus etiam &c. ff. de Teſtibus. Rurſus idem Bald. Cap. Cum omnes num. 28. Extra de Conſtit. Anan. Cap. 1. num. 7. ver. Vltimò ſcias de Hæred. Bero. Cap. Licet cauſam nu. 40. Extra de probat. Alexand. conſil. 141. num. 2. verſ. Præter teſtantes lib. 1. & conſil. 92. num. 20. ver. Quia reſpondeo lib. 5. & conſil. 147. num. 20. ver. Præterea teſtes ſingulares lib. 5. Calcan. conſ. 19. Pariſ. conſil. 2. num. 89. verſ. Tamen procedunt lib. 4. Marſil. conſil. 1. num. 28. & 41. Hippol. Rimin. conſ. 7. num. 27. & ſequent. lib. 1. & conſil. 85. Criminal. diuer. num. 7. & ſequent. præſertim num. 27. lib. 1. Clarus in Tract. quæſ. 53. ver. Dixi autem. Viu. in Comment. Opin. Verbo Teſtes ſingulares. Locat. in Opere indic. Verbo Teſtis num. 19. Gomez de Delict. tom. 3. rubr. de Probat. delictor. num. 12. ver. Secus tamen. Gigas de Crimine læſæ maieſt. lib. 2. tit. Quomodo, & per quos &c. quæſ. 18. num. 3. Zanchin. de Hæret. cap. 16. num. 6. Petra de Fidei commiſ. quæſ. 12. num. 543. 592. 595. 598. & ſequentib. & alij, qui referuntur à citatis Auctoribus.

3 Hæc autem ſent. primò prob. Quia teſtes ſingulares plenè probant in crimine læſæ maieſtatis: vt docent Corar. Tract. de Teſt. par. 7. num. 325. in concluſ. 9. Lambetteng. tract. de Contract. eorum gloſ. 12. num. 30. Afflict. cap. 1. §. Et bona committentium nu. 29. im. 13. Speciali Titulo quæ ſint reg. in vſib. Feudor. Marſil. conſil. 1. num. 27. Riminal. conſil. 7. num. 50. lib. 1. Boſſon. conſil. 23. nu. 3. Gigan. tit. Quem, & per quos. crim. læſæ &c. quæſ. 8. num 1. & ſequentib. Maſcard. de Prob. lib. 1. concluſ. 462. num. 16. & 17. Foller. in Pract. Crim. Verbo Item quod commiſit crimen læſæ &c. nu. 3. Farinac. quæſ. 64. de Teſt. num. 220. & 221. & alij. Item crimen ſollicitationis ad actus inhoneſtos in ſacramentali confeſſione, vt ſanciuit Gregor. XV. Die 30. Auguſti 1622. Conſtitutione, quæ incipit Vniuerſi dominici gregis. Ergo etiam in crimine hæreſis: cum ſit pernicioſius quocunque alio.

4 Secundò, Defectus, qui inuenitur in duobus, vel tribus conteſtibus, vt non plenè probent: ſuppletur ex alijs adiunctis: nempe alijs teſtibus, circunſtantijs, inditijs, præſumptionibus. Ergo defectus certitudinis reſultans ex teſtibus ſingularibus ſuppleri poteſt ex numero, & qualitate teſtium.

5 Tertiò, Accedente lege poſſunt ſingulares teſtes ſufficienter probare. Ergo etiam accedente conſuetudine, quæ tranſeat in legem; quia lex non ſolùm firmatur ſuperiorum decreto, ſed etiam conſuetudine; vt docent communiter Cap. Cum dilecti de Conſuetudine. & l. Minimè, & l. Si de interpretatione ff. de Legibus. D. Th. 1. 2. quæſ. 97. ar. 3. & 2. 2. quæſ. 79. ar. 2. ad. 2. & quæſ. 100. ar. 2. Tiraquel. de Nobil. cap. 10. num. 9. Afflict. deciſ. 166. num. 9. & deciſ. 173. numer. 3. Menoch. conſil. 32. num. 44. Maſcar. de Probat. tom. 3. concluſ. 1415. nu. 10. Adeſt autem conſuetudo probandi hæreſim per teſtes ſingulares, præſertim in Luſitania; vnde Paulus III. reiecit Iudæorum querelas contra Inquiſitores Luſitaniæ admittentes teſtes ſingulares ad probandam hæreſim.

6 Quartò, Perfecta probatio in eo conſiſtit, quòd animus iudicis ducatur ad perfectè credendum, verum eſſe quod proponitur, l. Quingenta ff. de Probationib. Bart. l. Admonendi num. 15. ff. de Iure iurando. Aymon. conſil. 73. num. 20. Paul. conſil. 179. num. 4. lib. 2. Farin. quæſ. 64. de Teſtib. nu. 87. in fine. Quando autem concurrunt plures teſtes qualificati teſtificantes de hæreſi alicuius, non poteſt iudex prudenter dubitare de veritate.

7 Quintò, Indubitata indicia in criminibus occultis, & difficilis probationis faciunt plenam probationem l. final. C. de Probat. vbi Bart. in 2. oppoſ. Bal. num. 2. Abbas in Cap. Tertio loco num. 9. & ſequent. de Probat. Clar. §. Fin. quæſ. 20. ver. Ad condemnandum vero. Petrus Barb. in l. 2. par. 1. num. 89. ff. Soluto matrimonio Maſcar. lib. 3. de Probat. concluſ. 1221. num. 34. & alij communiter. Illa autem ſunt indicia indubitata, quæ faciunt iudicem non dubitare, licet credat potuiſſe aliter contingere; quia hęc credulitas eſt dubitatio non practica, ſed ſpeculatiua. Crimen autem hæreſis eſt occultum, & difficilis probationis: & magnus numerus teſtium deponentem de hæreſi, licet ſingulares, faciunt indicium vehementiſſimum, & indubitatum.

8 Secunda ſententia negat ſufficere teſtes ſingulares ad probandum crimen hæreſis. Ita Iacobin. in l. Ob carmen §. fin. num. 18. ff. de Teſtib. Iaſon. l. Admonendi num. 256. ver. Nota etiam diligent. iuncto ver. Et quanto, & ver. Sed aduerte ff. de Iure iurando. Io: Andr. in Cap. Officium §. 1. init. de Hæreticis in 6. Alex. conſil. 19. num. 22. lib. 4. Marſil. conſil. 96. num. 7. Bertaz. conſil. 93. num. 5. Nellus de Teſtib. nu. 213. ver. Ad proban. certum crimen. Moncad. in Addit. ad Crotum de Teſtib. num. 319. litter. TT. Brunus tract. de Hæret. lib. 4. cap. 9. Palat. Rubr. in allegat. hæres. §. 12. Royas tract. de Hæret. par. 2. aſſert. 6. num. 135. vſque ad 39. & num. 148. Eymer. in Direct. Inquiſ. par. 3. quæſ. 72. num. 1. Pegna ibid. com. 121. ver. Primum eſt. iuncto verſ. His ita conſtitutis, & ver.

Eamdem

Eamdem ſentent. & verſ. Cæterum omiſſa, & verſ. Poſtremo, & ſequentib. Maſcat. lib. 2. de Probat. concluſ. 286. num. 10. Cantera in Quæſ. Crim. cap. 2. de vera confeſ. num. 17. Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap. 21. num. 16. Arragon. 2. 2. quæſ. 70. ar. 2. Zanard. in Direct. Confeſ. par. 3. cap. 111. num. 11. Morla in Empor. iuris par. 1. tit. 11. in Prælud. num. 51. Sanctarel. tract. de Hæreſi cap. 39. dub. 1. num. 4. Mirand. de Ordin. iud. quæſ. 23. ar. 4. concluſ. vnica in fine. Azor. tom. 3. lib. 13. cap. 27. quæſ. 7. Menoch. vol. 2. conſil. 149. num. 17. & 44. Et quòd neque ſufficiant etiamſi concordent in ſpecie hæreſis, Heres de Mena lib. 3. Variar. Quæſ. quæſ. 22. num. 45. Acugna de Confeſſar. ſollicit. quæſ. 22. num. 25. qui etiam alios citat, Freyta in Addit. ad tract. de Confeſ. ſollicit. ibid. Scaccia de Iudic. lib. 2. cap. 9. dub. 10. num. 527. Layman lib. 3. Theol. Moral. ſect. 5. tract. 6. cap. 4. num. 5. Caſtr. Palaus tract. 4. diſp. 8. punc. 15. §. 4. num. 16. Farinac. quæſ. 64. de Teſtib. num. 217. Diana par. 4. Moral. Reſolut. tract. 7. reſol. 31. & tract. 8. reſol. 57. ver. Dico octauo, & alij plures.

9 Tertia ſententia docet, Duos teſtes ſingulares non probare hæreſim; tres tamen aut plures, qui non ſint ſingulares ſingularitate obſtatiua, probare. Ita Albertin. cap. 1. quæſ. 16. num. 53. & 62. ver. Et in hac ſingularitate, & num. 63. ver. Et etiam ego dixi, & num. 69. de Hæret. in 6. Simanca tract. de Hæret. tit. 64. num. 77. Pegna quoque in Direct. Inquiſit. par. 3. com. 121. ver. Et quæ hactenus &c. videtur hanc limitationem admittere, ſicut etiam nonnulli alij, quos refert Maſcard. lib. 2. de Probat. concluſ. 856. num. 15.

10 Quarta ſententia aſſerit Teſtes ſingulares in tempore, & loco tantùm, concordantes tamen in ſpecie & ſecta hæreſis, ſufficienter probare. Ita Salycet. l. Titium num. 16. C. de Teſtib. Albertin. in Cap. 1. quæſ. 16. num. 81. & ſequent. de Hæret. in 6. qui tamen videtur etiam præcedentem ſententiam tenere. Brun. tract. de Hæret. lib. 4. cap. 9. prope finem. Simanca de Cath. Inſtit. tit. 64. num. 75. & ſequentib. Petra de Fideicom. quæſ. 12. num. 700. ver. Et hæc conſideratio. Leſſius lib. 2. de Iuſt. & iure cap. 30. dub. 4. num. 33. Alderet. de Religioſ. Diſcipl. lib. 2. cap. 3. num. 29. Sanctarel. tract. de Hær. cap. 39. dub. 2. nu. 6. Villalobos in Sum. tom. 2. tract. 17. difficul. 3. num. 6. Miranda de Ordin. Iudic. tom. 1. quæſ. 17. ar. 8. concluſ. 5. Souſa in Aphor. Inquiſit. quæſ. vnica append. ſect. 2. num. 11. Anton. Gomez lib. 3. Variar. cap. 12. num. 12. Comenſ. in Lucerna Inquiſ. Verbo Teſtes num. 19. ver. Dic quòd ſi generaliter. Et fauet huic opinioni doctrina D. Th. quam tradit 2. 2. quæſ. 70. ar. 2. ad. 2. & aſſerit Souſa practicari ab Inquiſitoribus Luſitaniæ.

11 Dico primo. Teſtes ſingulares in nullo vnquam caſu hæreſim ſufficienter probare: nec poſſe aliquem ex vi teſtificationis ipſorum iuſtè condemnari.

12 Prob. Teſtes ſingulares regulariter in cæteris caſibus non probant, imò nunquam, niſi aliquo modo conteſtes fiant; nam ſi inductio fiat, ſemper quando admittuntur, reperientur conteſtes ſuper eo, de quo articulatur proceſſus. Vnde talis regula fundatur in iure, à quo teſtes ſingulares repelluntur; vt in Cap. Licet cauſam. de Probat. vbi repelluntur teſtes ratione ſingularitatis. Et Cap. Cum Eccleſia Sutrina §. Nos igitur de Cauſ. poſſeſ. &c. Et Cap. Nihilominus 3. quæſ. 9. vbi licet ſermo ſit de teſtibus falſa deponentibus, excluduntur tamen ratione ſingularitatis. Vnde parum refert, ſuper quo teſtes deponerent, & an tempus eſſet de ſubſtantia rei: quia aliud eſt caſus, in quo fuerunt examinati, & aliud ratio, propter quam fuerunt excluſi. repelluntur enim à teſtificando in hoc caſu particulari ob rationem vniuerſalem ſingularitatis, propter quam paſſim in iure repellantur teſtes. Et Cap. de Parentela 35. quæſ. 6. vbi licet teſtes eſſent contrarij, ſtatuitur tamen quòd vt probent, non debent eſſe varij, ſeu ſingulares, ijs verbis: In quibus omnibus non debet aliqua varietas inueniri. per quod habetur regula vniuerſalis de non admittendis teſtibus ſingularibus. Item Cap. Cum dilectus, de Electione. Nec obſtat quòd teſtes, de quibus ibi agitur, eſſent in cauſa propria; quia ſtatuitur admittendos eſſe, ſi ſint conteſtes, præſtito iuramento. Rurſus Cap. Licet vniuerſis de Teſt. vbi dicitur Nulla eſt cauſa, quæ vnius teſtimonio legitimè terminetur. Vnde ſupponit conteſtationem requiri vniuerſaliter; nam hanc propoſitionem deducit ex illo Matth. 18. In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum: & docet, Quòd licet aliquando requirantur plures quàm duo teſtes, nunquam tamen minùs quàm duo; & proinde conteſtes; quia ſi ſint ſingulares, non ſunt plures, ſed vnus, Et idem etiam habetur infra eodem tit. Cap. Tam litteris. Vnde Doctores ex his textibus colligunt regulam vniuerſalem: Quòd teſtes ſingulares non probent ſufficienter. Nec video, quomodo Souſa in cit. diſp. append. ad Aphor. Inquiſit. ſect. 3. ad. 1. velit explicare contra communem ſenſum Doctorum, hos textus; vt non fundent regulam vniuerſalem; cuius explicationem in ponderatione ipſorum tex. iam reiecimus.

13 Hinc autem deducitur, Quòd neque in crimine hæreſis ſufficiunt teſtes ſingulares. quia quòd in alijs caſibus non faciant ſufficientem probationem, non prouenit ex eo quòd agatur de tali, vel tali crimine: ſed quia ratione

ſingula-

Digitized by Google

ſingulatitatis non ſufficienter mouent animum iudicis ad ſibi potiùs credendum, quàm reo neganti quod ipſi opponitur; & in ordine ad modum probationis, quòd ſit tale vel tale crimen, materialiter ſe habet, nec auget, vel minuit certitudinem probationis; vnde etiam ratio eadem militar in crimine hæreſis. Confir. Vel teſtes ſingulares ex ſe habent, quòd moueant animum iudicis ad ſufficienter credendum: & tunc in quocunque crimine mouebunt; quia crimen de ſe neque mouet ad credendum (quodcunque ſit) neque retrahir; ſed tota motio eſt ex teſtificatione. Si verò non mouent; neque mouebunt in crimine hæreſis; quia iam non habent vim mouendi ex ſe, neque illam acquirunt ratione hæreſis.

14 Præterea adeſt ſpecialis ratio; quia in crimine hæreſis cum magna cautela procedendum eſt, ne innocens damnetur; vnde Cap. *Vt officium* §. *Verùm quia de Hæret. in 6.* habetur: *In tam graui crimine cum multa oportet cautela procedi (vt in reos ſine vllo proferatur errore duræ, ac dignæ ſeueritas vltionis) volumus &c.* Et ideo rigoroſiores potiùs probationes ſunt exquirendæ in hoc crimine, quàm minùs ſufficientes admittendæ. Quod etiam habetur in Cap. *Vbi periculum de Elect. in 6.* Et præſertim quia in hoc crimine conceduntur reo defenſiones valde diminutæ: vnde adeſt periculum ne innocens damnetur.

15 Neq; valet, ſi dicatur id verum eſſe quando crimen mains æquali facilitate probari poteſt, ac minus: ſecus autem quando eſt occultum, & difficilis probationis, quale eſt crimen hæreſis. Tum quia textus modo allatus, loquitur in ſpeciali de hæreſi, in qua vult eſſe adhibendam multam cautelam. Tum quia neque in alijs criminibus difficilis probationis admittuntur teſtes ſingulares. Tum quia teſtes ſingulares nunquam præponderant dictum rei negantis. Tum quia licet ratione difficilis probationis admittantur aliqua, quæ non ita certò probant; non poteſt tamen admitti probatio ex genere ſuo inſufficiens; quia hęc nunquam fit ſufficiens; cum nunquam ſit in illo genere certitudinis, quæ poſſibilis eſt circa huiuſmodi crimina. Tum quia damnate aliquem ex vi teſtium ſingularium eſt contra legem diuinam. *Deuter.* 17. *&* 19. & *num.* 35. Tum quia hæreſis non ſubiacet foro externo niſi vt manifeſtata per ſigna externa; vt autem talis, non eſt delictum difficilioris probationis magis quàm furtum, etiam ſi in abſcondito manifeſtetur; nam etiam qui furatur, conatur id facere in abſcondito.

16 Quod ſi rurſus dicas, debere acceptari teſtes ſingulares in crimine hæreſis, in fauorem fidei. Rurſus etiam reijcitur; quia non poſſunt eſſe in fauorem fidei, quæ iniuſta ſunt; Nam fides exigit conſeruari iuxta ſuam naturam; eſt enim virtus quædam; & ideo virtuoſo modo debet conſeruari. Eſt autem iniuſtum quod acceptetur tanquam conuincens probatio, quæ reuera non eſt conuincens. Sic nec etiam eſſet in fauorem fidei, quòd ſtatim damnarentur, qui denunciantur vt hæretici, abſque vlla probatione. Deinde fauorabilitas tantùm facit, vt quæ iam ex ſe ſubſiſtunt amplientur quantùm fieri poteſt: ita tamen, vt eadem perſeuerent, non autem vt in alia transmutentur; vnde leges in fauorabilibus extenduntur eo vſque, quò permanent in ratione legis; quia aliud eſt extendi, aliud deſtrui; Ergo ratione fauoris in fidem eæ tantùm probationes ampliandæ ſunt, quæ ex genere ſuo ſunt probationes ſufficientes; ita vt probatio ſufficiens in fauorem fidei complectatur eas, quæ patiuntur aliquos defectus: non autem, quòd illa, quæ ex genere ſuo non eſt ſufficiens (vt eſt probatio per ſingulares teſtes) euadat ſufficiens; nam hoc non eſſet extendere, ſed tranſire de vno genere in aliud.

17 Rurſus probatur eadem concluſio. Teſtes ſingulares ſe habent, ac ſi omnino eſſent vnus tantùm teſtis, vt docent communiter, quos allegat, & ſequitur Farinacius *quæſ.* 64. *de Teſtib. num.* 34. & nos etiam docemus infra cum de Teſte ſingulari, vbi alios etiam allegamus. Ratio eſt; Quia cum non conueniant in eo, quod deponunt, reuera vnus eſt tantùm qui deponit; nam plura à pluribus deponuntur. Teſtis autem vnicus non computatur, ſed ſe habet ac ſi non eſſet, in ordine ad ſententiam. Cap. *In omni negocio.* & Cap. *Veniens ad nos. de Teſtib.* & l. *Iuris iurandi. C. de Iure iurando.* & communiter Doctores, quos allegat, & ſequitur Farinac. *quæſ.* 63. *de Teſtib. nu.* 1. *&* 7. Vnde eſt illud: *Dictum vnius, dictum nullius*; quia videlicet illi contraponitur negatio rei.

18 Hoc autem à fortiori debet habere locum in crimine hæreſis, in quo præſertim debent probationes eſſe luce meridiana clariores. Cap. *Sciant cuncti.* 2. *quæſ. vltima* Simanca *de Cathol. Inſtit. tit* 50. *num.* 21. & *tit.* 51. *num.* 2. & communiter, quos allegat, & ſequitur Farinac. *in Pract. Crim. quæſ.* 86. *de Reo confeſſo. num.* 6. nam agitur de maximo præiudicio rei; & ideo non debet condemnari, niſi certò conſtet de crimine. Probatio autem per teſtes ſingulares non eſt talis generis; quia neque eſt plena probatio.

19 Neque valet, ſi dicatur id eſſe verum de teſtibus, qui ſe inuicem non adiuuant; ſecus autem, ſi dictum vnius adiuuet dictum alterius. Quia etiam ſi adiuuet, non tamen facit probationem luce meridiana clariorem; qualis debet eſſe in crimine hæreſis. Deinde vel

vnus

vnus adiuuat alterum vt conteſtis; & tunc non ſumus in caſu; quia non ſunt amplius teſtis ſingularis, vel adiuuat tantùm vt adminiculans; & tunc cum remaneant ſingulares ſingularitate adminiculatiua: quamuis probatio aliquo modo creſcat, non tamen ſit plena, & ſufficiens: vt notat Farinac. *quæſ. 64. de Teſtib. num.* 113. cum communi, allegans ibi plures.

20 Nec rurſus valet ſi quis dicat, In materia occulta, ac difficilis probationis, illam iudicari claram, & manifeſtam probationem, quę reſultat ex competenti numero teſtium. Quia quòd materia ſit occulta, & difficilis probationis non facit quòd admittatur vt clara, & ſufficiens illa probatio, quæ ex genere ſuo non eſt talis; ſed ſolùm, quòd in probatione ex genere ſuo ſufficienti non habeatur ratio aliquarum inhabilitatum, quæ concurrant; quia difficultas probationis non tollit, quin debeat reus conuinci, atque adeo interuenire ſufficiens probatio. Deinde hæreſis, quià non ſubiacet foro externo, niſi per exteriores actus manifeſtetur, non eſt difficilioris probationis quàm ſint cœtera crimina, quæ occultè committi ſolent; pro quibus tamen non ſufficiunt teſtes ſingulares.

21 Deniq; Vnus teſtis non ſufficit ad condemnandum aliquem de hæreſi, ſicut nec de quolibet alio crimine; quia non facit plenam probationem. Ergo nec multi teſtes ſingulares; quia ſinguli faciunt imperfectam probationem: ex probationibus autem pluribus imperfectis non fit vna perfecta, quando non poſſunt coniungi in conteſtationem: iuxta regulam iuris *Quæ non poſſunt ſingula, nec multa iuuant*. l. *Sancimus* §. *Si quis autem C. de Donationib.* & l. *Vſura C. de Vſuris*. & l. *Si tres tutelas C. Qui numero tutelarum, &c.* & l. *Si idem. ff. de Iuriſdictione omnium &c.* vt notat etiam Farinac. cum pluribus alijs, quos allegat *in Pract. Crimin. quæſ* 86. *num.* 72. *& ſequent.* & *quæſ.* 187. *de Hæreſi* §. 1. *num.* 7.

22 Quod etiam confir. ex alia regula Iuris oppoſita: nimirum *Singula quæ non poſſunt, multa collecta iuuant*. l. *Inſtrumenta C. de Probat.* & l. *Spadonem* §. *Qui tutas ff. de excuſat. tutor.* & l. *Stipulatus. iut. ff. de Vſuris.* vt notat etiam Thuſc. *tom.* 7. *littera S. concluſ.* 276. intelligitur namque hæc regula de ijs, quæ ſingula in ſuo genere perfecta ſunt: vt notat Menoch. *lib.* 1. *de Præſumpt. quæſ.* 39. *num.* 6. & deſumitur ex Inſtitut. *Quibus modis teſtam.* §. *Exco.* Teſtes autem ſingulares ſunt ſinguli imperfecti in ſuo genere; quia ſinguli tantùm imperfectè probant; & ideo non poſſunt coniungi ad faciendam vnam probationem perfectam.

23 Similiter etiam confirmatur ex doctrina Menoch. *lib.* 1. *de Præſumpt. quæſ.* 39. *num.* 3. *&* 4. vbi docet Poſſe coniungi imperfectas probationes, quando ſunt eiuſdem rationis, qualitatis, & ſubſtantiæ. Vt autem ſint tales, debent tendere ad idem probandum; alioquin ſi tendant ad diuerſum, erunt diuerſæ ſubſtantiæ; quia ſubſtantia probationis attenditur penes id, quod probat; vnde etiam erunt diuerſæ rationis, quia erunt diuerſæ probationes, ſi aliquid diuerſum probant. Teſtes autem ſingulares faciunt probationes diuerſæ rationis, & ſubſtantiæ; quia quilibet aliquid diuerſum probat; & ideo non poſſunt coniungi ad faciendam vnam perfectam probationem.

24 Quod inſuper declaratur. Plena coniunctio teſtium in vnam probationem habetur ratione conteſtationis; & ideo ſunt conteſtes; atque adeo plenè coniunguntur, quia vnum, & idem teſtificantur. Vnde conuenientia in re teſtificata facit teſtes coniungi. Ergo quando non conueniunt in re teſtificata, non poſſunt coniungi in vnam probationem. Teſtes autem ſingulares non conueniunt in re teſtificata: alioquin non eſſent ſingulares.

25 Dico ſecundò. Quando plures teſtes deponunt de eadem ſpecie hæreſis contra aliquem: quamuis ſint ſingulares in loco, tempore, & etiam in facto, ſeu propoſitione hæretica; dummodo tamen facta & propoſitiones pertineant ad eamdem ſpeciem hæreſis, non eſſe ſingulares, ſed omnino conteſtes; & ideo ſufficienter probare in ordine ad condemnationem.

26 Prob. concluſio, adnotando naturam hæreſis. Conſiſtit enim in electione falſa eorum, quæ credenda ſunt: vt docet D. Th. 2. 2. *quæſ.* 11. *ar.* 1. *in corp.* ſeu, in opinione falſa eorum, quæ pertinent ad fidem; vt habet *ar.* 2. *eiuſdem quæſtionis*. Et proinde eſt aliquid internum habituale, & permanens; vnde quando quis punitur ratione hæreſis, punitur ratione mali ſenſus, quo male ſentit de ijs, quæ pertinent ad fidem, cum pertinacia, qua obſtinatè perſiſtit in falſa opinione. Vnde ſi quis proferret verba hæreticalia, & etiam malè ſentiret de fide, ſine tamen pertinacia, ſed quæreret veritatem: is non eſſet hæreticus, neq; vt talis puniendus, Cap. *Dixit Apoſt.* 24. *quæſ.* 3. ex D. Auguſt. Actus autem externi non ſunt hæreſis, ſed quædam manifeſtationes ipſius.

27 Hinc autem prob. concluſio. Teſtes, quamuis ſingulares in loco, tempore, facto, & propoſitione hæreticali, deponunt de vna & eadem hæreſi omnino; quia deponunt de eodem ſenſu interno, & opinione falſa circa fidem. Ergo ſunt omnino conteſtes circa id, ſupra quo articulatur proceſſus; quia articulatur ſupra ipſa hæreſi, non autem ſupra manifeſtatione; quia articulatur ſupra eo, de quo eſt puniendus reus; punitur autem ratione falſæ

ne falſæ

Digitized by Google

ne falſæ opinionis circa fidem.

28 Confir. Quòd tempus, locus, & etiam factum, & propoſitio ſint diuerſa, non tollit, quin ſit eadem hæreſis; quia habet eſſe habitualem permanens; vnde per diuerſos actus exteriores poteſt manifeſtari. Ergo neque etiam tollit quin teſtes ſint conteſtes; cum permaneat vnum & idem id, de quo deponunt. Sic ſi articularetur proceſſus, An Petrus ſit mortuus: Si quis deponeret, eſſe mortuum, quia vidit illum e domo in feretro deferri; rurſus alius idem deponeret, quia poſt aliquod tempus vidit ſepeliri, eſſent omnino conteſtes; quia omnino conuenirent in eo, quòd Petrus eſſet mortuus; quod eſt id, de quo articulatur proceſſus. Ratio autem eſt, Quia id, in quo diuerſi ſunt, non eſt id, quod eſt probandum; ſed eſt ratio dicti ipſorum teſtium; ideo enim deponit, Petrum eſſe hæreticum; quia audiuit propoſitionem continentem talem hæreſim, & alius idem deponit: quia audiuit ab ipſo propoſitionem aliam continentem eamdem hæreſim; vnde vtuntur propoſitione hæretica audita tanquam ratione ſui dicti. Vt autem teſtes ſint conteſtes non requiritur quòd vtantur eadem ratione ſui dicti: ſed ſufficit quòd conueniant in re teſtificata; nam ratio dicti eſt extra rem teſtificatam; & ideo, ſi ſit diuerſa, non tollit concordiam teſtium in re teſtificata.

29 Dices, Hæreſim non pertinere ad forum externum, niſi vt manifeſtata per actus exteriores: & ideo vt talem ad ipſum deduci: & proceſſum debere ſolùm articulari de ipſa vt manifeſtata; vnde teſtes non poſſe eſſe conteſtes, niſi etiam concordent in manifeſtatione externa hæreſis: vt in eo, ſub quo hæreſis deducitur ad forum externum. Reſp. Aliud eſſe id, quod deducitur in iudicium, & aliud conditionem, ſine qua non deduceretur. Id, quod deducitur, eſt ſola hæreſis; quæ non conſiſtit in actu aliquo externo, ſed tantùm in interna opinione; manifeſtatio autem eſt conditio ſine qua non. Hinc non requiritur vt probetur conditio, ſed hęreſis; & ideo ſufficit, quòd teſtes concordent in ipſa hæreſi; nec eſt neceſſe quòd concordent in manifeſtatione: quia ſine hoc poſſunt concordare in hæreſi. Et ſicut ad crimen hæreſis parum refert, quòd per hæc, vel illa ſigna manifeſtetur; ita etiam parum refert ad ipſam probandam, quòd probetur cum his vel illis ſignis; ſed ſufficit quòd ſecùndum ſe probetur, ſuppoſita manifeſtatione per hæc vel illa ſigna.

30 Ex his autem conſtat, Quòd certitudo huius probationis, ſi ſit per plures teſtes quàm duos, non ſolùm non exceditur à certitudine probationis per duos teſtes conteſtes, ſed etiam ipſa excedit; quia adeſt concordia inter plures. Et proinde valet quòd probabilius ſit poſſe duos conſpirare contra aliquem, & concordare circa circumſtantias quoque temporis; & loci, quàm plures, concordando in ſolo delicto habituali, & permanenti, vt eſt hæreſis. Et ideo dum multiplicantur teſtes circa eamdem ſpeciem hæreſis, quamuis ſingulares in loco, & tempore, & etiam manifeſtatione hæreſis, creſcit certitudo probationis, quæ longè excedere poteſt certitudinem ex duobus teſtibus conteſtibus.

31 Hinc etiam fit, quòd ſingularitas huiuſmodi in hoc caſu non tollat fidem teſtibus; vt docent Præpoſ. poſt Archid. *in Cap. Nihilominus num. 4. ver. Quod intellige. & num. 12. ver. Aut principaliter 2. quæſ. 9.* Lanfr. *de Teſtib. num. 90. ver. Aut tempus, vel locus.* Caccial. *in l. Admonendi num. 66. ff. de Iure iurando.* Petra *de Fidei com. quæſ. 12. num. 499. & ſequent.* Farinac. *quæſ. 64. de Teſtib. nu. 96.* quia tempus, & locus, & alia huiuſmodi non ſunt de ſubſtantia illius, de quo articulatur proceſſus, & proinde non tollit, aut minuit conteſtationem per ſe requiſitam.

32 Deniq; Diuerſitas in loco, & tempore tunc ſolùm facit quòd teſtes cenſeantur ſingulares, quando tempus, & locus ſunt de ſubſtantia illius, ſuper quo teſtes deponunt. vt docent Corat. *de Teſtib. num. 124.* Petra *de Fidei com. quæſ. 12. num. 499. & ſequentib.* Monticel. *in Reper. Teſt. rubrica Impugnatio teſtis, quia ſingularis.* Ruyn. *lib. 5. conſil. 35. num. 5.* Præpoſ. poſt Archid. *Cap. Nihilominus nu. 4. ver. Quod intellige verum, & num. 12 ver. Aut principaliter 2. quæſ. 9.* Lanfr. *de Teſtib. nu. 9. ver. Aut tempus, vel locus.* Caccialup. *l. Admonendi num. 66. ver. Aut locus, & tempus. ff. de Iure iurando.* Farinac. *quæſ. 64. de Teſtib. num. 321.* Tempus autē, & locus non ſunt de ſubſtantia hæreſis; quia conſiſtit præciſè in opinione interna: & ſolùm requiruntur externæ manifeſtationes, quæ inſeruiant teſtibus, vt rationes ſui dicti.

33 Dicet aliquis. Si non ſufficerent teſtes ſingulares, etiam quò ad ipſam ſubſtantiam hęreſis, ſequeretur quòd poſſet quis impunè ſpargere plures, & plures hæreſes; vt ſi quis ſecretò vni vnam hæreſim traderet, alteri alteram, & ſic de cæteris; quia licet omnes denunciarent, eſſent tamen teſtes ſingulares quò ad ſubſtanciam hæreſis; & ideo non ſufficerent ad infligendam pœnam. Reſp. In tali caſu debere Inquiſitores procedere contra iſtum, tanquam contra ſeminatorem falſæ doctrinæ, atque adeo tanquam circa corruptorem fidei. Si enim ſupra hoc capite articuletur proceſſus, tunc teſtes non erunt ſingulares, ſed conteſtes; quia de vno, & eodem deponunt, concordantes in eo, quòd ſit corruptor fidei; &

vtentur hæreſibus diſſeminatis tanquam rationibus ſui dicti.

34 Ad argumenta primæ ſent. & ad primum Reſp. Teſtes illos, qui dicuntur probare ſufficienter in crimine læſæ maieſtatis, eſſe conteſtes circa id, ſuper quo deponunt; quia quando admittuntur in hoc crimine teſtes ſingulares in loco, tempore, & actu, ſupponitur quòd fuerint exerciti plures actus, de quibus ſingulis ſinguli teſtes deponant; atque adeo ſupponitur etiam crimen habituale, & permanens, quod per plures actus manifeſtetur. Vnde eſt eadem ratio ac de eadem ſpecie hæreſis manifeſtata per diuerſos actus; & proinde teſtes deponunt de ipſo crimine permanenti, & vtuntur illis actibus particularibus tanquam ratione ſui dicti. Hinc ſi agatur de probando hoc crimine ex vnico actu, tunc ſingularitas in teſtibus tollit fidem: vt notant Foller. *in Pract. Crim. Ver. Item quòd commiſit crimen læſæ maieſt. num.* 3. Oſaſc. *Deciſ. Pedemont.* 79. *num.* 39. Perra *de Fidei commiſ. quæſ.* 12. *num.* 722. Farinac. *quæſ.* 64. *de Teſtib. num.* 222.

35 Ad alteram autem partem de crimine ſollicitationis in ſacramentali confeſſione, dicimus, Quòd Pontifex in illa conſtitutione non intendit quòd ſufficiant in hoc crimine præcisè teſtes ſingulares; ſed vult quòd in ipſo procedatur ſicut in ijs, quæ ſunt difficilis probationis: & proinde quòd poſſit infligi pœna, concurrentibus cum teſtibus ſingularibus, indiciis, præſumptionibus, & adminiculis. Eius verba ſunt: *Dantes etiam facultatem Venerab. Fratrib. noſtris S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquiſitoribus, ne delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei tam pernicioſum remaneat ob probationum defectum impunitum, cum difficilis ſit probationis, teſtibus, etiam ſingularibus, concurrentibus præſumptionibus, indicijs, & alijs adminiculis, delictum probatum eſſe arbitrio ſuo iudicandi.* Ex quibus patet, velle tantùm, vt arbitrio ſuo, rationabili tamen, poſſint iudicare crimen probatum eſſe. Quod ſanè non poſſunt rationabiliter præſtare, niſi ea concurrant, quibus moueantur ad credendum perfectè ita eſſe. In hoc autem caſu interuenit perfecta probatio l. *Quingenta ff. de Probat.* & notant Doctores circa id ſupra *num.* 5. *allegati*.

36 Ad 2. Poſſe ſuppleri defectum conteſtium ex alijs adiunctis: quia probatio conteſtium eſt ex genere ſuo ſufficiens. Vnde eſt defectuoſa ſolùm accidentaliter; & ideo poteſt ſuppleri ex alijs adiunctis. Defectus autem certitudinis probationis ex teſtibus ſingularibus eſt eſſentialis, & probatio ex genere ſuo non eſt ſufficiens; & ideo non poteſt ſuppleri ex numero & qualitate teſtium.

37 Ad 3. Numquam Leges ſiue Ciuiles, ſiue Canonicas ſtatuere, quòd ſufficiant teſtes, ſi ſint ſingulares quò ad ſubſtantiam delicti; ſed ſolùm ſingulares in ijs, quæ per ſe non faciunt ad ſubſtantiam delicti; vt conſtat ex ijs, quæ recenſent Farinac. *quæſ.* 64. *de Teſtib. per totam*; vnde neque id poteſt præſcribere conſuetudo. Illa autem conſuetudo Luſitaniæ eſt conformis noſtræ ſecundæ concluſioni; quia eſt de teſtibus contextibus quò ad ſpeciem hæreſis, & in tempore, loco, & huiuſmodi ſingularibus. Qui tamen ſunt ſimpliciter contextes: vt iam conſtat ex dictis.

38 Ad 4. Nunquam animum iudicis induci ad perfectè credendum aliquem eſſe hæreticum, ſi teſtes ſint ſingulares quò ad ipſam hæreſim; quia cum ſciat vnicum teſtem, quantumuis qualificatum, non conuincere de aliquo delicto, prudenter infert quòd neque plures ſingulares conuincant de pluribus delictis: quia ſemper vnus eſt tantùm de vno. & ideo cum ex parte criminis, & atteſtationis deſit credibilitas, non poteſt perfectè credere. Solùm poteſt induci ad credendum aliquem eſſe ſeminatorem falſæ doctrinæ, ex eo quòd plures teſtes ſingulares deponunt de pluribus hæreſibus diſſeminatis: aut quòd ſit in fide perfidus; quia manifeſtauerit plures falſas opiniones circa fidem.

39 Ad 5. Totam illam doctrinam eſſe veram; ſed falſum eſſe, quòd magnus numerus teſtium ſingularium faciat iudicem non dubitare, atque adeo iudicium indubitatum, ſi ſint omnino ſingulares; quia ſicut hoc non præſtat vnicus teſtis, ita nec plures ſingulares, quia cum de ſingulis rebus deponant, ſe habent vt vnicus teſtis. Si autem in aliquo ſint conteſtes, & ſuper ipſo articuletur proceſſus, faciunt plenam probationem quò ad ipſum.

An hæreſis ſufficienter probetur per teſtes diſcordantes in verbis propoſitionis hæreticalis.

Deciſio CLIX.

SVMMARIVM.

1 *Hæreſis ſufficienter probatur per teſtes diſcordes in verbis, concordes tamen in ſubſtantia.*
2 *Diſcordantia in verbis non tollit fidem teſtium.*
3 *Quid in teſtimonio debeat attendi.*
4 *An teſtes diſcordes in aliquibus circumſtantijs generent ſuſpicionem.*
5 *Teſtificationes per æquipollentia ſufficiunt.*
6 *In verbis debet attendi intentio loquentis.*

7 *Quando*

Digitized by Google

7 *Quando agitur de hæreſi, non tàm verba, quàm mens debet attendi.*

8 *Teſtes concordes in ſubſtantia, ſed in verbis diſcordes, nihil probant quando deponunt ſuper verbis.*

1 RESp. affirmatiuè: dummodo tamen concordent in ſubſtantia hæreſis, cum Eymer. *in Direct. Inquiſit. par. 3. quæſ. 73. num. 3.* Pegna *in Additionib. ibid. com. 121. ver. Poſtremum eſt.* & *ver. Cæterum &c. & ſequentib* Anton. Gabr. 1. *com. concluſ. tit. de Teſtibus concluſ. 2. nu. 64.* qui etiã alios allegat. Maſcard. *lib. 1.* de Probat. *concluſ. 856. nu. 18. & ſequent.* Royas *tract. de Hæret. par. 2. aſſer. 6. num. 131. & 132.* Farinac. *quæſ. 64.* de Teſtib. *num. 212.* Soto *lib. 5. de Iuſt. & iure quæſ. 7. ar. 5. ad. 1.* Diana *par. 4. tract. 8. reſol. 57. ver. Dico decimò.* & alijs contra Albertin. *in Cap. 1. quæſ. 16. num. 42. de Hæreticis in 6.* & *quæſ 34. de Agnoſcendis aſſert. cathol. & hæret. num. 47.* Geminian. *conſ. 130.* Butr. *Cap. Nihil. de Verborum ſignificatione.* Qui volunt quando agitur de probanda hæreſi verbis commiſſa, ſeu propoſitione hæreticali ab aliquo prolata, teſtes in verbis diſcordes non ſufficere, vt ſi vnus teſtis deponat, Petrum dixiſſe: *Chriſtum non eſſe Deum*, & alius dixiſſe: *Non eſſe æqualem Patri.*

2 Hæc autem noſtra ſentent. fundatur in Cap. *Nihil obſtat. de Verbor. ſignif.* vbi habetur *Nihil obſtat narrandi diuerſitas, vbi eadem dicuntur.* Idem autem dicitur, quando verba, licet diuerſa, ſunt tamen æquipollentia. Et concordat l. *Qui ſententiam. C. de Pœnis*, & l. *Quicunque C. de Hæreticis* Gloſ. *in Cap. Dudum. de Conuer. coniug.* & in *Cap. Cum Eccleſia Sutrina Verbo* Vacillaſſe *de Cauſar. poſſeſ. & propor.* Et deſumitur etiam ex generali doctrina D. Th. *2. 2. quæſ 70. ar. 2. ad. 2.* vbi habet *Si verò ſit diſcordia teſtimonij in aliquibus circumſtantijs non pertinentibus ad ſubſtantiam facti &c. talis diſcordia non præiudicat teſtimonio: quia homines non conſueuerunt circa talia multùm ſollicitari; vnde facilè à memoria elabuntur.* Imò vult quòd aliqua diſcordia in depoſitione teſtium augeat ipſorum fidem: *Quinimo aliqua diſcordia in talibus* (circumſtantijs) *facit teſtimonium credibilius, vt Chryſoſtomus ait ſuper Matthæum: quia ſi in omnibus concordarent, etiam in minimis, viderentur ex condicto eumdem ſermonem proferre.*

3 Ratio autem eſt, Quia in teſtimonio attenditur ſubſtantia rei, de qua articulatur proceſſus: quia hanc intendit iudex ponere in claro: cum ſit id, circa quod ferenda eſt ſententia; & ideo non eſt exigendum à teſtibus quòd in alio ſint concordes, quàm in ipſa ſubſtantia; cum hæc tantùm ſit probanda ex intentione fori. Hoc autem contingit quando teſtes deponunt diuerſis verbis de eadem hæreſi; quia concordant in ſubſtantia criminis nempe hæreſis.

4 Dices, Licet ſufficiat quòd probetur ſubſtantia criminis; quia de ipſa ſolùm articulatur proceſſus; dum tamen teſtes ſunt varij in alijs circumſtantijs, generant ſuſpicionem quòd falſum deponant; & ideo tanquam ſuſpecti non ſunt audiendi. Contra: Teſtes dum deponunt, attendunt id, quod pertinet ad ſubſtantiam, & ſupra quo examinantur: ad alias autem circumſtantias non reſpiciunt, vt ad illas, quæ non variant rem, de qua interrogantur. Ergo ex eo quòd non ſint concordes circa ipſas non redduntur ſuſpecti. Confir. Vt plurimùm, quando quis aliquid audit, reſpicit ad ſubſtantiam ſermonis, non autem ad verba formalia; quia hæc difficilè imprimũtur in memoria. Ergo quando vocatur ad teſtificandum, non debet exigi quòd deponat formalia verba: ſed ſufficit quòd deponat ſubſtantiam; nec per hoc, quòd non deponat formalia verba, ſed æquipollentia, cenſendus eſt ſuſpectus.

5 Denique parùm refert quòd aliquid fiat ex æquipollentibus l. *Si mater. C. de Inſtit. & ſubſtit. &c.* & l. *Mulier ff: Ad ſenatus conſul. Trebellian.* quod tranſiuit in regulam iuris. Ergo etiam ſufficit quòd teſtificationes fiant per æquipollentia verba: & quòd in ſubſtantia ſint concordes. Quod etiam ex eo patet, quia diuerſitas in verbis æquipollentibus non ponit diuerſitatem in re ſignificata, ſed tantùm in modo ſignificandi, ex parte loquentis. Ergo neque facit quòd teſtes non ſint concordes: quia concordia attenditur in ordine ad id, quod dicunt, non autem ad modum, quo illud explicant.

6 Quod etiam ex eo confir. Quòd cum verba ſint ordinata ad manifeſtandum internum ſenſum, non debent conſiderari vt hæc, vel illa; ſed quidnam ſignificent, & ex quanam intentione proferantur: ſeu, quid ea proferens intendat ſignificare. Vnde virtus & ſubſtantia ipſarum conſiſtit in ſenſu, & intentione. Cap. *Mareon. 1. quæſ. 1.* & Cap. *Intelligentia.* & Cap. *Præterea. de Verborum ſignificatione.* Ergo etiam in teſtificatione non debet attendi quænam & qualia verba ſint: ſed quid teſtificans intendat ſignificare; quia debent accipi à iudice vt expreſſiua mentis ipſius teſtificantis: atq; adeo debet ſolùm ponderari quid ſignificent.

7 Et hoc præſertim verum eſt, quia non agitur, an v. g. Petrus dixerit talia, vel talia verba hæreticalia: ſed, an ſit hæreticus. Quare cum hæreſis conſiſtat in interna opinione falſa circa fidem, non eſt aliquid aliud certificandum,

Digitized by Google

eandum, quàm ſenſus ipſius internus circa fidem; & ideo non eſt curandum, an per hæc, vel alia verba certificetur.

8 Ex quibus colligitur Quòd ſi ageretur de probando, an quis talia, vel talia verba hæreticalia protuliſſet; tunc quia non articularetur proceſſus ſuper re, ſed ſuper verbis, ſi teſtes eſſent diſcordes in verbis, etiam ſi in ſubſtantia conuenirent, nihil probarent: quia eſſent diſcordes in eo, quod intenditur probari; vt inter alios notat Farin. *loco ſupracit.*

An in crimine hæreſis ſufficiant teſtes ſingulares, vt procedatur ad inquiſitionem, & torturam.

Deciſio CLX.

SVMMARIVM.

1 *Plures teſtes ſingulares ſufficiunt pro tortura in crimine hæreſis.*
2 *Quomodo ex leui argumento quis probetur hæreticus.*
3 *Plures teſtes ſingulares in cauſa hæreſis non ſufficiunt pro tortura ſecundum alios; quod eſt tutius.*
4 *Cur in tribunali Inquiſitionis non poſſint teſtibus dari exceptiones.*
5 *Tortura in cauſa hæreſis dat infamiam.*
6 *In cauſa hæreſis debet cautè procedi, & cum clariſſimis probationibus.*
7 *Quodnam ſit violentum indicium.*
8 *Quid graue indicium, ſeu grauis præſumptio.*
9 *Vnicus teſtis omni exceptione maior non ſufficit pro tortura in cauſa hæreſis.*
10 *An teſtes ſingulares ſufficiant pro inquiſitione in cauſa hæreſis.*
11 *In quo conſiſtat ius Fori inquirendi contra aliquem.*
12 *An leuis ſuſpicio ſufficiat ad inquirendum in hæreſi.*
13 *Quid faciendum, quando teſtes non ſufficiunt ad inquirendum de hæreſi.*

1 LOquimur de ſolis teſtibus ſingularibus abſque alijs indicijs, præſumptionibus, & adminiculis. Et Reſpondent affirmatiuè Pariſ. *conſil.* 2. *num.* 92. *ver.* Ex quibus infertur *lib.* 4. Maſcard. *volum.* 2. *de Probat. concluſ.* 856. *num.* 17. & 25. vbi aſſerit, hoc in praxi ſeruari. Pegna *in Direct. Inquiſ.* 3. *par. ſchol.* 118. *ver. Itaq; vnus ſolus teſtis*. Farinac. *quæſ.* 64. *de Teſtib. num.* 219. Carrer. *in Pract. Crim. num.* 110. *ver. Primò maius indicium*. Anton. Gomez *tom.* 3. *Variar. Reſolut. cap.* 13. *num.* 7. qui dicit eſſe communem opinionem. Gloſſa *in Cap. Litteras veſtras. Verbo* Vehementem *de Præſumptionibus.* quatenus docet, ex leui cauſa aliquem haberi ſuſpectum de hæreſi. Quod etiam docet Innocent. *in Cap. Sicut* 1. *de Simonia.* & *Cap.* 1. *de Hæret.*

2 Fundatur autem hæc ſent. ex l. 2. *C. de Hæreticis*, vbi habetur; quòd ex leui argumento quis probatur hæreticus; quod cum non poſſit intelligi quò ad condemnationem, debet intelligi quò ad inquiſitionem, & torturam.

3 Verùm vnicum teſtem non ſufficere vt deueniatur ad torturam, atque adeo nec plures ſingulares (qui vnico tantùm æquiualent) docet Eymericus *in Direct. Inquiſit. par.* 3. *quæſ.* 61. *num.* 8. & hanc ſententiam tutiorem exiſtimo.

4 Ratio autem eſt, Quia in tribunali Inquiſitionis non manifeſtantur teſtes; ex quo fit, quod non poſſint à reo dari exceptiones contra ipſos, quæ fortaſſe eos inualidarent. Et quod facilè quis induci ex hoc poſſit ad accuſandum de falſo. Et cum non poſſit facilè dignoſci à iudice an ſit integer teſtis, datur locus calumniæ; præſertim, quia poteſt aliquis videri fide dignus, qui tamen nō ſit talis.

5 Prætetea. Torqueri ratione criminis hæreſis, etiam ſi non ſequatur damnatio, imponit
infamiam, quæ, cum ſit in tali genere, gra-
uiſſima eſt; & per hoc tantùm declaratur ipſo 8
facto ſuſpectus de hæreſi; quod eſt valdè præ-
iudiciale vnicuique. Ergo non poteſt deueni-
ri ad torturam concurrentibus tantùm teſti-
bus ſingularibus; quia non faciunt vehemens,
& violentum indicium; ſine quo non debet
tam grauis infamia imponi.

6 Et ſicut in ferenda ſententia condemnatio-
nis de hæreſi debet procedi cum magna cau-
tela, vt in tam graui crimine proferatur ſen-
tentia, ſine errore; Cap. *Vt officium* §. *Verum*
de Hæret. in 6. Etiā probationes debent, in hoc
præſertim crimine, eſſe luce meridiana clario-
res: Cap. *Sciant cuncti* 2. *quæſ. vltima* & l. *Sci-*
ant cuncti C. de Probat. Maſcard. *lib.* 1. *de Pro-*
bat. concluſ. 459. *num.* 2. & 496. *num.* 1. & *lib.*
2. *concluſ.* 1167. *num.* 13. Decian. *lib.* 5. *crimin.*
cap. 35. *num.* 20. & 24. Menoch. de *Arbitr. ca-*
ſu 279. *num.* 2. & *caſu* 499. *num.* 1. Simanca *de*
Cathol. Inſtit. tit. 50. *num.* 21. & *tit.* 51. *num.* 2.
Farinac. *quæſ.* 86. *de Reo confeſſo num.* 6. Ita
etiam ea, quæ in alijs ſufficiunt ad torturam,
debent in crimine hæreſis eſſe vrgentiora, &
clariora; quod non habetur per teſtes ſingu-
lares; quia hi non faciunt vehemens, & vio-
7 lentum indicium, niſi aliud concurrat; nam
violentum indicium eſt illud, quod habetur
pro manifeſta veritate, Cap. *Is qui. de Spon-*
ſalib. & Cap. *Quanto de Præſump.* & l. 1. §. 1.
C. de Rei vxo. actione. Vnde contra ipſum non
admitti-

Digitized by Google

admittitur regulariter probatio. Hoc autem
non competit teſtibus ſingularibus. Sed neq;
faciunt magnum, & graue indicium, ſeu præ-
ſumptionem; nam hæc ex Alciat. *lib. 1. de*
8 *Præſumpt. par. 3.* Eſt *Iuris probabilis conictura*
ex certo ſigno proueniens, quæ non alio adducto
(in contrarium) *pro veritate habetur*. Vnde
niſi aliquid in contrarium adducatur, habe-
tur pro plena probatione: vt notat etiam Ey-
mer. *in Direct. Inquiſit. par. 2. quæſ. 55. num. 4.*
& 5. & deſumitur ex Cap. *Litteras de Præſum-*
ptionib. Hoc autem ſimiliter non competit te-
ſtibus ſingularibus; non enim quod deponunt
teſtes ſingulares, habetur pro veritate, niſi
aliquid in contrarium adducatur.

9 Imò quòd non ſufficiat vnicus teſtis, etiam omni exceptione maior, ad torquendum reum bonæ famæ docent Simanca *in Enchirid. tit. 52. num. 13.* Zanardus *in Direct. Theol. par. 3. cap. 95.* Pegna *in Director. Inquiſit. par. 3. com. 120.* Decian. *tom. 1. lib. 5. cap. 36. num. 6.* Ioſeph de Sancta Maria *in Tribunal. Relig. tract. 5. cap. 2. §. 5.* Sanctarel. *de Hæreſ. cap. 41. dub 1. num. 1.* Souſa *in Aphoriſ. Inquiſit. lib. 2 cap. 39. nu. 17* Sanchez *lib. 6. Conſil. Moral. cap. 3. dub. 15. num. 3.* Quos citat, & ſequitur Diana *par. 4. tract. 6. reſol. 6. ver. Sed quid.* Alderete *de Diſcipl. relig. tuenda lib. 1. cap. 17. num. 11.* Teſtes autem ſingulares, licet plures, dummodo in criminis ſubſtantia ſaltem aliquo pacto non concordent, ſunt vnicus teſtis; cum ſinguli ſingula deponant.

10 De inquiſitione verò, Si teſtes ſint omnino ſingulares, ita vt ſiſtant in illo caſu, aut propoſitione hæreticali, de qua deponunt: nec inducant ad credendum quòd is, contra quem deponunt, ſit hæreticus infectus diuerſis hæreſibus: & inquiſitio fieri debeat cum ſtrepitu fori contra aliquem bonæ famæ: exiſtimarem, idem dicendum eſſe: nempe non ſufficere ad inquirendum huiuſmodi teſtes ſingulares.

11 Ratio eſt, Quia inquiſitio debet fundari in aliquo motiuo, quod illam iuſtam reddat: atque adeo quòd conferat foro ius ſupra illum, qui inquiritur; quia autem hoc ius fundatur in eo, quòd forum præſumat malum de eo, qui inquiritur: & conſequenter quòd deponat bonam opinionem ipſius (alioquin iniuſtè inquireret contra eum, quem non præſumeret malum: quia contra conſcientiam illum vexaret) ideo motiuum, in quo fundatur ius inquirendi, debet eſſe tale, vt vincat apud iudicem bonam opinionem perſonæ inquirendæ. Teſtes autem purè ſingulares, de quibus diximus, non vincunt bonam opinionem alicuius; quia teſtes ſingulares ſunt vnus teſtis, cum ſinguli de ſingulis actibus deponant; & præſumitur, quòd contraponatur negatio inquiſiti: quæ aſſociata cum bona opinione non vincitur à depoſitione teſtium ſingularium.

12 Hinc Farinac. *quæſ. 188. de Hæreſi §. 4. num. 56.* Pegna *ad. 2. par. Direct quæſ. 58. ſchol 61. §. Prima eſt modica*, Simanca *de Cathol. Inſtit. tit. 50. num 28.* Souſa *in Aphor. inquiſit. lib. 2. cap. 3. num. 7.* docent, non ſufficere leuem ſuſpicionem ad inquirendum in hæreſi contra perſonam bonæ famæ; quia leuia ſigna non debent mouere animum conſtantis viri ad ſuſpicandum tam graue crimen. Et hoc non alia ratione, niſi quia leuis ſuſpicio non vincit famam boni viri. Hoc autem militat etiam in teſtibus ſingularibus reſpectu viri bonæ opinionis: vt diximus *num. præcedenti*.

13 Itaque in huiuſmodi caſu cenſerem tutius eſſe ſecretò aduocare denunciatum, & ei manifeſtare quæ contra ipſum depoſita ſint, monereque, vt reſipiſcat, ſi fortè vera ſunt: & exigere ab ipſo ſecretam purgationem canonicam, qua iuret ſe nunquam tales hæreſes tenuiſſe; & ad ſummum exigere, quòd aliquos cumpurgatores adducat, qui iurent ſe credere, quod ipſe verè iurauerit, dum iurauit, quòd tales hæreſes non tenuerit. Hoc tamen non eſt neceſſarium; quia dictum ipſius cum iuramento, cum ſit bonæ famæ, ſufficienter euacuat depoſitionem teſtium ſingularium. Hoc enim pacto conſulitur famæ, & occurritur crimini; nam ſi inquiſitio fiat cum ſtrepitu fori, etiam ſi non ſequatur condemnatio, adhuc reus contrahit aliquam infamiam.

An poſſit puniri vt hæreticus, contra quem teſtes ſingulares deponunt diuerſos actus, & ſpecies hæreſis.

Deciſio CLXI.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia.*
2 *Nemo hæreticus in genere.*
3 *Qui non conuincitur de hæreſi, non poteſt damnari.*
4 *Quod non eſt verum in ſpecie nec etiam eſt verum in genere.*
5 *Affirmatiua ſententia.*
6 *Hæreſes inuicem colligantur.*
7 *Quomodo ſi adſint tantùm ſingulares teſtes poſſit quis de hæreſi conuinci.*
8 *Quomodo in hoc caſu teſtes fiant concordes.*
9 *Incidens in vnam hæreſim deficit à fide catholica.*
10 *Omnis interpratatio facienda, vt teſtes ſint concordes.*
11 *Diuerſæ hæreſes externæ conueniunt in hoc, vt*

indicent internam defectionem à fide catholica.
12 *Cur teſtes ſingulares conuincant irregularitatem.*
13 *Cur ſufficiant ad probandum vitium habitnale.*
14 *Cur quis dicatur hæreticus in genere.*
15 *Conuincitur quis de apoſtaſia à fide catholica per teſtes deponentes de ſingularibus hæreſibus.*
16 *Quomodo hæreſis, quæ non conuincitur in ſpecie, conuincatur in genere.*
17 *An exiſtentibus teſtibus ſingularibus poſſit iudex articulare nouum proceſſum ſuper eo, in quo videt eſſe concordes.*

SOlutio difficultatis ex eo dependet, an per depoſitionem huiuſmodi teſtium aliquod crimen conuincatur; quia ſi conuincitur poteſt etiam deueniri ad pœnam proportionatam.

1 Prima ſententia negat. Ita Simanca *Tract. de Hæret. tit. 64. nu. 70. & ſequentib.* qui mordicus hanc ſententiam defendit. Royas *Tract. de Hæreſi par. 2. aſſert. 6. num. 142. & ſequent.* Pegna *in Direct. Inquiſit. ad. 3. par. ſchol. 127. ver. Cæterum omiſſa, & ſequent.* Maſcard. *lib. 2. de Probat. concluſ. 856. num. 10.* Salicet. *l. Teſtium. C. de Teſtib. num. 16.* Conrad. Brun. *lib. 4. de Hæret. cap. 9.* qui refert etiam Alexand. Imol. Souſa *in diſp. vnica poſt Aphor. Inquiſit. ſect. 2. num. 9.* Cror. *de Teſtib. par. 7. num. 326.* Marſil. *conſil. 1. num. 71.* Cepolla *conſil. 3.* Beroius *in Cap. Licet cauſam num. 43. de Probat.* Farinac. *quæſ. 64. de Teſtib. nu. 207.* Diana *4. par. Reſol. Moral. reſolut. 57. ver. Dico vndecimo*; & alij plures; qui quamuis non loquantur de hæreſi in particulari, loquuntur tamen de alijs criminibus: vt vſura &c.

2 Prob. Quia modus ipſe loquendi impugnat contrariam ſententiam. Nam ad ſummum per tales teſtes probaretur aliquis hæreticus in genere; non poteſt autem intelligi quid ſit, aliquem eſſe hæreticum in genere: quia per hoc nullum certum indiuiduum demonſtratur; vnde deberet puniri hæreticus in genere, non autem hic, vel ille homo.

3 Secundò, Quia iſte de nulla hæreſi plenè conuinceretur; quia deponerentur tantùm ſingulares articuli per ſingulares teſtes. Qui autem non conuincitur duobus legitimis teſtibus non poteſt de hæreſi condemnari; præſertim quia in hoc crimine requiruntur vberiores probationes; cum defenſionis ordo ſit quaſi imperfectus, & truncatus.

4 Tertiò, Quod non eſt verum in ſpecie nec etiam poteſt dici quòd ſit verum in genere: & conſequenter ſi quis non poteſt damnari, vt talis hæreticus, nec etiam poteſt damnari vt hæreticus; ex eo autem quòd ſingulares teſtes deponant de ſingularibus ſpeciebus hæreſis contra Titium, non eſt verum quòd Titius ſit hæreticus in tali ſpecie hæreſis. Ergo nec quòd ſimpliciter ſit hæreticus.

5 Secunda ſententia aſſerit poſſe damnari; quia dum deponunt de diuerſis ſpeciebus hæreſis, ſaltem probant, eſſe hæreticum in genere. Ita ſpecialiter Caccialupus *in l. Admonendi num. 48. poſt med. ver. Sed reſponderi poteſt. ff de Iure iurando.* Lamberteng. *Tract. de Contrac. eorum &c. gloſ. 12. num. 24. & 27.* Miſing. *obſer. 76. cent. 3. ver. Hanc Doctorum repugnantiam.* Albertin. *in cap. 1. quæſ 16. num. 51. ver. Et ſi quem eſſe hæret. & num. 82. in fine de Hæreticis in 6.* Butrigar. & Salicet. *in l. Arriani C. de Hæreticis* Baldus *in l. Actor. C. de Probat.* Portius *lib. 1. com. opinion. regula 34. ver. Contrariam opinionem.* Anania *in cap. 1. num. 5. ver. Vltimò ſcias de Hæreticis.* Locat. *in Opere iudiciali Verbo* Teſtis *num. 19.* Aretius *l. Teſtium C. de Teſtib.* Crauetta *conſil. 78. lib. 1.* Calcaneus *conſil. 19.* Alex. *conſil. 141. vol. 1. & conſil. 85. vol. 2.* & alij plures. Et poſſent citari ij quoque, qui ſimpliciter docent, & abſolutè: Teſtes ſingulares ſufficienter probare hæreſim. Quorum plures refert Farinac. *quæſ. 64. de Teſtib. num. 201.*

6 Fundamentum huius ſententiæ eſt, quoniam hæreſes inuicem colligantur, & ad vnum finem tendunt: Cap. *Excommunicamus 1. & 2. de Hæreticis*: & ideo teſtes ſingulares deponentes de diuerſis hæreſibus ſufficienter probant; quia vnus implicitè deponit, quod deponit alter explicitè, ob colligationem hæreſum.

7 Hæc ſententia vera eſt, ſi cum debita moderatione accipiatur. Vnde ſtante quod adſint plures teſtes deponentes de varijs hæreſibus, poteſt iudex formare proceſſum contra reum, in quo articuletur ipſum eſſe hæreticum abſolutè, hoc eſt, defeciſſe à fide catholica; & ſuper hoc poterit interrogare teſtes, qui vtentur ſingularibus hæreſibus, de quibus deponunt, tanquam ratione ſui dicti: & tunc reus poterit puniri vt deſertor fidei Catholicæ.

8 Ratio autem eſt, Quia ſi ſic formetur proceſſus, teſtes non ſunt ſingulares, ſed concordes; concordant enim in principali puncto, de quo formatur proceſſus; quòd videlicet reus deſeruerit Catholicam fidem; & ſolùm ſunt ſingulares in ratione ſui dicti; quòd non tollit quin ſint conteſtes: nam non teſtificantur de ratione ſui dicti, ſed de ipſo dicto.

9 Quòd autem hoc pacto liceat iudici formare proceſſum, colligitur ex eo, quòd verè delinquit qui à Catholica fide deficit; nec, vt ſimpliciter dicatur deficere, opus eſt vt incidat in omnes hæreſes; quia in vnam incidens totam fidem amittit: ex eo quòd non ampliùs credit purè ex diuino teſtimonio; vt autem etiam dicatur deſerere ſimpliciter veritates reuelatas ſufficit ſi deſerat plures diuerſi generis; quia ſufficit hoc, vt generaliter dicatur deſerere.

10 Dein-

Digitized by Google

10 Deinde. Si omnis interpretatio facienda eſt vt teſtes dicantur conteſtes, & non ſingulares: vt docent Bald. l. *De quibus num.* 38. *ff. de Legib.* Lanfran. *Tract. de Teſtib. num.* 26. *ver. Circa iſtam teſtium ſingularitatem.* Farinac. *quæſ.* 74. *de Teſtib. num.* 322. *&* 323. & alij apud Petram *de Fideicom. quæſ.* 12. *num.* 495. *&* 669. multò magis poſſunt eorumdem depoſitiones ita regulari, vt reuera conteſtes ſint abſque interpretatione: ex eo quod interrogentur de vno & eodem, de quo omnes poſſunt deponere.

11 Dices. Teſtes neque per hoc fieri conteſtes; quia non poſſunt deponere de hæreſi interna, niſi manifeſtata per actus externos: vnde cum ſint ſingulares, quò ad actus externos, ſunt etiam ſingulares quò ad internam hæreſim: nam quilibet diuerſus actus externus appellat diuerſam hæreſim internam. Sed hoc nihil obſtat; quia licet diuerſa hæreſis externa appellet diuerſam hæreſim internam materialem, ſeu diuerſam opinionem à reuelatis; adhuc tamen in hoc conueniunt, quòd indicent internam defectionem à fide; & ideo poteſt quilibet teſtis de hac defectione deponere, & vti, vt ratione ſui dicti, actu hæreſis externo.

12 Præterea. Teſtes ſingulares conuincunt irregularitatem ex eo, quòd deponant de diuerſis actibus celebrationis in diuerſo tempore, vt notant Gloſſa *in Cap. Nihilominus Verbo* Simul. *ver. Vel ſi aliqui.* & *ver.* Item 3. *quæſ.* 9. Præpoſ. *ibid. poſt num.* 7. *ver. In eadem Gloſ.* Albert. *l. Ob carmen* §. *fin. num.* 8. *ver. Item ſi volo ff. de Teſtib.* Caccialup. *l. Admonendi num.* 84. *in fine ver. Si verò volo probare, ff. de Iure iurando* Albert. de Malet. *Tract. de Teſtib. cap. vltimo num.* 21. Nell. *de Teſtib. num.* 187. Farinac. *quæſ.* 64. *de Teſtib. nu.* 284. & alij. Ideo autem conuincunt, quia irregularitas eſt vna & eadem, quæ per diuerſos actus manifeſtatur. Quod prorſus contingit in caſu noſtro; nam vna, & eadem manifeſtatio per plures actus hæreſis diuerſi generis habetur.

13 Rurſus. Ob eamdem rationem, quando agitur de probando aliquo vitio habituali, vt quòd quis ſit adulter, ſodomita &c. ſufficiunt ad plenè probandum, & ordinariam pœnam infligendam teſtes deponētes de diuerſis actibus illius vitij; quia videlicet habitus manifeſtatur in illis actibus, quibus teſtes vtuntur, vt ratione ſui dicti: vt docent communiter tàm Canoniſtæ quàm Legiſtæ, præſertim Aymon. *conſil.* 73. *num.* 33. Vbal. *conſil.* 44. *num.* 45. & *conſil.* 45. *num.* E. *lib.* 1. *Conſil. Criminal. diuerſ.* Alex. *lib.* 7. *conſil.* 13. *num.* 24. Abb. *conſil.* 25. *num.* 1. Natta *conſil.* 478. *circa fin.* Riminal. *conſil.* 274. *num.* 1. *& ſequent. lib.* 3. Peter. *conſil.* 168. *num.* 14. *& ſeq.* Bertaz. *conſil.* 20. *num.* 18. *&* 22. Monticel. *in Repert. Teſtium Verbo* Adulterium. Craſſus *lib.* 2. *com. opin. cap.* 17. *quæſ.* 27. *in fine* Maſcar. *lib.* 2. *concluſ.* 1063. *num* 37. Grammat. *deciſ.* 107. *in fine* Burſat. *conſil.* 69. *num.* 12. Farinac. *quæſ.* 64. *de Teſtib. num.* 223. & alij plures. Quòd autem aliquis à fide defecerit eſt ſimiliter aliquid habituale; & manifeſtatur per actus externos hæreſis diuerſi generis. Et ob eamdem rationem in pluribus alijs caſibus ſingulares teſtes ſufficiunt ad condemnandum; quia concordant in vno aliquo propter quod infertur punitio.

14 Ad primum oppoſitæ ſententiæ reſp. Quòd quando dicitur per tales teſtes probari aliquem hæreticum in genere; non intelligitur quòd aliquis in genere probetur hæreticus; quia crimen probatur de aliqua certa, & determinata perſona; neque ſimiliter, quòd probetur delictum in genere; quia reuera probatur apoſtaſia à fide Catholica in tali determinata perſona: quæ eſt crimen certum, & indiuiduum. Solùm dicitur, quòd probetur hæreticus in genere, quatenus probatur crimen in indiuiduo, quod generaliter complectitur omnes hæreſes; & ideo reus dicitur hæreticus in genere, quia eius crimen in indiuiduo complectitur omnes hæreſes in genere.

15 Ad 2. Non conuinci quidem de aliqua hæreſi particulari; conuinci tamen de omnibus; quatenus continentur in apoſtaſia à fide, de qua teſtes concordant: & ideo poteſt puniri tanquam apoſtata à fide.

16 Ad 3. Quod non eſt verum in ſpecie, neq; etiam eſſe verum in genere correſpondente eidem ſpeciei; quia non exiſtente ſpecie, neque etiam poteſt exiſtere genus; At poteſt eſſe verum in aliquo genere virtuali, quod eſt verum in aliqua ſpecie, ex eo quòd in ipſa tale genus virtuale contineatur. Vnde in caſu noſtro, quia apoſtaſia à fide Catholica, quæ plenè conuincitur, & eſt ſpecies determinata criminis, continet virtualiter omnes hæreſes: ideo hæreſis quæ non conuincitur in ſpecie, conuincitur in genere virtuali.

17 Ex his colligitur, An poſtquam iudex vidit in examine teſtes eſſe ſingulares circa hæreſes, de quibus articulatur proceſſus, poſſit de nouo formare alium proceſſum reexaminando teſtes ſuper alio articulo, ſuper quo cognouit futuros conteſtes ex priori proceſſu. Reſp. enim poſſe nouum proceſſum articulare, in quo teſtes ſint futuri conteſtes: non ſolùm ob ea, quæ diximus *num.* 10. ſed etiam quia reus in priori proceſſu indiciatur de crimine, ſuper quo teſtes futuri ſunt conteſtes; vnde iudex ſequens indicia poteſt ad nouum proceſſum deuenire.

An

An ſi proferens propoſitionem hæreticam ex ignorantia, eam defendat contra admonentem eſſe hæreticam, ſit hæreticus.

Deciſio CLXII.

SVMMARIVM.

1 *Proferens propoſitionem hæreticam ex ignorantia, & eam defendens contra admonentes, ſecùndum aliquos eſt hæreticus.*
2 *Non audiens admonitionem fit ineſcuſabilis.*
3 *Fit etiam contumax.*
4 *Secùndum alios non eſt hæreticus.*
5 *Ratione admonitionis fit temerarius, ſed non recedit à fide.*
6 *Si defendat propoſitionem contra admonentem, quæ contrarietur fundamentis fidei, erit hæreticus.*
7 *Defendens propoſitionem contrariam fundamentis fidei, recedit à fide.*
8 *Nec poteſt excuſari ab ignorantia.*
9 *Defendens propoſitionem contrariam ijs, quæ quiſque debet explicitè credere, contra admonentem, eſt hæreticus.*
10 *Ignorantia poteſt hunc excuſare ab hæreſi, non autem à peccato mortali.*
11 *Cur in ipſo præſumatur pertinacia contra fidem.*
12 *Defendens propoſitionem non contrariam fundamentis fidei, aut explicitè credendis contra admonentem, non eſt cenſendus hæreticus.*
13 *Quid requiratur, vt aliquis ſit hæreticus pertinax.*
14 *Cur admonitio non tollat præſumptionem ignorantiæ in eo, qui defendit propoſitionem hæreticam.*
15 *Non eſt impius, qui non credit ijs, quos non putat doctos, & ſapientes.*
16 *Non acquieſcens monitioni eorum, qui ſunt miniſtri fidei, cenſetur contradicere Eccleſiæ.*
17 *An ſtatim ſit pertinax, qui errans in fide non vult audire admonentes.*

1 AFfirmatiuè reſpondent Decianus *Tract. Crimin. lib. 5. cap. 37. num. 15.* Lopez *in Allegat. hæret. §. 3. poſt med. ver. Dicitur ergo,* & *§. 4. circa med. ver. Dummodò hunc errorem ſuum,* & *ver. Ex quibus infertur.* Syluеſ. *Verbo* Hæreſis 1. *num. 5.* Felin. *in Rubr. Extra de Hæret. ver. Et dicitur pertinax.* Turrecrem. *in Cap. Quid autem num. 4. Verbo* Sapientioribus. *24. quæſ. 3.* Bellamer. *Verbo* Sapientioribus, & *Verbo* Doctioribus. Farinac. *de Hæreſ. quæſt. 179. num. 3.* & *quæſ. 196. num. 11.* Simanca *de Cathol. præſcrip. tit. 48. num. 12.* Torquemada *lib. 4. de Eccleſ. par. 2. cap. 16.* D. Antonin. *2. par. Sum. tit. 12. cap. 5.* Guido Carmel. *in Sum. de Hæreſ. cap. 3.* Alphon. de Caſtro *de Iuſta hæret. punit. lib. 1. cap. 9. ver. Tertia regula ſit.* Rebuſ. *in Prax. Benefic. in Bulla Cœnæ Excommunicat. 1. ar. 1. Verbo* Hæreticos *ver. Quæret quis.* Caſtr. Palaus *tom. 1. tract. 4. diſp. 3. punct. 2. num. 6.*

2 Prob. Cap. *Quid autem 24. quæſ. 3.* quid *ampliùs iniquius eſt quàm impia ſapere, & ſapientibus, doctioribuſque non credere?* Et Cap. *Qui in Eccleſia ibid.* vbi habetur *Qui in Eccleſia Chriſti morbidum aliquid prauumque ſapiat, ſi correpti, vt ſanum rectumq; ſapiant, reſiſtant contumaciter, ſuaque peſtifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defendere perſiſtunt: hæretici ſint.*

3 Et ratio tangitur in his textibus. Nam accedente monitione, dum adhuc perſiſtit in defendenda hæretica propoſitione, euadit pertinax; nam cum nolit audire admonentes, cenſetur nolle deuenire in cognitionem veritatis; dum autem contemnit veritatem, pertinax eſt in errore.

4 Negatiuè autem reſp. Cano 12. *de Locis Theol. cap. 9.* Sayr. *tom. 1. Theſauri lib. 3. cap. 4. num. 17.* Salas 1. 2. *tract. 13. diſp. 7. ſect. 7. num. 53.* Torres *de Trinit. quæſ. 32. ar. 4. par. 4. Comment. initio* Sanchez *tom. 1. in Decal. lib. 2. cap. 7. num. 25.* Vaſquez 1. 2. *diſp. 126. num. 7.* Sanctarel. *cap. 1. de Hæreſ. dub. 6. num. 28.* Valentia *tom. 3. diſp. 1. quæſ. 11. puncto 1. difficul. 4.* qui aſſerit hanc eſſe communem.

5 Fundantur autem in eo, quòd licet non acquieſcat admonenti: & proinde temerarius ſit, & peccet mortaliter, ſi admoneatur à viro habente auctoritatem: non tamen recedit à credendo quod proponit Eccleſia; quia exiſtimat ſe non opinari contra doctrinam Eccleſiæ. Non enim contradicit certæ regulæ fidei, cum non contradicat Eccleſiæ, & Pontifici.

6 Cum aliqua diſtinctione procedendum exiſtimo. Vnde dico primò. Si quis defendat propoſitionem contra admonentem eſſe hæreticam, quæ contrarietur fundamentis fidei, quale eſt: Quòd Eccleſia non poſſit errare: Quòd Deus vera reuelauerit: &c. abſolutè erit hæreticus, & vt talis puniri poterit.

7 Ratio autem eſt, Quia in tantùm poſſet non cenſeri hæreticus, in quantùm defenderet propoſitionem, quam neſciret eſſe hæreticam: adhuc tamen conſeruaret fidem Catholicam, & animum promptum ad credendum quicquid credendum eſt. Si autem defenderet propoſitionem contrariam fundamentis fidei: ſicut deſtrueret illa propoſitio fundamenta fidei, ita etiam ipſe non conſeruaret fidem. Confir. Vt quis conſeruet fidem, debet habere animum paratum ad credendum, quæ credenda

ſunt;

ſunt; atque adeo debet ſe ſubijcere ijs omni-
bus, quæ mouent ad eredendum; atque adeo
fundamentis fidei; quia hæc ſicut fundant fi-
dem, ita etiam faciunt quòd homo credat.
Ergo ſi quis non conſeruat fundamenta fidei,
nec etiam conſeruat fidem: tanquam eam, quę
ſine ſuis fundamentis eſſe non poteſt.

8 Dices. Poſſe ex ignorantia putare quòd illa
propoſitio non contrarietur fundamentis fi-
dei; ex eo, quòd ignoret eſſe fundamentum fi-
dei, quod per talem propoſitionem deſtruitur.
Verùm hoc nihil obſtat; Quia licet ignoret
eſſe fundamentum fidei; dum tamen admone-
tur, lumine ipſo naturali cognoſcit eſſe fun-
damentum fidei; quia videt fidem ſine ipſo
non poſſe conſiſtere; non enim quis poſſet cre-
dere infallibiliter, niſi crederet etiam, Deum
vera reuelare; Eccleſiam non poſſe errare in
proponendis credibilibus &c.

9 Dico Secundò, Si quis defendat propoſitio-
nem hæreticam contra admonentem, contra-
riam rebus fidei, quas quilibet explicitè te-
netur ſcire, & alijs præcipuis myſterijs, quæ
notiſſima ſunt, & communiter præſumuntur
ſciri: cenſendus eſt pertinax hæreticus; niſi
fortè tanta ſit ruditas, & ignorantia ipſius,
vt præſumatur neſcire illa myſteria communi-
10 ter ab omnibus credi. In tali autem caſu li-
cet excuſaretur à pertinacia in hæreſi; non ta-
men à peccato mortali præſumptionis; quia
irrationabiliter abſq; vllo fundamento ſcien-
tiæ & doctrinæ præſumeret ſe plus cæteris
ſcire; & quamuis ignorans, nollet tamen ſe
docentibus ſubmittere.

11 Prob. Vbi præſumitur ſcientia de rebus fi-
dei, præſumitur etiam pertinacia contra fi-
dem, ſi oppoſitum fidei defendatur; quis tunc
tranſit hæreſis ad pertinaciam, quando habe-
tur ſufficiens ſcientia de rebus fidei. De his
autem myſterijs præſumitur communiter ſci-
entia inter Catholicos; & ideo etiam perti-
nacia: ſi aliquid contra ipſa adſeratur, præ-
ſertim ſtante monitione. Confir. Quando ad-
monetur, propoſitionem eſſe contra ea, quæ
communiter ſciuntur à Catholicis eſſe de fide,
poteſt facilè de hoc certificari, ſi alios inter-
roget; Ergo ſi perſiſtat defendere propoſitio-
nem hæreticam contra admonentem, oſten-
dit ſe non habere animum paratum ad cre-
dendum quæ de fide ſunt: dum ſaltem dubi-
tare poteſt ſe errare, & poteſt certificari de
veritate.

12 Dico Tertiò, Si quis defenderet aliquam
aliam propoſitionem hæreticam, quæ non eſ-
ſet contraria fundamentis credendi, nec ijs,
quæ inter Catholicos communiſſimè ſciuntur
eſſe de fide, non eſſet cenſendus hæreticus per-
tinax, nec vt talis poſſet puniri.

13 Ratio huius dicti deſumitur ex conditioni-
bus hæretici pertinacis. Vt enim ſit talis, de-
bet volens & ſciens ſentire contra Eccleſiam
quòd ſi ſentiat contra ea, quæ proponuntur
credenda ab Eccleſia ex ignorantia, hæreti-
cus tantùm erit materialiter, non autem for-
maliter: atque adeo non erit pertinax; vnde
eum præſumi poſſit ignorantia, non erit neq;
præſumptiuè hæreticus pertinax.

14 Dices. Non poſſe præſumi ignorantiam,
dum admonetur propoſitionem eſſe hæreti-
cam. Reſp. Talem admonitionem non eſſe
ſufficientem, vt tollatur præſumptio ignoran-
tiæ; quia dum contra ipſam defendit admo-
nitus ſuam hæreticam propoſitionem, oſten-
dit etiam, quòd admonenti fidem non adhi-
beat: conſequenter quòd non deponat igno-
rantiam; & ideò adhuc durat præſumptio
illius.

15 Hinc ſoluuntur quæ pro oppoſita ſententia
allata ſunt. Et ad Cap. *Quid autem* 24. *quæſ.*
3. Cum per talem textum ratio impietatis in
eo conſiſtat, quòd dum quis impia ſapit, non
credat ſapientibus, & doctis viris; ſequitur
quòd non ſit impius, ſi quis non credat ijs, quos
non habet pro ſapientibus, & doctis; quam-
uis alioquin ſint tales; quia ſi ſapientia eſt
ratio, cur quis ſit impius non credens ſapien-
ti; dum cenſetur non interuenire ſapientia,
neque etiam interueniet impietas in non cre-
dendo. Ideo autem aliquis non credens ſa-
pientibus, quos re vera pro ſapienti hos habe-
ret, eſſet impius, quia eſſet pertinax in ſuis
erroribus; nam ſciens, ſe poſſe certificari de
veritate ab illis, quia ſupponeret eſſe ſapien-
tes, & poſſe certificare: nollet certificari.

16 Alter vero tex. ex Cap. *Qui in Eccleſia, ibid.*
loquitur de correptione, quæ legitimè fit ab
ijs videlicet, ad quos ſpectat eſſe iudices, &
miniſtros publicæ fidei; quia cum hi ſint ve-
luti conſeruatores fidei in Eccleſia: ſi quis non
acquieſcit monitioni ipſorum, contradicit Ec-
cleſiæ: quia contradicit miniſtris ipſius. Non
autem intelligitur de correptione cuiuſcumq;

17 Ad rationem, dicitur Quòd licet quis no-
lit audire admonentes, non ſtatim cenſendus
eſt pertinax, aut nolle deuenire in cognitio-
nem veritatis; ſed inſpiciendum, vnde pro-
ueniat quòd nolit audire admonentes. Quia
ſi hoc prouenit ex eo quod ipſos non cenſeat
tantæ ſcientiæ, aut auctoritatis, vt poſſit ab
ijs admoneri, non erit pertinax; ſed ſolùm ſi
id faciat, quia velit defendere ſuos errores,
quomodocunque ſe habeant.

An

An ſi admonitus ab Inquiſitoribus, & ab Epiſcopo adhuc perſeueret in errore contra fidem cenſendus ſit hæreticus pertinax, etiam ſi ipſis non credat.

Deciſio CLXIII.

SVMMARIVM.

1 *Admonitus ab Inquiſitoribus, vel Epiſcopo, ſi adhuc perſeueret in errore, ſecùndum aliquos non eſt hæreticus.*
2 *Poteſt eſſe promptus, hoc non obſtante, credere Eccleſiæ.*
3 *In foro interno non erit hæreticus, licet in externo præſumatur, ex aliorum opinione.*
4 *Cur in foro externo præſumendus hæreticus.*
5 *Erit abſolutè hæreticus, ſecùndum alios.*
6 *Cenſendus eſt hæreticus ſi admonitio fiat vt à publicis miniſtris.*
7 *Inquiſitores in rebus fidei repræſentant ſummum pontificem.*
8 *Ad miniſtros fidei ſpectat res fidei conſeruare.*
9 *Epiſcopi munus.*
10 *Quam ſcientiam debeant habere Epiſcopi.*
11 *In quo caſu non audiens admonitionem Epiſcoporum, & Inquiſitorum poſſit excuſari ab hæreſi.*
12 *Quomodo qui ſentit contra Epiſcopos, & Inquiſitores admonentes circa fidei ſentiat contra Eccleſiam.*
13 *Cur non ſit opus, quando quis errat circa res fidei, congregare Concilium, aut audire Pontificem.*

1 NEgant Torres *de Trinit. quæſ.* 32. *ar.* 4. *par.* 4. *Commen.* Valent. *tom.* 3. *diſp.* 1. *quæſ.* 11. *puncto* 1. *difficul.* 4. Sayr. *lib.* 3. *de Cenſur. cap.* 4. *nu.* 17. Salas 1. 2. *tract.* 13. *diſp.* 7. *ſect.* 7. *num.* 53. Sanchez *in Decal. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 25. Sanctarel. *Cap.* 1. *de Hæret. dub.* 6. *num.* 28. & alij, præſertim quos *Deciſ. praecd.* pro ſecunda opinione citauimus *num.* 4.

2 Horum fundamentum eſt, Quia vt quis ſit hæreticus pertinax, debet ſcire, ſe ſentire contra Eccleſiam; ſi ergo ſit promptus credere Eccleſiæ, licet ſentiat contra Inquiſitores, & Epiſcopos, non erit hæreticus pertinax.

3 Alij autem procedunt cum diſtinctione. Quòd in foro conſcientiæ non erit hæreticus pertinax, præſumetur tamen talis in foro externo. Ita Suarez *diſp.* 19. *de Fide ſect.* 3. *num.* 21. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 126. *cap.* 3. *num.* 7. Lorca 2. 2. *quæſ.* 11. *ar.* 2. *diſp.* 41. *num.* 30. Merolla *tom.* 1. *Diſp. Theolog. tract.* 2. *num.* 183. Diana *par.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 36. *ver. Tertia opinio.*

4 Fundamentum eſt. Quia ſi in foro exteriori non præſumerentur hæretici, pro iudicando quocunque hæretico, opus eſſet congregare Eccleſiam, indicendo concilium vniuerſale: aut adire Summum Pontificem; quod non eſt dicendum; quia non poſſent ſic errantes commodè reuocari ad fidem.

5 Tertia ſententia abſolutè affirmat, futurum hæreticum pertinacem Bart. *l. Tutor.* §. *Tutores num.* 1. *ff. de Suſpectis tutor.* Vgolin. *in Bullam Cœnæ par.* 2. *cap.* 1. Rebuff *ibid. Excommun.* 1. *ar.* 1. *Verbo* Hæreticos. Duar. *ibid. lib.* 2. *cau.* 1. *quæſ.* 25. *num.* 4. Pegna *in Direct. Inquiſ. par.* 1. *ſchol.* 20. *regula* 4. Zanchinus *de Hæret. cap.* 2. & 3. Campeg. *ibid.* Albertin. *tract. de Agnoſcend. &c. quæſ.* 36. *num.* 6. Simanca *tit.* 48. *nu.* 18. Alphonſus de Caſtro *lib.* 1. *de Iuſta hæret. punit. cap.* 9. *ver. Tertia regula ſit* D. Antonin. *par.* 2. *Sum. tit.* 12. *cap.* 5. Farinac. *de Hæret. quæſ.* 179. *num.* 3. & *quæſ.* 196. *num.* 11. & alij, quos in præcedenti Deciſ. *num.* 1. pro prima ſententia citauimus. & nuper Caſtr. Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 3. *par.* 2. *num.* 6.

6 Dicendum eſt, Qui monetur ab Epiſcopo, & Inquiſitoribus, & adhuc pertinax perſeuerat in ſuo errore, cenſendus eſt hæreticus pertinax; quamuis dicat ſe nihil contra fidem Catholicam ſentire; non ſolùm in foro exteriori, ſed etiam in interiori; atque adeo reuera talis eſt. Debet tamen admonitio ab his fieri tanquam à publicis, non autem tanquam à priuatis perſonis; atque error debet eſſe circa ea, quæ ſunt iam definita de fide, & vt talia ab Eccleſia propoſita, vt certa, & indubitata.

7 Ratio autem eſt, Quia Inquiſitores ſunt iudices fidei deputati à Summo Pontifice, atque adeo ipſum repræſentant: & cum debeant iudicare circa res fidei, ſequitur quòd nemo poſſit ſe ſubtrahere ab eorumdem iudicio; alioquin ſe ſubtraheret etiam à iudicio Summi Pontificis. Se autem ſubtraheret, niſi in foro externo præſumeretur hæreticus, quando ab ipſis admonitus, adhuc perſiſteret in errore; quia per id, quòd diceret, ſe credere Eccleſiæ, non poſſet ab ipſis puniri. Deinde, cum ſint iudices circa res fidei, præſumuntur ſcire quæ docet Eccleſia, vt fide tenenda; & repræſentant ipſam Eccleſiam tanquam ij, ad quos ſpectat fidem Eccleſiæ manutenere. Vnde qui contradicit ipſis in ijs, quæ propoſita ſunt ab Eccleſia, vt fide tenenda, contradicit ipſi Eccleſiæ: quia contradicit perſonis publicis repræſentantibus Eccleſiam quò ad auctoritatem manutenendi fidem; & ideo etiam in foro interno hæreticus eſt.

8 Præ-

Digitized by Google

8 Prætetea. Licet ad ſolam Eccleſiam vnioerſalem, aut eius Caput ſpectet definire, & proponere res fidei; poſtquam tamen propoſitæ ſunt, ſpectat etiam ad alios, qui ex officio ſunt miniſtri fidei, eas declarare, & manutenere, & veluti in depoſito conſeruare: vt quoties opus fuerit, proferant; vnde in hoc gerunt vices Eccleſiæ. Huiuſmodi autem ſunt Inquiſitores; quia ſunt iudices fidei; & ideo qui ipſis contradicit, Eccleſiæ quoque contradicit; quia vult ipſos dirigere res fidei.

9 Et hoc etiam dicendum eſt de Epiſcopis. Nam & ipſi ex officio repræſentant Eccleſiam, & gerunt vices Pontificis; & cum ſint Paſtores animarum, habent ex officio inſtruere populos circa fidem; atque adeo in hoc munere repræſentant Eccleſiam. Hinc Chriſtus dixit omnibus Apoſtolis, tanquam paſtoribus animarum: *Euntes docete omnes gentes.* & Apoſt. 1. *ad Timoth.* 3. inter alias conditiones requirit in Epiſcopo: vt poſſit docere. & *ad Tit.* 1. *Oportet Epiſcopum eſſe amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem; vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* & 1. Petri 3. *Parati reddere rationem omni poſcenti nos de ea, quæ in nobis eſt; fide.*

10 Rurſus. Ratione huius officij debent habere ſcientiam noui, & veteris Teſtamenti: vt poſſint & ſuos docere, & alios confutare. Cap. *Epiſcopus diſt.* 22. Cap. *Qui Epiſcopus diſt.* 23. Cap. *Qui Eccleſiaſticis diſt.* 36. & Cap. *ſequenti*. Cap. *Omnes, & ſequenti diſt.* 38. Et idcirco cum ad ipſos ſpectet ex officio docere populos, & paſcere ſalubri doctrina fidei, tenentur ſubditi acceptare doctrinam, quam nomine Eccleſiæ proponunt, tanquam ij, qui ab ipſa deſtinati ſunt, vt ſuas vices gerant in inſtrudendis populis. Et proinde qui eos monentes non audit, ſed pertinax ſentit contra ipſos, ſentit etiam contra Eccleſiam.

11 In eo autem caſu ſolùm excuſari poſſet qui eorumdem admonitioni non acquieſceret, in quo tàm Epiſcopi, quàm Inquiſitores præſumerentur non habere totam neceſſariam notitiam de rebus fidei, pro inſtruendis populis; quia tunc qui contra ipſos admonentes ſentiret, cenſeretur non reſpuere miniſtros Eccleſiæ docentes, ſed non fidere eorumdem doctrinæ: atque adeo nec ſentite contra Eccleſiam.

12 Ad fundamentum primæ ſententiæ, Patet quid ſit dicendum; nempe, Qui ſentit contra Epiſcopos, & Inquiſitores, ſentire contra Eccleſiam; quia ſentit contra eos, qui ad docendum, & iudicandum de rebus fidei deputati ſunt ab ipſa; atq; adeo nomine illius docent, & iudicant; vnde licet dicat ſe non ſentire contra Eccleſiam, facto tamen contradicit.

13 Fundamentum verò ſecundę ſententiæ procedit ex eo, quòd vt hi reuocarentur ad fidem, conuocandum eſſet Concilium, aut adeundus Summus Pontifex. Et videtur ſupponere quòd Eccleſia non prouiderit de publicis miniſtris, ad quos pertineat inſtruere, & iudicare circa res fidei; quod tamen eſt falſum, vt conſtat ex dictis. Deinde non agitur in hoc caſu de declaranda re aliqua de fide: ſed ſolùm de iam declarata, & propoſita ad credendum manutenenda; & ideo non eſſet defectu legitimi miniſtri conuocandum Concilium, aut adeundus Summus Pontifex: ſed ſolùm notificandum erranti, teneri acquieſcere admonentibus ex intentione ipſius Eccleſiæ; alioquin pugnare etiam contra Eccleſiam.

De celebratione Miſſæ extra Eccleſiam, & publica Oratoria.

An poſſit Epiſcopus concedere licentiam celebrandi extra Eccleſiam, & publica Oratoria, poſt Concil. Tridentinum.

Deciſio CLXIV.

SVMMARIVM.

1 *Ante Concil. Trident. poterant Epiſcopi concedere facultatem celebrandi extra Eccleſiam, & publica Oratoria.*
2 *Non ſolùm vrgente neceſſitate, ſed etiam ex quacunque rationabili cauſa.*
3 *Poſt Concil. Trident. non poſſunt concedere hanc facultatem.*
4 *Lex directa taxatiuè ad perſonas priuilegiatas reuocat quæcunque priuilegia contraria iiſdem perſonis conceſſa.*
5 *Tridentinum corrigit abuſus celebrandi in priuatis domibus introductos occaſione facultatis, quam poterant concedere Epiſcopi.*
6 *Plus eſt aliquid facto preſtare, quàm verbis.*

1 ANte Concil. Trident. de iure communi poterant Epiſcopi concedere licentiam celebrandi extra Eccleſiam, ſeu publica Oratoria: vt deſumitur ex Cap. *Clericos, de Conſecr. Diſt.* 1. *eſt VI. Synodo*: vbi præcipitur Clericis, quòd cum conſenſu Epiſcopi miniſtrent in priuatis Oratorijs. Et ex Cap. *Miſſarum* & Cap. *Hic ergo, eodem tit: & eadem Diſt.*

2 Et hoc poterant Epiſcopi concedere non ſolùm vrgente neceſſitate, ſed etiam ex ſolo benepla-

neplacito: dummodo tamen adeſſet rationabilis cauſa, quæ requiritur pro quacunque diſpenſatione: vt notant Syluester *verbo* Miſſa 1. *quæſ.* 5. citans tex. ex Cap. *Miſſarum* & Cap. *Concedimus iuxta.* Gloſ. *De Conſecrat. Diſt.* 1. & Cap. *In his, de Priuileg.* Nauar. *Cap.* 25. *Manual. num.* 82. Azor. *tom.* 1. *num.* 10. *cap* 26. *quæſ.* 3. Suarez 3. *par. tom.* 3. *Diſp.* 81. *ſeſſ.* 3. *ver. Secundò obſeruandum*, Facundez *par.* 1. *de quinque Eccleſ. præcep. lib.* 3 *cap.* 13. *num.* 6.

3 Stante autem Decreto Tridentini Concilij *De obſeruant. & vitand. in celeb. Miſ.* quod habetur *ſeß.* 22. non poſſunt Epiſcopi concedere licentiam, extra caſum neceſſitatis, vt celebretur Miſſa in priuatis domibus: vt omnes communiter cenſent, præſertim infracitandi; quia in illis verbis: *præcipit Sancta Synodus Epiſcopis, ne patiantur priuatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicata Oratoria ab eiſdem Ordinarijs deſignanda, & viſitanda, ſanctum hoc ſacrificium à ſæcularibus, aut Regularibus quibuſcunque peragi.* Quibus verbis conſtituit legem prohibitiuam celebrationis in priuatis domibus: & commiſit Epiſcopis executionem illius.

4 Neque obſtat, quòd priuilegium conceſſum Epiſcopis concedendi huiuſmodi licentias, ſit inſertum in Corpore Iuris, cui non derogatur per quaſcunque clauſulas, etiam à Concilio Generali, niſi de ipſo fiat expreſſa mentio, vt docent communiter Doctores. Nam tunc hoc eſt verum, quando lex contraria priuilegio, ſeu præceptum non dirigitur ſpecialiter, & taxatiuè ad perſonam priuilegiatam, ſed in communi reſpectu omnium ſancitur; tunc enim lex habet ſuum effectum, etiam ſi non compræhendat perſonas priuilegiatas; ſecus autem quando ſpecialiter, & taxatiuè dirigitur ad perſonas priuilegiatas; quia tunc ſi ſtarent priuilegia contra legem, nullum lex haberet effectum: vnde fruſtatoria eſſet. Et ideo ne fruſtatoria ſit, ita eſt lex de nouo aliquid ſanciens, vt ſimul etiam ſit reuocatio priuilegij talium perſonarum efficaciſſima, æquiualens omnibus reuocationibus, quæ neceſſariæ ſunt vt lex ſortiatur ſuum effectum; & ideo æquiualet etiam reuocationi cum expreſſa mentione in ſpeciali cuiuſq; priuilegij, quod contrarietur legi. Huiuſmodi autem eſt prædicta lex Concilij Tridentini; nam ſpecialiter, & taxatiuè dirigitur ad Epiſcopos, quibus præcipitur, ne permittant celebrari in domibus priuatis.

5 Deinde Concilium in illo Decreto intendit corrigere abuſus circa celebrationem miſſarum, qui fuerant introducti occaſione facultatis, quam habebant Epiſcopi concedendi licentiam celebrandi extra Eccleſiam, ex priuilegijs inſertis in Corpore Iuris; quod non fuiſſet aſſecutum, ſi dicta priuilegia ſtarent in ſuo robore. Et ideo cum ſpecialiter præcipiat Epiſcopis, ne patiantur celebrari in priuatis domibus, idem eſt ac ſi præcipiat, ne vtantur priuilegijs inſertis in Corpore Iuris: cum præceptum per ſe primò ex ſua natura ordinetur ad tollenda hæc priuilegia, ex quibus prædicti abuſus oriebantur. Vnde licet non fiat de ipſis per verba expreſſa mentio, fit tamen

6 facto ipſo: nempe præcepto. Plus autem eſt aliquid facto ipſo præſtare, quàm verbis. argum. ex Cap. *Legabatur, de Maior. & obed.* & Cap. *fin.* 15. *quæſ.* 6. & l. *Non dudum C. de Legibus*, & item argum. ex Cap. *Dilecti filij* 2. *de Appellat.* & l. *Paulus reſpondit. ff. Rem ratam haberi.*

An ſi Oratorium priuatæ domus ſit tantùm diuino cultui dedicatum, atque permanenter, poſſit Epiſcopus concedere licentiam, poſt Concil. Trident. vt in ipſo Miſſa celebretur.

Deciſio CLXV.

SVMMARIVM.

1 *Opinio, quòd poſt Trident. poſſit Epiſcopus concedere facultatem celebrandi in priuato Oratorio permanenter dicato cultui diuino.*
2 *Non poteſt concedere hanc facultatem.*
3 *Decretum Congregationis, quò ad hoc, editum iuſſu Pauli V.*
4 *Quænam in hoc decreto aduotanda.*
5 *Eſt conſuetudine firmatum; ideo non poſſunt Epiſcopi concedere licentiam celebrandi in priuatis Oratorijs.*
6 *Tridentinum excludit quæcunq; Oratoria priuata, vt non poſſit in ipſis celebrari.*
7 *Oratorium priuatum, eſt ſolùm cultui priuato dicatum.*

1 AFfirmatiuè reſpond. Zerola *par.* 1. *Praxis Epiſcop. Verbo* Miſſa *ad* 1. *principale concluſ.* 5. aſſerens Sacram Congregationem ita pluries declaraſſe. Henriquez *lib.* 19. *de Miſſa cap.* 27. *num.* 1. Beia *par.* 4. *Caſ. Conſc. caſu* 33. *ver. Tertiò dico* Rodriquez *tom.* 1. *Quæſ. Regul. quæſ.* 43. *ar.* 6. Suarez 3. *par. tom.* 3. *diſp.* 81. *ſect.* 3. *ver. Secundò obſeruandum*, quamuis non ita expreſsè ſe declaret. Coninch. *de Sacram quæſ.* 83. *ar.* 2. *dub.* 1. *num.* 226. Gutier. *lib.* 1. *Can. Quæſ. cap.* 30. *num.* 28. Qua-

ranta

Digitized by Google

tanta *Verbo* Miſſa. Layman *lib.* 5. *Theol. Mor. tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 4. Sà *Verbo* Miſſa *num.* 20. Quod videtur habere fundamentum in ipſo Tridentino; nam ſolùm prohibet, ne Epiſcopi permittant celebrari extra Eccleſiam, & extra Oratoria diuino tantùm cultui dicata, ab ipſis Epiſcopis viſitanda; Huiuſmodi autem Oratoria ſunt ex illis, de quibus Concil. ait poſſe in ipſis celebrari; cum ſint tantùm diuino cultui dicata, & ab Epiſcopis viſitētur.

2 Oppoſitum tamen tradunt Azor. *par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæſ.* 3. Nauar. *cap.* 25. *Manual. num.* 81. & *lib.* 1. *conſ.* 1. *de Conſtit.* Bonacina *diſp.* 4. *de Sacram. quæſ. vlt. puncto* 9. *num.* 11. Miranda *tom.* 1. *Manual. quæſ.* 40. *ar.* 9. *concluſ.* 3. *in fine.* Scortia *lib.* 2. *de Sacr. Miſ. cap.* 13. *num.* 3. Riccius *in Praxi Fori Eccleſ. deciſ.* 538. Homobon. *quæſ.* 14. *de Exam. Eccleſ. tract.* 8. *cap.* 5. *par.* 2. Fuſcus *lib.* 1. *de Viſit. cap.* 21. *nu.* 8. Facundez *par.* 1. *de Præcep. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 12. Naldus *in Sum. Verbo* Miſſa *num.* 3. Gauant. *in Rub. Miſſal. par.* 1. *tit.* 20. *littera M.* Marchin. *de Sacram. ordin. tract.* 3. *par.* 3. *cap.* 9. *num.* 7. Lugo *diſp.* 20. *de Euchar. ſect.* 2. *num.* 50. Fauſtus *de Sacram. Euchar. lib.* 2. *de Sacrif. Miſſæ quæſ.* 170. quorum aliqui cenſent id prohiberi per Concil. Trident. Alij verò ſolùm per Decretum Sacræ Congregat. editum iuſſu Pauli V. *anno* 1615. per quod abſolutè prohibetur Epiſcopis, ne concedant huiuſmodi licentias, imò iubentur vt conceſſas reuocent, tenoris ſequentis.

3 *Perilluſtris, ac Reuerendiſſime Domine vti Frater. Tametſi Sacra Cardinalium Congregatio Concil. Trident. interpretum optimis innixa rationibus ſæpiſſimè reſponderit, celebrandi licentias in priuatis Oratorijs non niſi à Sede Apoſtolica eſſe concedendas; compertum eſt tamen per plures Antiſtites, eiuſdem Concilij verba in alium ſenſum detorquentes, paſſim illas, ac nullo prope delectu impertiri. Qua quidem facilitate nedum ipſi Pontificiam ſibi auctoritatem adſciſcunt, aliarumque Eccleſiarum & frequentiam minuunt, & dignitatem; verum etiam (quod ſummè dolendum eſt) tremendum illud myſterium, quo nullum aliud opus adeo ſanctum, atq; diuinum à Chriſti fidelibus tractari poteſt, intra domeſticos parietes plerumque cum tanta irreuerentia peragitur, vt nihil ferè inter prophanam & diuinam domum intereſſe videatur. Quod ſanè teterrimum exemplum vt de Chriſtiana Repub. euellant Illuſtriſſimi Patres, Amplitudini tuæ cæteriſque Archiepiſcopis, atque Epiſcopis vniuerſis, Sanctiſſimi D. N. iuſſu ſignificandum duxerunt, facultatem huiuſmodi licentias dandi ipſis Concilij decreto vnicuiq; ademptam eſſe, ſolique Beatiſſimo Romano Pontifici eſſe reſeruatam; proindeq; Amplitudini tuæ abſtinendum eſſe ab illis vtcunque tribuendis; ac ſi quas hactenus vel à tuis Anteceſſoribus, aut aliàs quoquomodo, quàm ab ipſo Summo Pontifice conceſſas repereris, nullas, atque irritas eſſe quamprimùm decernas; atque enixè curandum, ne vlla illarum ratio impoſterum habeatur. Quam quidem Sacræ Congregationis, atq; adeo Sanctitatis ſuæ voluntatem libenter Amplitudo tua perficiet; harumque litterarum exemplum in acta publica primo quoque tempore referendum, ac deinde ad ſingulos iſtius Prouinciæ Epiſcopos &c. Romæ die 10. Martij anno M DC XV.*

4 In quo decreto plura conſideranda ſunt. Primò quòd editum eſt, & intimatum iuſſu Pontificis; vnde non ſolùm habet vim interpretandi Concil. Trident. decretum, ſed etiam condendi legem: atque adeo obligandi ad ita accipiendum Decretum Tridentini. Secundò, quòd loquitur non ſolùm de licentijs celebrandi in priuatis domibus, ſed etiam in priuatis Oratorijs, quæ ſunt illa, quæ tantùm diuino cultui, & permanenter ſunt dicata. Tertiò, quòd intendit corrigere abuſus ortos ex huiuſmodi licentijs. Quartò, quòd facultas dandi has licentias eſt ſolius Summi Pontificis per decretum ipſius Tridentini. Deniq; quòd licentiæ per Epiſcopos conceſſæ ſint nullæ, atque irritæ; & proinde quòd malè fuerit interpretatum Tridentinum, dum opinabantur hanc facultatem non fuiſſe ademptam Epiſcopis.

5 Accedit etiam, quòd huiuſmodi Decretum conſuetudine receptum eſt; & ideo firmiter tenendum eſt: Non poſſe ampliùs Epiſcopos, poſt Tridentinum, concedere licentiam celebrandi in Oratorijs priuatis, etiam ſi ſint permanenter diuino tantùm cultui dicata.

6 Et hoc etiam ex ipſo decreto Tridentini colligitur, ſi rectè verba ponderentur. Prohibet enim Epiſcopis, ne patiantur celebrari extra Eccleſias, & Oratoria diuino tantùm cultui dicata, & viſitanda ab Epiſcopis ipſis. Per hæc autem Oratoria non poſſunt intelligi Oratoria priuata; Tum quia hæc non ſubſunt viſitationi Epiſcopali, qualia debent eſſe, quæ permittit Tridentinum; nam licet viſitentur quando primò conceditur licentia, non tamen continuat iuriſdictio Epiſcopi ad illa viſitanda, cum priuata ſint: vnde de facto non viſitantur. Tum quia Oratorium non cenſetur dicatum diuino cultui, niſi ſit publicum; quia cultus diuinus ex natura ſua eſt publicus, & communis omnibus; vnde non poteſt Oratorium dici dicatum cultui diuino, niſi in ipſo exerceri poſſit eo modo, quo exigit ex natura ſua exerceri.

7 Nec obſtat, quòd etiam cultus priuatus erga Deum ſit diuinus; quia ſolùm ex hoc fit, quòd Oratorium ſit dicatum cultui priuato

diuino; quòd non ſufficit vt ſit abſolutè dicatum cultui diuino. Concil. autem Trident. requirit quòd Oratorium ſit abſolutè dicatum cultui diuino, ita vt communia ſint omnibus: ſicut omnes habent ius ad cultum diuinum.

An in caſu neceſſitatis poſſit Epiſcopus concedere licentiam celebrandi in priuatis domibus, aut in alio loco non deputato cultui diuino.

Deciſio CLXVI.

SVMMARIVM.

1 *Ante Trident. poterat Epiſcopus concedere licentiam in loco non deputato cultui diuino.*
2 *Poteſt etiam poſt Tridentinum.*
3 *Declaratio Congregationis, quòd poſſit Epiſcopus hanc licentiam concedere.*
4 *Tridentinum tollit tantùm abuſus celebrandi continuo in priuatis domibus.*
5 *Lex non comprehendit caſus neceſſitatis.*

1 DIfficultas procedit poſt Concilium Tridentinum; nam certum eſt antea potuiſſe: cum potuerit etiam abſq; neceſſitate, ex quacunque rationabili cauſa: vt vidimus in ſuperioribus.

2 Reſpond. affirmatiuè, non obſtante Decreto Concil. Trident. Ita Nauar. *in Manual. cap.* 25. *num.* 82. Soto *in* 4. *diſt.* 13. *quaeſ.* 2. *ar.* 3. *ver. Colligit ergo.* Duran. *de Ritib. Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 8. Azor. *par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quaeſ.* 6. Reginal. *lib.* 29. *num.* 176. Vaſquez 3. *par. diſp.* 133. *cap.* 3. *num.* 4. & 6. Sylueſter *Verbo* Miſſa 1. *num.* 5. Barthol. ab Angelo *de Miſſa* §. 617. & 619. Chamerota *de Sacr. Miſſæ dub.* 21. Nugnus *quaeſ.* 83. *de Sacram. ar.* 3. Coninch. *ibid. dub.* 1. *num.* 224. Llamas *in Sum.* 3. *par. Methodi cap.* 5. §. 15. Graf. 3. *par. Deciſ. lib.* 2. *cap.* 32. Fillincius *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 115. Bonacina *diſp.* 4. *de Euchar. quaeſ. vltima puncto* 9. *num.* 10. Fauſtus *de Sacram. Euchar. lib.* 2. *de Sacrificio Miſſæ quaeſ.* 170. *ver. Ab hac.* Cenodo *quaeſ.* 44. *Canon.* Henriquez *lib.* 9. *de Miſſa cap.* 27. *nu.* 1. & 2. Guetier. *lib.* 1. *Quaeſ. Canon. cap.* 30. *num.* 26. Lopez 2. *par. Inſtruct. tit. de Euchar. cap.* 79. *ver. Infert deinde.* Suarez 3. *par. tom.* 3. *diſp.* 81. *ſect.* 3. *ver. Tertia exceptio.* Rodriquez *tom.* 1. *Quaeſ. Reg. quaeſ.* 43. *ar.* 6. & *par.* 1. *Sum. cap.* 249. *num.* 14. Arragon. 2. 2. *quaeſ.* 83. *ar.* 2. *circa finem.* Facundez *par.* 1. *de Quinque praecep. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 13. *nu.* 14. qui etiam alios citat. Ledeſma *par.* 1. *Sum. cap.* 20. *de Euchar. ver. La ſegunda excepcion.* Hieronym. Rodriquez *in Compend. Quaeſ. Reg. reſolut.* 9. *nu.* 5. *ver. Hodie per Concilium.* Villalob. *par.* 1. *Sum. tract.* 8. *difficul.* 13. *nu.* 2. *in fine.*

3 Imò in Declarat. Sacræ Congregat. ad Concil. Trident. circa Decretum *de Obſeruand. & vitand. in celebrat. Miſ. ſeſſ.* 22. *num.* 7. *ver. Litteris Archiepiſ.* habetur, quòd Sacra Congregatio reſcripſerit Archiepiſcopo Ianuenſi, quòd in caſu neceſſitatis arbitrio ſuo concedat celebrari vel in Oratorio priuatæ domus, vel in altari decenter ornato.

4 Ratio eſt, Quia Tridentinum intendit tantùm tollere abuſus priuatæ celebrationis: qui cum oriuntur tantùm ex continuatis licentijs extra caſum neceſſitatis, hanc tantùm facultatem abſtulit Epiſcopis, nimirum concedendi licentias permanentes, & ſtabiles, extra caſum neceſſitatis.

5 Deinde, Cum neceſſitas non habeat legem, nunquam leges comprehendunt caſus neceſſitatis: ſed ita obligant, vt in iis cenſeantur non obligare. Vnde poteſt Epiſcopus recognoſcere caſum neceſſitatis, & declarare, quòd poſſit in illo caſu celebrari extra loca deputata, etiam in priuatis domibus, in loco tamen honeſto.

Quanta debeat eſſe neceſſitas, vt poſſit Epiſcopus concedere licentiam celebrandi extra loca deputata.

Deciſio CLXVII.

SVMMARIVM.

1 *Neceſſitas celebrandi extra loca deputata nunquam poteſt eſſe abſoluta.*
2 *Solùm neceſſitas moralis poteſt exigere celebrationem extra loca deputata.*
3 *An & quando in caſtris militum celebrari poſſit.*
4 *An diebus non Feſtis.*
5 *An quando Eccleſia non poteſt capere populum, ſit ſufficiens cauſa celebrandi extra ipſam.*
6 *An quando Sacerdos celebrat primam Miſſam, & confluit magna multitudo.*
7 *An quando nauigantes appellunt ad littus, & multo tempore caruerunt Miſſa.*
8 *Quod nam tempus notabile inducat hanc neceſſitatem reſpectu nauigantium.*
9 *An quando nauigantes appellunt ad littus in aliqua ex ſolemnioribus feſtiuitatibus, poſſit ibi celebrari.*

1 NOn poteſt vnquam interuenire abſoluta neceſſitas celebrandi extra loca deputa-

ta,

Digitized by Google

ta: quia quando non poteſt celebrari in locis deputatis, ceſſat præceptũ audiendi Miſſam. Nec etiam adeſſe poteſt talis neceſſitas ratione alterius præcepti, quod ſine celebratione impleri non poſſit; quia vbi adeſt liber cultus Catholicæ Religionis, ſemper adeſt commoditas celebrandi in locis deputatis in ordine ad adimplendum præceptum: vbi verò cultus Catholicæ Religionis non eſt liber, non vrget præceptum celebrandi in deputatis locis publicis: ſed poteſt celebrari in quocunque honeſto loco: vt conſuebant in primitiua Eccleſia.

2 Itaque ſolùm poteſt interuenire quædam neceſſitas moralis fundata in exigentia deuotionis fidelium: quia videlicet indecens ſit quòd fidelium deuotio defraudetur celebratione: aut quia ſit valde conueniens quòd fruatur tali celebratione; aut quia celebratio cenſeatur neceſſaria ad conſeruandam deuotionem: quæ eſt ponderanda, habita ratione circumſtantiarum. Vnde, generaliter, tunc cenſenda eſt adeſſe neceſſitas, quando cultus diuinus notabiliter læditur, aut imminuitur, ſi non celebretur.

3 Hinc plures caſus in particulari reſolui poſſunt; & primò, Ratione neceſſitatis poſſe in caſtris militum in tentorijs, aut etiam ſub dio celebrari: vt notant communiter, præſertìm ij, quos Deciſ. *præced. nu.* 2. attulimus. Quod intelligi debet pro diebus feſtis: quia militum deuotio valde periclitaretur, niſi ſacrificio frueretur: & quia indecens eſt, quòd tota illa multitudo ceſſet à cultu diuino, qui exhibetur in ſacrificio Miſſæ. Imò etiam quando pugnandum eſt, adeſt neceſſitas celebrandi, vt ijdem Auctores notant; tum quia eſt placandus Deus vt ſit propitius (vnde etiam Gentiles conſueuerunt ſacrificare ſuis Dijs ante pugnam) tum quia cum in pugna milites ſe exponant euidenti periculo mortis, oportet vt poſſint ſe præparare per Sacram Euchariſtiam.

4 Imò etiam diebus non feſtis exiſtimo habere locum neceſſitatem, quò ad Generales, & alios primarios Ductores militum, vt poſſint facere celebrare in caſtris, in ſuis tentorijs. Quia cum pertineat ad ipſos cura militum, tenentur procurare, quantum poſſunt, conſeruationem ipſorum, & adhibere illa media quæ ſunt neceſſaria; quorum præcipuum eſt placatio Dei, & imploratio diuini auxilij; quæ non poſſunt meliori modo obtineri, quàm per ſacrificium Miſſæ. Videretur enim parum æſtimari cultus diuinus, ſi in tanta neceſſitate diuini auxilij, non adhiberetur ſacrificium Miſſæ.

5 Secundò notant Doctores, præſertim citati *num.* 2. Deciſ. præcedentis: tunc adeſſe neceſſitatem celebrandi extra loca deſtinata, quando quacunque ex cauſa (ſiue ſit ſolemnitas, ſiue publica ſupplicatio) confluit magna multitudo: ita vt non poſſit capere intra locum deſtinatum ad celebrandum, tunc enim poteſt extra ipſum erigi altare, & ibi celebrari. Eſſet enim valde inconueniens, quòd dum populus confluit ad illum locum, deuotionis gratia, non poſſet frui præcipuo obiecto deuotionis, quod eſt ſacrificium Miſſæ.

6 Hoc autem extendunt Nauar. Azor. Suarez, Facundez, Fauſtus cum alijs, locis citatis *nu.* 2. Deciſ. præced. contra Bonacin. *ibid. citat.* etiam quando ſacerdos aliquis celebrat primam Miſſam, ad quam confluat magna multitudo, ita vt intra Eccleſiam, aut Oratorium capere non poſſit; tunc enim poteſt celebrare extra; quia non eſt conueniens, quòd populus fraudetur illa ſpeciali deuotione, qua aſſiſtit nouæ ſacrificationi.

7 Tertiò. Quando nauigantes appellunt ad aliquod littus, & per notabile tempus caruerunt ſacrificio Miſſæ, poteſt ibi celebrari, cum debita tamen reuerentia, & decentia: & dummodò non adſit aliquod periculum: vt notant Azor. Henriquez, Facundez locis citatis *nu.* 2. Deciſ. præcedent. Cum enim in mari, vel fluminibus non poſſit celebrari ob periculum effuſionis ſanguinis, eſſet notabiliter contra deuotionem nauigantium tanto tempore carere ſacrificio.

8 Quòd ſi inquiras, quodnam ſit tempus notabile, quod poſſit inducere hanc neceſſitatem. Reſpond. Menſem integrum eſſe cenſendum tempus notabile; quia illud in hac re eſt habendum pro tempore notabili, in quo pluries fraudati ſunt ſacrificio, quando ex præcepto debuiſſent intereſſe. Adde quòd etiam ſi non eſſet elapſus menſis, ſed tantùm plures dies, dummodo per alios plures dies eſſent nauigaturi, poſſet adhuc celebrari in littore, ad præueniendam longam carentiam ſacrificij.

9 Et ſi contingat quòd appellant ad littus in aliqua ex ſolemnioribus feſtiuitatibus, poteſt adhuc ibi celebrari, quamuis per paucos dies caruerint ſacrificio: quia non eſt conueniens quòd in illa feſtiuitate ſacrificio fraudentur.

An quando adeſt neceſſitas ſit neceſſaria licentia Epiſcopi, vt poſſit celebrari extra loca deputata.

Deciſio CLXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Quando adeſt neceſſitas celebrandi extra loca deſtinata, petenda eſt licentia ab Epiſcopo.*
2 *Secundum alios non eſt neceſſarium eam petere.*
3 *Si neceſſitas ſit euidens, non eſt opus petere licentiam ab Epiſcopo.*
4 *Quando contra legem vrget neceſſitas, non opus diſpenſatione.*
5 *Facultas celebrandi extra loca deputata, vrgente neceſſitate, habetur à iure communi.*
6 *Si neceſſitas celebrandi extra loca deputata non ſit euidens, petenda eſt licentia Epiſcopi.*

1 COmmuniter Reſp. petendam eſſe licentiam ab Epiſcopo, quando commodè adiri poteſt, aut ab eius Vicario Generali. Ita præſertim Henriquez *lib. 9. de Miſſa cap. 27. num. 2.* Suarez *3. par. tom. 3. diſp. 81. ſect. 3. ver. Tertia exceptio.* Azor. *tom. 1. lib. 10. cap. 26. quæſ. 6.* Fauſtus *de Eucbariſ. lib. 2. de Sacriſ. Miſſa quæſ. 170.* Ledeſma *par. 1. Sum. cap. 20. de Euchar. ver. La ſegunda exception.* Syluester *Verbo* Miſſa *quæſ. 5.* Facundez *par. 1. de Quinque Eccleſ præcep. lib. 3. cap. 13. num. 14.* qui cum Suarez addit, quòd cum neceſſitas præuidetur, debet licentia præueniri.

2 At non eſſe petendam licentiam docent Nauar. *cap. 25. Manual. num. 82.* Sotus *in 4. diſt. 13. quæſ. 2. ar. 3. ver. Colligit ergo ſecundò.* Armilla *Verbo* Miſſa *num. 4.* Sà *ibid. num. 20.* Leſana *par. 1. Quæſ. Regul. cap. 21. num. 16.* Addit tamen Sotus, quòd quando licentia haberi poteſt, decens eſt vt petatur.

3 Diſtinguendum tamen. Si enim neceſſitas eſt clara, & euidens, exiſtimo non opus eſſe, vt petatur licentia ab Epiſcopo. Quia tunc neceſſitas de ſe excuſat ab obſeruantia legis; ſeu potiùs in illo caſu neceſſitatis lex non obligat; & proinde non eſt neceſſaria aliqua licentia: ſicut nec eſt neceſſaria in alijs materijs, quando neceſſitas vrget contra legem, aut præceptum; cum non ſit maior ratio de hac materia, quàm de alijs.

4 Deinde talis licentia eſſet omnino fruſtratoria, nec aliquem ſortiretur effectum; quia non eſſet diſpenſatiua legis: cum non ſit opus diſpenſatione, quando contra legem vrget neceſſitas; nec etiam declaratiua neceſſitatis; quia neceſſitas, cum ſit de ſe euidens, non indiget declaratione.

5 Denique Ius commune dat facultatem celebrandi extra loca deputata, vrgente neceſſitate: Cap. *Sicut non alij.* & Cap. *Concedimus de Conſecr. diſt. 1.* Qui canones licet non fuerint ſanciti auctoritate Pontificis, aut Concilij vniuerſalis, conſuetudine tamen interpretante, acceptati ſunt tanquam vim legis habentes; quia fundantur in recta ratione, & continent aliquid, quod concernit bonum communitatis. Quando autem Ius commune dat facultatem, non eſt neceſſe ab alio eam petere.

6 Si verò neceſſitas non ſit euidens, tunc petenda eſt licentia Epiſcopi; quæ ſe habebit, vt declaratiua neceſſitatis. Quia abſque ipſa neceſſitas non poteſt ſuffragari: cum non ſit in aperto poſita. Hoc tamen intelligi debet, quando Epiſcopus, aut eius Vicarius Generalis adiri poteſt; quia ſi non poſſunt adiri, adeſt licentia interpretatiua, quæ in tali caſu ſufficit. Et tunc habet locum quod docent Suarez, & Facundez: quòd debeat licentia præueniri, quando præuidetur neceſſitas.

An ſi in aliquo oppido corruat Eccleſia, nec ibi alia adſit, poſſit extra loca deputata, ratione neceſſitatis, celebrari.

Deciſio CLXIX.

SVMMARIVM.

1 *Ob miniſtrandum viaticum licet celebrare extra Eccleſiam, ſi Eccleſia ſit diruta, nec alia adſit.*
2 *Etiam ſi præceptum ſumendi viaticum non ſit diuinum, ſed tantùm Eccleſiaſticum.*
3 *Eucbariſtia eſt inſtituta pro ſingulis priuatis perſonis.*
4 *Diruta Eccleſia, licet celebrare extra ipſam: vt populus audiat Miſſam.*
5 *Cur non obſtet decretum Concilij Tridentini.*
6 *Quando non poteſt celebrari in Eccleſia, ceſſat præceptum non celebrandi extra ipſam.*
7 *Etiam ſi populus poſſit accedere ad vicina oppida.*

1 POſſe in aliquo caſu celebrari exiſtimo certum. Vt ſi conficienda ſit Euchariſtia pro moribundo, ex eo quòd non poſſit deferri è loco, vbi eſt: quia longè abſit, & adſit periculum ne interim moribundus expiret; tunc enim adeſt neceſſitas celebrandi in eodem loco: vt ſubueniatur infirmo.

Digitized by Google

2 Et hoc verum eſt, nedum ſi præceptum communicãdi in articulo mortis ſit diuinum (quod omnino præualet humano) ſed etiam ſi ſit tantùm eccleſiaſticum; nam adhuc maius eſt, quàm præceptum celebrandi in loco deputato: quia eſt præceptum reſpiciens neceſſitatem in ordine ad ſalutem ſpiritualem animæ; præceptum autem celebrandi in locis deputatis eſt tantùm præceptum conuenientiæ, & decentiæ.

3 Neque obſtat, quòd huiuſmodi neceſſitas ſit priuata; quia ſacramentum Euchariſtiæ eſt inſtitutum pro priuata cuiuſcunque neceſſitate, atque adeo etiam quæ ſunt in ordine ad ipſum: quale eſt ſacrificium Miſſæ.

4 An autem extra hunc caſum, & alios huiuſmodi poſſit celebrari extra Eccleſiam, in eum tantùm finem, vt populus audiat Miſſam: Reſp. affirmatiuè, ex Cap. *Concedimus de Conſecr. diſt.* 1. vbi id permittitur in huiuſmodi caſibus neceſſitatis, quouſque reficiatur Eccleſia.

5 Neque eſt in contrarium Decretum Trident. *de Obſeruand. & vitand. in celebr. Miſſæ*, quod habetur *ſeſſ.* 22. quia dum præcipit Epiſcopis, ne permittant celebrari extra Eccleſiam: intendit de celebratione, quæ extra neceſſitatem regulariter fiat: & quando adeſt Eccleſia, in qua celebrari poteſt; in quo ſenſu quoque procedit decretum Sacræ Congreg. iuſſu Pauli V. editum 1615. Solùm enim voluit tollere abuſus celebrandi extra loca deputata; & ideo id non prohibuit, quando non poteſt celebrari in ipſis.

6 Ratio autem eſt, Quia ex vno capite Fideles habent ius ad ſacrificium: & ex alio capite præceptum non celebrandi extra loca deputata eſt tantùm eccleſiaſticum, in ordine ad tollendos abuſus, & ſeruandam debitam reuerentiam ſacrificio; hic autem finis ceſſat, quando non poteſt celebrari in Eccleſia, aut alio loco deputato: & aliàs ſtat in ſuo vigore ius fidelium ad ſacrificium; & ideo ceſſat etiam lex; quæ non intendit priuare fideles ſuo iure, ſed tantùm ſeruare debitam decentiam ſacrificij.

7 Dices poſſe accedere ad alia vicinia ad audiendam Miſſam. Reſp. Non teneri ad audiendam Miſſam in alienis oppidis: ſed poſſe audire in proprio, quomodocunque celebrari poſſit; quia omnis communitas habet ius ad habendum ſacrificium in proprio loco: cum habeat ius ad ibi colendum Deum; & ideo debet poſſe quocunque tempore, quo non ſit prohibitum, facere ibi celebrari, ea meliori decentia, qua fieri poteſt.

An poſſit Epiſcopus concedere licentiam celebrandi in priuata domo, ex cauſa infirmitatis.

Deciſio CLXX.

SVMMARIVM.

1 *Opinio, quòd Epiſcopus in caſu infirmitatis non poſſit concedere facultatem celebrandi in priuatis domibus.*
2 *Tridentinum videtur præuidiſſe caſum, & noluiſſe concedere facultatem Epiſcopis.*
3 *Poteſt Epiſcopus hanc licentiam concedere.*
4 *Tridentinum prohibet tantùm continuatam celebrationem in priuatis domibus.*
5 *Declaratio Congregationis, quòd poſſit Epiſcopus talem licentiam concedere.*
6 *Quibus perſonis poſſit huiuſmodi licentia concedi.*
7 *An debeat concedi perſonæ aliunde inſigni, quàm ex nobilitate.*

1 NEgatiuam ſententiam tradunt ij omnes, qui nulla de cauſa putant poſſe Epiſcopus hoc concedere: vt Nauar. *in Manual. cap.* 25. *num.* 81. & *conſil.* 16. *de Priuileg. num.* 2. & *conſil.* 1. *de Conſtit. num.* 76. Fuſcus *lib.* 1. *de Viſitat. cap.* 21. *num.* 8. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæſ.* 3. Miranda *tom.* 1. *Manual. quæſ.* 40. *ar.* 9. *in concluſ.* 3. Gutierez *lib.* 1. *Quæſt. Canon. cap.* 30. *num.* 25. Ledeſma 1. *par. Sum. cap.* 20. *ver. La tercera difficultad es. in fine*, qui de hoc caſu ſpeciali agit.

2 Fundatur in eo, Quòd Concil. Trident. videtur præuidiſſe hunc caſum, & tamen nihilominus abſolutè præcipit, ne permittant Epiſcopi celebrari in priuatis domibus. & Sacra Congregatio in Decreto *anni* 1615. quod in ſuperioribus retulimus, iuſſu Pontificis edito, declarat, ſpectare ad ſolum Pontificem, concedere huiuſmodi licentias.

3 At poſſe Epiſcopum concedere huiuſmodi licentiam, tenent ij omnes, qui docent adhuc poſt Tridentinum poſſe concedere tales licentias, quos ſupra Deciſ. 166. *num.* 2. citauimus: & præterea Beia *par.* 4. *Reſp. Caſ. Conſcient. caſu* 33. *ver. Tertiò dico*. Alzedo *par.* 1. *de Præcel. Dignit. Epiſcop. num.* 9. Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcopi par.* 2. *alleg.* 23. *num.* 9. *in fine*.

4 Ratio eſt, Quia Concil. Trident. loquitur tantùm de celebratione in priuatis domibus continua; quia cùm moueatur ex abuſibus in tali celebratione ſuccedentibus, intendit tantùm de ea, ex qua ſequuntur: non ſequuntur autem ex celebratione pro vna, aut altera vice concesſa; & ideo ſublata eſt tantùm facul-

tas Epiſcopis concedendi licentias continuas, non autem pro aliqua vice: in caſibus præſertim, in quibus non poteſt adiri Pontifex. Et in hoc ſenſu procedit etiam decretum Congregationis, de quo in *num.* 2. præſentis Deciſ. quia procedit iuxta determinationem Tridentini.

5 Hinc in Declarat. Trident. circa prædictum decretum *ver. Litteris Archiepiſcopi.* & *ver. Infans nobiliſſima*, habetur Sacram Congregationem declaraſſe, poſſe Epiſcopum concedere talem licentiam in caſu neceſſitatis: vel quia ratione conſuetudinis non ſit licitus exitus è domo. Et ita etiam fuiſſe deciſum refert Armend. *in Addit. ad Recogn. lat. leg. Nauar. tit. 18. l. 7. de Epiſcopis num.* 72. apud Barboſ. *par. 2. de Off. & poteſt. Epiſcopi, allegat.* 23. *num.* 8.

6 Non debet autem hæc licentia cuicunque perſonæ concedi: ſed debent tales circumſtantiæ ex parte perſonæ, cui conceditur, interuenire, vt eam rationabilem reddant. Regulariter autem rationabilis eſt, quando conceditur alicui magnati, aut perſonæ ex nobilitate conſpicuæ. Sunt enim hæ conditiones quædam, quæ ſicut reddunt perſonas dignas ſpeciali honore; ita etiam faciunt vt congruenter poſſint ipſis concedi ſpeciales gratiæ, & priuilegia. Vnde etiam Summus Pontifex hæc priuilegia concedit intuitu nobilitatis.

7 Deinde exiſtimo futuram cauſam rationabilem, ſi perſona, cui conceditur, licet non ſit nobilitate conſpicua, aliunde tamen inſignis ſit: vel ob inſigne ſeruitium præſtitum communitati, vel ob litteras, vel ex aliquo alio capite digno homine liberali, & quod conſtituat perſonas dignas ſpeciali veneratione. Huiuſmodi enim perſonæ merentur ornari ſpecialibus priuilegijs, & gratijs, vt paſſim contingit. Semper tamen aduertendum eſt, quòd poſſit Miſſa celebrari cum debita decentia.

bibet ordinarias, & continuas licentias celebrandi extra loca deputata.

4 *Quænam ſit cauſa rationabilis, ob quam poſſit concedi licentia celebrandi in priuatis domibus.*

1 RESp. affirmatiuè cum Barboſa *par. 2. de Off. & poteſt. Epiſcopi alleg. 23. num. 9. in fine.* qui *num.* 8. citat pro hac parte Riccium *in Praxi Fori Eccleſiaſ. deciſ.* 460. *num. 2. edit. 2.* Alzed. *par. 1. de Præcel. Epiſcop. dignit. cap.* 13. *num.* 9. & alijs qui, concedunt hanc auctoritatem Epiſcopo abſolutam, etiam poſt Concil. Trident. quos citat Barboſa, & nos ſupra retulimus. Et faciunt pro hoc declarationes Sacræ Congreg. de quibus Deciſ. præced. *nu.* 5.

2 Hoc autem debet intelligi pro vna, aut altera vice, ex aliqua rationabili cauſa, habita ratione qualitatis perſonarum, & circumſtantiarum; debet enim huiuſmodi licentia concedi perſonis conſpicuis, quæ dignæ ſint vt tali honore, & fauore gaudeant.

3 Ratio eſt; Quia Tridentinum in illo Decreto *ſeſſ.* 22. *de Obſeruand. & vitand. in celebr. Miſſ.* atque adeo etiam Sacra Congregatio in Decreto edito iuſſu Pauli V. (de quo in ſuperioribus) ſolùm prohibent ordinarias, & continuas licentias; cum intendant tantum tollere abuſus: & abuſus ſolùm ex huiuſmodi licentijs oriantur; non autem licentias pro vna, aut altera vice, ex rationabili cauſa; quia in his facilè omnia inconuenientia vitari poſſunt.

4 Quæres; quænam ſit cauſa rationabilis, ob quam poſſit Epiſcopus concedere huiuſmodi licentiam. Reſp. Omnem illam eſſe cauſam rationabilem, ob quam non eſt licitus egreſſus è domo, ex quacunque cauſa id proueniat: dummodo talis cauſa per notabile tempus duret, aut coincidat cum aliqua principaliori ſolemnitate; quia tunc, cum ſit impeditus legitimè acceſſus ad Eccleſiã, rationabile eſt vt pro aliqua vice cõcedatur huiuſmodi licentia.

An in aliquo alio caſu poſſit Epiſcopus concedere licentiam celebrandi extra loca deputata.

Deciſio CLXXI.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus ex cauſa rationabili poteſt concedere licentiam celebrandi extra loca deputata, etiam poſt Trident.*
2 *Sed pro vna tantùm, aut altera vice.*
3 *Tridentinum, & Sacra Congregatio ſolùm pro-*

An tempore peſtilentiæ poſſit Epiſcopus concedere licentiam celebrandi in publicis vijs, & in priuatis domibus.

Deciſio CLXXII.

SVMMARIVM.

1 *Tempore peſtilentiæ poteſt Epiſcopus concedere licentiam celebrandi in publicis vijs, & in priuatis domibus.*
2 *Quæ facultas ſit ſublata Epiſcopis per Trident.*

quo ad celebrationem extra loca deputata.

3 *Tridentinum reuocat facultatem, quam habebant Epiſcopi, concedendi licentiam celebrandi extra loca deputata.*

4 *Decretum Concilij Toletani prohibens Epiſcopis, ne concedant licentiam celebrandi extra loca deputata.*

5 *An, quando ceſſauit peſtilentia, & egreſſus è domo adhuc prohibetur, poſſit Epiſcopus concedere licentiam celebrandi extra loca deputata.*

1 RESp. affirmatiuè cum Barboſa *par. 2. de Off. & poteſt. Epiſcopi, alleg. 23. num. 8. & 9.* qui citat Riccium *reſol. 460. Praxis Fori Eccleſiaſ. num. 2. edit. 2.* Praxis Epiſcop. *par. 1. Verbo* Miſſa. Marchino *par. 6. Belli diuini cap. 1. nu. 5. & ſequentib.* & alijs, qui volunt, vrgente neceſſitate, poſſe Epiſcopum concedere huiuſmodi licentiam: quos in ſuperioribus citauimus. Hic enim eſt vnus ex caſibus neceſſitatis; Item cum illis, qui volunt hanc facultatem non fuiſſe ablatam Epiſcopis. Et faciunt pro hoc Declarationes Sacræ Congregat. de quibus Deciſ. præced. *num.* 1.

2 Ratio eſt, Quia, vt diximus in ſuperioribus, Tridentinum, & Sacra Congregatio in ſuo decreto iuſſu Pauli V. edito (in quo declarat facultatem concedendi licentias celebrandi in priuatis domibus pertinere tantùm ad Summum Pontificem) habet pro fine tollere abuſus celebrandi paſſim in priuatis domibus, & paſſim concedendi huiuſmodi licentias cum indecentia tanti ſacrificij. Hic autem finis ſufficienter obtinetur, ſi ſit ablata Epiſcopis facultas concedendi ad libitum, abſque vlla neceſſitate, licentias continuas, & ſuo modo perpetuas; nec requiritur quòd etiam ſit ablata facultas concedendi licentiam pro aliquo determinato tempore: quale eſt illud, quo durat peſtilentia; cum ex hac conceſſione nullus ſequatur abuſus, & adſit neceſſitas concedendi: cum populus indigeat placare Deum cum aſſiſtentia ad ſacrificium Miſſæ: & acceſſus ad Eccleſiam ſit periculoſus. Vnde cum finis ſit menſura legis: ita vt tantùm obliget, quantùm exigit finis: non eſt dicendum, quòd per illa decreta ſit ablata ab Epiſcopis iſta facultas; præſertim cum odioſa reſtringenda ſint. Cap. *Odia de Regulis iuris in 6.*

3 Non tamen admittendum eſt, quod ait Marchin. *num. 7. citati Cap.* Nimirum quòd per Trident. non ſit reuocata Epiſcopis facultas concedendi abſolutè huiuſmodi licentias. Nam dum Concil. præcipit Epiſcopis, vt non patiantur celebrari extra Eccleſias, aut Oratoria publica diuino cultui dicata, reuocat hanc facultatem: quia cum non celebraretur in priuatis domibus, niſi de conſenſu Epiſcopi: dum præcipit Epiſcopis, quòd non patiantur celebrari, ſimul etiam præcipit, quòd non concedant licentias celebrandi.

4 Nec obſtat Deciſ. Concil. Toletan. *anni* 1483. *act. 3. cap. 42.* decernens, quòd Epiſcopus non concedat celebrari in priuata domo, etiã ſi habeat Capellam; quia hoc non fuit conſuetudine receptum, ſed vſque ad Concil. Trident. fuerunt in vigore priuilegia Epiſcoporum concedendi has licentias.

5 Ex quibus fit, quòd etiam quando ceſſauit peſtilentia, & ceſſationis experimentum ſumitur per vulgò *Quarantenam*, tunc quoque poſſit Epiſcopus concedere eandem licentiam; quia à fortiori militat eadem ratio: cum pro illo tempore ſit ſtrictiùs prohibitus egreſſus è domo, & omnis conuerſatio, & coadunatio.

An ſi Oratorium priuatæ domus ſit permanenter dicatum cultui diuino, & habeat ingreſſum expoſitum, vt quilibet ingredi póſſit, Epiſcopus poſſit concedere licentiam, vt in ipſo celebretur.

Deciſio CLXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Si Oratorium priuatæ domus habeat ingreſſum publicum, poteſt Epiſcopus dare licentiam vt in ipſo celebretur.*

2 *Oratorium habens ingreſſum omnibus patentem eſt publicum.*

3 *An in Oratorio priuatæ domus habente publicum ingreſſum poſſit celebrari ianuis clauſis.*

4 *An aſſiſtens Miſſæ ex aliqua feneſtra in muris Oratorij, in quo poteſt celebrari, ſatisfaciat præcepto.*

1 HOc dubium non reperio in terminis apud Doctores. Exiſtimo tamen affirmatiuè reſpondendum. Et hoc non ſolùm tenebunt ij, qui putant poſſe Epiſcopos poſt Tridentinum concedere licentiam celebrandi in priuatis Oratorijs, quando ſunt tantùm diuino cultui dicata, quos in ſuperioribus Deciſ. retulimus: ſed etiam qui cenſent non habere Epiſcopos hanc facultatem.

2 Ratio eſt, Quia licet huiuſmodi Oratorium ſit erectum ex intentione commoditatis priuatæ, de ſe tamen publicum eſt; cum habeat ingreſſum omnibus expoſitum, & ſit erectum, vt ſupponimus, auctoritate Epiſcopi, & ſu-

biaceat

Digitized by Google

tas Epiſcopis concedendi licentias continuas, non autem pro aliqua vice: in caſibus præſertim, in quibus non poreſt adiri Pontifex. Et in hoc ſenſu procedit etiam decretum Congregationis, de quo in *num.* 2. præſentia Deciſ. quia procedit iuxta determinationem Tridentini.

5 Hinc in Declarat. Trident. circa prædictum decretum *ver. Litteris Archiepiſcopi.* & *ver. Infans nobiliſſima*, habetur Sacram Congregationem declaraſſe, poſſe Epiſcopum concedere talem licentiam in caſu neceſſitatis: vel quia ratione conſuetudinia non ſit licitna exitus è domo. Et ita etiam fuiſſe deciſum refert Armend. *in Addit. ad Recogn. lat. leg. Nauar. tit.* 18. *l.* 7. *de Epiſcopis num.* 72. apud Barboſ. *par.* 2. *de Off. & poteſt. Epiſcopi, allegat.* 23. *num.* 8.

6 Non debet autem hæc licentia cuicunque perſonæ concedi: ſed debent tales circumſtantiæ ex parte perſonæ, cui conceditur, interuenire, vt eam rationabilem reddant. Regulariter autem rationabilis eſt, quando conceditur alicui magnati, aut perſonæ ex nobilitate conſpicuæ. Sunt enim hæc conditiones quædam, quæ ſicut reddunt perſonas dignas ſpeciali honore: ita etiam faciunt vt congruenter poſſint ipſis concedi ſpeciales gratiæ, & priuilegia. Vnde etiam Summus Pontifex hæc priuilegia concedit intuitu nobilitatia.

7 Deinde exiſtimo futuram cauſam rationabilem, ſi perſona, cui conceditur, licet non ſit nobilitate conſpicua, aliunde tamen inſignis ſit: vel ob inſigne ſeruitium præſtitum communitati, vel ob litteras, vel ex aliquo alio capite digno homine liberali, & quod conſtituat perſonas dignas ſpeciali veneratione. Huiuſmodi enim perſonę merentur ornari ſpecialibus priuilegija, & gratija, vt paſſim contingit. Semper tamen aduertendum eſt, quòd poſſit Miſſa celebrari cum debita decentia.

bibet ordinarias, & continuas licentias celebrandi extra loca deputata.

4 *Quanam ſit cauſa rationabilis, ob quam poſſit concedi licentia celebrandi in priuatis domibus.*

1 RESp. affirmatiuè cum Barboſa *par.* 2. *de Off. & poteſt. Epiſcopi alleg.* 23. *num.* 9. *in fine.* qui *num.* 8. citat pro hac parte Riccium *in Praxi Fori Eccleſiaſ. deciſ.* 460. *num.* 2. *edit.* 2. Alzed. *par.* 1. *de Præcel. Epiſcop. dignit. cap.* 13. *num.* 9. & alijs qui, concedunt hanc auctoritatem Epiſcopo abſolutam, etiam poſt Concil. Trident. quos citat Barboſa, & nos ſupra retulimua. Et faciunt pro hoc declarationea Sacræ Congreg. de quibus Deciſ. præced. *nu.* 5.

2 Hoc autem debet intelligi pro vna, aut altera vice, ex aliqua rationabili cauſa, habita ratione qualitatis perſonarum, & circumſtantiarum; debet enim huiuſmodi licentia concedi perſonis conſpicuia, quæ dignæ ſint vt tali honore, & fauore gaudeant.

3 Ratio eſt; Quia Tridentinum in illo Decreto *ſeſſ.* 22. *de Obſeruand. & vitand. in celebr. Miſſ.* atque adeo etiam Sacra Congregatio in Decreto edito iuſſu Pauli V. (de quo in ſuperioribus) ſolùm prohibent ordinarias, & continuas licentias; cum intendant tantum tollere abuſus: & abuſus ſolùm ex huiuſmodi licentija oriantur; non autem licentias pro vna, aut altera vice, ex rationabili cauſa; quia in his facilè omnia inconuenientia vitari poſſunt.

4 Quæres; quænam ſit cauſa rationabilia, ob quam poſſit Epiſcopus concedere huiuſmodi licentiam. Reſp. Omnem illam eſſe cauſam rationabilem, ob quam non eſt licitua egreſſua è domo, ex quacunque cauſa id proueniat: dummodo talia cauſa per notabile tempua durer, aut coincidat cum aliqua principaliori ſolemnitate; quia tunc, cum ſit impeditus legitimè acceſſua ad Eccleſiã, rationabile eſt vt pro aliqua vice cõcedatur huiuſmodi licentia.

An in aliquo alio caſu poſſit Epiſcopus concedere licentiam celebrandi extra loca deputata.

Deciſio CLXXI.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus ex cauſa rationabili poteſt concedere licentiam celebrandi extra loca deputata, etiam poſt Trident.*

2 *Sed pro vna tantùm, aut altera vice.*

3 *Tridentinum, & Sacra Congregatio ſolùm pro-*

An tempore peſtilentiæ poſſit Epiſcopus concedere licentiam celebrandi in publicis vijs, & in priuatis domibus.

Deciſio CLXXII.

SVMMARIVM.

1 *Tempore peſtilentiæ poteſt Epiſcopus concedere licentiam celebrandi in publicis vijs, & in priuatis domibus.*

2 *Quæ facultas ſit ſublata Epiſcopis per Trident.*

quo ad

quo ad celebrationem extra loca deputata.

3 *Tridentinum reuocat facultatem, quam habebant Epiſcopi, concedendi licentiam celebrandi extra loca deputata.*

4 *Decretum Concilij Toletani prohibens Epiſcopis, ne concedant licentiam celebrandi extra loca deputata.*

5 *An, quando ceſſauit peſtilentia, & egreſſus è domo adhuc prohibetur, poſſit Epiſcopus concedere licentiam celebrandi extra loca deputata.*

1 RESp. affirmatiuè cum Barboſa *par. 2. de Off. & poteſt. Epiſcopi, alleg. 23. num. 8. & 9.* qui citat Riccium *reſol. 460. Praxis Fori Eccleſiaſ. num. 2. edit. 2.* Praxis Epiſcop. *par. 1. Verbo* Miſſa. Marchino *par. 6. Belli diuini cap. 1. nu. 5. & ſequentib.* & alijs, qui volunt, vrgente neceſſitate, poſſe Epiſcopum concedere huiuſmodi licentiam; quos in ſuperioribus citauimus. Hic enim eſt vnus ex caſibus neceſſitatis; Item cum illis, qui volunt hanc facultatem non fuiſſe ablatam Epiſcopis. Et faciunt pro hoc Declarationes Sacræ Congregat. de quibus Deciſ. præced. *num.* 1.

2 Ratio eſt, Quia, vt diximus in ſuperioribus, Tridentinum, & Sacra Congregatio in ſuo decreto iuſſu Pauli V. edito (in quo declarat facultatem concedendi licentias celebrandi in priuatis domibus pertinere tantùm ad Summum Pontificem) habet pro fine tollere abuſus celebrandi paſſim in priuatis domibus, & paſſim concedendi huiuſmodi licentias cum indecentia tanti ſacrificij. Hic autem finis ſufficienter obtinetur, ſi ſit ablata Epiſcopis facultas concedendi ad libitum, abſque vlla neceſſitate, licentias continuas, & ſuo modo perpetuas; nec requiritur quòd etiam ſit ablata facultas concedendi licentiam pro aliquo determinato tempore: quale eſt illud, quo durat peſtilentia; cum ex hac conceſſione nullus ſequatur abuſus, & adſit neceſſitas concedendi: cum populus indigeat placare Deum cum aſſiſtentia ad ſacrificium Miſſæ: & acceſſus ad Eccleſiam ſit periculoſus. Vnde cum finis ſit menſura legis: ita vt tantùm obliget, quantùm exigit finis: non eſt dicendum, quòd per illa decreta ſit ablata ab Epiſcopis iſta facultas; præſertim cum odioſa reſtringenda ſint. Cap. *Odia de Regulis iuris in 6.*

3 Non tamen admittendum eſt, quod ait Marchin. *num. 7. citati Cap.* Nimirum quòd per Trident. non ſit reuocata Epiſcopis facultas concedendi abſolutè huiuſmodi licentias. Nam dum Concil. præcipit Epiſcopis, vt non patiantur celebrari extra Eccleſias, aut Oratoria publica diuino cultui dicata, reuocat hanc facultatem; quia cum non celebraretur in priuatis domibus, niſi de conſenſu Epiſcopi: dum præcipit Epiſcopis, quòd non patiantur celebrari, ſimul etiam præcipit, quòd non concedant licentias celebrandi.

4 Nec obſtat Deciſ. Concil. Toletan. *anni* 1483. *act. 3. cap.* 42. decernens, quòd Epiſcopus non concedat celebrari in priuata domo, etiã ſi habeat Capellam; quia hoc non fuit conſuetudine receptum, ſed vſque ad Concil. Trident. fuerunt in vigore priuilegia Epiſcoporum concedendi has licentias.

5 Ex quibus fit, quòd etiam quando ceſſauit peſtilentia, & ceſſationis experimentum ſumitur per vulgò *Quarantenam*, tunc quoque poſſit Epiſcopus concedere eandem licentiam; quia à fortiori militat eadem ratio: cum pro illo tempore ſit ſtrictiùs prohibitus egreſſus è domo, & omnis conuerſatio, & coadunatio.

An ſi Oratorium priuatæ domus ſit permanenter dicatum cultui diuino, & habeat ingreſſum expoſitum, vt quilibet ingredi poſſit, Epiſcopus poſſit concedere licentiam, vt in ipſo celebretur.

Deciſio CLXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Si Oratorium priuatæ domus habeat ingreſſum publicum, poteſt Epiſcopus dare licentiam vt in ipſo celebretur.*

2 *Oratorium habens ingreſſum omnibus patentem eſt publicum.*

3 *An in Oratorio priuatæ domus habente publicum ingreſſum poſſit celebrari ianuis clauſis.*

4 *An aſſiſtens Miſſæ ex aliqua feneſtra in muris Oratorij, in quo poteſt celebrari, ſatisfaciat præcepto.*

1 HOc dubium non reperio in terminis apud Doctores. Exiſtimo tamen affirmatiuè reſpondendum. Et hoc non ſolùm tenebunt ij, qui putant poſſe Epiſcopos poſt Tridentinum concedere licentiam celebrandi in priuatis Oratorijs, quando ſunt tantùm diuino cultui dicata, quos in ſuperioribus Deciſ. retulimus: ſed etiam qui cenſent non habere Epiſcopos hanc facultatem.

2 Ratio eſt, Quia licet huiuſmodi Oratorium ſit erectum ex intentione commoditatis priuatæ, de ſe tamen publicum eſt; cum habeat ingreſſum omnibus expoſitum, & ſit erectum, vt ſupponimus, auctoritate Epiſcopi, & ſubiaceat

biaceat eiuſdem viſitationi. Trident. autem *ſeſſ. 22. in illo Decreto de Obſeruand. & vitand. in celebr. Miſſ.* prohibet tantùm celebrationem in priuatis Oratorijs: ſicut etiam Decretum Sacræ Congreg. iuſſu Pauli V. *anno 1615.* editum, qualia ſunt quæ in priuatis domibus inſeruiunt tantùm vſui priuato.

3 Ex quibus fit, quòd in huiuſmodi Oratorio celebrari poſſit ianuis clauſis: ita vt accedant tantùm Domini, & quos ipſi voluerint, & ſatisfaciant hoc pacto præcepto audiendi Miſſam diebus feſtis; quia ex præcepto habemus tantùm, quòd Miſſa celebretur in Eccleſia, ſeu Oratorio publico: non autem quòd publicè celebretur in ipſo. Quod etiam patet ex fine legis, quæ ſolùm intendit prohibere priuata Oratoria; quia in ipſis non ſeruabatur debita reuerentia tanti ſacrificij, ratione loci: eo quòd, vt plurimùm, indecens eſſet: non quia priuatè in ipſis celebraretur. Hoc autem non contingit ſi Oratorium ſit publicum, & ſubiaceat viſitationi Epiſcopi.

4 Rurſus ſequitur, quòd habitantes in illa domo vt ſatisfaciant præcepto audiendi Miſſam, non ſit neceſſe quòd ingrediantur Oratorium: ſed ſufficit ſi ex aliqua feneſtra, aut alio loco ſimili audiant Miſſam; quia adhuc moraliter aſſiſtunt Miſſæ, & accedunt ad Oratorium publicum ad audiendam Miſſam; non enim de ratione acceſſus eſt ingreſſus in locum, ad quem acceditur: ſed ſufficit percuſſio ad ipſum, & moralis præſentia.

An Regulares poſſint celebrare, & erigere Altaria in quolibet decenti loco ſui Monaſterij.

Deciſio CLXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Regulares poſſunt erigere Altaria, & celebrare in quolibet decenti loco ſui monaſterij.*
2 *Etiam abſque licentia Epiſcopi.*
3 *Cur non obſtet Decretum Concil. Tridentini.*
4 *Monaſterium Regularium venit nomine Eccleſiæ.*
5 *Regulares poſſunt erigere Altaria, & celebrare, vbi decumbunt infirmi.*

1 RESp. affirmatiuè, Ex priuilegio conceſſo Fratribus D. Hieronymi in Hiſpania: vt habetur in Compend. *Priuileg. dictorum Fratrum, Verbo* Altare §. 1. & ex priuilegio Gregor. XIII. conceſſo Societati Ieſu, vt in Compend. *Priuileg. ipſorum Verbo* Oratoria §. *vnico.* Et licet ibi notetur id non permitti à Prouincialibus, niſi in locis ſemotis ab oppidis: priuilegia tamen abſoluta ſunt. Hinc omnes communicantes in dictis priuilegijs poſſunt eodem modo celebrare: vt notant Rodriquez *tom. 2. Quæſt. Reg. quæſ. 75. ar. 1.* Villalobos *par. 1. Sum. tract. 8. difficul. 23. in fine.* Portel. *in Dubijs Regul. Verbo* Altare *num. 3.* Hieronym. Rodriquez *in Compend. Quæſ. Reg. reſol. 9. de Altari num.* 8. Azor. *tom. 1. lib. 10. cap. 26. quæſ. 9.* Henriquez *lib. 9. de Miſſa cap. 27. num. 1.* Suarez *3. par. tom. 3. diſp. 81. ſect. 3. ver. Quarta Exceptio.* Facundez *de Præcep. Eccleſ. par. 1. lib. 3. cap. 13. num. 17.* Marchin. *de Sacram. Ordin. tract. 3. de Sacrif. Miſſæ par. 3. cap. 9. num. 13.* Leſana *par. 1. Quæſt. Regular. cap. 21. num. 14.*

2 Et hoc intelligi debet licitum eſſe abſq; licentia Epiſcopi; quia in priuilegio non apponitur clauſula aliqua, vnde colligatur requiri huiuſmodi licentiam; & ideo cum hoc fiat auctoritate Pontificis concedentis priuilegium, non eſt neceſſaria aliqua alia licentia. Imò in priuileg. Societatis Ieſu apponitur clauſula, quòd non requiratur licentia Epiſcopi.

3 Neq; obſtat Decretum Concil. Trident. *ſeſſ. 22. de Obſeruand. & vitand. in celebrat. Miſſæ;* quia priuilegium Societatis Ieſu conceſſum fuit poſt Concil. Trident. cum abrogatione cuiuſcunque in oppoſitum.

4 Deinde. Neque in contrarium eſt Concil. Trident. quia ibi tantùm prohibet celebrationem extra Eccleſiam, & Oratoria publica, totum autem monaſterium venit nomine Eccleſiæ: vt tradunt communiter Doctor. *in Rubr. de Rebus Eccleſ. non alienandis.* Io. Andr. *in Cap. 1. init. de Reſtit. in integrum in 6.* vbi etiam alij. Abbas *in Cap. 2. de Conſuet.* Cardinal. *in Clement. 11. quæſ. 3. de Iud.* vnde etiam gaudent eadem eccleſiaſtica immunitate, quibus gaudent Eccleſiæ. Si igitur erigantur altaria in monaſterijs, non eriguntur extra Eccleſiam; atq; adeo nec contra Decretum Tridentini in ipſis celebratur.

5 Ex his autem ſequitur quòd poſſint Regulares erigere altaria in locis, vbi decumbunt infirmi: vt poſſint è cellis, aut etiam è lecto audire Miſſam: vel etiam ob commoditatem ipſorum infirmorum, vt poſſint celebrare, quando habent vires; ne cogantur ad Eccleſiam deſcendere. Et ita docent Auctores *num. 1. citati.*

An

An liceat Regularibus in ſuis, quas vocant Grangias, erigere Cappellas, & Altaria ad celebrandum.

Deciſio CLXXV.

SVMMARIVM.

1 *Regulares poſſunt erigere Cappellas in ſuis Grangijs, & ibi celebrare.*
2 *Concil.* Trident. *non prohibet quin erigantur Cappellæ in Grangijs Regular.*
3 *Grangiæ comprehenduntur nomine Eccleſiæ.*
4 *Quinam in huiuſmodi Grangijs poſſint audire Miſſam, & recipere ſacramenta.*

1 RESp. affirmatiuè quò ad omnes illos Regulares, qui communicant in priuilegijs; ita enim conceſſum eſt ab Alexandro VI. Ordini Ciſtercienſi: vt habetur in Compend. *Priuileg. Ciſtercien. tit. Grangiæ* §. 1. Et ita etiam docent Rodriquez *tom. 2. Quæſ. Regular. quæſ. 55. ar. 1. init.* Hieronym. Rodriquez *in Compend. Quæſ. Regul. reſol. 9. de Altari num. 7.* Peytinus *tom. 1. Priuileg. Minimor. in Conſtit. Pyrrhi num. 31.* Leſana *1. par. Quæſ. Regul. cap. 21. num. 15.*

2 Neque obſtat Decretum Tridentini *ſeſſ. 22. de Obſeruand. & vitand. in celebrat. Miſ.* præcipientis ne patiantur Epiſcopi, etiam Regulares intuitu priuilegiorum celebrare omnino extra Eccleſiam, aut Oratoria ſolùm diuino cultui deputata; quia intentum Concilij eſt tollere abuſus celebrandi in domibus priuatis; circa quod non vult priuilegia ſuffragari Regularibus: vt patet ex verbis Concilij; & ideo prohibitio non ſe extendit ad huiuſmodi Cappellas, & Altaria: vt pote quia ſunt in locis Religioſorum, quibus competit ratione profeſſionis habere in ſuis locis vbi celebrent; neque adeſt abuſus aliquis; quia id fit ex legitima cauſa, & cum debita decentia, non ſecus ac in Eccleſijs.

3 Deinde Concil. prohibet tantùm celebrari omnino extra Eccleſiam; iſtæ autem Grangiæ comprehenduntur nomine Eccleſiæ; nam tanquam loca eccleſiaſtica, gaudent immunitate eccleſiaſtica, ex priuilegio Eugenij IV. conceſſo Ordini Ciſtercienſium; vt habetur in Compend. *Priuileg. eiuſdem Ordinis tit. Grangiæ* §. 2. & proinde ſunt loca, quæ communicant cum Eccleſia, vt poſſint nomine ipſius comprehendi.

4 Notandum etiam eſt. Quòd ad huiuſmodi Cappellas poſſunt accedere pro audiēda Miſſa, & Sacramentis ſuſcipiendis, quæ à Regularibus miniſtrari poſſunt, omnes, qui quomodocunque pertinent ad dictas Grangias, vel ratione incolatus, vel quia ſint vaſſali, vel coloni illius loci, vel quacunque alia de cauſa ibi commorentur; quia ita habetur expreſsè in ſupredicto priuilegio.

An liceat Regularibus celebrare in cellis, ſeu cameris ſuorum infirmorum.

Deciſio CLXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Regulares poſſunt celebrare in cellis ſuorum infirmorum.*
2 *Cur huic priuilegio non obſtet decretum Concilij Tridentini.*
3 *An hoc priuilegio gaudeant Moniales, quæ ſubſunt regimini Regularium.*
4 *Quanta debeat eſſe infirmitas, vt priuilegium locum habeat.*
5 *Quomodo priuilegium debeat ad praxim reduci.*

1 RESp. affirmatiuè, quò ad Regulares communicantes in priuilegijs, ex priuilegio Pij IV conceſſo Canonicis Regularibus Sancti Saluatoris Lateranenſis ſub die 18. *Maij anno* 1565. Pontificatus verò ſui anno ſexto: vt habetur in Priuileg. eorumdem Canonicor. Lateranenſium: & refertur in Compend. *Priuileg. Congregat. Sanctæ Mariæ Fulbenſis tit. Infirmi* §. 5. & notant ita Peregrin. *in Compend. Priuileg. Clericor. Regul. tit. Infirmi* §. 2. Marchin. *de Sacram. ordin. tract. 3. de Sacrif. Miſſa par. 3. cap. 9. num.* 12.

2 Neque huic priuilegio obſtat Decretum Tridentini, de quo in ſuperioribus; quia conceſſum fuit poſt ipſum Concilium, & cum ampliſſimis clauſulis derogatorijs etiam Conſtitutionum editarum in Concilijs Generalibus; Nec vlla requiritur Ordinariorum licentia; vt expreſsè habetur in eodem priuilegio.

3 Et hoc nedum conceditur Religioſis viris, ſed etiam mulieribus Regularibus, quæ viuant ſub eodem inſtituto ipſorum Regulariū, ita tamen vt ſubſint regimini eorumdem Regularium, & ſit monaſterium ipſorum; vnde ipſæ quoque vigore huius priuilegij poterunt facere celebrare in cubiculis infirmarum, de licentia tamen eorum, quibus conuenit concedere licentias ingrediendi monaſterium. Non debet tamen hoc priuilegium ita facilè ad praxim reduci in monaſterijs Monialium.

4 Rurſus non eſt neceſſe quòd infirmitas ſit magni momenti: ſed ſufficit quòd ratione infirmitatis

Digitized by Google

mitatis non poſſit infirmus exire à cubiculo: vt exprimitur in eodem priuilegio.

5 Nec opus eſt in hoc ſcrupoloſè procedere: ſed poteſt priuilegium ad praxim reduci cum tota illa amplitudine, cum qua eſt conceſſum. vnde cum ſit conceſſum pro omnibus, & pro quacunque infirmitate, non debet vſus ipſius reſtringi ad aliquas perſonas, aut ſolùm ad infirmitates graues: ne Superiores parciores ſint in admittendo vſum priuilegij, quàm Pontifex in concedendo. Multùm autem aduertere oportet, vt ſemper cum debita decentia fiat.

An ſi infirmi Regulares gaudentes dicto priuilegio reperiantur extra clauſtra in domibus ſæcularium, poſſint nihilominus facere celebrare in ſuis cubiculis.

Deciſio CLXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Regulares extra clauſtra infirmi poßunt facere celebrare in ſuis cubiculis.*
2 *Priuilegium perſonale non eſt affixum loco, ſed ſequitur perſonam.*
3 *Sæcularis ægrotans in monaſterio non poteſt vti priuilegio Regularium celebrandi in cubiculis infirmorum.*

1 Reſp. affirmatiuè, quia priuilegium non eſt locale, ſed perſonale; conceditur enim omnibus, & ſingulis tam viris, quàm mulieribus: vt, durante infirmitate, poſſint facere celebrare Miſſam in proprio cubiculo, in loco decenti, per ſacerdotem ab ipſis ad libitum eligendum; ex quibus patet, quòd priuilegium eſt omnino perſonale.

2 Priuilegium autem perſonale non eſt affixum loco: ſed ſequitur perſonam: ita vt in quocunque ipſa ſit, illo vti poſſit, Cap. *Priuilegium de Regulis iuris in 6.* & l. *Priuilegia quædam.* & l. *In omnibus ff. de Regulis iuris.*

3 Quod etiam ex eo patet; nam ſi quis ſæcularis ægrotaret intra monaſterium, cuius Regulares gauderent dicto priuilegio, non poſſet in cubiculo ipſius celebrari; poſſet autem, ſi priuilegium eſſet locale, & non perſonale.

An moniales ſubiectæ Regularibus communicantibus in priuilegijs, gaudeant dicto priuilegio celebrandi in cubiculo infirmarum.

Deciſio CLXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Moniales non communicant in priuilegijs.*
2 *Moniales ſubiectæ Regularibus communicantibus in priuilegijs poſſunt facere celebrare in cubiculis infirmarum.*
3 *Moniales viuentes ſub inſtituto Regularium participant priuilegia ipſorum quatenus capaces ſunt.*

1 Ratio dubitandi eſt, Quia Moniales non habent communicationem priuilegiorum; vnde non poſſunt participare priuilegia conceſſa alteri Ordini: ſicut participant Regulares, qui habent communicationem.

2 Dicendum tamen eſt, participare etiam ipſas ex eo, quod participant Regulares, quibus ipſæ ſubiectæ ſunt. Ratio eſt, quia Regulares, qui in hoc priuilegio communicant, eodem modo ipſum participant, ac ſi eſſet ipſis immediatè conceſſum; quia habent talem participationem ex vi vniuerſalis priuilegij communicandi cum alijs Ordinibus in omnibus priuilegijs; in qua conceſſione continentur omnia priuilegia, quæ conceduntur alijs Religionibus. Si autem eſſet immediatè conceſſum, participaretur etiam à Monialibus; quia in ipſa conceſſione ad ipſas quoque extenditur.

3 Deinde Moniales quoque, quæ viuunt ſub eodem inſtituto Regularium, participant priuilegia conceſſa Regularibus, quatenus capaces ſunt; quia cum ſint veluti quid acceſſorium Regularium, & pars eiuſdem Ordinis, priuilegium conceſſum Regularibus extenditur ſecundariò etiam ad ipſas: vt inter alios notat Caſtr. Palaus *par. 1. tract. 3. de Priuileg. diſp. 4. puncto 2. §. 9. num. 1.* Vnde Moniales quoque participant priuilegium communicandi in priuilegijs aliorum Ordinum, ſicut participant Regulares, ſub quorum inſtituto viuunt. Hinc hoc habet locum etiam ſi per nullum priuilegium ſpeciale trahantur ad hanc communicationem.

Digitized by Google

An Moniales Sapientiæ Ciuitatis Neapolis commiſſæ regimini Clericorum Regular. Theatinorum gaudeant dicto priuilegio.

Deciſio CLXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Moniales Sapientiæ Ciuitatis Neapolis ſunt ſub inſtituto Dominicanorum, & ſub regimine Theatinorum.*
2 *Moniales Sapientiæ Ciuitatis Neapolis poſſunt facere celebrare in cubiculis infirmarum. Gaudent priuilegijs Theatinorum.*
3 *Moniales Sapientiæ Ciuitatis Neapolis ſunt pars Congregationis Theatinorum.*
4 *Sunt quoque pars Ordinis Dominicani.*

1 RAtio dubitandi eſt, Quia non ſunt ſub inſtituto Clericorum Regular. ſed ſub inſtituto Sancti Dominici; vnde non poſſunt tanquam pars Ordinis Theatinorum participare priuilegia ipſorum. Rurſus cum non ſubſint regimini PP. Dominicanorum; neq; etiam ſunt monaſterium ipſorum; vnde nec in eorumdem priuilegijs communicare poſſunt.

2 Dicendum tamen eſt; participare huiuſmodi priuilegium. Quia per communicationem priuilegiorum cum Fratribus Minoribus habent Clerici Regulares Theatini quòd Moniales commiſſæ gubernationi ſuæ gaudeant priuilegijs ſibi conceſſis, & concedendis. Hoc priuilegium conceſſit Bonifacius VIII. Fratribus Minoribus, vt refert Sorbus *in Compend. priuileg. eorumdem Fratrum tit. Communicatio priuilegiorum num. 6.*

3 Imò, ſecluſo etiam priuilegio huiuſmodi, poſſunt gaudere priuilegio celebrationis in cubiculis infirmarum. Licet enim non ſint eiuſdem inſtituti cum Clericis Regularibus, ſunt tamen pars Congregationis ipſorum: cum ſubſint eidem Generali, & ab ipſis regantur: pars autem cuiuſcunque communitatis gaudet priuilegijs eiuſdem communitatis.

4 Præterea. Licet non ſubſint regimini Patrum Dominicanorum, cum tamen viuant ſub eadem regula, ſunt pars Ordinis ipſorum; & ideo tanquam pars gaudent priuilegijs totius, atque adeo Religionis Dominicanorum.

An non ſolùm Regulares loci, ſed etiam externi poſſint celebrare in Cappellis, & Altaribus erectis intra monaſteria ab ijſdem Regularibus.

Deciſio CLXXX.

SVMMARIVM.

1 *Externi poſſunt celebrare in Cappellis erectis intra monaſteria Regularium.*
2 *Quomodo priuilegium erigendi Cappellas intra monaſteria ſit perſonale, ſeu Religionis, & locale.*

1 REſp. affirmatiuè cum Suarez *3. par. tom. 3. diſp. 81. ſect. 3. ver. Quarta exceptio.* Facundez *de Præcep. Eccleſ. par. 1. lib. 3. cap. 13. num. 17.* Henriquez *lib. 9. de Miſſa cap. 27. num. 2.* Fauſto *de Euchar. lib. 2. de Sacrif. Miſ. quæſ. 171. ver. Rurſus ab eodem.* Ratio eſt, quia huiuſmodi priuilegium eſt priuilegium loci; nam in eo priuilegiatur locus, vt in ipſo celebrari poſſit; priuilegium autem loci eſt commune omnibus accedentibus ad illum locum.

2 Nec obſtat, quòd huiuſmodi priuilegium ſit conceſſum Religioni intuitu ipſius Religionis; quia in hoc priuilegio duo diuerſa continentur; Primùm facultas erigendi Oratoria, ſeu Cappellas in proprijs monaſterijs; & hoc eſt priuilegium perſonale conceſſum Superioribus Religionis, intuitu Religionis. Alterum, quòd in Cappellis erectis celebrari poſſit; & hoc eſt priuilegium loci; quia ex vi conceſſionis Apoſtolicæ, facta erectione, locus remanet priuilegiatus; & ideo hoc eſt commune omnibus accedentibus ad locum.

An ratione neceſſitatis liceat celebrare in flumine, vel in mari.

Deciſio CLXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Nunquam licet celebrare in flumine.*
2 *Opinio negans poſſe celebrari in mari.*
3 *Opinio affirmans, dummodo ſit tranquillum, nec adſit periculum.*
4 *Quomodo hæc opinio amplectenda ſit.*
5 *Habet locum non ſolùm ob neceſſitatem viatici ſed etiam ob nutriendam deuotionem.*
6 *Conſuetudo non celebrandi in mari, an ſit abrogata.*

7 *Conſue-*

7 *Conſuetudo negatina non habet vim legis.*
8 *Vt conſuetudo abrogans aliquid obliget, quid requiratur.*

1 QVo ad flumen, nunquam exiſtimo eſſe licitum; Quia cum littus propinquum ſit, vt commodè è naui deſcendi poſſit, nunquam poteſt adeſſe neceſſitas celebrandi in ipſo. Et ita docent communiter, præſertim *num. ſequenti* citandi. Vnde non video quomodo Henriquez citandus dicat fortè licere ex neceſſitate in flumine placidiſſimo celebrare.

2 Quò ad mare etiam communiter negant, præſertim Nauar. *cap.* 25. *Manual. num.* 82. D. Antonin. 3. *par. tit.* 13. *cap.* 6. §. 4. Armilla *Verbo* Miſſa §. 4. Angelus §. 40. Syluester *Verbo* Miſſa 1. *quæſ.* 2. Sotus *in* 4. *diſt.* 13. *quæſ.* 2. *ar.* 3. Palud. *quæſ.* 2. Turrecrem. *in Cap. Sicut de Conſecr. diſt.* 1. Henriquez *lib.* 9. *de Miſſa cap.* 27. *num.* 4. Suarez 3. *par. tom.* 3. *diſp.* 81. *ſect.* 3. *ver. Tertia exceptio*. Bonacina *diſp.* 4. *de Sacram. quæſ. vlt. puncto* 8. *num.* 12. Coninch. *de Sacram. quæſ.* 83. *ar.* 3. *dub.* 1. *num.* 226. Reginal. *lib.* 29. *num.* 168. Vaſquez *par.* 3. *diſp.* 232. *cap.* 5. *num.* 5. Faulius *de Sacram. Euchar. lib.* 2. *de Sacrif. Miſſæ quæſ.* 173. *ver. Sed cæteri*. Leſana *par.* 1. *Quæſ. Regul. cap.* 21. *nu.* 16. & alij: ob periculum effuſionis ſanguinis.

3 At poſſe celebrari docent Maior *in* 4. *diſt.* 13. *quæſ.* 4. *poſt init.* Granad. 3. *par. contr.* 6. *de Euchar. tr.* 14. *diſp.* 13. Sà *Verbo* Miſſa *num.* 19. Durand. *lib.* 4. *Rational. cap.* 1. *num.* 41. Graf. 1. *par. lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 10. Angles *in Florib. Quæſ. de Valore Miſſæ ar.* 2. Scortia *lib.* 2. *de Sacrif. Miſſa cap.* 13. *num.* 15. Bartholom. ab Angelo *dial. de Miſſa* §. 620. Facundez *de Præcep. Eccleſ. par.* 1. *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 15. Layman *lib.* 5. *Theol. Moral. tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 6. Marchin. *de Sacram. ordin. tract.* 3. *de Sacr. Miſſę par.* 3. *num.* 14. dummodò tamen mare ſit tranquillum, & cœlum ſerenum, ita, vt nullum periculum effuſionis timeatur. Et addit Scortia, & Facundez, hoc fuiſſe reductum ad praxim à nauigantibus in Indias, abſque eo, quod adeſſet vllum omnino periculum. Et hoc ipſum videtur approbare Lugo *diſp.* 20. *de Euchar. ſect.* 3. latè pro hac parte plura referens, & etiam conſuetudinem antiquam: & teſtatur ita ſenſiſſe plures Academias Hiſpaniæ, quibus conſentiebat etiam ipſe Suarez.

4 Quam ſententiam tenendam puto; quia nullum poteſt adeſſe periculum effuſionis quando nauis eſt ex magnis; nam mari tranquillo ſe habet velut turris firma. Quod etiam ex eo conſtat, quia Clemens VIII. & Paulus V. re multùm, diùque perpenſa, conceſſit Patribus Societatis Ieſu nauigantibus in Indias, vt poſſent hoc modo in mati celebrare; quod ſignum eſt, nullum repertum fuiſſe periculum irreuerentiæ in hoc modo celebrandi; alioquin Pontifex nec conceſſiſſet, nec potuiſſet concedere talem licentiam.

5 Quod autem dicitur de nauigantibus in Indias, intelligi debet etiam de alijs nauigantibus in longinquas partes; & non ſolùm quando adeſt neceſſitas exhibendi viaticum conſtitutis in articulo mortis, ſed etiam quando eſt nutrienda deuotio nauigantium: vt eſſet in ſolemnioribus feſtiuitatibus; quia tunc cenſetur adeſſe neceſſitas motalis.

6 Dices, Adeſt conſuetudo non celebrandi in
mari; quæ cum ſit communi conſenſu introducta, habet vim legis. Reſp. Quòd ſicut con-
ſuetudo poteſt introduci, ita etiam poteſt abrogari; &, vt iuſtè abrogetur, ſufficit ſi pruden-
tes viri cenſeant rationabiliter poſſe: vt con-
7 tingit in caſu noſtro. Deinde eſt conſuetudo
negatiua: quæ non habet vim legis, cum non
ſit cum excluſione conſuetudinis poſitiuæ op-
poſitæ: ſed tantùm merus non vſus; conſue-
tudo autem vt habeat vim legis, debet poſi-
tiuo modo introduci, ſicut debet poni lex;
alioquin nihil de nouo liceret; quia antea
cum non fuerit in vſu, adeſſet conſuetudo in
8 oppoſitum. Addo etiam non ſufficere ad in-
ducendam conſuetudinem obligantem, quòd
aliquid ſit in vſu, & poſtea deſueſcat; quia
per id, quod ceſſet vſus, non ſit illicitus; ſed
requiritur quod abrogetur tanquam quid ma-
lum; quòd in caſu noſtro non conſtat contigiſ-
ſe, ſuppoſito quòd olim fuerit vſus celebran-
di in mari.

De Monte Pietatis.

An Montes Pietatis immunes ſint ab vſura, atque adeo liciti.

Deciſio CLXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Qui ſenſerint poſt Concil. Lateranenſe Montes Pietatis non eſſe licitos.*
2 *Eorumdem motiua.*
3 *Montes Pietatis ſunt liciti.*
4 *Definitio Concilij Lateranenſis circa Montes Pietatis.*
5 *Quomodo à Concilio Lateranenſi approbentur Montes Pietatis.*
6 *Definitio Concilij Lateranenſis circa Montts Pietatis, cur neceſſario recipienda.*

7 *Pertinet*

7 *Pertinet ad Pontificem decernere, quæ nam ſint licita, & quænam illicita.*

8 *Contra quos fuerit lata excommunicatio à Concil. Lateranenſ. concernens Montes Pietatis.*

9 *Quomodo fuerit declaratum à Concilio Lateranenſi eſſe licitos Montes Pietatis.*

10 *Pontifex declarat poſſe Montem Pietatis exigere expenſas à mutuatarijs.*

11 *Pactum tacitum Montis Pietatis cum mutuatarijs de ſoluendis expenſis.*

12 *Priuata perſona poteſt aliquid exigere à mutuatarijs, ſi mutuando patitur damnum.*

13 *Non debent gratis ſuſcipi onera annexa mutuationi.*

14 *Quo titulo Mons Pietatis exigat aliquid à mutuatarijs.*

1 MAgna olim apud Doctores fuit concertatio circa honeſtatem horum Montiũ, dum alij eam aſſererent, alij negarent, ante Concil. Lateranenſe ſub Leone X. Inter quos fuit Caiet. qui hoc tradidit *tom. 2. opuſ. 6.* ante tamẽ dictum Concil. nam illud opuſ. ſcriptum fuit *anno* 1498. vt habetur in fine ipſius, & definitio Concilij circa huiuſmodi Montes facta fuit *anno* 1515. vt conſtat ex ipſa Bulla. Sed miror Sotum *lib. 6. de Iuſt. & Iure quæſ. 1. art. 6.* poſt determinationem Concilij auſum fuiſſe impugnare huiuſmodi Mõtes, ratione illius, quod exigitur à mutuatarijs pro expenſis miniſtrorum, cum ibi declaret Pontifex hoc poſſe exigi.

2 Arguit autẽ Sotus primo. *Si* quis diues decerneret mutuari cuicunque petenti, ſuſcepto pignore vſq; ad certum tempus, vt facit Mõs: non poſſet vltra ſortem aliquid recipere; quia non recipit pignus in vtilitatem mutuatarij, ſed in propriam, vt faciat ſibi certam ſolutionem. Ergo neque etiam Mons. Secundò, Beneficium mutui debet gratis conferri: & ideo mutuãs debet gratis onera ſuſcipere, quæ ſunt mutuationi annexa, vt ſeruare pignus, reddere, & alia huiuſmodi: aliàs non mutuet. Ergo non poteſt Mons aliquid exigere ratione expenſarum; cum hoc ſit onus annexum mutuationi. Et ait Hoc adeo verum eſſe, quòd ſi pignus ſit cuſtoditu difficile, debet mutuans proteſtari quòd ſi pereat, mutuatario pereat. quod ſi voluerit pignus curari, fiat expenſis ipſius. Tertiò. Eſt peculiare tantùm aliquibus pignoribus, quod debeant curari: vt ſunt veſtes, quæ tineis rõduntur; vnde per accidens eſt quòd aliqua pignora indigeant expenſis; quod autem eſt per accidens, non debet in legem duci: vt quicunq. mutuatarius ſoluat pro his expenſis; alioquin ſoluerent ij, quorum intuitu nullæ ſunt expenſæ.

3 Cæteri autem omnes poſt dictũ Concil. tenent huiuſmodi Montes immunes eſſe ab vſura, & licitos. Nec aliter teneri poteſt, ſtãte definitione Concilij, quam mox aſſeremus. Ita ſpecialiter Medina *de reb. per vſur. acqui. quæſt.* 10. Nauarr. *in commen. de vſuris, notab. 29. & in Manual. cap. 17. num. 213.* Lupus *in Repetit. cap. Nauiganti Com. 3. de vſuris* Rebel. *par. 2. de obligat. iuſt. lib. 8. quæſt. 13.* Molina *tom. 2. De Iuſt. diſp. 325.* Tolet. *lib. 5. ſum. cap. 38. num. 3.* Boninſignius *cap. 3. de Mantic.* Azor. *par. 3. lib. 5. cap. 8. ver. Secunda opinio* Leſſius *lib. 2. de Iuſt. & Iure ca. 20. dub. 23.* Valent. *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 23. puncto 4. ver. Approbãt autem.* Megal. *in Sum. 2. 2. lib. 2. cap. 5. quæſt. 2. num. 40.* Salas *tract. de Vſuris dub. 33. n. 3.* Reginald. *lib. 25. nu. 107.* Filiuc. *tract. 34. c. 9. q. 2.* Bonacina *tom. 2. diſp. 3. de Contrac. qu. 3. punc. 12. num. 2.* Gordon. *lib. 4. Theol. mor. quæſt. 6. cap. 11. ver. Veratamen.* Bannes *2. 2 quæſt. 7. ar. 4. in fine:* Salon. *de iuſt. & Iure, quæſt. 78 ar. 2. controuer. 27.* Tabiena *verb.* Vſura 1. §. 7. Graf *par. 1. lib. 2. c. 17.* Lopez *2. par. Inſtruc. cap. 59.* Villalobos, *par. 2. ſum. tract. 22. difficult. 14. num. 2.* & alij.

4 Et hæc ſent. innititur definitioni Concilij Lateranenſ. ſub Leone X. *ſeſs. 10.* Cum enim tunc eſſet magna altercatio, an huiuſmodi Montes liciti eſſent, in quibus aliquid exigitur à mutuatarijs pro expenſis miniſtrorum: definit in ſua Bulla: *Sacro approbãte Concilio declaramus, & definimus, Montes Pietatis antedictos, & auctoritate Sedis Apoſtolicæ hactenus probatos, & confirmatos: in quibus pro eorum impenſis, & indemnitate aliquid moderatum ad ſolas miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum ad eorum conſeruationem (vt præfertur) pertinentium pro eorum indemnitate dumtaxat, vltra ſortem abſque lucro eorumdem Montium recipitur, neque ſpeciem mali præferre, neq; peccandi incentiuum præſtare, neque vllo pacto improbari: quinimo meritorium eſſe &c.* & excõmunicat oppoſitum quocunque modo docentes.

5 Reſp. Sotus fuiſſe Montes approbatos, prout tãtùm iuſtitiæ, & ſacris Canonibus non repugnant. Sed nõ rectè; quia approbantur cum illa conditione, ob quam Sotus putat repugnare iuſtitiæ, & ſacris Canonibus: quæ eſt: quòd aliquid exigatur à mutuatarijs pro impenſis miniſtrorum.

6 Reſp. 2. Idem Sotus. Concilium non eſſe receptum in ijs, quæ ſtatuit de his Montibus. Verùm cum hæc definitio non ſit lex, quæ pendeat à receptione, ſed declaratio veritatis facta à Concilio, & Pontifice: atque adeo cum aſſiſtentia Spiritus Sancti: impertinens eſt dicere, quòd non ſit recepta: qui enim non recipit, ſe ſeparat à corpore Eccleſiæ, & eius capite.

7 Reſp. 3. Sotus Non pertinere ad Concilium definire huiuſmodi quæſtiones; cum potiùs pẽdeant ex philoſophia, quàm ex ſacris litteris.

Sed non videtur recordari illius, quod Chriſtus dixit Petro. *Paſce oues meas*, nempe pabulo doctrinę & inſtructionis ducentis ad vitam æternam. Vnde pertinet ad Pontificem decernere quænam ſint licita, & quæ nam illicita vt ab his doceat oues abſtinere; & vt ipſis oſtendat viam vitæ æternæ. Et licet hoc nō poſſit immediatè definiri ex ſacris litteris, poteſt tamen mediatè.

8 Reſp. 4. idem Sotus; quòd excommunicatio fuit tantùm lata, vt cohiberetur diſputatio. At non ſolùm fuit lata excommunicatio; ſed etiam definitum, huiuſmodi Montes licitos eſſe: & proinde excommunicantur qui aliter docent.

9 Reſp. 5. Hunc articulum non fuiſſe cōſtitutum de fide. Sed quicquid ſit, an ſit de fide: certum eſt tamen, quod fuit declaratum eſſe licitos hos Montes, cum aſſiſtentia Spiritus Sancti in ordine ad inſtruendos mōtes; & proinde non potuit Pontifex errare.

10 Denique reſpondet: Approbare Pontificem illam exactionem, quæ fit à mutuatarijs ratione obligationis, quam Mons ſuſcipit mutuandi: & ex hac ſoluendas eſſe expenſas miniſtrorum. Nihil tamen proficit; Quia Pōtifex declarat poſſe exigi expenſas miniſtrorum, & pro alijs rebus neceſſarijs, vt Mons ſeruetur indemnis: non autem titulo obligationis, quā Mons ſuſcipit, mutuandi. Deinde fieri poteſt quòd ſi exigerent titulo obligationis huiuſmodi, non eſſet ſufficiens pro huiuſmodi expenſis. Denique obligatio ad mutuandum eſt annexa erectioni Montis: atque adeo tenetur mutuari ex ſua fundatione, abſque compenſatione talis obligationis; quia qui Montem erexerunt, fecerunt mutuatarios immunes ab hoc onere.

11 Ratio verò huius reſolutionis eſt, Quia cum Mons mutuetur cum hac conditione, quòd mutuatarij pro rata ſoluant expenſas, quæ fiunt in ordine ad mutuandum, dum accipiunt mutuum à Monte, paciſcuntur tacitè cum ipſo de ſoluendis his expenſis: vt ſeruetur indemnis; vnde non ſoluunt ratione mutui, ſed ratione pacti de ſeruanda indemnitate; poteſt autem vnuſquiſque ita paciſci; quia poteſt exigere ſuam indemnitatem ab eo, cuius intuitu damnum patitur: non enim tenetur mutuari cum ſuo damno; & proinde omnes tam Canoniſtæ, quàm Theologi cum D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. *ad* 1 docent, poſſe recipi lucrum ex mutuo, ratione damni emergentis.

12 Ad primum. Etiam priuatam perſonam poſſe aliquid exigere à mutuatarijs, ſi mutuādo patitur aliquod damnum, aut facit aliquas expēſas. Et licet recipiat pignus pro ſecuritate ſortis principalis: quia tamen recipit, vt mutuetur; atque adeo ſuſcipit onus conſeruandi pignus in commodum mutuatarij; quod non ſuſciperet ſi non mutuaretur; ideo ſi fiant expenſæ in eo conſeruando, poſſunt exigi à mutuatario.

13 Ad 2. Ex eo, quòd beneficium mutui debeat gratis conferri, non fit quòd gratis debeant ſuſcipi onera annexa cum mutuatione: alioquin neque ratione damni emergentis poſſet aliquid recipi; hæc enim onera ſunt extra mutuationem, & ideo ſi pretio ſint æſtimabilia, poſſunt precio compenſari.

14 Ad 3. Quod exigitur à mutuatarijs non eſſe intuitu conſeruandi pignora. Sed pro conſeruatione Montis, & expenſis quas facit. Neque enim poſſet Mons mutuari niſi haberet miniſtros, qui ipſi inſeruirent; & ideo debet ſeruari indemnis ab expenſis, quas facit pro miniſtris, qui ſemper ſunt parati, & ad ipſos ſpectat curare pignora, ſi indigeant: ſi autem non indigeant, adhuc tenentur mutuatarij ſoluere pro expenſis; quia Mons adhuc in ordine ad ipſos habet miniſtros paratos: & per accidens eſt quòd non tradant pignora, quæ indigeant curari.

An liceat deponere pecunias in Montibus Pietatis, & ex illis percipere quinque pro centum.

Deciſio CLXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Montes Pietatis, in quibus depoſitantur pecuniæ, cum lucro.*
2 *Depoſitans pecunias in Monte Pietatis poteſt percipere aliquid ob damnum emergens, vel lucrum ceſſans.*
3 *Communis opinio, quòd ſecluſo damno emergente, aut lucro ceſſante, non poſſit aliquid percipi.*
4 *Quinam contractus ſit inter Montem Pietatis & depoſitantem pecunias.*
5 *Praxis depoſitandi pecunias cum lucro in Montibus Pietatis.*
6 *Bulla Pauli III. in fauorem Montis Pietatis Ferrariæ.*
7 *Concedit Pontifex, vt percipiant lucrū qui aliàs non perciperent, dum depoſitant pecunias in Monte Pietatis.*
7 *Narratiua facit vt intelligantur conceſſa omnia narrata.*
8 *Priuilegium non debet eſſe inutile.*
9 *Narratio, & proœmium demonſtrant cauſam finalem.*

10 Pon-

10 *Pontifex conſentit ſupplicationibus Ferrarienſium circa Montem Pietatis.*

11 *Derogat quaecunque in contrarium.*

12 *Qui tencant licere percipere lucrum ex pecunia depoſitata in Monte Pietatis.*

13 *Stante indulto Pontificis, licet percipere lucrum ex pecunia depoſitata in Monte Pietatis.*

14 *Pontifex poteſt declarare legem naturalem.*

15 *Poteſt etiam declarare legem diuinam.*

16 *Quando habeut locum interpretatio legis diuinæ, & humanæ.*

17 *Quomodo Pontifex declaret quòd lucrum ex depoſitatione pecuniæ in Monte Pietatis non ſit illicitum.*

18 *Poteſt Pontifex declarare quòd illud, quod videtur vſura, non ſit vſura.*

19 *Lucrum in mutuo, quomodo poſſit fieri licitum, ex declaratione Pontificis.*

1 IN quibuſdam Montibus Pietatis, vt Mutinæ, Ferrariæ, Bononiæ, Veronæ, & alibi, ſolent depoſitari pecuniæ, quibus Mons vtitur ad ſubleuandam inopiam pauperũ, certã ſummam mutuando, accepto pignore, quod poſtea reſtituit, nihil accipiendo vltra ſortem, illis autem, qui pecunias depoſitant, ſolet ſoluere quattuor vel etiam quinque pro centum. Difficultas ergo eſt. An hoc ſit licitum.

2 Et quidem eſſe licitum vel ratione lucri ceſſantis, vel ratione damni emergentis, non poteſt in dubium verti: quia mutuans debet indemnis ſeruari. vnde hic quæritur, an ſecluſo lucro ceſſante, & dãno emergente, ſit licitum pro huiuſmodi pecunia recipere quattuor, vel quinque pro centum.

3 Cõmunis ſententia eſt non poſſe deponentes pecuniam apud Montem pietatis aliquid vltra ſortem recipere; ſed ſi recipiãt eſſe manifeſtam vſuram. Ita ſpecialiter docent Nauarr. *lib. 5. Concil. 2. de vſuris num. 2. conſil. autem 17. in prima editione.* Azor. *tom. 3. lib. 5. cap. 9. quæſt. 5.* Filliucius *tract. 34. par. 2. num. 177. art. 178.* Villalobos *in Sum tom. 2. tract. 22. difficul. 24. num. 4.* Megal. 2, *par. Inſtit. lib. 2. cap. 5. num. 46.* & colligitur ex communi doctrina Quòd vbi interuenit ſolum mutuum, non poteſt exigi aliquid vltra ſortem. Et nuper doctiſſimi recentiores conſulti de hoc ſupra Monte Pietatis Ferrarienſi idem reſponderunt.

4 Potiſſimum fundamentum eſt; Quòd inter Montem & tradentes pecunias non poteſt eſſe alius contractus, quàm depoſiti, ſeu mutui; nam deponens pecuniam, dando facultatem depoſitario, vt illa vtatur, cenſetur mutuare, *l. Certi conditio §. fin. & l. ſequent. ff. De reb. cred.* Ratione autem mutui non poteſt aliquid recipi; cum hoc ſit contra præceptũm naturale, & diuinum: Cap. *Conſuluit, De vſuris.* D. Tho. 2. 2. *quæſt. 78 ar. 1. ad 4.* Bannes *concl. 3.* Salon. *controuer. 1. num 2.* Medina *C. de vſuris quæſt. 2.* Couar. *lib. 3. Variar. cap. 1. num. 5* & communiter. Neque etiam ratione depoſiti: quia contractus depoſiti debet eſſe gratuitus *l. 1. §. ſi veſtimenta & §. ſequenti, ff. de poſſ.* & ita omnes ſentiunt.

5 Verùm in pluribus locis Italiæ oppoſitum eſt in vſu, ex indulto Sum. Pontificum: nec vnquam in animum inducere potui, Summos Pontifices erraſſe (vt nonnulli non verentur concedere) indulgentes, vt deponentes pecunias apud Montes Pietatis, poſſint tuta conſcientia quattuor, vel quinq; pro centum vltra ſortem recipere: cũ hoc pertineat ad regimen ſpirituale animarum.

Et vt mens ipſorum manifeſta ſit, ſubijciam indultum, quo ad hoc, Pauli Tertij in fauorẽ Montis Pietatis Ferrarienſis.

PAVLVS PAPA III.

6 *Ad futuram rei memoriam. Charitatis opera, quæ Saluator noſter Ieſus Chriſtus, cuius, licet immeritò, vices in terris gerimus, dum in hoc mundo maneret, ſæpius commendauit, & fieri præcepit, exerceri deſiderantes, ea quæ pro eorundem operum exercitio neceſſaria ſunt, libenter concedimus: & aliàs deſuper officij noſtri partes interponimus, prout in Domino conſpicimus expedire.*

Cum itaque, ſicut dilecti filij Conſeruatores, & Præſidentes Montis Pietatis Ferrariæ nobis nuper exponi fecerunt, cum licentia aliàs ipſis Conſeruatoribus, & Præſidentibus mutuandi pauperibus egenis ſub pignore, ad rationem vnius tantùm denarij pro libra Marcheſan. vltra ſortem quolibet menſe perſoluendi à Sede Apoſtolica concesſa, adeo profecerit, vt quamplurimos à voragine Hebræorum immenſis vſuris Chriſtianorum ſubſtantias omnes abſorbere ſolitorum, liberauerit: multique Chriſti fideles, attendentes propterea magnam ex hac re publicam prouenire vtilitatem, plura bona ipſi Monti donauerint, & reliquerint; ex quibus quidem Mons ita creuit, vt à certo tempore citra eiſdem pauperibus à viginti ſolidis Marcheſan. infra abſque vlla vltra ſortem ſolutione mutuetur, in maximum miſerabilium perſonarum ſubſidium: ijdem Conſeruatores, & Præſidentes deſiderantes propterea dictum Montem magis augeri, vt in maiori etiam ſumma pauperibus, quorum numerus ob malam temporum conditionem creuit, abſque vlla vltra ſortem ſolutionem mutuari poſſit: ac piè conſiderantes, multa in dicta ciuitate facta eſſe, & in dies fieri pecuniarum depoſita, tam penes campſores, quàm alias diuerſas perſonas, partim pro reſtitutione dotium facienda, partim etiam vt

in emptionem bonorum ſtabilium conuertantur, ac ob alias diuerſas cauſas, ex quibus interim nullum lucrum percipitur; multaſque etiam perſonas, vt pupillos, & viduas, ac alios mercaturæ exercendæ inhabiles, aut illam ob periculum etiam animæ exercere nolentes, pecunias habere, quæ nihil vtilitatis afferunt, & ſi dictis Conſeruatoribus, & Præſidentibus, vt de his, quæ ex dicto denario, qui pro libra vltra ſortem mutui ſoluitur, proueniunt, pecunias in dicto Monte ponentibus, libras quinque Marcheſan. quolibet anno pro centenario vltra ſortem ſoluere, & his, qui in dicto Monte pecunias ſoluere vellent, vt pro illis quinque libras Marcheſan. etiam pro centenario vltra ſortem, abſque conſcientiæ ſcrupulo percipere poſſent, prout & ſimili Monti Pietatis in Bononienſi, & Mutinenſi ciuitatibus aliàs ab eadem Sede conceſſum extitit, concederetur, dicta depoſita, ſeu illorum maior pars penes dictum Montem fierent, dictæque perſonæ pecuniam habentes illas libentiùs in dicto Monte, quàm in quouis alio exercitio ponerent; ex quo profecto ipſe Mons tantum reciperet incrementum, vt non ſolidum à dictis viginti ſolidis infra, vt nunc fit, ſed etiam in maiori ſumma pecuniæ pauperibus, abſque vlla vltra ſortem ſolutione, mutuari poſſent, dictorumque pauperum ſubuentioni maximè conſuleretur. Quare pro parte ipſorum conſeruatorum, & Præſidentium nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt eorum deſiderio in huiuſmodi tam pio, tantoque opere annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

7 *Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Conſeruatoribus, & Præſidentibus, alijſque Officialibus dicti Montis nunc & pro tempore exiſtentibus, vt quaſcunque pecuniarum ſummas à quibuſcunque perſonis in depoſitum, ad effectum prædictum tantùm, accipere, & pro illis eiſdem perſonis deponentibus vltra ſortem ad rationem quinque librarum Marcheſan. quolibet anno pro centenario ſoluere: ipſæque perſonæ deponentes pro pecunijs depoſitis, ſeu deponendis huiuſmodi vltra ſortem dictas quinque libras Marcheſan. pro centenario recipere liberè, & licitè, ac abſque aliquo conſcientiæ ſcrupulo, ſeu peccati reatu, & cenſurarum Eccleſiaſticarum incurſu, poſſint, & valeant perpetuò concedimus, & indulgemus, ac licentiam, & liberam facultatem impartimur.*

Non obſtantibus Apoſtolicis, ac etiam in quibuſuis tam Generalibus, quam Synodalibus, & Lateranenſis Concilij editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Marcum ſub anulo Piſcatoris die 10. Iulij 1549. Pontificatus noſtri Anno 15.

7 Neque reſponderi poteſt, conceſſionem prædictam extendi tantùm ad illos, qui aliàs ſunt capaces percipiendi tale intereſſe: nempe quibus ceſſat lucrum, vel emergit damnũ; tum quia conceſſio eſt ſecundùm menſuram narratiuæ: quæ facit vt omnia, quæ ſunt narrata, cenſeantur conceſſa, licet in conceſſione non exprimantur. Fel. *in cap. ſuper litteris num. 9. Ver. Tertia regula, de Reſcriptis* qui etiam citat Aegid. concluſ. Rotæ 333. Butr. *Conſil.* 11. Ludou. *Conſul.* 8. Abbas. *De ſent. excomm.* Bart. *l. ff. Ad legem Iuliam.* ideo etiam narrantur, vti in conceſſione concedantur

8 Tum quia conceſſio, & priuilegium ita accipi debent; vt non ſint omnino inutilia *l. Siquando ff. de legibus.* 1. Cap. *ſi Papa de priuileg.* Decius *in cap. Paſtoralis num. 1. de Appellat.* Imol. *conſi. 33. num.* 58. prædicta autem conceſſio eſſet inutilis, ſi extenderetur tantùm ad illos, qui aliàs poſſent percipere intereſſe; quia nihil operaretur: nam abſque tali conceſſione id eſſet licitum.

9 Tũ quia narratio, & prohœmium finalem cauſam demonſtrat, *l. 1. ff. Ad Maced.* & *l. Regula §. Et licet, ff. de iur. & fac. ignor.* & *l. fin. ff. de hered. inſtit.* Cat. Pariſ. *conſil. 96. num.* 45. vnde cum conceſſio in priuilegijs, & obligatio in legibus menſuranda ſit ſecùndum finem: Cap. *fin. prabend.* & *l. In aqua ff. de acquiren. rer. dom.* ſequitur quòd ea debeant intelligi cõceſſa, quæ reſpiciunt finem: ea autem reſpiciunt, quæ narrantur vt conducentia ad ipſum finem.

10 Tum quia Pontifex ait: *Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati.* quibus verbis conſentit ijs, quæ ex eorumdem ſupplicatione narrauerat, atque adeo poſtea in conceſſione concedit.

11 Tum denique quia derogat conſtitutionibus in contrarium, etiam Concilij Lateranenſis, per quod declarat ſe concedere quod per huiuſmodi conſtitutiones prohibetur; non prohibetur autem percipere lucrum ratione damni emẽrgẽtis, vel ratione lucri ceſſantis: ſed tantùm ratione mutui. Vnde etiam conſuetudo introducta fuit iuxta narratiuam indulti. Quod ſanè non fuiſſet factum, niſi cenſuiſſent Pontificem conceſſiſſe omnia, quæ in narratiua præmiſerat.

12 Vnde ſecunda ſententia tenet hoc eſſe licitum: quatenus docet poſſe ciuitatem compellere ciues, vt contribuant ad Montem, & recipiant contribuentes quinque pro centum. Ita Lupus Geminianus *tract. de Vſuris com. 3. §. 3. num.* 54. Laurent. de Rodulph. *in cap. Conſuluit numer. 4. de Vſuris.* Lapius allegat. 137. *num.* 1. Alexand. *l. Item quia § 1. num. 2. ff. de pactis* Abbas *in cap. In Ciuitate, de Vſuris circa finem.* Nõ enim quia coguntur mutuare ideo poſſunt percipere lucrum ex mutuo, ſi aliàs non eſſet licitum in tali caſu; quia coguntur ita exigente

te

te bono communitatis, ad quod tenentur; coactio enim non tollit quin ſit mutuum; & ideo ratione coactionis non ſit licitum lucrum ex mutuo. Nec etiam ſit licitum, quia cum ciuitas habeat redditus, cenſeatur virtualiter conſtituere cenſum; quia cũ adſit contractus formalis mutui, non poteſt mutari in aliam ſpeciem ex interpretatiua voluntate: quia volũtas interpretatiua non ſufficit ad contractum. Nec etiam valet, quod ait Abbas, quòd poſſint recipere quinque pro centum: quia non poſſunt repetere pecuniam: nam ideo non poſſint repetere, quia cum ſint coacti ad contribuendum ob bonum communitatis, ratione neceſſitatis, ciuitas ipſa ſibi reſeruauit tempus reſtitutionis determinatæ, quando videlicet contributio non eſt ampliùs communitati neceſſaria. Quamdiù autem eſt neceſſaria, ratione obligationis ad bonum commune, non poſſunt ciues repetere; ſicuti mutuans conſtituto in graui neceſſitate, eo quòd teneatur ex charitate mutuare, non poteſt mutuum repetere quamdiù durat illa grauis neceſſitas. Vnde ex hoc non aggrauantur ciues ſupra id, ad quod tenentur; & ideò lucrum ex mutuo non poteſt fieri licitum ratione grauaminis; quia tunc tãtùm fieret licitum, ſi grauamen eſſet aliàs indebitum.

Eamdem ſententiam tenet etiam D. Antoninus 2. *part. ſum. tit. 1. cap. 11. tractans difficultatẽ quò ad Montem Florentinum*, apud quem deponebantur pecuniæ cum lucro abſque vlla coactione: & affert pro eadem ſententia plures alios doctos viros ſui temporis; qui tamen ſimul cum ipſo hanc conditionem requirunt; vt qui pecunias deponunt, non intendant per ſe primò lucrum, ſed commodum communitatis, & pauperum. Verùm hoc parum refert; quia niſi eſſet licitum percipere lucrum ex pecunia depoſitata, neque poſſet percipi, ſi ſolùm ſecundariò intenderetur; quia quod eſt illicitum, ſemper eſt tale, ſiuè primariò, ſiue ſecundariò intendatur; cum habeat ſemper eamdem deformitatem ad regulas rectæ rationis. Præterea abſolutè hanc ſententiam tradit Bonacina *Diſp. 3. de Contract. quæſt. 3. puncto 12. num. 9. ver. Reſpondeo*. Qui vult, poſſe iuſtè percipi illa quatuor, vel quinque pro centum; quia cenſentur dari ex liberalitate, & gratitudine Montis, qui mutuum recipit.

13 Dicendum eſt igitur: ſtante indulto Pontificum, licitũ eſſe percipere quatuor, vel quinque pro centum ex pecunijs, quæ ſupra Montibus Pietatis collocantur.

14 Vt autem hoc declaretur, Præſupponenda eſt illa doctrina: quòd Summi Pontifices poſſint declarare tum legem diuinam, tum etiam naturalem; quòd videlicet in aliquo peculiari caſu non obliget, ex mutatione facta in materia: dummodo tamen declaratio rationabilis ſit: hoc eſt, quòd ex rationabili cauſa lex non obligat; atque adeo declaratio non ſit contra finem legis. Tradunt autem hanc doctrinam Caiet. 2. 2. *quæſt.* 120. *art.* 1. Soto 6. *De Iuſt. & Iure, quæſt. 7. art. 3. ad* 3. Nauar. *conſil. 4. de diſp. impub. num.* 16. & 17. Couar. *in 4. par. 2. cap. 6. §.* 9. Angelus *Verbo. Papa num.* 1. Abbas *in Cap. A nobis num. 4. de decimis, & in cap. Cum tanto num. 3. de conſuet. & in cap. Quæ Eccleſ. num. 11. de conſtit.* Innocent. *ibid.* Sanctius *lib. 8. de Matrim. diſp.* 6. Cano *Relect. de Pænit. par.* 5. Salas *diſp. 5. de Legib. ſect.* 10. Felin. *in cap. Quæ Eccleſ. num. 26. de conſtit.* qui etiam alios refert. Gloſſa *in cap. A nobis de decimis verb. Exemptus*, & Gloſſa *l. Manumiſſiones, Verbo Naſcerentur*; & Gloſſa *1. l. Ius Ciuile, ff. de Iuſtitia, & iure*. Qui omnes loquuntur de lege naturali: & nonnulli declarationem vocat diſpenſationem. Conſentit etiam Suarez quò ad ſubſtantiam *lib. 2. de legib. cap. 16.* dum concedit interpretationem doctrinalem.

15 De lege autem diuina idem docent Panor. *cap. Propoſuit, num. 20. de conceſ. præbend.* citans Innocent. *in capit. Cum ad Monaſter. de ſtatu Monac.* Felin. *in cap. Quæ in Eccleſiar. num.* 19. & 20. *de conſtit.* Angelus *l. 2. C. de criminib. ſacril. & leg. 1. C. De ſententiã paſſis.* Decian. *Conſil.* 1. *num. 3. in fine. volum.* 1. & *in cap. Quæ in Eccleſiarum num.* 25. in nouis autẽ impreſſionibus *n.* 44. & 45. & alij ex Iuriſtis, & Canoniſtis in cap. 2. *de transl. Epiſcopi, & in l. Manumiſſiones, ff. de inſt. & iur. & in l. 2. C. de ſeruitute*, qui licet vtantur nomine diſpenſationis, non tamen aliud intelligant, quàm declarationem. Ex Theologis autem, Cano *Relect. de Pænit. par.* 5. *circa finem*. Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 6. nu.* 16. Suarez *lib. 10. de legib. cap. 6. num.* 12. dum cõcedit interpretationem doctrinalem; & conueniunt etiam cæteri Theologi, præſertim Recentiores, ſumendo interpretationem pro quacunque declaratione, qua declaratur legẽ diuinam hic, & nunc ex ſua inſtitutione non obligare.

16 Tunc autem præcipuè habet locum interpretatio, quando obſeruantia legis eſſet mala, aut impeditiua maioris boni; quia enim lex debet reſpicere bonũ communitatis, ideò debet eſſe ſecundùm menſuram, & exigentiã ipſius; vnde neque etiam obligat, niſi ſecũdũ menſuram eiuſdem boni. Ex quo fit, quòd non cenſeatur obligare, quando obſeruantia eſt directè contra bonum communitatis, aut etiã priuatæ perſonæ; tunc enim non obligat reſpectu illius perſonæ: vel quando impedit maius bonum, licet cauſet minus bonum; quia minus bonum eſt malum in comparatione maioris boni. Hinc Pontif. diſpenſat in voto, & iuramento, declarans hic & nunc nõ obligare legẽ.

17 In præſenti ergo caſu Pontifex declarat, legem prohibentem lucrum ex depoſitationes ſupra Montem Pietatis, non obligare; quia videlicet obſeruantia ipſius eſſet impeditiua maioris boni. Pertinet enim ad bonum communitatis, quòd ſubleuentur pauperes; quod cum præſtet Mons Pietatis, niſi poſſet ſubleuare, impediretur hoc bonum maximè neceſſarium. Non poſſet autem ſubleuare, niſi apud ipſum depoſitarentur pecuniæ: & non depoſitarentur, niſi depoſitantes perciperent aliquod lucrum. Et ideo, ſi ſeruaretur lex de non percipiendo lucro in hoc caſu, impediretur maius bonum. Vnde ſicuti votum nõ obligat, quando eſt impeditiuum maioris boni, etiam ſi obſeruantia ipſius ſit de iure etiam naturali: & violatio ſit ita mala, vt nunquam poſſit eſſe bona, quandiu permanet in eſſe violationis: ita etiam lex de non percipiendo lucro in hoc caſu ceſſat, vt impeditiua maioris boni; quia videlicet tale lucrum non cadit ſub prohibitionem ipſius.

18 Sed contra allatam doctrinam facit *cap. Super eo de vſuris*. Vbi Pontifex docet quòd cum ſacra vtriuſque teſtamenti pagina vſuras deteſtetur, non poteſt ſuper ipſis fieri aliqua diſpenſatio: ſicut nec poteſt fieri diſpenſatio ſuper mendacio, etiam ſi agatur de vita alterius ſeruanda. Reſp. tamen, Pontificem reſpõdere ijs, qui inquirebant, an liceret vſuras exercere: vt ex lucro redimerentur captiui: & reſpondet, hoc non licere; ſicut nec licet mentiri pro ſeruanda vita: quia non ſunt facienda mala, vt eueniant bona. Et ideo tantùm vult, quòd non poſſit fieri diſpenſatio ſuper exercitio vſurarum, quandiu manent in ratione vſuræ; ſicut nec poteſt fieri in mendacio, manente in ratione mendacij. Non autem intẽdit, quòd non poſſit declarari, quòd non ſit vſura, quæ alioquin talis videtur; ſeu quòd lex prohibens vſuras, hic & nunc ceſſet ratione circumſtantiarum, quia ceſſat finis ipſius; atq; adeo quòd materia illa, quæ alioquin videtur prohibita, non ſit prohibita: quia non prohibetur, niſi prout opponitur tali fini, quem intendit lex, ſeu prout ſtat ſub fine oppoſito; & ideo cum in tali caſu ne dum ceſſet finis legis, (qui eſt tollere grauamen, quod ex vſuris prouenit proximo) ſed etiam ponatur finis oppoſitus, ſi lex ſeruetur, nempe grauamen: ideo declarat Pontifex quòd ceſſet lex: & quòd illa non ſit materia prohibita per legem.

19 Quòd ſi rurſus inſtes, Quòd lex prohibens vſuras, illas prohibet, quatenus ſunt lucrum ex mutuo, quod eſt iniuſtum: adhuc autem in noſtro caſu interuenit lucrum ex mutuo; ideo non variatur materia, vt poſſit ceſſare prohibitio legis. Reſp. lucrum ex mutuo prohiberi vt iniuſtum, quatenus cedit in grauamen eius, quod eſt præciſè ratione mutui: quod lex intendens tollere, ipſum prohibet; vnde non prohibetur ſimpliciter lucrum ex mutuo, ſed lucrum ex mutuo præciſè, quod eſt oneroſum; & ideo ſi loco grauaminis ſuccedat bonũ communitatis, iam ita variatur materia, vt non cadat ampliùs ſupra ipſam prohibitio.

Quo titulo lucrum ex depoſitis ſupra Montem Pietatis iuſtum euadat.

Deciſio CLXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Cur lucrum ex mutuo ſit iniuſtum.*
2 *Vſura eſt lucrum præciſè ex mutuo.*
3 *Emolumentum, quod quis communitati exhibet, eſt precio æſtimabile.*
4 *Pecunia præſens, & magis commoda eſt magis æſtimabilis.*
5 *Depoſitantes pecunias in Monte Pietatis poſſunt conuenire de vtilitate, quam exhibent communitati.*
6 *Obiectio contra prædicta.*
2 *Commodum, quod præſtat communitati depoſitans pecunias in Monte Pietatis, priuat depoſitantem potentia ad lucrandum.*
8 *Quod quis ſe priuet pecunia, & potentia ad lucrandum per ipſam, eſt pretio æſtimabile.*
9 *Quomodo hoc non ſit prætenſus titulus, ſed realis.*
10 *Depoſitans pecunias in Monte Pietatis ſe obligat ad mutuandum pro illo tempore, pro quo depoſitat.*
11 *Quomodo interueniat huiuſmodi obligatio.*
12 *In contractu cenſetur interuenire omnis ille iuſtus titulus, qui poteſt interuenire.*
13 *An pecunia poſſit locari.*
14 *Pecunia poteſt conſiderari vt merx.*
15 *Quomodo Mons Pietatis vtatur pecunia depoſitata.*
16 *In quo conſiſtat locatio, & quomodo pecunia locari poſſit.*
17 *In rebus vſu conſumptibilibus diſtinguitur dominium ab vſu.*
18 *Priuare ſe pecunia, & conſequenter facultate eam conuertendi in vſus lucroſos, eſt precio æſtimabile.*
19 *An poſſit percipi lucrum ex eo, quòd quis ſe priuet hac facultate, dum in alium transfert pecuniam.*
20 *Lucrum ex hac tranſlatione quomodo iuſtum.*
21 *An quando venit principaliter in conſideratione grauamen ex carentia pecuniæ, poſſit fieri aliqua compenſatio.*

22 Nolle

22 *Nolle mutuari, niſi mutuatarius ad aliquid ſe obliget, an liceat.*

23 *An ſtatim ac aliquid eſt nouum, ſit reijciendum.*

24 *Prauis percipiendi lucrum ex pecunia depoſitata apud Montem pietatis, approbata à Pontifice, facit, vt cenſeatur fieri per illum contractum, qui eſt iuſtus.*

25 *Reducere contractus ad iuſtitiam debitam, non eſt aperire, ſed claudere viam vſuris.*

1 LIcet ceſſante fine legis ceſſet etiam lex prohibens lucrum ex mutuo: non tamen videtur ceſſare iniuſtitia talis lucri; nam ideo in vſuris tale lucrum iniuſtum eſt: quia per mutuationem transfertur dominium rei mutuatæ in mutuatarium: & eſt contra iuſtitiã, quòd aliquis ſoluat pro vſu rei propriç. Rurſus. Quia plus reſtitueret mutuatarius, quàm acciperet quia totum lucrum, quod ſolueret mutuanti, ſuperexcederet id, quod ex iuſtitia teneretur reſtituere: & ideo non ſeruaretur æqualitas. Hæc autem militant etiam, quando depoſitãtur pecuniæ in Monte Pietatis: non obſtante quòd ceſſet finis legis prohibentis vſuras; vnde adhuc lucrum videtur iniuſtum.

2 Verùm quia ceſſat finis legis prohibentis lucrum ex mutao: atque adeo alius finis ſuccedit in depoſitatione pecuniæ ſupra Montem Pietatis cum lucro, qui eſt bonum communitatis in ſubleuatione pauperum: ideo etiam ceſſat iniuſtitia talis lucri; quia in tantùm eſt iniuſtum, in quantùm eſt præcisè intuitu mutui. Et proinde vſura conſiſtit in lucro ex mutuo, quod ſit præcisè intuitu mutui; & tunc habet annexum finem prohibitum à lege, nempè iniuſtum grauamen. Quando autem lucrũ non eſt præcisè intuitu mutui, vt cum eſt ratione damni emergentis, aut lucri ceſſantis, tunc iuſtum eſt.

3 Ratione igitur finis, ad quem ordinatur depoſitatio pecuniæ, lucrum euadit licitum: quia nõ eſt intuitu mutui, ſed intuitu finis, qui eſt precio æſtimabilis; qui enim depoſitat ſuã pecuniam apud Montem Pietatis, præſtat magnum emolumentum communitati; nẽpe prouidet vnde poſſit ſubleuare egenos: quod redundat in maximam vtilitatem illius. Hoc autem emolumẽtum eſt precio æſtimabile: quia totum id eſt precio ęſtimabile, quod redundat in commodum temporale.

4 Et ſicut pecunia præſens eſt magis æſtimabilis, quàm abſens: ita qui dat præſentem, vt tantundem recipiat de abſenti, poteſt aliquod precium in compenſationem accipere. Rurſus ſicuti etiam pluris æſtimatur pecunia, quæ eſt magis commoda, ſiue ſit aurea, ſiue argentea, & iuſtè in commutatione aliquid ſoluitur, quo illud commodum compenſetur: Ita etiam prouidere communitati de pecunia, & illi præſtare hoc commodum, vt habeat vnde egenis ſubueniat, eſt aliquid precio æſtimabile.

5 Poſſunt igitur adminiſtratores Montis Pietatis, tanquam in hoc repręſentantes communitatem, conuenire cum eo, qui depoſitat pecuniam, de hoc commodo, & in compẽſationem illi ſoluere annuatim certam ſummam: prout ipſum commodum pluris, vel minoris æſtimatur: & depoſitans iuſtè percipiet; quia aliquid exhibebit, quod ſit precio æſtimabile.

6 Dices. Si depoſitãti pecunias non ceſſet aliquod lucrum, aut non emergat aliquod damnum, quamuis ex depoſitatione reſultet commodum Monti Pietatis, non tamen poteſt iuſtè percipere aliquod lucrum: quia non transfert aliquid à ſe in Montem Pietatis, quo ipſe remaneat priuatus, ſed totum illud commodum conſiſtit in mutuo; vnde ſi perciperet ratione commodi lucrum aliquod, perciperet ratione mutui.

7 Reſp. tamen. Depoſitantem pecunias priuari aliquo commodo: quod conſiſtit in potentia ad lucrandum; quia poteſt vti pecunia ad hoc vel illud lucrum, & hoc commodum transfert in Montem Pietatis, quamuis ei nõ ceſſet aliquod lucrum actuale, aut nõ emergat aliquod damnum. Hoc autem commodum eſt in poſſeſſione pecuniæ expeditæ, & applicabilis in quẽcunq; vſum; eſt enim magna commoditas habere promptam pecuniam ad quemcunque vſum. Deinde cum depoſiter pecuniam apud Montẽ Pietatis in hunc finem, vt de ipſa prouideatur egenis, inſtituit maximum commodũ communitatis, & ipſum transfert in Montem
8 Pietatis. Vnde non ſequitur, quòd ratione mutui percipiatur lucrum: nam non propriè interuenit mutuum: quia in mutuo nihil venit in conſiderationem præter ipſam translationem pecuniæ; in caſu autem noſtro principaliter conſideratur commoditas pecuniæ, & potentia ad lucrandum; qua quis ſe priuat, & in aliũ transfert, & per conſequentiam transfert etiã pecuniam. Et ſicut ſi quis ſe obligaret alteri prouidere ipſi de pecunia pro aliquo tempore, quotieſcunq; indiguerit, quam poſtea reddet elapſo certo tempore; eſſet aliquid precio æſtimabile: ita etiam dum transfert in alium commodum pecuniæ, eſt aliquid precio æſtimabile; quia obligat ſe pro tanta pecunia, pro tanto tempore, & ſtatim implet obligationem.

9 Si rurſus dicas, Hũc non eſſe verum titulũm, ſed prætenſum ad palliandam vſuram. Reſp. titulum eſſe realem, & realem etiam commutationem: & ideo non palliare vſuram, ſed tollere; nam licet ſola pecunia transferatur, cum hoc tamen ſtat quòd transferatur commodum pecuniæ, quod eſt quid reale: & transferens

pecuniam

pecuniam potentia ad lucrandum realiter priuatur. Nec eſt nouum, quod ex ſolo diuerſo titulo, quod veniat in conſiderationem, idem contractus ſit vſurarius, et non vſurarius. Sic ſi quis mutuetur pecunias, & accipiat aliquod in pignus cum pacto illo vtendi, committit vſuram: ſi verò non accipiat in pignus, ſed fiat venditio, cum pacto retrouendendi ad certum tempus, ſi interim vtatur, & percipiat inde fructum, non committit vſuram; & tamen ſecùndum ſubſtantiam idem interuenit, ſed ſub diuerſo titulo.

10 Ex alio etiam capite euadit iuſtum prædictum lucrum, attendendo finem ſubleuandi pauperes, nempe Ratione obligationis, quam in ſe ſuſcipit mutuandi pauperibus pro tanta ſumma. Cum enim ad communitatem ſpectet, quantum fieri poteſt, ſubleuare egenos; vt habeat promptam pecuniam, vnde hoc præſtare poſſit, contrahit cum hoc, & illo, vt ſe obliget pro aliqua quantitate pecuniæ ad mutuandũ pauperibus: & pro tali obligatione ſoluit tot pro centum; quia autem eſſet incommodum tum ijs, qui ſe obligant ad mutuandum, tum etiam indigentibus, ſi ad hunc, vel illum deberent accedere: ideo conſtituitur communis locus, in quo iſtæ pecuniæ depoſitentur, pro quibus hic, vel ille, ſe obligat, ad quem accedant indigentes. Cũ autem omnis obligatio ſit precio æſtimabilis, poteſt quoque annuatim aliquod precium iuſtè accipi. Quod ſpecialiter docet Sotus *lib. 6. de iuſt. & iure quæſt. 1. artic. 2.* Molina *diſp. 308. de contractib. num. 4. ver. Ex deciſione*.

11 Si autem obijcias, quòd non interueniat huiuſmodi contractus; nam tantùm depoſitantur pecuniæ apud Montem Pietatis, & nulla fit mentio de obligatione, quam depoſitans ſuſcipiat, vt teneatur mutuari. Reſp. quòd licet explicitè non interueniat talis titulus, ſeu contractus obligationis; implicitè tamen interuenit; quia depoſitatio pecuniæ reſpicit finẽ, quem intendit Mons Pietatis: qui eſt ſe exponere mutuandis pecunijs indigẽtibus; & quia Mons Pietatis intendit prouidere de mutuis, exhibet lucrum ijs, qui prouident de pecunijs cum opus fuerit; quod non eſt aliud, quàm obligare aliquos, vt mutuò dent: qui vt ſe liberent ab exercitio mutuandi, depoſitant pecuniam iuxta ſuam obligationem, eam exponendo pro ſatisfactione obligationis; & hoc pacto implicitè interuenit contractus obligationis.

12 Et quia contractus ſtat ſub menſura intentionis contrahentium, debet etiam cenſeri, quòd lucrum fundetur in ijs titulis, ex quibus iuſtè prouenire poteſt; & proinde quando viri timoratæ conſcientiæ contrahunt, licet in contractu non exprimatur iuſtus titulus, debet cenſeri quòd interueniat omnis ille iuſtus titulus, qui poteſt interuenire; quia cenſendum eſt quòd contrahentes velint omnem iuſtum titulum, ratione cuius lucrum percipi poteſt. Vt docet etiam Leſſius *lib. 2. de Iuſtit. & iure cap. 20. dub. 12. num. 105. & ſequentib.* Vnde *nu. 110.* ait, excuſari à reſtitutione qui pecuniam pupillarem deponunt apud homines induſtrios: vt inde aliquod lucrum percipiant.

13 Ex tertio quoque capite poteſt euadere iuſtum huiuſmodi lucrum; Si videlicet pecunia non cenſeatur mutuari, ſed accommodari, ita vt tranſeat in locatum. Quod fieri poteſt accedente declaratione Principis, & exigente bono publico. Quod virtualiter fit à Pontifice, quando concedit fructus poſſe percipi ex pecunia Monti tradita. Cum enim pecunia valde vtilis ſit, & poſſit, prout applicatur, magnos fructus cauſare, poteſt tanquam res vtilis, & fructifera non ſecus ac domus, & ager venire in conſiderationem, & eſſe materia contractus locationis, ita vt ipſam quis alteri locet, vt inde percipiat illos fructus, quos poteſt cauſare: & tunc poteſt ex tali locatione percipere fructus.

14 Et ſicuti pecunia conſideratur vt merx tum ratione diſtantiæ localis, tum etiam ratione commoditatis numerandi, deferrendi, &c. vt notat Leſſius *lib. 2. de Iuſt. & iure cap. 23. dub. 1. num. 4.* Et proinde cambium reduci ſolet ad contractum emptionis, & venditionis, vt à Caiet. *Opuſc. de camb. cap. 7.* quod eſt *tract. 7. tom. 2.* à Syluestro *Verbo.* Vſura *4. quæſt. 8.* Ita etiam poteſt conſiderari vt res fructifera: cum reuera ſit talis: vt patet, ſi exponatur cambijs, aut mercaturæ, aut alteri vſui, vnde proueniat aliqua vtilitas.

15 Et hoc præcipuè videtur habere locum in depoſitatione pecuniæ apud Montem Pietatis, attento fine eiuſdem Montis. Intendit enim vti pecunia tanquam re fructifera: vt videlicet inde percipiat fructum ſubleuationis egenorum: qui certè eſt maximus in communitate; & proinde hinc inde conquirit pecuniã, vt rem fructiferam: & vt talis tranſit in rem locatam. Vnde hic titulus interuenit ſecundùm ſubſtantiam, licet non exprimatur.

16 Sed contra hanc doctrinam vrget difficultas, Quòd in locatione dominium remanet apud locantem; vnde conſequenter, tranſacto locationis tempore, debet reſtitui eadem res, quæ fuerat locata. Quando autem Mons Pietatis reſtituit pecuniam, non eamdem, ſed diuerſam reſtituit; vnde non videtur habere locum contractus locationis. Reſp. Materiam locationis eſſe rem vtilem: & locationem ordinari in eum finem, vt locatarius percipiat debitam vtilitatem ex re locata. vnde per ſe primò de ratione locationis eſt, vt res locata cõuertatur in vtilitatem locatarij. Quòd ſi dum

conuer-

Digitized by Google

conuertitur, conſumitur, hoc per accidens ſe habet ad rationem locationis. Ex hoc autem fit, quòd ſolùm debeat reſtitui completo tempore locationis eo modo, quo reſtitui poteſt, habita ratione quòd cõuertatur in vtilitatem locatarij; vnde quando non poteſt reſtitui eadem, reſtituitur innouata: vt in locatione prædij, in quo innouantur vites, & ſementes: in locatione gregis ouium, in qua non eædem oues, ſed par numerus ex innouatis reſtituitur. Sic ergo in locatione pecuniæ: quia dum conuertitur in vtilitatem, conſumitur, debet reſtitui completa locatione, iuxta ſuam capacitatē: hoc eſt, eadem ſecundùm quantitatem & valorem, quæ moraliter eſt eadem pecunia: ſicut eſt moraliter idem grex ouium, licet nulla ſuperſit ex primis.

17 Sed rurſus dices: In rebus conſumptibilibus vſum non diſtingui à dominio; & ideo pecuniam, quia eſt conſumptibilis, non poſſe locari; quia eo ipſo quòd conceditur vſus, conceditur etiam dominium: quod eſt contra rationē locationis, quæ tradit ſolum vſum. Reſp. etiam in rebus vſu conſumptibilibus vſum diſtingui à dominio, vt tradunt Sotus *lib. 4. de iuſt. & iure quæſt. 1. art. 1.* Nauarr. *Comment. 2. de Regul. num. 3.* Rebel. *lib. 1. de obligat. Inſtit. in Prælud. quæſt. 7. Sect. 4.* Sayr. *lib. 9. Clauis Reg. ca. 7. num. 13.* Leſſius *lib. 2. de iuſt. & iure cap. 3. num. 32.* Malder. *2. 2. tract. 1. de dominio dub. 4. §. Altera ſentent.* Molfeſius *tom. 2. ſum. tract. 12. cap. 1. nu. 65.* Et ita declarauit Nicolaus III. Extrauag. *Exijt, qui ſeminat, De verbor. ſignif. in 6.* & Clemens V. in Clement. *Exiuit de Paradiſo, eodem tit.* Quia poteſt vſus conſumptibilium eſſe cū dependentia ab alio, atque adeo ſine dominio, vt in Regularibus. Vnde, & in pecunia poteſt concedi vſus, & non dominium; & ideo ratione vſus eſt capax locationis.

18 Denique ex quarto quoque capite probabile eſt huiuſmodi lucrum reddi iuſtum; nempe Si ſit intuitu translationis dominij, & priuationis eiuſdem, non autem intuitu mutui. Omne enim dominium rei vtilis, qualis præſertim eſt pecunia, eſt precio æſtimabile: ſicut etiam priuatio eiuſdem rei vtilis. Ex ſicut eſt pecunia æſtimabile, quòd artifex priuet ſe inſtrumento ſuæ artis: non alia ratione, niſi quia priuat ſe aliquo, quo vtitur in ordine ad aliquam propriam vtilitatem; ita etiam eſt precio æſtimabile, quòd aliquis priuet ſe pecunia: cum ea quiſq; vtatur in ordine ad omnem vtilitatem: & etiam ſit inſtrumentum mercatorum ad propriam artem exercendam: quia conſequenter ſe priuat facultate, & potentia conuertendi pecuniam in obuios vſus lucratiuos, vt eſſet cambium, mercatura, aut emptio rei fructiferæ: vnde, ceſſante illi hac potentia, poteſt percipere lucrum, quod poſſet habere. Et hoc docet Medina *Cod. de reſtit. quæſt. 32. §. Inde infertur,* his verbis: *Inde infertur, poſſe mutuãtem aliquid ſupra ſortem recipere ſine vitio vſuræ, aut iniuſtitiæ: ratione grauaminis, quod ex carentia mutuatæ pecuniæ patitur, ſi inde non daretur occaſio infamiæ, aut ſcandali; quia ob illam cauſam licitum eſt vendenti ſupra iuſtum precium accipere.* Ratio aūt ſcandali, & infamiæ ceſſat accedente declaratione Pōtificis. Vnde Leſſius *lib. 2. de Iuſtit. & iure, cap. 20. dub. 14. num. 126.* ait, poſſe hoc alicui probabile videri, & excuſari conſuetudinem Burſæ Antuerpienſis, per quam vſque ad duodecim pro centum, poſſunt mercatores accipere, iuxta conſuetudinem conſtitutionis Caroli V. editæ Bruxellis *anno 1540. die 4. Octobris.*

19 Et poteſt hoc ampliùs declarari. Nam tali pacto ceſſant rationes, ob quas lucrum ex mutuo eſt iniuſtum. Ideo enim eſt iniuſtum, quia per mutuum transfertur dominium rei mutuatæ; vnde ſi mutuatarius aliquid ſolueret ratione mutui, ſolueret, vt vteretur eo, quod ſuum eſt. In caſu autem noſtro non ſoluit, vt vtatur eo, quod ſuum eſt: ſed vt aliquid, quod non eſt
20 ſuum, fiat ſuum. Rurſus etiam eſt iniuſtum; quia cum mutuatarius redderet aliquid ſupra ſortem, plus redderet, quā accepit; & ideo nō ſeruaretur æqualitas: Sed ī caſu noſtro nō plus redderet: quia lucrum illud non eſſet per modum reſtitutionis, nec deberet computari cū ſorte principali: ſed eſſet per modum compenſationis, qua compenſaretur dominium, & grauamen ex carentia ipſius. Sic etiam quā do aliquid venditur cum pacto retrovendendi, & formatur cenſus redimibilis, infra certum tempus reſtituitur tota res vendita eodem precio; & tamen cum annuatim ſoluatur cenſus, non plus redditur, quam fuerit acceptum: quia cenſus eſt intuitu vtilitatis, quæ percipitur ex re, ſupra qua fundatur cenſus.

21 Sed occurrunt nonnulli Doctores præcipuè Leſſ. *num. 227. dub. ſupracit.* Translationem dominij pecuniæ, & eiuſdem carentiam cum obligatione non repetendi, niſi infra certum tempus, eſſe ita intrinſecas mutuo, vt non poſſint ab ipſo ſeparari; vnde ſi mutuum gratis fieri debet, nihil pro hac carentia pecuniæ, & translatione dominij accipi poteſt. Reſp. tamen, hoc locum habere, quando pecunia traditur ſub ratione mutui; quia tunc translatio dominij, & grauamen ex carentia pecuniæ conſequenter ſe habent ad rationem mutui, non autem veniunt principaliter in conſiderationem: & ideo ſequuntur naturam mutui; vnde ſicut ratione ipſius non poteſt aliquid accipi: ita nec ratione illorum; quia ſtant ſub determinatione mutui. Secus autem, ſi principaliter conſideretur translatio dominij, & grauamē ex carentia pecuniæ, atque adeo potentiæ

ad

ad lucrandum. Cum enim ſint res precio æſtimabiles, & pecunia ſit vtilis, & per ſe primò veniant in conſiderationem, mutant rationem contractus, & faciunt quòd id, quod alioquin eſſet mutuum, euadat venditio ad certum tempus: quo elapſo, res vendita ad priſtinum dominũ deuoluatur. Et ideo cũ non interueniat ampliùs mutuum; nec translatio dominij, nec carentia pecuniæ ſunt quid intrinſecum mutuo; nec ratione illius aliquid exigitur. Et proinde Pontifex declarare poteſt hunc non eſſe contractum vſurarium, ſed licitum; quia non
22 eſt ampliùs contractus mutui. Sic etiam, non mutuari niſi etiam mutuatarius ſe obliget ad mutuandum in futuro: niſi ſoluat debitum: niſi remittat inimicitiam: vel alia huiuſmodi pręſtet: committitur vſura, ſi hæc accipiantur, vt compenſatio mutui. Si verò ſe habeant tantũ vt conditio ſine qua non, contractus non eſt vſurarius: vt communiter Doctores ducent. Ex quibus conſtat, contractum variari de vſurario in non vſurarium ex eo præcisè, quòd lucrum ex diuerſo titulo percipiatur.

23 Secundò objicit idem Leſſius *eodem loco*. Quod huiuſmodi ſententia videtur noua; nec apud Auctores repetitur. Reſp. Non ſtatim ac aliquid eſt nouum, reijciendum eſſe; alioquin plurimæ ſententiæ communes locum non haberent: quia aliquando fuerunt nouæ. Sed conſiderandum an rationabiliter procedat. Vnde Riccat. de S. Victore in illud Dan. 12. *Plurimi pertranſibunt, &c.* docet non eſſe malum, nec mirum noua proferre. Et D. Iſidorus Peluſiota *Epiſt. 46. lib.* 2. ait. *Non graue, ac ſceleratum eſt, aliquid innouare, cum vtilitas nouitati adiuncta eſt. Non enim noxia & vtilia vetuſtate perpenduntur: verùm id explorandum eſt: an in antiquioribus rebus vitium inueniatur; an contra, in recentioribus virtus reperiatur*

24 Præterea hæc eadem doctrina repetitur, vt vidimus, apud Medinam; & quamuis apud alios Auctores non reperiretur, ſufficit vt non ſit noua, quòd paſſim ad praxim reducatur: vt contingit in pluribus Montibus Pietatis, & cum approbatione Summi Pontificis. Licet enim talis contractus non expreſsè exerceatur quando depoſitantur pecuniæ ſupra Montem Pietatis, ſecundùm ſubſtantiam tamen exercetur; ita vt poſſit, nullo ſubſtantiali mutato, explicari per talem contractum.

25 Denique objicies. Quòd tali pacto aperitur via vſuris; Nam vnuſquiſque cum mutuatur, poterit aliquod lucrum percipere ſub hoc titulo. Reſp. Hoc non eſſe aperire viam vſuris, ſed potiùs excludere vſuras; quia contractus, qui alioquin eſſet vſurarius, reducitur ad contractum iuſtum. Sic etiam in fundatione cenſus excluditur vſura; quia mutuatio pecuniæ reducitur ad emptionem, & venditionem; vnde ideo cenſus introducti ſunt, vt hoc pacto poſſit quiſque ex propria pecunia percipere aliquod lucrum. Et ſicut non per hoc introducuntur vſuræ, ſed excluduntur: ita etiam in caſu noſtro.

Reſoluuntur nonnullæ aliæ difficultatis circa iuſtitiam lucri ex depoſitis ſupra Montem Pietatis.

Deciſio CLXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Duæ difficultates contra ſuperiorem doctrinam.*
2 *Cur neceſſaria conceſſio Pontificis pro erectione Montis Pietatis.*
3 *Pontifex concedendo, vt poſſit percipi fructus ex pecunia depoſitata in Monte Pietatis, reducit tale lucrum ad iuſtum titulum.*
4 *Eadem conceſſio tollit ſcandalum.*
5 *Pontifex declarando licitum tale lucrum, declarat quòd ex variatione materiæ lex non obliget.*
6 *Nulla res pecunia vtilior.*
7. *Princeps iuxta exigentiam boni publici poteſt augere, & minuere valorem monetarum.*
8 *Princeps debet taxare fructum percipiendum ex pecunia depoſitata in Monte Pietatis: & ideo ex hoc capite neceſſaria eſt auctoritas Pontificis taxantis.*

1 SI lucrum ex huiuſmodi depoſitis habet iuſtos titulos, per quos euadat iuſtum, videtur omnino ſuperflua conceſſio Pontificis pro illo percipiendo; quia abſque vlla conceſſione poteſt quilibet percipere omne lucrum iuſtũ. Deinde quamuis tituli allati faciant vt aliquod lucrum percipi poſſit: non tamen vt poſſit aſcendere ad quinque pro centum; quia pecunię carentia, aut alia huiuſmodi non æſtimantur tanti; & ſi agri, & alia bona immobilia vix reddunt quinque pro centum, non eſt dicendum quòd tantumdem debeatur pecuniæ, quæ alioquin mortua iaceret.

2 Verùm neque hæc obſtant doctrinæ traditæ; Nam quod ſpectat ad conceſſionem Pontificis: neceſſaria eſt pro erectione Montis Pietatis: quia licet aliqua de ſe iuſta ſint, ſunt tamen illicita, quia prohibita. Erectio autem huiuſmodi Montium cenſetur prohibita. Vnde Concil. Lateranenſe ſub Leone X. *ſeſſ.* 10. approbans Montes Pietatis, in quibus id tantùm à mutuatarijs exigitur, quod neceſſarium eſt pro expenſis Montis, concedit vt huiuſmodi Montes poſſint in poſterum erigi: vnde cum

taxa-

taxatiuè hos tantùm concedat, cenſetur prohibere alios, qui non ſunt ſecundùm hanc formam. Et proinde Paulus III. in ſupra allata Bulla, quò ad hoc, derogat decretis huius Concil. Lateranenſis.

3 Præterea eſt etiam neceſſaria conceſſio Pontificis: vt lucrum vniuerſaliter ab omnibus iuſtè percipiatur. Cùm enim poſſit iuſtè percipi, vel iniuſtè, iuxta titulum, ſub quo percipitur, vt conſtat ex dictis in Deciſ. *præcedenti*, eſt neceſſaria declaratio, & conceſſio Pontificis: vt lucrum determinetur ad iuſtos titulos; quos licet Pontifex in conceſſione non explicet, vniuerſaliter tamen omnes complectitur, dum declarat tale lucrum poſſe iuſtè percipi. Hinc autem fit, vt omnes iuſtum percipiant: quia percipiunt eo modo, & titulo, quo ſoluit Mōs Pietatis; & Mons ſoluit iuxta erectionem, & conceſſionem Pontificis. Hoc autem non contingeret, ſublata huiuſmodi conceſſione: quia non quilibet habet illam prudentiam, vt intendat percipere lucrum quocumque iuſto titulo poſſit: ſed intēderet, vt plurimùm, percipere ex eo, quòd pecunias depoſitat, & tanquam fructus pecuniæ; vnde hæc explicita intentio excluderet etiam interpretatiuam voluntatem percipiendi ex iuſto titulo.

4 Ex quo etiam fit, vt per talem conceſſionē, & declarationem tollatur ſcandalum: quòd publicè exerceantur vſuræ: Quia declarat Pōtifex quòd non intercedat vſura, ſed iuſtum lucrum. Neque enim poteſt Pōtifex facere, quòd vſura non ſit vſura, aut quòd licita ſit; ſed tantùm declarare quòd non ſit; & proinde debēt ſupponi iuſti tituli, propter quos huiuſmodi

5 lucrum non ſit vſura. Neque ſtatim ac aliquid habet iuſtum titulum, fit licitum, quando alioquin eſt prohibitum, nec titulus eſt vniuerſalis, vt in caſu noſtro. Eſt enim vniuerſaliter prohibitum lucrum ex mutuo: ideo quando contingit quòd non ſit lucrum ex mutuo, ſed ex aliquo iuſto titulo percipiatur, non obſtante quòd contractus ſecundum ſuum materiale, & quò ad apparentiam videatur tantùm mutuatio, opus eſt declaratione, in tali caſu legem non obligare, quia ceſſat materia prohibita per legem.

6 Altera etiam difficultas, Quòd non liceat percipere quinque pro centum, ſed tantùm aliquid longè minus: ſoluta manebit ſi conſideremus quòd nulla res eſt vtilior quàm pecunia præſens: quæ, proportione ſeruata, pluris fit, quàm quælibet alia res; quia omnia per pecuniam comparari poſſunt, non autem cętera inſeruire poſſunt ad omnia comparanda; vnde in venditionibus omnia minoris vendūtur, quando ſoluitur pecunia præſens.

7 Rurſus etiam debet conſiderari, quòd cum ad Principem ſpectet curare bonum communitatis, habet etiam poteſtatem ad ea omnia, quæ exiguntur ab eodem bono communitatis. Et ſicut habet poteſtatem taxandi precium rerum, quæ venduntur: ita etiam augendi, vel minuendi valorem monetarum: ita vt eadem moneta pluris, & minoris valeat, iuxta taxam ipſius, vt paſſim in praxi contingit.

Atque ita tradunt Ioan. Faber *in Auth. Hoc niſi C. de ſolut. & in princ. num. 3. Inſtit. quibus modis toll. oblig.* Boer. *deciſ. 327. num. 6.* Paulus *in l. 1. in princ. de contrāh. empt.* Gabriel Biel. *de monet. poteſt. concluſ. 2. ver. Poſſet addi.* Andræas de Vernia, *De feud. rubr. quæ ſint regalia. verbo.* Monetæ *num. 13.* Ioan. Aquil. *de monet. poteſt. part. 2. cap. 5.* Scheneid. *De feud. par. 2. num. 118.* Couarr. *de veter. numis. collat. §. cum ex his cap. 7. num. 5.* Guido Papa *deciſ. 498.* Matt. De Afflic. *cap. Quæ ſint Regalia nu. 9. ver. Item poteſt Princeps.* Sixtinus *de regalib. lib. 2. cap. 7. num. 65.* Albertus Brunus *tract. de augum. & diminut. monetæ in præmis. num. 5.* & alij Doctores *in cap. Quarto de Iuramēto,* Tiberius Decian. *lib. 7. tractat. crim. cap. 23. num. 52.* Petrus Gregor. *lib. 36. syntag. iuris cap. 2. num. 36.* Petrus Rhoenſis *in 1. Polit. Ariſt.* Baſil. Pontius *par. 1. variar. diſp. relect. 1. par. 3. eiuſdem relect. propoſit. 2.* Imò aliquando contigit, vt monetæ valor dimidio excederet apud aliquam ciuitatem valorem, quem apud alias ciuitates habebat eadem moneta; hoc exigente aliqua neceſſitate, cui aliter occurri non poterat.

8 Hinc autem colligitur, licitum eſſe percipere quinque pro centum ex pecunia depoſitata apud Montem Pietatis: quia percipitur ex taxatione principis. Taxatio autem principis iuſta eſt: quia ſicut habet poteſtatem taxandi valorem monetarū, ita etiā habet poteſtatē taxandi fructum, qui percipi poſſit ex depoſitatione pecunię apud Mōtē Pietatis. Atq. bonum communitatis exigit vt taxentur ad eam ſummam, quæ ſolet percipi, quando fundantur cenſus: vt adſit concurſus depoſitantium; qui ſi non perciperent illos fructus, qui ſolent percipi è cenſibus, retraherentur à depoſitatione. Et hoc fuiſſe motiuum talis taxationis conſtat ex Bulla Pontificis Pauli III. ſupra recitata. Vnde ex hoc quoque capite conſtat, neceſſarium eſſe indultum Summi Pontificis pro huiuſmodi fructibus percipiendis.

An

An poſſit Mons Pietatis exigere à mutuatarijs non ſolùm quod eſt neceſſarium pro expenſis miniſtrorum, ſed etiam pro illa ſumma, quam tenetur ſoluere depoſitantibus pecunias.

Deciſio CLXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Cum qua conditione Leo X. permittat Montes Pietatis.*

2 *Lucrum Montis ex mutuatione eſt prohibitum.*

3 *Commodum mutuatarij non facit vt Mons Pietatis poſſit percipere lucrum.*

4 *Mons Pietatis poteſt exigere à mutuatarijs totũ id, quod ipſe ſoluit depoſitantibus pecunias.*

5 *In mutuo poteſt quilibet ſe indemnem ſeruare.*

6 *Leo X. concedit Monti Pietatis vt poſſit aliquid à mutuatarijs exigere pro indemnitate propria.*

7 *Iuxta mentem Leonis X. poteſt Mons Pietatis exigere à mutuatarijs quod ipſe ſoluit.*

8 *Exigere à mutuatarijs quod Mons Pietatis ſoluit, non eſt lucrari ex mutuo.*

9 *Quo titulo huiuſmodi exactio fiat iuſta.*

10 *Talis exactio eſt neceſſaria ad ſeruandam indemnitatem Montis.*

1 VIdetur negatiuè reſpondendum. Primò quia Leo X. in Concil. Lateranenſi *ſeſſ.* 10. permittit tantùm Montes Pietatis cum ea conditione: vt tantùm aliquid moderatũ à mutuatarijs exigatur pro impenſis miniſtrorum, & aliarum rerum pertinentium ad ipſarum conſeruationem, & pro indemnitate dumtaxat, abſque lucro eorumdem Montium. *Si* autẽ exigeretur vltra impenſas etiam illa ſumma, quæ ſoluitur depoſitantibus, deberent exigi vltra ſex pro centum, & non tantùm pro miniſtrorum impenſis; quod non eſſet quid moderatum. Vnde in fine Bullæ hortatur ad aſſignandos cenſus, qui ſaltem ex parte ſufficiant pro impenſis miniſtrorum.

2 Præterea prohibet Pontifex lucrum Montis ex mutuatione; ſi autem exigatur vltra expenſas pro miniſtris à mutuatarijs, Mons perciperet lucrum. Nec obſtat, quòd ex lucro ſoluat depoſitantibus; quia hoc non tollit quin priùs Mons lucretur. Rurſus hoc ex nullo titulo iuſtificari poteſt; vnde erit mera exactio mutui, quæ eſt omnino illicita: iuxta illud Domini *Lucæ 6. Date mutuum, nihil inde ſperantes.* Alioquin quomodo Mons Pietatis diceretur, cum exigeret ratione mutui quicquid poſſet exigere ratione cenſus? aut quomodo ordinaretur ad demolitionem vſurarum?

3 Inſuper hoc non poteſt iuſtificari: quia mutuatarij percipiant commodum; nam ſimiliter publicus vſurarius poſſet lucrum percipere ex mutuo: quia fœneraretur in commodum mutuatariorum. Propter has rationes quidam, quorum ſuppreſſo nomine meminit Leſſius citandus, cenſuerunt, non poſſe Montes Pietatis hanc ſummam tam magnam exigere à mutuatarijs.

4 At poſſe exigere quancumque ſummam neceſſariam pro impenſis miniſtrorum, conſeruatione Montis, & pro ſoluendis penſionibus, ſeu cenſibus, aut quocunque alio titulo pecunijs debitis depoſitantibus doceat Azor. *par.* 3. *Inſtit. Moral. lib.* 5. *cap.* 9. *quæſt.* 2. *ver. circa ſecundum.* Qui citat Geminian. *tractat. de vſuris com.* 3. §. 3. *nu.* 84. Rodulphum *in cap. Conſuluit num.* 4. *de vſuris* Cap. *Allegat.* 137. *num.* 1. Abbas. *in cap. In ciuitate, in fine de vſuris.* Alexand. *in l. Item quia* §. 1. *num.* 2. *ff. de pactis.* Præterea hoc ipſum tradunt Reginald. *lib.* 25. *praxis Fori pœn. c.* 11. *num* 209. Philiar. *lib.* 5. *De officio Sacer. cap.* 21. §. *quò ad primam.* Scaccia *Tr. de commer. &c.* §. 1. *quæſt.* 1. *num.* 151. *& num.* 161. *& ſequentib.* Molina *tom.* 2. *de iuſt. & iur. diſp.* 325. Bonacin. *tom.* 2. *diſp.* 3. *de contr. quæſt* 3. *punc.* 12. *nu.* 3. Leſſius *in Appendice, ad dubit.* 23. *cap.* 20. *lib.* 2. *de iuſt. & iur. quæſt.* 1. quæ habetur poſt eoſdem libros Impreſſionis Lugdunenſis anni 1638. & apud ipſum Bouinſignius *de Montib. cap.* 4. *&* 5.

5 Atque hanc ſententiam ita exiſtimo verã, vt cenſeam oppoſitam non poſſe probabiliter ſuſtineri. Ratio præcipua eſt, Quia in mutuo licet aliquid accipere ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis: hoc enim non eſt vſura: cum non ſit ratione mutui, ſed ad ſeruãdum indemnem ipſum mutuantem, qui in mutuando reſpicit commodum mutuatarij: & ideo non debet ob illius commodum pati aliquod damnum. Ergo etiam in caſu noſtro poteſt licitè Mons Pietatis ſe ſeruare indemnẽ dum mutuatur, exigendo a mutuatarijs quicquid ipſe ſoluere tenetur intuitu illius commodi, quod paratum habet pro mutuatarijs: præſertim cum non negotium proprium, ſed ipſorum gerat; qui autem alicui inſeruit cum proprio diſpendio poteſt licitè exigere, quo reſarciatur.

6 Et ob hanc cauſam Leo X. *in Concil. Lateranenſi ſeſſ.* 10. ſanciuit: *In Montibus Pietatis pro eorum impenſis, & indemnitate aliquid moderatum ad ſolas miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum ad illorum conſeruationem pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, vltra ſortem, abſque lucro eorundem Montium recipitur.* Si igitur debet Mons ſeruari indemnis in expenſis

pro

pro miniſtris, debet etiam ſeruari indemnis in expeuſis pro paraudis pecunijs in commodum mutuatariorum; non enim æquum eſt vt ipſi ſentiant commodum, & Mons incommodum. Vt habet ibidem Pontifex ex Regula iutis.

7 Ad primum Reſp. Pontificem ſupponere, quòd Mons habear peeunias, ex quibus poſſit mutuari; & ideo deeernit quòd ſolùm exigatur à mutuatarijs quod eſt neceſſarium pro miniſtrorum impenſis, & Montis conſeruatione: & prohibet ſolùm luerum ex mutuo. Modò non ſumus iu hoe eaſu, ſed in alio: in quo Mõs debet parare pecunias pro mutuando, & pro ipſis ſoluere annuatim quattuor, aut quinque pro centum. Vnde eum mens Poutificis ſit quòd Mons ſeruetur indemnis, poterit iu hoc caſu exigere quanrnm neceſſarium eſt pro ſua indemnitate. Et hoc erit moderatum, quia erit ſecundùm leges, & moderationem iuſtitiæ: cum non ſit ordinarum ad lucrum, ſed ſolùm quod requiritur pro indemnitate.

8 Ad 2. Pontificem prohibere lucrum ratione mutui: in eaſu verò præſenti nullum adeſt lucrum: quia Mons non ſit ditior, ſed tantùm cõſeruarur indemnis. Vnde illa ſumma, quæ ſupra ſortem ſoluirur à mutuatarijs, non habet ratioũem lucri, ſed eſt comptnſatio damni, quod Mons patitur ob curandum commodum mutuatatiorum.

9 Ad 3. Titulum, ratione cuius iuſtificatur talis exactio, eſse compenſationem damni, quod Mons patitur in parandis pecunijs, in commoditatem mutuatariorum. Vnde non ſit eontra illud Domini: *Date mutuum, nihil inde ſperantes*; quia non ſperatur, neque exigitur aliquid ex mutuo, ſed ſolùm ratione dãni emergẽtis. Vnde etiam iuſtè dicitur *Mons Pietatis*: quia eſt pietas mutuari, & nihil ratione mutui exigere; & ordinatur ad demolitionem vſuræ. quia in vſura aecipitur ratione mutui.

10 Ad 4. Iam dictum eſt quòd talis exactio nõ eſt iuſta ratione commodi, quod percipiant mutuatarij· ſed quia eſt neceſſaria ad ſeruandam iudemnitatem Montis: quod etiam in priuatis perſonis habet locum, quando ex mutuo patiuntur damnum. Et quia iu mutuo tautum reſtitui debet, quantum datur à mutuante: debet etiam reſtitui tantum, quod Mons ſoluit pro parandis pecunijs: quia hoe cenſetur dari mutuatario, dum hoc ſoluit iutuitu mutui, & in commodum mutuatarij.

An, ſi Mons Pietatis ſoluat annuatim quattuor pro centum pro paranda pecunia, poſſit à mutuatarijs exigere quinque, aut plus pro centum, vltra alias expenſas neceſſarias.

Deciſio CLXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Opinio non poſſe Montem Pietatis vltra expenſas exigere quinque pro centum à mutuatarijs, ſi ſoluat tantùm quattuor.*
2 *Poteſt exigere.*
3 *Cur debeat plus exigere à mutuatarijs ſupra expenſas quàm ſoluat: vt ſe indemnem ſeruet.*
4 *Quid faciendum quando Mons Pietatis plus exegit quàm opus ſit pro indemnitate ſeruanda.*
5 *Quid reſpiciendum in taxando, quod debeãt mutuatarij ſoluere Monti.*

1 NEgatiuè reſpondebit aliquis: quia hnc pacto interueniret lucrum ex mutuo, nẽpè illud vnum, quod ſupra illa quattuor, quæ ſoluit Mons, exigeretur.

2 Affirmatiua tamen ſententia tenenda eſt: & eam ſequi teneutur auctores citati Dec. *præcedenti*, pro poſterioi i ſententia: vt conſequenrer loquantur; quia hoc ſpectat ad ſeruãdam indemnitatem Moutis.

3 Totum enim id exigi poteſt à mutuatarijs: quod eſt neceſſarium ad compẽſandum damnum emergens mutuantis: ad compenſandum autem damnum Montis mutuãris oportet exigere aliquid amplius quàm ipſe ſoloat, pro parauda pecunia. Nam cum reneatur habere pecunias ſemper in promptu ob neceſſitates mutuatariorum, neceſſe eſt vt ex psrara pecunia ſemper aliqua quãtiras mortua maneat apud Montem; pro qua, cum Mons ſoluat annuatim quattuor pro eentũ, ſi de mutuata tantum quattuor pro eentum exigeret, pateretur damuum de tota illa ſumma, quam ſoluit pro illa, quæ apud ipſum manet, & de ipſa nihil percipit; vt igitur quò ad hoc ſaluetur indemnis, poreſt plus quàm ſoluit exigere à mutuatarijs, ad comptnſandam talem ſummam.

4 Quæres: An ſi eontingat quòd plus exigat pro illo anno, quàm ſoluat, teneatur reſtituere mutuatarijs totum, quod ſupereſt ſolutioni. Reſp. in tali caſu videndum quid fiar, quando contingit quòd plus ſoluat, quàm exigat; ſi enim tunc cogit mutuatarios ſingulos pro rata ad comptnſaudum, Mons quoque ttuetur reſtitutre totum id, quod ſupereſt ſolutioni: vt ſeruetur æqualitas iuſtitiæ. Si verò nou cogit

ad talem compenſationem, neque ipſe tenetur reſtituere; quia quod ſupereſt cenſetur compenſatio periculi, cui ſe exponit, nimirum ſoluendi plus, quàm exigit: & cenſetur interuenire tacitus conſenſus partium, quo inuicem conueniant: vt facta taxatione, quilibet ſtet lucro, vel damno. Vnde neque adhuc interuenit lucrum ex mutuo, ſed lucrum ex contractu illo, in quo quilibet ſe exponit æqualiter lucro vel damno.

5 Vt autem hoc iuſtè fiat; debet rationabiliter taxari quod annuatim à mutuatarijs ſoluendum eſt: ita vt habita ratione mutuationū, quæ ſingulis annis fieri ſolent, non longè recedat ab eo, quod ſoluitur.

An poſſit Mons Pietatis exigere à mutuatarijs non ſolùm quod eſt neceſſarium pro miniſtrorum impenſis, pro paranda pecunia, &c. ſed etiā quod eſt neceſſarium pro paranda, & inſtruenda domo, in qua conſeruentur quæ pertinent ad Montem.

Deciſio CLXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Mons Pietatis poteſt exigere à mutuatarijs omnes expenſas etiam pro paranda, & inſtruenda domo.*
2 *Domus eſt neceſſaria ad Montis conſeruationem.*
3 *Quicquid eſt neceſſarium ad ſeruandum Montem indemnem in omnibus, poteſt licitè exigi à mutuatarijs.*
4 *Quomodo, hoc non obſtante, clauditur via vſuris.*
5 *Quomodo Leo X. velit aliquid moderatum exigi à mutuatarijs à Monte Pietatis pro expenſis.*

1 RESp. affirmatiuè cum Leſſio *in Appendice de Monte Pietatis quæſt.* 2 *quæ eſt poſt libros eiuſdem De Iuſt. & Iure* impreſſionis Lugdunēſis *anni* 1637.

2 Ratio eſt, Quia Leo X. *in Concil. Lateranenſi ſeſſ.* 10 declarat, quòd Mōs Pietatis poſſit exigere à mutuatarijs quod eſt neceſſarium pro impenſis miniſtrorum, & aliarum rerum, quæ pertinent ad Montis conſeruationem; habere autem domum cum omni apparatu neceſſario pertinet ad Montis conſeruationem. Neque enim audiendi ſunt, qui putant nomine aliarum rerum, quæ pertinent ad ipſorum conſeruationem, intelligi de ijs, quæ pertinent ad conſeruationem miniſtrorum; quia nomine expenſarum pro miniſtris intelligitur quicquid miniſtris ſoluendum eſt, vt inſeruiant monti: vnde debet intelligi de ijs, quæ pertinent ad conſeruationem Montis.

3 Et ratio, quam ſubdit Pontifex, & quę hanc ſententiam confirmat, id conuincit; Quia totum quod exigitur à mutuatarijs licitè, eſt ob indemnitatem Montis, alioquin neque eſſet licitum exigere pro impenſis miniſtrorum. Ergo poteſt licitè exigi quicquid eſt neceſſarium ad ſeruandum Montem indemnem; eſt autem neceſſarium ad ſeruandum indemnem exigere expenſas pro domo paranda, & inſtruēda.

4 Dices. Si mutuatarij deberent ſoluere pro his omnibus, plus ſoluerent, quàm ſi acciperent pecunias ad vſuras: vnde Mons Pietatis non clauderet viam vſuris, ſaltem modicis. Reſp. Id regulariter non ſequi: quia in vſuris, vt plurimùm, aliquid exorbitans ſoluitur. Si verò contingat quòd plus ſoluatur, quia adſit qui cum modico lucro det ad vſuram, adhuc clauditur via vſuris; quia porrigitur commoditas mutuationis abſque vſura. vnde qui indigent non coguntur accipere ad vſuras.

5 Rurſus dices. Pontifex in præfata Bulla ſolū declarat, poſſe accipi aliquid moderatum: in hoc autem caſu non exigeretur à mutuatarijs aliquid moderatum, ſed aliquid magnum. Reſp. Pontificem, vt diximus in ſuperioribus, loqui de moderato, comparitiuè, nempè in ordine ad impenſas miniſtrorum: quia vult moderatos eſſe, ideo vult etiam quid moderatum accipi. Non autem excludit quin exigi poſſit quod neceſſarium eſt pro alijs expenſis, immo concedit: vt conſtat ex dictis.

An Mons Pietatis poſſit exigere omnes expenſas pro miniſtris à mutuatarijs.

Deciſio CLXXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Opinio negans Montem Pietatis poſſe exigere omnes expenſas pro miniſtris à mutuatarijs.*
2 *Poteſt exigere.*
3 *Montem pietatis cōſeruare pignora mutuatariorum, eſt gerere negocium ipſorum.*
4 *Mutuatarios ſoluere expenſas Monti pietatis ſupponitur à Leone X.*
5 *Si Mons Pietatis habeat de proprio, adhuc poteſt exigere expenſas à mutuatarijs.*
6 *Onus ſeruandi pignora ſuſcipitur à mutuante in gratiam mutuatariorum.*

Negant

1 NEgant aliqui apud Leſſium citandum; Quia miniſtri non ſolùm inſeruiunt mutuatarijs, ſed etiam Monti, dum curant pignora; ex quo Mons ſentit commodum, dum, ſtante quòd pignora ſalua ſint, adeſt etiā ſecuritas erogatæ ſortis; & proinde Mons ex proprijs tenetur ſoluere portionem impenſarum.

2 Oppoſitum tamen tenendum eſt cum Leſſio *in Appendice ad dubitat. 23. cap. 20. lib. 2. de Iuſt. & Iure, in reſp. ad duplicationem &c. poſt a. quæſt. num 39.* quæ habetur poſt lib. eoſdem, *de Iuſt. & Iur. impreſſionis Lugdunēſis anni 1637.* nimirum poſſe exigi omnes expenſas à mutuatarijs.

3 Ratio eſt, quia Mons ſuſcipit onus ſeruandi pignora in commodum mutuariorum (hoc enim onus ordinatur ad mutuandum) & indemnitas, quæ oritur Monti ex conſeruatione pignorum, eſt in beneficium mutuatariorum; quia facit quòd Mons poſſit mutuari; vnū enim ex requiſitis ad mutuandum eſt ſecuritas ſortis principalis: & pro hac ſecuritate requiritur conſeruatio pignorum; vnde etiam in tali conſeruatione geritur negotium mutuatariorū; Ergo Mons debet ſeruari indemnis ab omnibus his expenſis: cum totum miniſterium miniſtrorum ſit in beneficium mutuariorum; nam illud commodum, quod percipit Mons, eſt illi neceſſarium pro mutuando: vnde redūdat in mutuatarios.

4 Et proinde Leo X. *Concil. Lateranen. ſeſſ. 10.* poſtquam in ſua Bulla declarauit, Montes Pietatis pios eſſe ac meritorios, ſupponit quòd à mutuatarijs ſoluantur omnes expenſæ miniſtrorum, dum ait, quòd multò ſanctius, ac perfectius eſſet: *Si omnino tales Montes gratuiti cōſtituerentur: hoc eſt, ſi illos erigentes, aliquos cenſus aſſignarent, quibus ſi nō omnino, ſaltem vel media ex parte huiuſmodi Montium miniſtrorum ſoluantur impenſæ.*

5 Atque hoc locum habet etiam ſi Mons habeat de proprio, & annuos redditus: dummodo tamen non ſit aliquid aſſignatum pro huiuſmodi impenſis; quia non tenetur Mōs ſuum erogare in beneficium aliorum; & ideo adhuc poteſt ſe ſeruare indemnem quò ad huiuſmodi expenſas, dum eas facit gerendo negocium mutuariorum.

6 Dices. Cuſtodia pignoris pertinet ad creditorem, atque adeo ad mutuantem: quia cuſtodit in propriam vtilitatem; nam accipit, & cuſtodit: vt ſibi faciat certam reſtitutionem pecuniæ mutuatæ; Ergo tenetur proprijs expenſis ipſum cuſtodire. Reſp. pertinere quidā ad mutuantem; attamen hoc onus ab ipſo ſuſcipitur in gratiam mutuatarij; vnde vtilitas, quam percipit ex cuſtodia pignoris, faciendo ſibi certam reſtitutionem, eſt vtilitas occaſionata, ſuppoſita mutuatione, per quam nihil acquirit commodi ſupra id, quod haberet, ſi non mutuaretur. Vnde cum ratione mutuationis habeat onus cuſtodiendi pignora, pro quo debet facere expenſas: cū nihil commodi acquirat per id, quòd faciat ſibi certam reſtitutionem, ſequeretur quòd pateretur mutuando damnum huiuſmodi expenſarum; & proinde poteſt exigere à mutuatarijs, vt quò ad ipſas, indemnis ſeruetur.

An poſſit Mons Pietatis plus exigere vltra ſortem ab ijs, qui diutiùs vtūtur mutuo.

Deciſio CXC.

SVMMARIVM.

1 *Mons Pietatis videtur non poſſe plus exigere vltra ſortem ab ijs, qui diutiùs vtuntur mutuo.*
2 *Poteſt exigere.*
3 *Cur poſſit plus exigere.*

1 VIdetur negatiuè Reſpondendum: quia ſi exigeretur, ratione temporis exigeretur, atque non iuſto titulo, ſed ratione mutui; non enim exigeretur ratione onerum, cum eadem ſint, ſiue diutiùs ſiue breui tempore mutuatarij vtantur mutuo.

2 Oppoſitum tamen tenendum eſt cum Valent. *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 23. puncto 4. in fine ver. Ad tertium reſpondeo* Salas *tractat. de vſur. dub. 33. num. 8.* Molina *tom. 2. de Iuſt. diſput. 325.* Filiucio *tract. 34. cap. 9. quæſt. 2.* Bonacina *tom. 2. diſp. 3. de contract. quæſt. 3. punc. 12. num. 6.* quia, qui diutiùs vtitur, maius beneficium percipit; atque adeo onera ſuſcepta eò magis propter ipſum ſunt ſuſcepta. Quod tamen patitur difficultatem: quia adhuc videtur quod ratione beneficij ex mutuo aliquid exigatur.

3 Vnde cenſeo rationem, propter quam plus poteſt ab ipſo exigi, eſſe, Quia onera, quæ ſuſcipiuntur à Monte, mutuandi cauſa, conſiſtunt in eo, quòd alat miniſtros, & omnia parata habeat, quæ neceſſaria ſunt pro manutenendo Monte; hæc autem omnia perſeuerant in fauorem ipſius, quouſque durat mutuum: quia mutuum dependet à mutuante non ſolùm in fieri, ſed etiam in manuteneri: cum ſit in poteſtate mutuantis protrahere, vel contrahere tempus mutuationis; & ideo dependet ab ijs omnibus, quæ neceſſaria ſunt ex parte mutuantis in ordine ad mutuandum; ex parte autem Montis neceſſarij ſunt miniſtri, & alia multa in ordine ad mutuandum, ſine quibus non poſſet eſſe paratus ad mutuandum;

& ideo onera diutiùs durant, quò diutiùs durat mutuum; atque ex hoc capite poteſt plus exigi.

An Montes Pieratis fundati pro mutuando pauperibus poſſint etiam mutuari diuitibus.

Deciſio CXCI.

SVMMARIVM.

1 *Montes Pietatis fundati pro pauperibus non poſſunt mutuari diuitibus, ſi cedat in præiudiciũ pauperum, ſecus ſi non cedat.*
2 *Mutuari diuitibus ſine prẹiudicio pauperum, non eſt contra finem fundationis Montis Pietatis.*
3 *Quinam ſint pauperes, quibus Mons Pietatis poſſit mutuari.*
4 *An contingere poſſit, quòd talis Mons poſſit mutuari diuitibus.*
5 *An poſſit mutuari omnibus infimæ conditionis;*

1 REſp. negatiuè, ſi hoc cedat in præiudiciũ pauperum; ſi verò non ſit in præiudicium pauperum, tunc poſſunt etiam diuitibus mutuari. Ira etiam *Megal. in ſum. 2.2. lib. 2. cap. 14. quæſt. 2. num. 44.* Tunc autem mutuatio facta diuitibus eſt in præindicium pauperum, quando Mons ita exhauritur, vt non remaneat mutuandum omnibus pauperibus indigentibus.

2 Ratio eſt, quia ſaluatur finis fundationis, etiam ſi mutuetur diuitibus, quando non eſt cum præiudicio pauperũ: nullum enim alium finem habuit fundator, quàm per mutuum ſubuenire pauperibus indigentibus; vnde non cenſetur exclu ſiſſe beneficium mutui reſpectu diuitum; niſi quatenus eſt cum præiudicio pauperum.

3 Hìc autem eſt aduertendum, quòd nomine pauperum, quibus talis Mons mutuari poteſt, non ſolùm intelliguntur ij, qui ſunt infimæ cõditionis, & egent; ſed etiam ij, qui ſunt honeſtæ conditionis, & non habent ea, quæ requiruntur ad conſeruandam congruẽtiam ſui ſtatus: hi enim nomine pauperum veniũt. Vt docent Caier. 2.2. *quæſt. 43. art.* 8. Bal. *in leg. ſi quis ad declinandum, num. 5. C. de Epiſcop. & cler.* Iaſ. *l. ſi conſtante, num. 146. & 151. ff. ſoluto matrimonio,* & cum alijs, Sutdus *de alimentis tit. 19. quæſt. 36. num. 2.*

4 Ex hoc autẽ fit, poſſe contingere quòd Mons mutuari poſſit etiam diuitibus: quia contingere poteſt, quòd conſtituantur in talibus circũſtantijs, & ſtatu, quamuis breui duraturo, in quo non habeant congruentia pro conſeruatione ſui ſtatus; tunc autem ſaltem per accidens comprehenduntur ſub nomine pauperum: & proinde vt pauperes poſſunt accipere mutuum.

5 Secundò ſequitur, Poſſe talem Montem Pietatis omnibus infimæ conditionis mutuari; quia etiam ſi contingere poſſit quòd non indigeant: quia tamen ſunt infimæ conditionis, comprehendũtur ſub nomine pauperum; nam pauperes ſunt in comparatione ad eos, qui ſunt ſuperioris conditionis. Deinde quia mutuatio nõ fit niſi cum proportione ad infimum ſtatum; atque adeo ex conditione ſua eſt mutuatio pauperum; vnde cum retineat menſurã mutuationis pauperum, cenſetur facta pauperibus. Denique quia tales perſonæ poſſunt facilè decidere à proprio ſtatu, eo quòd talis ſtatus in exiguo conſiſtat; vnde per quamcunque exiguam diminutionem ammitti poteſt; & ideo cenſentur pauperes perſonẹ talis conditionis: quia indigent illa mutuatione ad conſeruandum proprium ſtatum: cum ſine ipſa enormiter lædatur, etiam ſi in exiguo lædatur.

Quomodo ſe gerere debeant miniſtri Montis Pietatis in mutuando, quando non conſtat de paupertate mutuatariorum, ſi Mons poſſit tantùm pauperibus mutuari.

Deciſio CXCII.

SVMMARIVM.

1 *Mons non poteſt repellere mutuatarios de quibus dubitatur, an ſint pauperes.*
2 *Nec etiam tenetur inquirere de paupertate, ſed poteſt abſolutè mutuari.*
3 *Talis inquiſitio eur moraliter impoſſibilis.*
4 *Præſumendum eſt, quòd petens mutuum tãquam pauper à Monte Pietatis, ſit verè pauper.*

1 PAſſim occurrere poteſt quòd accedant mutuatarij, de quibus dubitari poſſit, an verè ſint pauperes; vnde ſuppoſito quòd mutuatio facta diuitibus ſit cum præiudicio pauperum, Difficultas eſt quid in tali caſu agere debeant miniſtri Montis: Non enim poſſunt eos repellere; nam ſi verè eſſent pauperes, fieret ipſis iniuria; nam eo ipſo quòd Mons inſtitutus eſt pro pauperibus, habent ius ad mutuationem.

2 Reſp. in tali caſu non teneri miniſtros ad inquirendum, an verè ſint pauperes; ſed poſſe abſolutè mutuari cũ ſola proteſtatione, quòd

ſi verè

Digitized by Google

ſi verè non ſunt pauperes non poſſunt accipere tale mutuum.

3 Ratio eſt, quia ita eſt difficilis talis inquiſitio, vt moraliter impoſſibilis ſit: cum dependeat à cognitione præſentis ſtatus mutuatarij, qui ſolùm ipſi notus eſſe poteſt: cum ex varijs accidentibus mutari poſſit, & fieri ſtatim indigens qui ante non erat indigens; & ideo ad ipſam non tenentur miniſtri Montis, cum non poſſint eam habere certam.

4 Deinde. Si proteſtentur ſe non poſſe mutuari, niſi pauperibus: & cum ſe declarare pauperem ſit res probroſa, præſumendum eſt quòd quis non ſe declararet pauperem petendo mutuationem pauperum, niſi reuera eſſet pauper; & ideo in prædicto caſu poſſunt miniſtri ſine ſcrupulo talibus mutuari.

An peccet, qui petit mutuum à Monte pauperibus tantùm mutuante, ſi non ſit pauper.

Deciſio CXCIII.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo qui non eſt pauper excuſari poſſit à peccato, ſi petat mutuum à Monte mutuante ſolis pauperibus.*

2 *Quid ſi miniſtri Montis proteſtentur ſe non poſſe mutuari niſi pauperibus.*

3 *An talis inferat præiudicium Monti, ſeu pauperibus.*

4 *An peccet, quia ſibi vſurpat beneficium mutui contra intentionem fundatoris.*

5 *Quid ſi adeſſet tanta copia mutuatariorum, vt pecunia non ſufficeret.*

6 *Quid ſi Mons diminueret ſummam præfixam ſingulis pauperibus.*

7 *Sciens plures non pauperes petere mutuum à Mõte Pietatis, an peccet ſi ipſe quoque petat.*

1 RESp. poſſe excuſari à peccato ſaltem graui; quia poteſt petere mutuum abſque deceptione doloſa. Aliud enim eſt occultare ſtatum, & aliud, profiteri oppoſitum ſtatum; non enim neceſſe eſt vt fateatur ſe eſſe pauperem: vt obtineat mutuationem; ſed ſufficit, ſi occultet ſe eſſe diuitem; occultare autem quæ ad propriũ ſtatum pertinent, non eſt mentiri. Imò poteſt etiam dicere, ſe indigere, intelligendo de illa mutuatione: quia ſupponitur quòd ſaltem pro tempore indigeat: alioquin non peteret.

2 Et hoc verum eſt, etiam ſi miniſtri Montis proteſtentur ſe non poſſe mutuari niſi pauperibus; poteſt enim reſpondere, ſe indigere, intelligendo de illa mutuatione, & quòd non acceſſiſſet ad petendum mutuum, niſi indigeret.

3 Neque ex eo peccat, quòd inferat præiudicium Monti, aut pauperibus; nam totum hoc præiudicium conſiſteret in eo, quòd Mons non poſſet mutuari omnibus pauperibus: & proinde aliqui pauperes fraudarentur beneficio mutui. Hoc autem non importat præiudicium notabile; quia præſumere poteſt quòd rarò cõtingat quòd non indigens petat mutuum à Monte; ex hac autem rara petitione non impeditur Mõs ne poſſit mutuari pauperibus; quia non habet pecunias mutuandas paratas ita adamuſſim pro indigentibus, vt neque excedant indigẽtiam, neque ipſa minores ſint: ſed ſemper ſupponitur potiùs quòd excedant; & ideo rara mutuatio facta non pauperibus eſt paruitas materiæ, quæ non poteſt afferre præiudicium notabile pauperibus.

4 Dices, Peccare, quia ſibi vſurpat beneficiũ mutui contra intentionem fundatoris. Verùm hoc dici non poteſt; nam intentio fundatoris eſt tantùm ſubuenire pauperibus, non autem excludere cœteros à beneficio mutui, quando fieri pogeſt ſinè præiudicio pauperum. In caſu autem noſtro ſupponitur adeſſe tantùm leue præiudicium pauperum, imò forte nullum: quia Mons ita diſtribuit pecunias mutuãdas, vt nunquam totaliter exhauriantur.

5 Ex his autem colligitur; Quòd ſi adeſſet tã-
ta copia mutuatariorum, vt pecunia Montis
non ſufficeret; tunc ſi quis non pauper peteret
mutuum, peccaret: quia inferret prȩiudicium:
nam eſſet cauſa quòd aliquis pauper exclude-
6 retur. Quod tamen debet intelligi, ſi Mons det
ſingulis ſummam conſnetam; quòd ſi aliquid
de ipſa diminuat, vt poſſit omnibus mutuari;
tunc non peccatur grauiter: quia ſinguli pau-
peres leue præiudcium ſentiunt, & ſecundùm
paruitatem materiæ; neque enim omnia ſingu
lorum leuia præiudicia coaleſcunt in vnum:
quia vnus pauper non participat de præiudi-
cio alterius. Neq. eſt præindicium communita-
tis pauperum: quia ſinguli habent proprium
ius ad illam ſummam, quã ſingulis poteſt mu-
tuari Mons: non autem vnicum ius ad totam
ſummam; & ideo dantur ſolùm iura ſingularia,
non autem ius communitatis; iura autem ſin-
gularia læduntur tantùm in leui materia.

7 Colligitur ſecundò peccare grauiter eum, qui ſciens plures non pauperes petere mutuũ à Monte, ipſe quoq. accedit ad petendum; tũc enim infertur graue præiudiciũ pauperibus: quia contingit, aut plures excludi à beneficio mutui, aut ſaltẽ omnes in longè minori ſumma accipere: & ipſe ſimul cũ alijs, volens & ſciens cooperatur huic præiudicio, dum petit mutuũ.

An, & cui facienda ſit reſtitutio, quando diues accipit mutuum à Monte Pietatis cum graui præiudicio pauperum.

Deciſio CXCIV.

SVMMARIVM.

1 *Petens mutuum à Monte cum graui præiudicio alieno, quia non eſt pauper, tenetur reſarcire damnum.*
2 *Cui debeat reſtituere.*
3 *Quantum debeat reſtituere.*
4 *An teneatur ad damnum per accidens ſequutum.*
5 *Quid ſi pauper, cui Mons non poteſt mutuari, aliunde mutuum acceperit.*
6 *Quid ſi plures pauperes damnum paſſi ſint.*

1 DIximus in præcedenti *Deciſ.* poſſe diuitem accipere mutuum à Monte Pietatis occultando proprium ſtatum, ſine peccato mortali: quia fit ſine graui alieno præiudicio; & tunc non adeſt obligatio reſtitutionis: quæ conſurgit tantùm ex graui læſione iuſtitiæ, atquè adeo cum damno graui alterius. Quia tamen poteſt interuenire etiam graue præiudicium, vt *num. 6. & 7.* diximns, tunc aderit obligatio reſarciendi damnum cauſatum: quia læderur grauiter iuſtitia. Difficultas autem eſt, cui ſit facienda reſtitutio, cum incertum, ſit quiſnam damnum acceperit.

2 Reſp. cum diſtinctione. Vel enim ſcit aliquem pauperem in particulari damnificatum fuiſſe; & tunc debet ipſi reſarcire damnum: quia illi debet fieri reſarcitio damni, cui damnum infertur. Vel non ſcit pauperem determinatum; & tunc reſarcimentnm damni fieri debet Monri, tanqnam illi, ad quem ſpectant, quò ad hoc, iura pauperum; & Mons tenebitur reſarcire pauperem, qui damnum paſſus eſt defectu mutuationis. Si autem non poſſit talem pauperem reperire, facienda eſt reſtitutio toti communitati pauperum eo modo, quo fieri poteſt. Et hæc dicenda ſunt ex regulis generalibus, quas tradunt Doctores circa reſtitutionem faciendam.

3 Sed quæres. Quantum reſtituere debeat, qui mutuum accepit à Monte in præiudicium pauperum. Reſp Tantùm debere reſtituere, quantùm ſufficit pro compenſando damno ex negatione illius ſummæ ſequuto. Hoc autem regulariter erit totum id, quod requiritur ad parandam illam ſummam cum onere conſueto extra mutuationem; & ratio eſt, quia non infert aliud damnum quàm negationem beneficij, qnod habetur ex mutuo; & proinde cogitur accipere pecuniam, compenſando damnum emergens, aut lucrum ceſſans; compenſatur ergo damnum per id, quod tribuitur totum, quod requiritur ad parandam pecuniam in æquali ſumma cum compenſatione damni emergentis, aut lucri ceſſantis.

4 Dices, fieri poſſe quòd cum maiori damno cogatur parare ſibi pecuniam, vel vendendo aliquid vili precio vel ſumendo ad vſuram, vel aliquo alio modo diſpendioſo. Reſpnud Hoc eſſe per accideus, nec ſequi tanquam ex cauſa ex negatione mutui; nam negatio mutui de ſe non infert neceſſitatem niſi parandi pecuniam æqualem negatæ, conſuetis modis licitis. quod ſi aliquo alio diſpendioſo modo acquiritur, id aliunde prouenit. Nemo antem tenetur ad reſarciendum damnum, cuius ipſe non eſt cauſa.

5 Ex quo fit, quòd ſi pauper, cui Mons mutuari non poteſt, reperiat aliquem, qui gratis ipſi mutuerur, non conſurgere aliquam obligationem reſarciendi damnum: quia nullum damnum infertur.

6 Quæres. Qnid ſi plures pauperes nequeant obtinere mutuum à Monte, an omnibus debeat reſarciri damnum. Reſp. Si omnes petunt tantùm ſimul illam ſummam mutuam, quam accepit diues, tunc omnibus reſarciendum eſſe damnum ſingulis pro rata illius ſummæ, quam petunt mutuam; ſi verò petunt maiorem ſummam, tunc damnum reſarciendum eſt illis, qui priùs tempore petierunt illam ſummam: aut vni tantùm, qui primus illam ſummam totam petierit, & non potuerit obtinere; huic enim ſoli ſequitur damnum ex mutuatione facta diuiti, cæteris autem aliunde; ideo mutuatarius diues non tenetur ad ipſum; cum teneatur tantùm ad damnum ſequutum ratione mutuationis ſibi factæ.

An, ſi Mons mutuaretur tantùm pauperibus determinatam ſummam, quis maiori ſumma indigens poſſit facere quòd alter quoq; mutuum petat nomine proprio, & poſtea ſibi det pecuniam mutuatam, cum onere reſtituendi.

Deciſio CXCV.

SVMMARIVM.

1 *Ponitur caſus.*
2 *Videtur non poſſe quis petere, & per ſe, & per alium duplicatam ſummam, quam Mons ſingulis taxauit.*

3 Po-

3 Poteſt petere, quando alter, quem facit petere, communicat in egeſtate.

4 Quid ſi ille, quem facit pro ſe petere, non communicet in egeſtate, ſit tamen in ſtatu pauperi.

5 Qui eſt in ſtatu pauperi poteſt petere mutuum à Monte Pietatis nomine proprio, & poſtea cedere alteri.

6 Quomodo etiam ex alio titulo poſſit petere quis mutuum, vt alteri det tantundum.

7 Poteſt quis vti iure ſuo in fauorem alterius.

8 Vtens iure ſuo in petendo mutuo à Monte Pietatis non facit alicui iniuriam, ſicut nec qui facit eum vti.

1 Apud aliquos Montes Pietatis eſt taxata ſumma, quę ſingulis ſolet concedi in mutuum: & taxatio eſt facta in hunc finem, vt poſſit Mons ſingulis pauperibus mutuari. Pono ergo quòd taxata ſit vſque ad viginti, & quis indigeat quadraginta; & quæro, an poſſit ipſe accipere viginti, & etiam mittere alium, qui accipiat alia viginti, quæ poſtea ſibi det ad ſupplendam ſummam, qua indiget.

2 Videtur negatiuè reſpondendum, Quia fit fraus Monti; nam ſub alieno nomine petitur, quod ſecùndum leges ipſius non poteſt concedi. Deinde, hoc eſt etiam in præiudicium pauperum; quia dum plus Mons vni mutuatur remanet minùs potens ad mutuandum cęteris.

3 Sed dicendum eſt, Quòd ſi ille, quem facit petere alteram ſummam, quam Mons poteſt mutuari, ſibi aliquo pacto communicat in egeſtate, vel quia pertineat ad eamdem familiam, vel aliquo alio modo; petitio eſt licita; tunc enim ſunt diſtincti pauperes, qui petunt mutuum, & omnes ſunt indigentes; vnde illæ mutuationes ordinantur ad ſubleuandam indigentiam diuerſorum; & ideo cenſentur eſſe ſecùndum leges Montis.

4 Si verò ille, qui petit pro alio mutuum, non communicet in egeſtate cum ipſo, dummodo tamen ſit in ſtatu pauperi, exiſtimo poſſe petere mutuum à Monte, & poſtea tribuere illi, ad cuius inſtantiam petit: dummodo tamen priùs intendat petere pro ſe ipſo. Quod cenſendum eſt facere cum hac intentione, niſi habeat expreſsè oppoſitam: quia quilibet cenſendus eſt facere prudenter quod facit: atque adeo eo modo, & titulo, quo honeſtè & licitè fieri poteſt.

5 Ratio eſt, Quia, cum ſit in ſtatu pauperi, habet ius ad petendum mutuum: quod exercere poteſt etiam ſi non indigeat illo mutuo ad aliquam propriam inopiam ſubleuandam, cum ratione ſtatus habeatur pro indigente. Ergo poteſt petere mutuum nomine proprio: & cum acquirat dominium ſupra pecuniam mutuatam, poteſt de ipſa ad libitum diſponere, tribuendo illi, cuius intuitu motus eſt ad petendum mutuum; ſemper enim vtitur iure ſuo, tàm in mutuo petendo, quàm in tribuendo alteri pecuniam mutuatam.

6 Præterea, Ex hoc etiam capite iuſtificari poteſt: Vt nimirum intendat de proprio mutuari ei, qui ſibi inſtat, vt petat mutuum à Monte pro ſe; quia autem mutuãdo illam ſummam fit indigens, ideo poteſt illam ſummam petere mutuam à Monte: non enim tenetur, etiam ſi poſſit, anteuertere indigentiam, ne occaſionem habeat petendi mutuum. Quia autem poteſt exigere à mutuatario, vt ſeruetur indemnis: ideo cum ratione illius mutuationis debeat ipſe mutuum petere à Monte, poteſt à mutuatario accipere pignus dandum Monti, & alias expenſas pro tali mutuatione neceſſarias.

7 Hinc ſolutum manet quod in oppoſitum affertur *num.* 2. non enim fit fraus Monti: quia ſecunda mutuatio non fit illi, cui facta eſt prima, ſed alteri, qui vtitur iure ſuo in illa petenda; & licet petat intuitu alterius: hoc tantùm facit quòd ab alio moueatur, vt in petendo vtatur iure ſuo. Impellere autem aliquem, vt vtatur iure ſuo, etiam ſi hoc redundet in mei fauorem, & etiam in hunc finem, vt mihi cedat, quod iure ſuo vtendo acquirit, non eſt illicitum; cum neq. ratione talis vſus, neq. ratione perſuaſionis importetur, aliquid contra rectam rationem.

8 Neque hoc eſt in præiudicium pauperum; Quia ille, quem facit petere mutuum, eſt de numero pauperum, & petendo vtitur iure pauperum: quod eſt ius etiam proprium; cum quis autem vtitur iure ſibi cum alijs communi, non facit iniuriam cœteris. Vnde neque facit iniuriam qui monet vt vtatur; quia monet ad id, quod iuſtum eſt. Neque poteſt dici quòd Mons Pietatis fiet minùs potens ad mutuandum cœteris pauperibus: quia cum ſit paratus mutuari omnibus, cenſetur potens ad mutuandum ſingulis ſummam taxatam; & ideo ex eo quòd mutuetur pluribus, adhuc cenſetur potens ad mutuandum alijs totam illam ſummam, quam poterat antea mutuari.

An Mõtes Pietatis inſtituti pro ciuibus poſſint etiam ruſticis, & forenſibus pertinentibus ad ciuitatẽ mutuari.

Deciſio CXCVI.

SVMMARIVM.

1 Mons inſtitutus pro ciuibus poteſt etiam forenſibus mutuari, ſi ſuperſit pecunia.

2 Poteſt

Digitized by Google

2 *Poteſt indifferenter mutuari pauperibus ciuitatis, & ſuburbiorum.*
3 *Suburbia veniunt appellatione cinitatis.*
4 *Mons inſtitutus pro cimbus cenſetur inſtitutus etiam pro forenſibus territorij.*
5 *Ciuium nomine veniunt, qui ſunt de territorio.*
6 *Quid ſi Mons ſit inſtitutus non pro ciuibus, ſed pro pauperibus ciuitatis.*
7 *Quando nomine ciuitatis comprehendantur etiam ruſtici.*

1 POſſe mutuari, ſi pecunia expoſita mutuationi ſuperet indigentiam ciuium, certũ eſt; quia intentio fundatoris non fuit excludere aliquem à beneficio mutui: ſed tantùm prouidere ciuibus; vnde ſi ipſis ſufficienter prouiſum ſit, & ſuperſit pecunia mutuanda ruſticis, adeſt eius interpretatiua voluntas mutuandi etiam ipſis: quia præſumitur inſtituiſſe Montem pro mutuando primùm ciuibus, deinde etiam quibuſcunque alijs. Difficultas eſt, an indifferenter poſſit etiam ruſticis, & forenſibus mutuari: ita vt æqualiter procedãt cum pauperibus de ciuitate. De qua difficultate nihil dictum reperio apud Auctores.

2 Cenſeo autem primò, Poſſe Montem indifferenter mutuari tam pauperibus de ſuburbijs ciuitatis, quàm illis, qui ſunt intra ciuitatem; ita vt in virtute fundationis habeant pauperes de ſuburbijs æquale ius ad mutuationẽ petendam cum pauperibus de ciuitate.

3 Ratio eſt, Quia cum Mons ſit inſtitutus in beneficium ciuium pauperum, cenſetur inſtitutus pro ijs omnibus, qui veniunt appellatione Ciuis, aut Ciuitatis. Suburbia autem veniunt appellatione Ciuitatis, atque adeo incolæ ipſorum, appellatione Ciuis. Ex *l. Vxorem, §. Legauerat, ff. De legat. & fideicomm.* 111. Vbi etiam Bart. Abbas *in Cap. fin. De prabend.* Bal. *in cap. Si ciuitas De ſent. excom.* & alij.

4 Secundò dico. Quòd ſi mons Pietatis ſit inſtitutus pro ciuibus pauperibus, poteſt indifferenter mutuari pauperibus ruſticis, & cœteris forẽſibus totius territorij; quia pro ipſis quoque Mons cenſetur inſtitutus.

5 Eſt enim inſtitutus pro omnibus ciuibus; vnde omnes, qui veniunt appellatione Ciuis, percipere poſſunt beneficium mutui. Ciuium autem appellatione, præſertim in fauorabilibus, veniunt etiam qui ſunt de territorio, ex *l. Qui ex vico, ff. Ad municip.* & ex *l. Qui in continentibus, ff. De verborum ſignificatione.* Et tradunt Bart. *in l. 1. ff. Ad municip.* & *in l. 2. ff. De Verb. ſignific.* Gloſ. *in cap. 1. De Vſuris in 6.* Felin. *in cap. Rodulphus num. 9. De reſcriptis.* Et alij in Rubr. *Soluto matrimonio.*

6 Sed quid, ſi fundatio habeat, quòd Mons ſit inſtitutus pro mutuando non ciuibus pauperibus, ſed pauperibus ciuitatis? an poterit tunc mutuari pauperibus De territorio? Reſpondeo adhuc poſſe mutuari. Quia quando fundatur Mons pro pauperibus ciuitatis, non intelligitur de ciuitate materiali, vt dicit locum muris ſeptum, ſed de ciuitate formali, quæ eſt coadunatio hominum, quæ, vt ait Cardin. *in Clement. Dudum, §. Extra De ſepult.* Eſt communitas habens per ſe terminum omnis ſufficientiæ ad vitam: vnde Montem eſſe fundatum pro pauperibus talis ciuitatis; non eſt aliud, quàm eſſe fundatum pro pauperibus communitatis talis ciuitatis.

7 Quando autem ciuitas ſumitur pro coadunatione hominum, tũc nomine ciuitatis comprehenduntur etiam ruſtici, & qui ſunt de territorio. Vt inter alios docet Felin. *in cap. Rodulphus. num. 9. De reſcriptis ex l. fin. ff De nundinis.* Et ratio eſt; quia tunc ciuitas debet ſumi cum omnibus ſuis partibus; atq. adeo cum ijs omnibus, qui ſunt neceſſarij ad conſtituendã perfectam communitatem; tales autem ſunt ruſtici, & qui ſunt de territorio: qui ſunt neceſſarij pro cultu agrorum, & pro parandis, & importandis rebus neceſſarijs degentibus intra muros ciuitatis; vnde communicãt etiam, in ijſdem legibus, in ijſdem ſuperioribus, ſeu gubernatoribus. Quæ declarant pertinere ad eandem communitatem.

An Mons inſtitutus pro ciuibus pauperibus, poſſit mutuari illis, qui ciuitati ſubijciuntur tantùm quò ad ſpiritualia, nempe ſoli Epiſcopo, non autem quo ad temporalia.

Deciſio CXCVII.

SVMMARIVM.

1 *Mons Pietatis inſtitutus pro ciuibus non poteſt mutuari ijs, qui tantùm in ſpiritualibus ſubijciuntur ciuitati.*
2 *Mons Pietatis pertinet ad communitatem temporalem.*
3 *Mons Pietatis poteſt mutuari ijs qui ſubijciuntur in temporali ciuitati, licet non in ſpiritualibus, ſi ſit inſtitutus pro ſolis ciuibus.*

1 REſp. negatiuè. Quia pauperes, qui ſubijciuntur tantùm quò ad ſpiritualia, non ſunt membra communitatis ciuilis, ſed tantùm ſpiritualis; vnde non communicant nec in capite, nec in legibus municipalibus; & ideo non debent participare de ijs, quæ pertiuent ad communitatem ciuilcm, vt ſunt omnia

Digitized by Google

nia temporalia: ſed tantùm de ijs, quæ pertinent ad communitatem ſpiritualem.

2 At dices, Montem Pietatis eſſe locum piũ: & proinde inter ipſa loca pia reponi à Concil. Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 8. *de reformat.* & ſubijcit Viſitationi Epiſcopi; tãquam autem locus pius debet pertinere ad communitatem ſpiritualem. Reſp. Licet ſit locus pius, eſt tamen temporalis; & ideo pertinet ad communitatem temporalem, ſeu ciuilem; quia non eſt in ordine ad ſubleuandas animas, ſed ad ſubleuandum corpus; eſt enim inſtitutus pro ſubleuanda indigentia ciuium pauperum; & ideo eſt pro ipſis vt coniunctis in temporalibus. Quod etiam praxis docet in cœteris operibus pijs, quæ temporalia ſunt: quæ ſolùm ſunt pro ijs, qui ſunt de ciuili communitate: vt conſtat in hoſpitalibus, & alijs huiuſmodi.

3 Ex his autem ſequitur, Quòd ſi contingat iuriſdictionem ciuilem, atque adeo communitatem latiùs extendi quàm ſpiritualem, tunc in mutuando habenda ſit ratio communitatis ciuilis, & non ſpiritualis: & proinde beneficium mutui tribuendum ſit etiam illis, qui non ſunt de communitate ſpirituali, ſed tantùm de ciuili: ob eamdem rationem; quia Mons eſt inſtitutus pro omnibus pauperibus de tota communitate ciuili.

An quando Mons Pietatis habet pecuniam ſibi ab aliquo deputatam pro mutuando pro certo aliquo tempore: ita vt non tranſeat in dominium Montis: poſſit tunc à mutuatarijs aliquid exigere intuitu expenſarum &c.

Deciſio CXCVIII.

SVMMARIVM.

1 *Quando pecunia dominium remanet apud deputantem pro mutuando, non poteſt tunc Mons Pietatis exigere aliquid à mutuatarijs pro expenſis, ſecùndum Azor.*
2 *Poteſt exigere.*
3 *Semper expenſæ factæ à Monte ſunt in beneficium mutuatariorum.*

1 NEgatiuè reſp. Azor. 3. *par. lib.* 5. *cap.* 9. *quæſ.* 4. quia ſpectat ad eum, cuius eſt illa pecunia, facere omnes expenſas, quæ ſunt neceſſariæ pro eiuſdem conſeruatione, in quocunque loco illam ponat; vnde quando ponit vt depoſitum apud Montem, adhuc ad ipſum ſpectat concurrere pro rata ad expenſas miniſtrorum domus, & aliarum rerum: quia hæc omnia ſunt in ordine ad conſeruandum depoſitum pecuniæ.

2 Oppoſitum tamen tenendum eſt cum Molina *tom.* 2. *de Iuſt. & Iure diſp.* 325. Salas *tract. de Vſur. dub.* 33. *num.* 8. Eodem pacto poſſe Montem exigere expenſas à mutuatarijs, non ſecus ac ſi pecunia eſſet propria Montis.

3 Ratio eſt, Quia tales expenſæ fiunt non pro conſeruanda propria pecunia (quia quilibet poſſet ipſam in domo propria conſeruare, aut apud campſores, qui gratis omnino conſeruarent) ſed fiunt intuitu mutuandi: atque adeo in beneficium mutuatariorum; nullo enim pacto fierent, niſi adeſſet finis mutuandi; vnde ſpectat ad mutuarios ſeruare indemnitatem quò ad ipſas.

An perſona priuata poſſit erigere Montem Pietatis.

Deciſio CXCIX.

SVMMARIVM.

1 *Perſona priuata poteſt erigere Montem Pietatis.*
2 *Poteſt etiam à mutuatarijs exigere expenſas factas pro Monte.*
3 *Poteſt etiam ſibi reſeruare dominium Montis erecti.*
4 *Quid ſi Mons Pietatis reuocetur, & remaneat aliquid acquiſitum ex pecunia ſoluta à mutuatarijs.*
5 *An poſſit priuata perſona erigere Montem, & accipere ad cenſum pecuniam mutuandam, & exigere à mutuatarijs penſiones, quas ſoluit.*

1 REſp. affirmatiuè cum Regnal. *lib.* 25. *num.* 207. Leſſio *lib.* 2. *de Iuſt. & Iure cap* 20. *dub.* 23. *num.* 194. Molina *tom.* 2. *de Iuſt. & Iure diſp.* 325. Salas *tract. de Vſuris dub.* 33. *num.* 8. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 3. *de Contract. quæſ.* 3. *punct.* 12. *num.* 5. & alijs. Eſt enim in poteſtate cuiuſcunque benefacere cui voluerit: atque adeo etiam communitati, mutuando omnibus pauperibus.

2 Et quia quiſque in benefaciendo alteri poteſt ſe ſeruare indemnem, præſertim quando vtiliter gerit negocium ipſius (vt in caſu noſtro: quia mutuans facit quòd mutuatarij minori diſpendio obtineant pecuniam) ideo poteſt ſe ſeruare indemnem, exigendo à mutuatarijs expenſas pro Monte inſtruendo, & conſeruan-

ſeruan-

Digitized by Google

ſeruando, non ſecus ac ſi eſſet Mons à communitate aut à Principe erectus.

3 Imò ita poteſt Montē erigere, vt ſibi dominiū ſeruet totius pecuniæ, quam exponit mutuationi; ita vt poſſit ad libitum reuocare, & pecuniam in alios vſus impendere: vt notant Molina, Salas, & Bonacina *citati*; Quia cum beneficium mutui ſit liberale, poteſt illud conferens determinare quandocunq. voluerit, & ad beneplacitum ipſum continuare, vel ſubtrahere.

4 Eſt tamen aduertendum, quòd ſi huiuſmodi Mons reuocetur, & aliquid remaneat acquiſitum ex pecunia ſoluta à mutuatarijs, quod ſtet nomine Montis: vt eſſet domus, aut aliquid aliud, quod Monti inſeruiſſet; non poteſt remanere apud fundatorem Montis; quia hoc eſſet lucrum ex mutuo; vnde vendendum erit, & publicè intimandum mutuatarijs, vt quilibet accedat ad accipiendam portionem, iuxta illud, quod Monti ſoluerunt. Quod tamen limitari debet, ſuppoſito quòd non adſit iuſtus titulus apud fundatorem illud retinendi.

5 Rurſus, Poteſt etiam priuata perſona erigere Montem Pietatis, accipiendo ſub onere cenſus annui pecuniam mutuandam, & poſtea exigere à mutuatarijs, vt ipſi ſoluant annuos illos cenſus, & inſuper expenſas pro cōſeruatione Montis, & pro miniſtris: vt etiam notat Leſſius *citatus*. Et ratio eſt, Quia adhuc erigens talem Montem gerit vtiliter negocium mutuariorum, qui cum maiori onere aliunde quærerent pecuniam, qua indigent; & ideo poteſt ab illis exigere vt ſe indemnem ſeruet.

An ſi priuata perſona erigat Montem Pietatis, & retineat dominium pecuniæ expoſitæ ad mutuandum, poſſit à mutuatarijs exigere expenſas pro miniſtris, & conſeruatione Montis.

Deciſio CC.

SVMMARIVM.

1 *Poteſt Mons Pietatis exigere expenſas miniſtrorum ſolùm quando transfertur dominium in communitatem pauperum ſecùndum aliquos.*

2 *Aut ſi ſaltem mutuator ſe obliget ad mutuandum in perpetuum ſecùndum alios.*

3 *Quando fundator Montis retinet apud ſe dominium pecuniæ, partim ipſe, partim mutuatarij debent ſoluere expenſas Montis.*

4 *Semper Mons poteſt exigere expenſas, quas facit, à mutuatarijs.*

5 *Hæ expenſæ non ſunt in commodum mutuantis, ſed mutuariorum.*

1 IN hac re diuerſimodè opinantur Doctores. Primò enim Arragon. 2. 2. *quæſt.* 78. *artic.* 4. *in dub. De Monte Pietatis in reſp. ad* 2. dicit non eſſe licitum, niſi dominium transferatur in communitatem pauperum: & proinde Leonem X. & alios Pontifices approbaſſe Montes Pietatis, In quibus transfertur hoc dominium in communitatem pauperum. Quia mutuans debet ſuſcipere onera mutuationi annexa. Ita etiam Azor. 3. *par. lib* 5. *cap.* 8. *in fine.*

2 Alij vero, vt Bannes 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 4. *in fine.* & Lopez 2 *par. Inſtruct. cap* 59. aiunt, poſſe exigi expenſas à mutuatarijs, ſi dominium Montis transferatur in pauperes, aut ſi fundatur Montis ſaltem ſe obliget ad mutuandum in perpetuū; Quia tunc pecunia ſecùndum dominium vtile cenſetur pauperum: & ideo pertinent ad ipſos etiam onera Montis.

3 Rurſus alij, vt Salon. *tom.* 2. *de Iuſt. & Iure quæſt.* 78. *art.* 2. *Controuer.* 27. *num.* 12. *in reſp. ad* 1. vult quòd quando fundator Montis retinet apud ſe dominium, partim ipſe, partim mutuatarij teneantur ad expenſas pro miniſtris, & conſeruatione Montis Quia hoc totum partim eſt in vtilitatem pauperum: quia ipſi percipiunt beneficium illarum expenſarum, mediante mutuo; partim in vtilitatem fundatoris: cum ipſius ſit dominium pecuniæ mutuationi expoſitæ.

4 Denique alij abſolutè docent, ſemper poſſe exigi expenſas à mutuatarijs, quæ ſufficiāt pro miniſtris, & conſeruatione Montis, etiam ſi dominium maneat apud fundatorem, nec ſe obligauerit ad mutuandum in perpetuum. Ita Molina *tom.* 2. *de Iuſt. & Iure diſp.* 325. Salas *tract. de Vſur. dub.* 33. *in reſp. ad* 4. qui citat etiā Palatium. Leſſius *lib.* 2. *De Iuſt. & Iure dub.* 23. *num.* 194. Gordon. *lib.* 4. *Theol. Moral. quæſt.* 6. *c.* 11. *num.* 31. *ver. quæritur ſecùndo.* Et hæc ſententia probabilior eſt.

5 Eius verum fundamentum eſt. Quia mutuans non facit illas expenſas, quas requirit Mons, in proprium commodum, neque ob ſeruādam propriam pecuniam: quia non eſt neceſſe erigere Montem, vt illam ſeruet; ſed omnes ſunt propter mutuandum: atque adeo in gratiam mutuatariorum, & propter ipſorum commodum; vnde poteſt ab ipſis ſe indemnem ſeruare exigendo à mutuatarijs, vt eas ſoluant; non enim Montem erigendo, ſibi prodeſt, ſed mutuatarijs, quorum vtiliter gerit negocium, dum eos liberat à maiori onere in inueniendà pecunia.

An

An Mons Pieratis poſſit exigere expenſas pro miniſtris etiam ab ijs, qui dant pignora, quæ non indigent labore, vt conſeruentur: vt ſunt vaſa argentea &c.

Deciſio CCI.

SVMMARIVM.

1 *Non licet quòd Mons exigat expenſas ab ijs, qui dant pignora non indigentia labore vt conſeruentur, ſecùndum aliquos.*
2 *Poteſt etiam ab ipſis exigere expenſas.*
3 *Titulus, ſub quo Mons Pietatis exigit expenſas à mutuatarijs.*

1 QVi negat huiuſmodi Montes eſſe licitos, ex hoc capite arguunt ipſos, Quòd exigantur expenſæ miniſtrorum etiam ab ijs, qui dant pignora, quæ non indigent cura, & labore vt aſſeruentur; vnde talis exactio fit ratione mutui, & eſt illicita.

2 Oppoſitum tamen tenendum eſt cum Leſſio *lib. 2. de Iuſt. & Iure cap. 20. dub. 23. nu. 194.* Salas *tract. de Vſuris dub. 33. num. 8. ver. Vnde reſpondetur.* Salon. *tom. 2. de Iuſt. & Iure quaſ. 78. ar. 2. controuer. 27. num. 9. & 13. ver. Neque committitur.* & alij. Nimirum poſſe Montem exigere id, quod exigit à cæteris, ratione expenſarum, etiam ab ijs, qui dant pignora, quæ non indigent labore, & cura, vt aſſeruentur: vt etiam diximus *in reſponſ. ad 3. in prima Deciſ.* de hac materia.

3 Ratio autem eſt, Quia id, quod exigitur à mutuatarijs, non eſt propter laborem aſſeruandi pignora; ſed quia Mons ſuis impenſis exhibet locum, & miniſtros paratos pro ijs omnibus, quæ neceſſaria ſunt ad mutuationem, quibus poſſunt vti mutuatarij, ſecùndum quòd opus erit, in ordine ad mutuationem: & ideo interuenit quidam implicitus contractus locationis, qua Mons locat mutuatarijs operam miniſtrorum, & intuitu huius contractus ſoluunt illam quantitatem vltra ſortem, & remanet in poteſtate ipſorum vti opera miniſtrorum cum quocunque labore, & cura neceſſaria pro ſeruandis pignoribus; quòd ſi non vtuntur, prouenit ex ipſis; vnde ſolutio non eſt pro exhibita opera, ſed pro iure acquiſito vtendi.

Apud quem ſit dominium Montis Pietatis.

Deciſio CCII.

SVMMARIVM.

1 *Qui dicunt dominium Montis eſſe apud communitatem pauperum.*
2 *Non eſt apud fundatorem, nec apud Rempublicam.*
3 *Qui dicant non eſſe apud aliquem.*
4 *Non eſt apud communitatem pauperum.*
5 *Quodnam ius acquirat collectio pauperum ad Môtem Pietatis.*
6 *Quid requiratur vt communitas acquirat dominium.*
7 *Dominium Montis Pietatis eſt apud Rempublicam.*
8 *Fundans Montem abdicat à ſe dominium, & in quem tranſeat.*
9 *Quomodo dominium Montis Pietatis ſit tranſlatum in Rempublicam.*

1 REſp. Azor. *3. par. lib. 5. cap. 8. in fine.* Salas *tract. de Vſur. dub. 33. num. 9.* Lopez *2. par. Inſtruct. cap. 59.* Arragon. *2. 2. De Iuſt. & Iure quæſt. 77. art. 4. Rubr. de Monte Pietat. in reſp. ad 2.* Salon. *tom. 2. De Iuſt. & Iure eadem quæſt. 77. art. 2. controuer. 27. ver. ſed vtamur.* Dominium eſſe apud communitatem pauperum.

2 Ratio eſt, quia dominium non eſt apud fundatorem: cum illud à ſe abdicet: nec etiã apud Rempublicam; quia non poteſt ad libitũ de bonis Montis diſponere.

3 Alij verò docent: dominium Montis non eſſe apud aliquem: ſed ad Rempublicam pertinere tantùm adminiſtrationem. Ita Valent. *tom. 3. diſp. 5. quaſt. 23. puncto 4 ver. Ad primum reſpondeo.* Cum Soto *lib. 6. De Iuſt. & Iure quaſt. 1. art. 6.* & alij.

4 Ego verò primò cenſeo, Dominium non eſſe apud communitatem pauperum; Quia non habent pauperes aliud ius, niſi quod illis conuenit ratione fundationis eiuſdem Montis; ratione autem fundationis non confertur in pauperes, niſi ius ad beneficium mutuationis; quia fundatur Mons in hunc finem, vt paupe-
5 res inde habeant tale beneficium. Vnde tota collectio pauperum acquirit tantùm ius ad beneficium mutuationis: neque aliud ius requiritur ad finem fundationis; finis autem eſt menſura intentionis, ſecùndum quam iudicãdum eſt quid factum, vel non ſit factum. Vnde tota collectio pauperum debet comparari vt mutuataria habens ius mutuationis ad Montem: Mutuatarius autem non habet dominium rei

Digitized by Google

rei mutuandæ: alioquin mutuatio non haberet locum,

6 Deinde, Vt communitas poſſit acquirere dominium, debet habere veram rationem communitatis; vt autem habeatur vera communitas, requiritur quòd plures conueniant vt facientes vnum, vel ſub vno capite, vel ſub aliquibus repræſentantibus talem vnitatem. Pauperes autem non habent veram communitatem propriam ſecùndum aliquam ſpecialem repræſentationem in Republica; & ideo non habent in ſua communitate aut ius aliquod, aut dominium.

7 Vnde exiſtimo, Dominium eſſe apud Rempublicam, tanquam apud eam, ad quam ſpectat cura pauperum. Bona enim Montis ſunt bona communia; quia quilibet de ipſis participare poteſt per beneficium mutui, poſita conditione paupertatis; bona autem communia ſunt ipſius communitatis.

8 Deinde, Qui fundat Montem abdicat à ſe dominium illius; vnde debet tranſire in alium; tranſibit autem in illum, in quem tranſit cura, & adminiſtratio Montis: quia cum ipſo initur tacitus contractus, quo ipſi traditur Mons eo pacto, quo prouenit à fundatore; prouenit autem cum abdicatione dominij: & ideo traditur cum translatione dominij.

9 Neque obſtat, quòd Reſpublica non poſſit ad libitum diſponere de bonis Montis; quia ſi ex hoc ſequeretur quòd non eſſet domina illius, eadem ratione neque communitas pauperum eſſet domina; quia neque ipſa poteſt ad libitum diſponere. Eſt ergo dominium ſupra Montem dominium alligatum ad determinatum vſum rei; quia eſt translatum in Rempublicam cum hac conditione: vt non vtatur bonis ipſius, niſi in vſum mutuationis pro beneficio pauperum. Neque hoc impedit dominium; nam fideicommiſſarius eſt dominus, & tamen non poteſt ad libitum diſponere de fideicommiſſo, ſed tantùm poteſt illo vti.

An Reſpublica, ſeu Princeps poſſit in alios vſus conuertere pecuniam Montis Pietatis.

Deciſio CCIII.

SVMMARIVM,

1 *Reſpublica non poteſt ad libitum conuertere in alios vſus pecuniam Montis Pietatis.*

2 *An ex graui cauſa poſſit conuertere in alios vſus proficuos communitatis.*

3 *Intentio fundantis Montem Pietatis eſt iuuare communitatem.*

4 *Quomodo ſubleuatio pauperum ſit intenta à fũdatore Montis.*

5 *Quænam ſit grauis cauſa, ob quam pecunia Mõtis Pietatis poſſint conuerti in alios vſus.*

1 CErtum eſt Non poſſe ad libitum in alios vſus conuertere, Quia ratione fundationis determinatus eſt vſus illius pecuniç à proprio Domino, & Reſpublica ſeu communitas accipit illam pecuniam cum illa conditione conuertendi in beneficium pauperum, mediãte mutuatione; vnde licet habeat dominium, manet tamen alligata in vſu. Solùm difficultas eſt, an ex aliqua rationabili cauſa poſſit in alios vſus conuertere.

2 Exiſtente autem rationabili, & graui cauſa, puto poſſe Principem, vel Rempublicam in alios vſus talem pecuniam conuertere: qui tamen ſint proficui communitati: non autem in priuatos vſus; Quia nunquam poteſt eſſe rationabile quòd bona deſtinata pro beneficio pauperum conuertantur in priuatos vſus.

3 Ratio autem eſt, Quia cum ad Principem, & Rempublicam ſpectet habere curam ſuorũ ſubditorum, & procurare eorundem commodum, ſpectat etiam ad ipſam habere curam pauperum, & prouidere, vt habeant vnde ſumant mutuum abſque vſura: Hinc qui fundat Montem tradit Reipublicæ, ſeu Principi pecunias, tanquam illi, ad quem ſpectat cura cõmunitatis, & ſpecialiter pauperum; vnde acquirit dominium Montis, prout ad ipſum incumbit cura pauperũ. Ex quo fit, quòd intentio fundatoris Montis ſit iuuare Principem in adminiſtranda communitate, & in eiuſdem commodo procurando; quòd autem ſit limitata intentio ad iuuandum circa curam pauperum, inde prouenit, quia putat in hoc potiùs, quàm in cęteris Principem indigere auxilio; & proinde adeſt interpretatiua voluntas, quòd ſi magis indigeret in cœteris, quæ magis pro conſeruanda communitate ſunt neceſſaria, vellet in ipſis adiuuare. Stante autem hac volũtate interpretatiua, poteſt Princeps, aut Reſpublica ex graui cauſa conuertere pecunias Montis in alios vſus pro communitate: vt ſubueniat neceſſitati ipſius.

4 Deinde; Supponitur fũdatorem Montis habere voluntatem rationabilem in inſtituendo illo Monte: atque adeo velle illud bonum in communitate, quod conſiſtit in ſubleuatione pauperum, cum debita ſubordinatione ad illa omnia, quibus debet ſubordinari; nam ordinata voluntas vult etiam in obiecto debitum ordinem. Secundùm autem voluntatem rationabilem, quando concurrunt maius bonum, & minus bonum, ita vt alterum ex ipſis debeat

cedere:

cedere: debet cedere minus bonum. Et ideo pro obtinendo maiori bono communitatis, quod neceſſarium ſit, & aliter obtineri non poteſt, poterit Princeps conuertere in alios vſus pecunias Montis.

5 Quæres quænam ſit iſta grauis cauſa, ob quam poteſt pecunia Montis in alios vſus cõuerti. Reſp. Pro decernendo quænam ſit grauis cauſa, eſſe conſiderandum ſtatum communitatis, habita ratione omnium circumſtantiarum; Et pro generali regula dici poteſt, Eſſe grauem, & rationabilem cauſam, quando communitas maius detrimentum pateretur, ſi non adiuuaretur pecunia Montis, quàm pateretur, ſi pauperes non haberent beneficium mutui; tunc enim concurrunt duo bona, quorum vnum excludit alterum; & ideo præualere debet maius, tanquam illud, ſine quo communitas magis pateretur. Hæc autem regula applicari debet caſibus particularibus, iudicio prudentis viri.

An Mons Pietatis poſſit aliquid accipere à mutuatarijs in ſui ipſius augmentum.

Deciſio CCIV.

SVMMARIVM:

1 *Mons Pietatis poteſt exponere negotiationi pecunias, quæ ſuperſunt mutuationi.*
2 *Ex pecunijs, quæ ſuperſunt, poteſt mutuari non pauperibus, & exigere compenſationem damni emergentis ex eo, quòd illas non exponat negotiationi.*
3 *Non poteſt Mons accipere aliquid à mutuatarijs in ſui augmentum.*
4 *Nec etiam ratione damni emergentis.*
5 *Poteſt percipere aliquod lucrum ad ſui augmentum ex conſenſu communitatis.*
6 *Quomodo hoc lucrum poſſit eſſe iuſtum.*
7 *Sufficit ad hoc vt iuſtè lucrum percipiatur, conſenſus repræſentantium communitatem.*
8 *Cur communitas in hoc caſu poſſit potiùs obligare mutuatarios, quàm alios.*

1 POſſe Montem Pietatis exponere negociationi pecunias, quæ ſuperſunt mutuationibus, quæ regulariter fieri ſolent pauperibus, exiſtimo certum; Quia hoc non eſt in aliquod præiudicium pauperum: & alioquin vtiliter geritur negotium illius, cuius eſt dominium Montis. Nec eſt contra intentionem fundatoris; quia eius intentio fuit quòd Mons conſeruaretur, & augeretur, ſi fieri poſſet. Vnde per hoc Mons fit magis potens ad mutuandum, ſi opus ſit.

2 Ex hoc autem fit, quòd poſſit pecunias, quæ ſuperſunt mutuationibus, quæ fiunt pauperibus, mutuari etiam non pauperibus, & exigere ab ipſis compenſationem damni emergentis, quod pateretur, quia ipſas non exponeret negociationi; poteſt enim quiſque, vt toties dictum eſt, in mutuando ſe ſeruare indemnem. An autem poſſit à mutuatarijs pauperibus aliquid exigere in augmentum Montis.

3 Negant abſolutè Arragon. 2.2. *tom. de Iuſt. & Iure q. 77. art. 4. dub. De Monte Pietatis*, Leſſius *lib. 2. De Iuſt. & Iure cap. 20. dub. 23. num. 193. in fine.* Medina *quæſt. 10. De Vſuris*, & alij cõmuniter; Quia ſi Mons aliquid exigeret ſupra expenſas, ratione mutui exigeret, atque adeo committeretur vſura: vnde Leo X. in ſua Bulla *in Concil. Later. ſeſſ.* 10. Solùm permittit exigi aliquid moderatum pro expenſis.

4 Salas *tract. De Vſuris dub. 33. num. 10. in fine* ait, quòd ex hoc capite poſſet aliquid vltra expenſas exigi: ſi pecunia negociationi exponeretur, & ratione lucri ceſſantis aliquid moderatum exigeretur. Sed hoc dici non poteſt; quia ſi mutuatarij ſint pauperes, habent ius ad mutuationem; nec cogi poſſunt ad compenſandum lucrũ ceſſans, ſi pecunia negociationi ſit expoſita; imò nec exponi poteſt cum præiudicio mutuatariorum pauperum; hoc enim eſſet fraudare pauperes iure ſuo.

5 Villalobos *par. 2. ſum. tract. 22. difficult. 14. num. 2.* Tunc poſſe Montem augmentum capere ex mutuo ſi omnes qui ſunt de loco, inter ſe conueniant: vt qui mutuum accipiunt à Monte aliquid modicum tribuant Monti, vt augmentum capiat: vt ſubſiſtere poſſit contra fortuitos caſus. Neque in hoc committi vſuram: quia totum fit in commodum eorumdem pauperum. Et citat Arragon. Molinam, & Nauarr. apud quos tamen nihil tale reperi.

6 Hæc doctrina probabilis eſt. Quia quod ſoluitur ſupra expenſas, non ſoluitur ratione mutui, ſed per modum donationis ad augendũ Montem; poteſt autem Mons licitè recipere omnes donationes. Nec obſtat quòd iſta donatio non ſit omnino voluntaria donanti (nam ideo donat, quia obligatur) ſufficit enim, quòd ſit voluntaria communitati.

7 Ex quo fit, quòd non ſit opus, vt omnes & ſinguli ſe obligent ad hanc donationem: ſed ſufficit ſi obligentur ab ijs, qui regunt communitatem; poſſunt enim obligare ſubditos ad ea omnia, quæ concernunt bonum communitatis; concernit autem bonum communitatis, quòd Mons creſcat: vt poſſit meliùs ſubſiſtere contra inopinatos caſus.

8 Hinc poteſt potiùs obligare mutuatarios, quàm alios; quia cum ipſi percipiant commo-

Q dum

dum mutuationis, pertinet potiùs ad ipſos, quàm ad alios procurare vtilitatem Montis; vnde qui plus percipiunt de commodo, poſſunt etiam obligari ad aliquod maius donandum.

An Mons Pietatis inſtitutus pro pauperibus loci poſſit pauperibus aduenis mutuari, dum ibi manent.

Deciſio CCV.

SVMMARIVM.

1 *Mons Pietatis pro pauperibus loci inſtitutus non poteſt mutuari aduenis pauperibus dum ibi manent.*
2 *Si tamen mutuatio non ſit in præiudicium pauperum loci, poteſt mutuari.*

1 RESp. negatiuè. Nam licet peregrini gaudeant priuilegijs loci, non tamen gaudent priuilegijs certarum perſonarum loci; vnde mercator aduena non gaudet priuilegijs mercatorum loci. Sunt enim hæc priuilegia perſonalia, non localia; & ideo non ſe communicant cum communione loci, ſicut ſe communicant localia. Aduenæ autem habent ſolam communionem localem.

2 Hoc tamen eſt limitandum, quando Mons non poteſt mutuari aduenis ſine præiudicio pauperum loci; quia ſi ſuperabundat pecunia mutuationibus neceſſarijs pro pauperibus locis; tunc poteſt etiam pauperibus aduenis mutuari.

De Penſione.

An Reſeruatarius cedens, durante propria vita, alicui penſionem pro certa ſumma pecuniæ poſſit in aliqua Religione profiteri.

Deciſio CCVI.

SVMMARIVM.

1 *Quid faciat pro parte negatiua.*
2 *Poteſt ingredi Religionem: quia non cedit ius diſponendi de ſeipſo.*
3 *Promiſſio de non ingrediendo Religionem, an teneat.*
4 *Quærere proprium commodum, quando per accidens ſequitur damnum alterius, an licitum.*
5 *Duratio vitæ debet accipi ſecundùm ſubiectam materiam.*
6 *Emiſſio profeſſionis in Religione comparatur morti naturali.*
7 *Quod eſt ſecùndum regulas charitatis, & iuſtitia vniuerſalis non poteſt eſſe contra iuſtitiam particularem.*
8 *Præiudicium dicit aliquid continens iniuſtitiam.*
9 *Potens præuidere, & non cauens, cenſetur tacitè admittere.*
10 *Quod iuſtè conſequitur ex aliquo bono, non eſt malum, etiam ſi alteri incommodum.*
11 *Obligatio eſt accipienda ſecundùm ſubiectam materiam.*

1 SVpponimus ceſſionem penſionis alioquin eſſe validam, & nullum ius reſeruatario fuiſſe ſeruatum, ſed totum validè tranſiſſe ad ceſſionarium, quod ſibi acquiſiuit in virtute ceſſiónis factę pro precio, quod cenſebatur cōgruum tali pēſioni. Dubitatur ergo an in tali caſu poſſit Reſeruatarius ingredi Religionē, & in ipſa profiteri. Ratio dubitandi eſt, Quia talis ingreſſus, eſt in pręiudicium alterius; vnde cum non ſint facienda mala, vt eueniant bona, non debet talis, vt de bono Religionis ſibi conſulat, inferre damnum alteri. Deinde. Obligauit, precio accepto, pēſionem quoadusque propria vita duret. Ergo tenetur ex iuſtitia quoadusque viuit illæſam penſionem ſeruare.

2 Hoc tamen non obſtante, Reſpondendum eſt poſſe ingredi Religionem, & in ea profiteri. Ratio eſt, quia in dicto contractu ceſſit tantùm ius ad exigendum fructus penſionis, non autem ius diſponendi liberè de ſeipſo; vnde poteſt vti iure ſuo, & de ſeipſo diſponere, vt vult; & qui hoc vellet impedire faceret contra iuſtitiam; quia prætenderet in ius alienum.

3 Adde, quòd ſi pactum inijſſet de non ingrediendo Religione, adhuc poſſet ingredi: quia promiſſio facta non teneret. vt deſumitur ex Rota *Deciſ. 129. num. 2. & 3. par. 1. Recent.* Eſſet enim huiuſmodi promiſſio de re illicita; quia eſſet promiſſio de non procuranda propria ſalute per ea media, ad quæ Deus inſpirat: & eſſet impeditiua maioris boni.

4 Inſuper poteſt vnuſquiſque procurare proprium commodum, & auertere à ſe malum, etiam ſi ex hoc ſequatur damnum alterius; quia hoc damnum naſcens ex proprio commodo licitè volito eſt præter intentionem, & per accidens ſe habens; vnde poteſt reparare ne flumen inundet proprios agros, etiam ſi ex hac reparatione ſequatur inundatio alieni agri. Vnde multò magis poteſt quærere propriam ſalutem per ingreſſum Religionis etiã

ſi ex

Digitized by Google

ſi ex hoc ſequatur aliquod damnum temporale alteri.

5 Prætetea, cum per emiſſionem profeſſionis extinguatut ius, quod teſeruatatius habet ad exigendam penſiouem, non facit contra pactum; quia ceſſit tautùm huiuſmodi ius, quandiù apud ſe maneret: non autem promiſit, quòd non foret extingueudum: & iu eontractu non fuit cautum, quòd non foret extinguendum; & ideo appoſita fuit particula *Durante vita*, in ordine ſcilicet ad ſuſtiuendum ius exigendæ penſionis; atque adeo debet intelligi de duratione vitæ non ſolùm uaturalis, ſed etiam ciuilis; quia eſt accipieuda iuxta cauſam, ob quam appoſita eſt; & pro hoc facit l. *Actione §. Morte vnius. ff. Pro ſocio.*

6 Et in Iure profeſſio intra Religionem æquiualet morti naturali. Hinc quod iutis eſt circa dotem, & donationem propter uuptias in motte naturali, idem eſt in morte ciuili pet profeſſionem in Religione. *C. de Epiſc. & Cler. §. vltima.* Cum igitut finiatur vita teſeruatarij in ordine ad manutenendum ius ceſſionarij ad percipiendos fructus penſionis, & finiatur iuxta couditiouem appoſitam in contractu (quia in ordine ad beueficia, & penſiones uedum conſideratur vita uaturalis, ſed etiam ciuilis) ideo ceſſionario non remanet ius contra teſeruatatium; ueque patitur aliquod præiudicium: ſed ſecundùm quod conueuerat, cadit iurè exigendi fructus penſionis.

7 Deniq. Agit cnm ceſſionario eo pacto, quo agit cum ſeipſo; nam ſeipſum quoque abdicat bonis temporalibus, vt ſe Deo dedicet; vnde ſeruat cum ipſo regulas charitatis; quia non facit ipſi quod non vnlt ſibi ipſi; quod autem eſt ſecùndum regulas charitatis, eſt etiam ſecùndnm præſcriptionem inſtitię, prout eſt virtus quædam generalis; & quod eſt ſecundùm præſcriptionem iuſtitiæ, vt eſt quædam virtus generalis, non poteſt eſſe contra iuſtitiam, vt eſt virtus quædam particularis.

8 Ad primam autem rationē dubitandi. Reſp. talem ingreſſum Religionis nou eſſe præiudiciale ceſſionario; quia præiudicium importat aliquid iniuſtum: per hunc autem ingreſſum Religionis non læditur ceſſionarius in aliquo iure: ſed iuxta formam contractus extinguitur; quia, vt diximus, emiſſio profeſſionis comparatur morti naturali; & ideo verificatū manet quòd durante vira reſeruatarij habuerit ceſſionatius ius exigeudi fructus penſionis.

9 Adde, quòd potuit ceſſionarius præuidere poſſe teſetnatarium ingredi Religionem, & ſic penſionem fore extinguendam: atque adeo potuit, quò ad hoc, aliquam cautionem adhibere, ſi caſus ſupetueniret. Vnde cum non adhibuerit, cenſetur tacitè couſenſiſſe extinctioni penſionis etiam per iugreſſum in Religiouem.

10 Neque verum eſt quòd fiant mala, vt eueniant bona; quia tantùm fit aliquod bouum, ex quo alter priuatur tantùm aliquo commodo temporali: quod non eſt aliquod malum, quod ſit peccatum; quia talis priuatio iuſtè conſequitur ex tali bono, & ſecundùm præſcriptionem contractus celebrati.

11 Ad ſecundam: Talem obligatiouem eſſe accipiendam iuxta ſubiectam materiam: atque adeo debet intelligi de duratione vitæ in ordine ad ius penſionis: vt autem duret vira in ordine ad ius penſionis, debet durate nedum naturaliter, ſed etiam ciuiliter; per emiſſionē autem profeſſionis extinguitur ciuiliter. Vbi aduerte quòd obligauit fructus penſionis durante vita, non autem obligauit durationem vitæ ciuilis quoaduſque duraret naturalis.

An penſio poſſit vendi, & redimi abſque ſimonia.

Deciſio CCVII.

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmatiua.*
2 *Ius penſionis cur temporale ſecùndum aliquos.*
3 *Quid concedatur laicis quando conceduntur decimæ.*
4 *Penſio non poteſt vendi, aut redimi, ſi ſit clericalis.*
5 *Quænam ſit penſio clericalis.*
6 *Ius penſionis eſt ius perſonæ ſpiritualis, & ſuo modo ſpirituale.*
7 *Ius ad decimas, & ad penſionem conuenit perſonæ, quia inſeruit Eccleſiæ.*
8 *Ius penſionis eſt annexum dignitati clericali.*
9 *Penſio clericalis non extrahitur à titulo ſpirituali.*
10 *Quomodo habitus clericalis ſe habeat ad Penſionem.*
11 *Quomodo etiam obligatio recitandi officium Beatæ Virginis.*

1 AFfirmant Caiet. *tom. 1. Opuſcul. tract. 31. Reſp.* 10. Nauar. *in ſum. Hiſp. cap.* 25. *num.* 114. Medina 1. *ſum. cap.* 14. §. 22. Sanchez *tom.* 1. *Opuſc. lib.* 2. *cap.* 3. *Dub.* 46. vbi aſſerit ita etiā ſentire multos doctos Recentiores, & ſequitur Diana *par.* 4. *Moral. Reſol. trac.* 4. *Miſcellan. Reſolut.* 153. Quibus etiam fauere videtur Panor. *cap. Ad audientiam. De reſcriptis num.* 2. vbi dicit, penſionem eſſe quid temporale. Excipiunt tamen penſiones, quæ dantur in titulum beneficij pro aliquo miniſterio ſpirituali.

Q 2 a Prob.

2 Prob. Quia ius penſionis eſt omnino tempo-
rale nihil habens ſpiritualitatis: cum ſit tan-
tùm obligatio ad beneficiarium, vt ſoluat tale
onus, & reſpiciat tantùm fructus beneficij.
3 Secundò. Quia penſio poteſt etiam laicis con-
cedi, ſicut etiam conceduntur decimæ; quia, vt
ait D. Thom. 2. 2 *quæſt.* 100. *art.* 4. *ad* 3. tunc non
conceditur aliquod ius ſpirituale, ſed tantùm
res aliqua temporalis, nempe tēporalis actio
circa fructus penſionis, & decimarum. Et per
accidens eſt quòd penſio habeat annexum o-
nus recitandi Officium Beatæ Virginis & ha-
bitum clericalem.
4 Sed negatiuè reſpondendum eſt: cum Hen-
riquez *lib.* 13. *ſum. cap* 13. *num.* 2. Arragon. 2. 2.
quæſt. 100. *art.* 4. Couarr. 2. *par. cap.* 3. §. 3. *num.*
3. Gigant *De Penſion. quæſt.* 14. Candelab. *Sa-
cram Append cap.* 1. *num.* 33. Beia *caſu* 37. *par.*
1. *ver. Tum quia ſecundum* Nauar. *in Sum. Latina
cap.* 23. *num.* 111. & *lib.* 5. *Conſ Tit.* 3. *De Simon.
Conſil.* 63. Salzedo *ſuper ecp.* 91. *pract.* Rebuf.
De Pacifica pſſiſſ. num. 134. Adrian. *quodlib.* 9.
ad 5. *princip.* Maior. *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 5. Lopez
1. *par. Inſtruct. cap.* 303. Manuel. 2. *tom. Sum. cap.*
63. *num.* 1. 2. & 3. Corduba *lib.* 1. *quæſt.* 21. §.
Item. Garzia *De Benefic. par.* 1. *capit.* 5 *num.* 20.
Suarez *tom.* 1. *De Religione lib.* 4. *cap.* 26. *num.* 8.
Leſſio *De Iuſt. & Iure lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 22. *in-
nit.* Naldo *in Sum. Verbo* Penſio *num.* 10. Franci-
ſco Ripa *Conſult.* 4. *poſt tract. de Simon.* Rota
Deciſ. 129. *par.* 1. *Recentior.*
5 Hoc autem intelligi debet de penſionibus
Clericalibus, quæ dantur titulo Eccleſiaſtico,
hoc eſt, ex eo quòd perſona eſt intra ordinem
Eccleſiaſticum conſtituta per clericalem ton-
ſuram; vnde etiam obligatur ad recitandum
Officium B. Virginis.
6 Ratio autem eſt. Quia licet penſio non det
ius ad beneficium, ſed tantùm ad fructus be-
neficij: adhuc tamen hoc ius ad fructus pen-
ſionis eſt ſpirituale; quia eſt ius receptū ſpiri-
tuali modo; nam recipitur à Clerico, quatenus
perſona Eccleſiaſtica habente ius ad partici-
pandum in bonis Eccleſiæ; vnde ſi non adſit
dignitas Clericalis, aut ſi Clericus ſit excom-
municatus, aut interdictus, aut ſuſpēſus, pen-
ſio collara eſt nulla; vnde tale ius nedum eſt
annexum rei ſpirituali, nempe Clericali di-
gnitati, ſed etiam ſuo modo ſpiritualizatur;
quia fit proprium perſonæ ſpiritualis intra
ordinem ſpiritualem; & ſicuti recipiens ius,
per modum perſonæ ſpiritualis recipit: ita
etiam ipſum ius per modum ſpiritualis reci-
pitur.
7 Deinde ius ad decimas ideo abſque Simo-
nia non poteſt vendi, licet reſpiciat ſolos fru-
ctus terræ, qui ſunt aliquid merè temporale;
quia eſt ius perſonarum inſeruientium Eccle-
ſiæ, & idcirco manet in ordine ſpirituali; ſed
etiam ius penſionis eſt ius perſonæ inſeruiē-
tis Eccleſiæ: quia eſt ius Clerici, quatenus
Clericus eſt, atque adeo perſonæ addictæ ſer-
uitio Eccleſiæ; vnde fundatur in dignitate
Clericali, ſine qua non ſubſiſtit, poſt Conſtitu-
tionem Pij V.
8 Hinc ad primum in oppoſitum, Patet ius
penſionis nō eſſe omnino temporale, ſed om-
nino annexum rei ſpirituali, nempe dignita-
ti Clericali: & ipſum quoque ſuo modo ſpiri-
tuale eſſe: quia eſt Ius, quod in ordine ſpiri-
tuali habet perſona ſpiritualis.
9 Cum verò in ſecundo dicitur, Quòd penſio
poteſt concedi etiam laicis, ſicuti concedun-
tur decimæ; eſt diſpar ratio, ac in caſu noſtro.
Quia tunc penſio, & decimæ extrahuntur à ti-
tulo, & officio ſpirituali; & Ideo totum, quod
conceditur laico, euadit temporale, nec ſubij-
citur alteri titulo ſpirituali; in noſtro autem
caſu licet penſio Clericalis extrahatur ab of-
ficio ſpirituali, & etiam ab illo titulo parti-
culari, cui ſubditur beneficium: non tamen
extrahitur à titulo vniuerſali dignitatis Cle-
10 ricalis, qui eſt titulus ſpiritualis. Vnde fal-
ſum eſt quòd habitus & dignitas Clericalis ſit
per accidens, & concomitanter annexa pen-
ſioni: ſed per ſe requiritur vt fundans ius pen-
ſionis, & habilitans perſonam ad participan-
11 dum in bonis Eccleſiaſticis. Sic etiam recita-
tio officij B. Virginis eſt annexa vt miniſte-
rium, quod debet perſona Eccleſiaſtica præ-
ſtare, tanquam pars Eccleſiæ ſuſtinens in ſeip-
ſa quoque obligationem, quam titulo grati-
tudinis habet Eccleſia erga eos, quorum bonis
fruitur.

Quænam penſiones in particulari non poſſint vendi, aut redimi.

Deciſio CCVIII.

SVMMARIVM.

1 *Penſio ex renunciatione beneficij non poteſt ven-
di, aut redimi.*
2 *Quæ cauſa reddat penſionem iuſtam in renun-
ciatione beneficij.*
3 *Penſio aſſignata in alimentum clerico pauperi,
non poteſt vendi, aut redimi.*
4 *Penſio reſeruata in commutatione beneficij, aut
reſignata in compenſationem beneficij non po-
teſt vendi, aut redimi.*
5 *Huiuſmodi penſio eſt pro compenſatione rei ſpi-
ritualis.*
6 *Cum aliqui ſibi inuicem beneficia reſignant, non
ſolùm commutantur perſonæ ſub beneficijs, ſed
etiam*

etiam beneficia in perſonis.

7 *Penſio ſupra pinguius beneficium reſeruata compenſat fructus tenuioris commutati.*

8 *Quid doceat Cap.* Ad quæſtionem, De rerum permutatione.

9 *Penſio non poteſt inſtitui, aut transferri intuitu precij.*

EX dictis in *Deciſione præcedenti* colligitur reſolutio circa penſiones in particulari, an ſcilicet poſſint vendi, aut redimi. Vnde

1 Primò. Penſio, quæ aſſignatur renuncianti beneficium, quacunque ex cauſa fiat renunciatio, non poteſt vendi, aut redimi ſine ſimonia: vt docent omnes auctores *Deciſ. præcedenti* relati pro poſteriori ſent. & inſuper Soto 9. *de Iuſt. & Iure quæſ.* 7. *ar.* 2. & Victoria *Relect.* 1. *de Simon. num.* 49: licet oppoſitum quoque putet probabile contra Auctores prioris ſentent. in Deciſ. *præced.* & ſpecialiter Sanchez *citat. dub. num.* 13. & Dianam. Ratio autem eſt, Quia licet penſio detur non ad exercendum aliquod miniſterium ſpirituale, ſed vt alimentum; adhuc tamen datur titulo ſpirituali; quia datur titulo Clericatus: cum ratione dignitatis Clericalis ſint ipſi debita alimenta ex bonis Eccleſiæ.

2 Quod magis verum eſt, quia penſio debet poni ex iuſta cauſa; Clericus autem renuncians beneficium, & reſeruans ſibi penſionem pro alimento, habet iuſtam cauſam ex eo, quòd tanquam perſona Eccleſiaſtica habet ius ad participandum in bonis Eccleſiæ, & in bonis talis determinati beneficij: quia exercuit ſpirituale miniſterium annexum beneficio; vnde etiam ex hoc capite penſio fundatur in titulo ſpirituali.

3 Secundò. Penſio, quæ datur Clerico pauperi in alimentum, non poteſt vendi, aut redimi abſq; Simonia. Ita Auctores ſecundæ ſententiæ *in Deciſ. præced.* & ſpecialiter Victoria *num.* 51. *citata Relect.* contra Sanchez, & Dianam, & alios pro priori ſententia relatos *in anteced. Deciſ.* Quia licet talis penſio non detur pro aliquo miniſterio ſpirituali, datur tamen titulo ſpirituali, nempe intuitu dignitatis clericalis; & ideo Trident. *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. *de Reformat.* ſtatuit ne huiuſmodi penſio, ad cuius titulum Clericus ordinatur, poſſit etiam remitti ſine licentia Epiſcopi: quam non poteſt concedere, niſi Clericus aliunde habeat vnde viuat. Quod ſatis indicat frui tali penſione titulo dignitatis Clericalis.

4 Tertiò. Cùm quis commutat beneficium pinguius cum tenuiori, & reſeruat ſibi penſionem ſupra pinguius: aut cum reſignans alteri beneficium, recipit ab ipſo penſionem, quam ſupra aliud beneficium obtinebatur, adhuc huiuſmodi penſiones vendi, aut redimi non poſſunt abſque ſimonia. Ita Victor. *citata Relect. num.* 53. cum Auctoribus poſterioris ſententia in *Deciſ. præced.* contra Sanchez, & Dianam, & alios pro *priori ſententia ibid.* relatos.

5 Ratio eadem eſt, Quia adhuc huiuſmodi penſio fundatur in titulo Clericatus: atque adeo datur intuitu dignitatis ſpiritualis. Quod inſuper conſtat, quia talis penſio datur pro compenſatione rei ſpiritualis, nempe beneficij; quod neque à Pontifice fieri poſſet, ſi penſio eſſet res temporalis; quia temporale, vt pecunia, non poteſt commutari cum ſpirituali, neq; etiam auctoritate Pontificis: cum ſit iure diuino prohibitum.

6 Neque dici poteſt, commutari perſonas: vt qui habebat beneficium habeat penſionem, & e contra; quia talis commutatio fit in ordine ad habendum beneficium, atque penſionem: atq; adeo cum tranſlatione iuris; vnde ſimul, & ſemel fit cõmutatio beneficij, & penſionis.

7 Neque item dici poteſt: non fieri commutationem; quia ſibi reſeruare penſionem eſt tantùm non dare integros fructus; Tum quia hoc non habet locum quando pro penſione datur beneficium cum omnibus fructibus; Tum quia etiam penſio ſupra pinguius beneficium reſeruata concurrit ad compenſandos fructus tenuioris beneficij: qui cum ſint annexi rei ſpirituali, nempe beneficio, penſio quoque annectitur, ex vitalis communationis, rei ſpirituali, & detrahitur pinguiori beneficio in compenſationem tenuioris; vnde concurrit ad ponendam æqualitatem inter res, quæ ſunt materia ſimoniæ, & annectuntur rei ſpirituali.

8 Nec aliquid in oppoſitum habetur ex Cap. *Ad quæſtionem De rerum permutatione*: quia ibi tantum docet Pontifex quòd liceat mutare beneficia cum beneficijs, & fructus cum fructibus; ex quo non colligitur quòd fructus beneficiorum non ſint materia ſimoniæ abſolutè: ſed tantùm, quòd non ſint res ſpirituales & per ſe materia ſimoniæ; ſunt tamen ex eo, quòd adhærent rei ſpirituali; videlicet aut beneficio, aut dignitati clericali. Non vult autem Pontifex eodem cõtractu commutari beneficia, & fructus. quando ad compenſandam inæqualitatem fructuum concurrit precium; quia ſi eſſet idem contractus, precium daretur etiam pro beneficio.

9 Quartò. Penſio neque poteſt conſtitui, neque transferri intuitu pecuniæ; quæ tanquam precium ſoluatur pro tranſlatione, aut conſtitutione penſionis. Ita omnes Auctores tam priori, quam poſteriori loco *in præcedenti Deciſ.* allati, & ſpecialiter Nauar. *lib* 3 *Conſil. Tit. De prabend. Conſil.* 54. & *in Summ. Hiſp. cap* 25. *num.* 114. & Sanchez *tom.* 1 *Conſil Moral. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 46. *num.* 18. Et præter generalem

rationem: quòd penſio Clericalis fundatur in titulo ſpirituali; adeſt etiam ſpecialis; quia videlicet tunc pecunia reſpicit actionem fundandi, & transferendi penſionem; hæc autem actio eſt annexa rei ſpirituali, nempè auctoritati ſpirituali fundandi & transferendi penſionem; & licèt pactum non fiat cum Pontifice, ſed cum eo, qui poſſidet beneficium, adhuc tamen qui ſic paciſcuntur, paciſcuntur de obtinenda illa actione à Pontifice; atque adeo ipſa quoque cadit ſub pactum.

Quo iure ſit vetitum præfatas penſiones vendere, aut redimere.

Deciſio CCIX.

SVMMARIVM.

1 *Penſiones vendere, aut redimere eſt vetitum iure diuino.*

2 *Quid dicat penſio, & quomodo participet de ſpirituali.*

3 *Cur poſſit penſio remitti, non autem redimi.*

4 *Quomodo penſio euadat materia ſimoniæ contra ius diuinum.*

5 *Quomodo poſſit Pontifex concedere facultatem redimendi, & vendendi penſiones.*

1 RESp. ſtante conſtitutione Pij V. eſſe vetitum iure diuino. Vt docent Valent. *tom.* 3. *diſput.* 6. *quaſt.* 16. *puncto* 2. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 22. Suarez *tom.* 1. *De Relig. lib.* 4. *cap.* 26. *nu.* 8. Bonac. *quaſt.* 4. *De Simon.* §. 3. *Propoſ.* 2. *num.* 4. Et deſumitur ex ijs, quæ habent Viualdus *in Append. ad Candelab. cap.* 1. *num.* 33. Lopez *in Inſtruct. conſcient. tom.* 1. *c.* 303. Beia *in Reſponſion. caſu* 37. Rodriquez *in ſum. tom.* 2. *cap.* 21. *num.* 7. & 8. Mandoſ. *Reg.* 19. *Cancel. quæſt.* 1t. *nu.* 11. & *De ſignat. Grat. tit. de Penſion. ver. Nos loquimur.* Hieron. Gabr. *Conſil.* 191. *num.* 8. *lib.* 2. Guerrero *cap.* 61. Reboan. *De ſpolijs. cap.* 14. §. *Ex his. num.* 6. Garzia *De Benef. par* 1. *cap.* 5. *nu.* 17. & *ſequentia.* Azor. *tom.* 3. *lib.* 12. *cap.* 13. *q.* 4. Imò Nauarr. *Conſil.* 60. 61. 62. & 63. & in *Manuali cap.* 23. *num.* 111. afferit in iure quoq. antiquo id locum habere.

2 Ratio huius deciſionis eſt, Quia tunc ſimonia eſt contra ius diuinum, quando verſatur circa aliquid ſpirituale per ſe, aut aliquid quod participat de ſpirituali, vt ſunt beneficia; Penſio autem eſt aliquid participans de ſpirituali, quia non dicit ſolos fructus, qui percipiſtur ex beneficio, ſed etiam ius fundatum in miniſterio ſpirituali, nempè in recitatione officij B. Virginis: ad quam obligãtur, qui gaudent penſionibus; & hoc pacto addicũtur ſpirituali miniſterio, & conſurgit in ipſis ius ſpirituale: & hoc ius cederet ſub venditionem, aut redemptionem. Deindè etiam obligatio illa ad recitandum Officium B. Virginis eſt ſpiritualis, & transfertur quando venditur penſio, aut extinguitur quando redimitur.

3 Neque obſtat, quòd poſſit quis remittere penſionem, & ita ipſam extinguere; quia in hoc non interuenit contractus aliquis, in quo commutentur ſpiritualia cum temporalibus; ſicuti interueniret, ſi quis pecunia redimeret penſionem, aut aliqua alia re pecunia appretiabili; licet enim ius penſionis non transferretur in alium, extingueretur tamen intuitu pecuniæ, & in commodum alterius: vnde adhuc appreciaretur pecunia.

4 Et licet penſio, quantum eſt de ſe, non ſit materia ſimoniæ contra ius diuinum, (alioquin non poſſent ſuper beneficijs Eccleſiaſticis fundari penſiones laicales) ratione tamen Conſtitutionis Pij V. per quam eriguntur in titulum clericalem, cum obligatione ſpirituali in ordine ad officium ſpirituale, euadunt materia ſimoniæ contra ius diuinum.

5 Ex quibus deducitur, Quòd quando Pontifex concedit facultatem vendendi, aut redimendi huiuſmodi penſiones: facultas iſta verſatur tantùm circa fructus, quos extrahit à titulo ſpirituali, cui erant annexi; & ideo per mutationem materiæ facit vt quòd erat materià ſimoniæ, non ſit ampliùs materia ſimoniæ. quod præſtare poteſt; quia in tantùm erant materia, in quantùm erant annexi titulo ſpirituali; hæc autem annexio poteſt tolli à Pontifice, ſicuti ab ipſo poſita fuit.

An pro certa ſumma pecuniæ poſſit quis cedere penſionem, durãte propria vita, alteri, nullo iure ſibi reſeruato, ad habendum, tenendum, & liberè diſponendum, conſtituendo ipſum perpetuum & irreuocabilem procuratorem, cum facultate expreſſa caſſandi penſionem anticipatis ſolutionibus.

Deciſio CCX.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia.*

2 *Ceſſio, mediante precio, eſt venditio.*

3 *Ceſſio, vltra triennium, requirit beneplacitum Apoſtolicum.*

4 *Ceſſio penſionis modo propoſito poteſt fieri, quia*

quia non ceditur Ius penſionis.

5 *Particula* Durante propria vita *reſtringit vt ius remaneat apud penſionarium.*

6 *In hac ceſſione conceditur tantùm ius exigendi fructus.*

7 *Commoditas penſionis poteſt cedi abſq; ſimonia.*

8 *Si cedatur commoditas penſionis, ceſſionario proueniunt fructus ſine iure penſionis. Et quando intelligantur deuoluti ad ceſſionarium.*

9 *In huiuſmodi ceſſione quodnam ius transferatur.*

10 *In ceſſione commoditatis penſionis, quæ fit precio, non venditur ius penſionis.*

11 *Quæ locatio rerum Eccleſiaſticarum requirat beneplacitum Apoſtolicum.*

12 *Intentio Pontif. prohibentium locationem, & alienationem rerum Eccleſiaſticarum non habet locum in huiuſmodi ceſſione penſionum.*

13 *An præfata ceſſio ſe extendat ad tempus futurum.*

1 NEgatiuè reſpondent nonnulli Recentiores cum Leſſio *lib. 2. cap. 35. dub. 22. num.* 122. Nauar. *conſi.* 11. *de Rebus Eccleſ. non alien.* quia in huiuſmodi ceſſione transfertur totum ius; vnde etiam transfertur illud ſpirituale, quod eſt fundamentum fructuum penſionis.

2 Secundò, Quia venditur penſio in huiuſmodi contractu; nam ceſſio, mediante precio, eſt venditio: l. *Cum his ff. de Fidei iuſſ.* Seraph. *deciſ.* 172. *num.* 2. Rota *deciſ.* 492. *num.* 3. *par.* 2. *Recent.*

3 Tertiò, Si ceſſio fiat vltra triennium, requiritur beneplacitum Apoſtolicum: alioquin contractus eſt nullus: Extrauag. *Ambitioſæ de Rebus Eccleſ. non alienand.* & *in* 6. *cap.* 2. *eodem tit.* & Clement. 1. *eodem tit.* Rota *deciſ.* 631. *par.* 2. *Recent.* Rodoan *de Alien. rer. Eccleſ. quæſ.* 14. *num.* 4.

4 His tamen non obſtantibus, Reſpon. cum Bonacin. *quæſ.* 4. *de Simon.* §. 13. *propoſ.* 2. *nu.* 15. Poſſe fieri huiuſmodi ceſſionem abſque vlla ſimonia; quia in ea non ceditur ius penſionis; ſed tantùm fructus; quod ex eo patet: quia conſtituuntur tantùm procuratores ad exigendos fructus ij, quibus fit ceſſio; vnde exigunt fructus nomine penſionarij, non autem nomine proprio; ex quo manifeſtè patet, quòd ius penſionis remanet apud penſionarium.

5 Deinde, Penſionarius cedit penſionem durante propria vita; vnde penſio ſtat in vigore iuxta vitam penſionarij: hoc autem clarè indicat ius penſionis, non obſtante hac ceſſione, remanere apud penſionarium, & conſequenter cedere tantùm fructus.

6 Rursùs. Quòd quis conſtituatur irreuocabilis procurator, nō operatur niſi ſecundum naturam penſionis: & nihil aliud eſt, niſi concedere facultatem exigendi fructus, quamdiu poterunt exigi à penſionario. Ergo primarium ius exigendi fructus remanet apud penſionariū; & ſi in ipſo extinguitur, in procuratore ēt extinguituur, qđ ſignū eſt non fuiſſe translatū.

7 Quòd autem abſque vlla ſimonia poſſit cedi commoditas penſionis ſeu fructus, remanente iure penſionis apud cedentem, docent Nauar. *Conſil.* 62. *de ſimon.* Ripa, *tract. de ſimon. par.* 1. *art.* 4. *num.* 34. *& ſequent.* Garzia *par.* 1. *De Benefic. cap.* 5. *num.* 29 *& par.* 2. *cap.* 1. *num.* 38. Naldus *in ſumm. Verbo* Penſio *num.* 10. Azor. *par.* 2. *lib.* 8. *cap.* 10. *quæſt.* 11. & *cap.* 11. *quæſt.* 2. *&* 14. Zerola *in praxi Verbo* Alienatio §. 3. *concluſ.* 10. Filiuccius *tract.* 42. *cap.* 9. *quæſt.* 8. *num.* 14. & *quæſt.* 14. *num.* 20. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 26. *num.* 9. *&* 17. Bonac. *quæſt.* 4. *de ſimon.* §. 13. *propoſ.* 2. *num.* 13. & alij. Et ratio fauet, Quia commoditas penſionis ſeu fructus ſunt aliquid temporale.

8 Nec obſtat cap. *Si quis obiecerit.* 1. *quæſt.* 3. quia dum dicitur, quòd qui vnum vendit, ſine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditū derelinquit: non ſumus in caſu; nam licet fructus non proueniant penſionario ſine titulo penſionis, proueniunt tamen ſine titulo penſionis illi, cui ceditur commoditas penſionis; quia exigit fructus tanquam procurator penſionarij: atque adeo non iure proprio, ſed iure illius; & ſolùm poſtquam ſunt exacti, atque adeo ſub dominio penſionarij: fiunt procuratoris in virtute præcedentis contractus. Et hoc modo penſionarius, cedit ius ſuum procuratori, quod habet ſupra fructus, de quibus liberè poteſt diſponere; nec priùs cedit, quàm illos poſſideat: quia cenſetur tantùm cedere poſtquam fuerint exacti à procuratore. Vnde in illo contractu duo interueniūt, conſtitutio procuratoris ad exigendos fructus, & ceſſio ipſorum fructuum iam exactorum.

9 Hinc. Ad primum Reſpondendum eſt trāſferri totum ius ſupra fructus, quod ſingulis vicibus acquirit penſionarius, quibus ſoluitur penſio; & hoc ſignificant particulæ: *Nullo iure ſibi reſeruato, &c.* per quas obligatur, vt nihil poſſit ampliùs diſponere in ordine ad fructus penſionis: ſed tenetur ſinere pēſionem currere eo modo, quo currit; hoc autem ius nō eſt ius penſionis ſpirituale, ſed ius temporale acquiſitum ſupra fructus. Et quòd hæ particulę reſpiciant tantùm fructua penſionis, conſtat ex ſubſequentibus declarantibus, quòd conſtituatur procurator: quibus ad hoc determināitur. Nam ſi cederetur ius pēſionis, nō opus eſſet quòd, tanquam procurator, is cui fit ceſſio, exigeret fructus: ſed poſſet exigere nomine proprio. Et ſimiliter etiam facultas caſſandi penſionem anticipatis ſolutionibus reſpicit tantùm fructus: qui ſicuti conceduntur ſingulis annis, ſi vita penſionarij durauerit, ita etiam

is, cui

Digitized by Google

is, cui fit ceſſio, poteſt, perceptis aliquibus anticipatis ſolutionibus, cedere ius, quod habet conditionatè ſupra futuros fructus: ſi videlicet vita penſionarij durauerit.

10 Ad ſecundum. Conceſſo quòd ceſſio, quæ fit mediante precio, ſit venditio, negamus vẽdi penſionem; quia ius pẽſionis remanet apud penſionarium: ſed tantùm venduntur fructus: vt explicatum eſt.

11 Ad tertium. Illos textus non loqui de ceſſione penſionis, ſed de locatione beneficiorũ, & alienatione rerum Eccleſiæ quocunque modo; vnde non debent extendi ad penſiones, (cum odioſa reſtringenda ſint) præſertim quia fructus penſionis non ſunt aliquid Eccleſiaſti-
12 cum, cum ſint quid merè temporale. Deinde alia eſt ratio de huiuſmodi ceſſione penſionum; Nam cum ceſſet moriente penſionario, Eccleſia nihil damni ex ipſa patitur. Intentio autem Pontificum in illis ſanctionibus eſt prouidere vtilitati Eccleſiæ, & auertere damnum, quod ipſi proueniebat ex eo, quòd res Eccleſiæ alienarentur, aut locarentur. Vnde etiam loquuntur de rebus, quæ permanent, nec vſu conſumuntur; at fructus penſionis con-
13 ſumuntur. Adde quòd huiuſmodi ceſſio penſionis non ſe extendit ad plures annos abſolutè; quia cum ſit conditionata, ſi videlicet vita penſionarij durauerit, non habet vim, niſi poſita conditione; & ideo habet vim tantùm de præſenti, quando iam fructus ſunt de iure penſionarij.

De Teſte præſertim ſingulari.

An teſtis legitimè interrogatus poſſit non reſpondere, ſi ſciat ſe eſſe inhabilem.

Deciſio CCXI.

SVMMARIVM.

1 *In quo fundetur ius iudicis interrogandi teſtes.*
2 *Teſtes, qui non debuerunt examinari, non faciunt iudicium.*
3 *Cur inimicitia poſſit obſtare teſtificationi.*
4 *Teſtis à iure repulſus non tenetur reſpondere iudici.*
5 *Ceſſat ius iudicis ſupra teſtem à iure repulſum.*
6 *Teſtis à iure repulſus non debet præſupponere iudicem interrogare ſecundum ius.*
7 *Sententia iudicis quando neceſſaria.*
8 *Teſtis inhabilis, cui ius non reſiſtit, ſed non aſſiſtit, tenetur reſpondere.*
9 *Teſtes inhabiles faciunt aliqualem probationem, & indicium.*
10 *Faciunt præſumptionem, & quare.*
11 *Teſtis inhabilis non repellitur, quando ſufficit leuis probatio.*
12 *Quibus deſeruiat teſtis inhabilis.*
13 *Quinam teſtis inhabilis ſit ſub iure iudicis.*
14 *Teſtis inhabilis cur ſic dicatur, licet ſit vtilis.*
15 *Quando teſtis, qui non debuit examinari, non faciat indicium.*
16 *Timor teſtis, ne peccet in depoſitione, ipſum ſecurum facit.*
17 *Dictum teſtis ſine ratione dicti eſt inutile, & mortuum.*

1 PRo parte affirmatiua facit; Quod iudex in tantum habet ius interrogandi, in quantũ teſtimonium confert ad adminiſtrationem iuſtitiæ, quam tenetur procurare; atteſtatio autem teſtis inhabilis non cõfert ad adminiſtrationem iuſtitiæ: quia ratione inhabilitatis nõ acceptantur; vnde cum ceſſet materia iuriſdictionis reſpectu iudicis, debet etiam ceſſare iuriſdictio ipſius; atque adeo defectu iuriſdictionis in iudice hìc & nunc poteſt nolle reſpondere.

2 Præterea Teſtes examinati, qui non debuerunt examinari, non ſolùm non faciunt probationem, ſed neque etiam indicium: vt docent Felin. *cap. Cum dilecti num. 10. De accuſationibus* Bald. *l. Seruos initio. De Teſtibus* Diar. *Reg.* 755. *in 2. Fallent.* Farin. in praxi crimin. *quæſt. 62. de Teſtib. num.* ... & alij. Quia videlicet, cum non debuerint examinari, militat aliqua cauſa, propter quam ipſorum atteſtatio non facit probationem: vnde cum fruſtratoria ſit, videtur teſtis poſſe illam denegare; quia exhibendo, nihil prodeſt bono communitatis, & exercitio iuſtitiæ.

3 Denique, Si inhabilitas oriatur ex inimicitia, eo quòd teſtis à reo læſus fuerit, poteſt ſẽper teſtis timere, ne aut ex odio deponat, atque adeo peccet: aut aliter quàm res ſit: præſertim ſi agatur de fama rei, atque adeo ſe exponat periculo dicendi falſum; vnde ex hoc capite poteſt iuſtè denegare atteſtationẽ.

4 Cum diſtinctione tamen procedendum eſt. Vnde dico primo. Si teſtis ſit ita inhabilis, vt ab illa particulari atteſtatione à iure repellatur ex eo, quòd leges prohibeant rationem haberi teſtimonij ipſius: non tenetur iudici interroganti reſpõdere, etiam ſi ſit iudex competens.

5 Ratio autem eſt, Quia tunc iudex interrogans eum, quem leges repellunt à teſtificando, non agit ſecundum ius; vnde cum ſit tantum miniſter Iuris, nec poſſit aliter agere cum teſtibus, quàm ſecundùm ius, conſequenter non agit legitimè: atque adeo non tenetur teſtis obedire; quia ſolùm tenetur obedire iudici ſecundùm ius agenti.

6 Ne-

6 Neque obſtat, quòd debeat præſupponere iudicem poſſe interrogare ſecundùm ius; quia hoc eſſet verum, ſi eſſet dubius, an iudex poſſit interrogare ſecundum ius; ſed cum certò ſciat ſe à legibus repelli a teſtificando, eſt ex vi legum in poſſeſſione quòd non debeat teſtificari; vnde ſi iudex poteſt cogere ex aliqua legum interpretatione, debet oſtendere quòd poſſit cogere; alioquin teſtis ſemper poterit vti iure ſuo: quod ipſi prouenit ex eo, quòd leges prohibent rationem haberi atteſtationis ipſius.

7 Nec item obſtare debet, quòd debeat iudex decernere, an debeat teſtificari: ne videatur ſibi officium iudicis vſurpare; Quia cum ſimus in claris, non eſt opus ſententia iudicis, quæ ſolùm adhibetur quando aut res dubiæ ſunt, aut ad iuſtitiam obtinẽdam opus eſt poteſtate coercitiua; In hoc autem caſu nõ eſt opus iuſtitia coercitiua; quia teſtis habet apud ſe ſuum ius, quod ipſi reſultat ex legibus repellentibus ſuam teſtificationem; & ipſe in tali caſu vtitur iure ſuo, non autem ſibi vſurpat officium iudicis.

8 Si autem teſtis non in totum à iure repellatur, ſed ſolùm ei ius non aſſiſtat: quamuis inhabilis ſit ex quocunque capite, dum legitimè à iudice competenti interrogatur, tenetur reſpondere.

9 Hoc autem infertur ex eo, quòd teſtes inhabiles faciunt aliqualem probationem, & ſaltem indicium. Vt docent Bertaz. *Conſil.* 474. *num.* 2. Hippolyt. Rimin. *Conſi.* 7. *num.* 29. *lib.* 1. Maſcard. *lib.* 2. *De probat. concluſ.* 682. *num.* 4. Farinac. *in pract. crim. quæſt.* 62. *De Teſtib. num.* 261. Ratione enim inhabilitatis non carent omnino fide, ſed ſolùm illam habent ſuſpectã; vnde exhibent teſtimonium dubium: quod licet non conuincat, tamen indicat.

10 Deinde, Faciunt præſumptionem, quam tenetur reus diluere. Vt docent Gloſſa *in cap.* 1. *Verbo Ad teſtimonium.* Francus *ibid. poſt num.* 4. Geminian. *poſt num.* 8. *ver. Ibi veniens. De Teſtibus.* Hippol. Rimin. *Conſil.* 325. *num.* 27. *lib.* 3. Maſcard. *lib.* 2. *De prob. concluſ.* 681. *num.* 4. qui etiam alios allegat. Alfer. *lib.* 1. *Conſil. crimin. diuerſ.* Gram. *deciſ.* 11. *num.* 10. Bartol. *l. Admonendi. num.* 37. *ff. De iureiurando* Farinac. *in practic. crimin. quæſt* 62. *de Teſtib. num.* 264. quod etiam docuerat *quæſt.* 62. *num.* 75. *&* 79. Quod præſertim habet locum in inquiſitione: vt notat Decius *Conſil.* 342. *num.* 8. Vt enim inducatur præſumptio non eſt neceſſe, quòd res appareat euidenter (quia tunc non præſumeretur, ſed certa eſſet) ſed ſufficit quòd appareat in aliquo, ex quo poſſit deduci: teſtes autem inhabiles faciunt rem aliqualiter apparere in ſua teſtificatione.

11 Rurſus. In aliquibus caſibus ſufficit leuis, & apparens probatio: & tunc teſtis alioquin inhabilis non repellitur *l. fin. C. De edicto D. Adr. tollen.* Zuccar. *ibid. num.* 302. *ver. ſi verò lex.* Farinac. *in Prax. crim. quæſ* 62. *De Teſtib. num.* 196. Menoch. *De arbitr. quæſt.* 32. *num.* 2. Quia videlicet inducit, non obſtãte inhabilitate, aliquã probationem; nam licet ex vna parte inhabilitas tollat fidem; ex aliã tamen dignitas hominis, qui non poteſt omnino à ſeipſo deficere, atque adeo nec à regimine rectæ rationis, illam confirmat; vnde fit, quòd licet atteſtatio ſit dubia, non cenſeatur tamen falſa.

12 Denique atteſtatio teſtis inhabilis ad plura deſeruit: videlicet ad inquirendum; quia, vt diximus, facit indicium, & præſumptionem ad torturam inferendam: vt per ipſam, vel indicium confirmetur accedente confeſſione: vel euacuetur; & etiam ad extra ordinariam pœnam infligendam: vt notant Clar. *lib.* 5. *pract. crim.* §. *fin. quæſt.* 24. *ver. ſciendum eſt tamen. In fine* Foller. *Verbo* Capiant informationem, *nu.* 18. Farinac. *quæſt.* 55. *num.* 71. *&* 121. & *quæſt.* 62. *num.* 78. *& ſequent. & num.* 271. *& ſequent.* Ambroſin. *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 28. argum. cap. Fin. *De teſtibus.* Bertilucenſis *in pract. crim. tit.* 1. *cap.* 11. *num.* 42. & alij.

13 Cum igitur teſtimonium teſtis inhabilis inſeruiat foro pro adminiſtranda iuſtitia, tenetur legitimè interrogatus reſpondere; quia iam eſt ſub iure fori: eo quòd forum ſicut debet iuſtitiam adminiſtrare, ita etiam habet ius ad ea omnia, quæ concernunt ad ipſam adminiſtrandam, et poteſt ea per ſuos iudices repetere; vnde denegans ſoluere, peccat contra iuſtitiam.

14 Et per hoc patet ad primam rationem allatam pro parte oppoſita. Nam teſtis inhabilis vtilis eſt pro adminiſtranda iuſtitia, quando ipſi ius non contradicit. Dicitur autem inhabilis, non quia in totum inhabilis ſit: ſed quia non facit totam illam probationem, quam facit teſtis idoneus.

15 Ad ſecundam. Teſtem, qui ratione inhabilitatis non debuit examinari, non facere indicium quando in totum repellitur à teſtificando, ita vt lex illi contradicat: vt notant Felin. & Diaz *in iiſdem locis num.* 2. *allatis.* Carrer. *in Pract. tract. de Indicijs* §. *vltimo An teſtis num.* 33. Marſil. *ſing.* 197 *poſt med.* Brunus *de Indicijs par.* 1. *quæſ.* 2. *poſt num.* 20. & alij.

16 Ad tertiam. Dum adeſt in teſte timor, ne peccet, aliter contra reum deponendo, quàm debeat deponere, poteſt ſecurus deponere; quia talis timor indicat timoratam conſcientiam, quæ faciet quòd in depoſitione reſpiciat ad veritatem, non autem ad offenſam ac-
17 ceptam. Deinde cum nullius teſtimonium valeat, niſi teſtis dicti ſui rationem reddat,

quia

quia ratio eſt illa, quæ vim dat teſtificationi, & mouet ad credendum. (Bald. *l. Solam. C. de Teſtibus, & tract. de Teſtib. 3. par. num. 1.* A S. Gemin. *tract. de Teſtib. par. 2. num. 137.* Bertilucenſis *in Pract. Crim. tit. 11. cap. 1. nu. 11.*) præſupponere debet. quòd iudex rationem ſui dicti ponderabit, atq; adeo cognoſcet quantum valeat teſtificatio: & ſic ſubtrahet ſe periculo peccandi, ſi totum remittat arbitrio iudicis.

An teſtes ſingulares aliquando plenè probent.

Deciſio CCXII.

SVMMARIVM.

1 *Quinam teſtis ſingularis, & quotuplex.*
2 *Teſtes ſingulares non plenè probant.*
3 *Cur non plenè probent.*
4 *In aliquibus caſibus ſecùndum aliquos plenè probant.*
5 *Teſtes ſingulares in nullo caſu plenè probant, niſi fiant conteſtes.*
6 *Teſtimonium ratione ſingularitatis eſt dubium.*
7 *Cur ſententia iudicis non poſſit fundari in teſtibus ſingularibus.*
8 *Nunquam in praxi reperitur ſententia ſine teſtibus conteſtibus.*

1 TEſtes tunc dicuntur ſingulares, quando non concordant in eo, quod deponunt, ſed vnus deponit aliquid, & alter aliud. Quod dupliciter contingere poteſt. Vel ſi ſint diuerſi quò ad ſubſtantiam facti: vt ſi deponant de diuerſo facto ſiue totaliter, ſiue ſecùndum quid; vt ſi ſit diuerſum ſecùndum numerum, non autem ſecùndum ſpeciem. Vel ſecùndum circumſtantias; quæ ſi relinquunt factum in ſuo eſſe, tunc ſunt conteſtes quò ad factum, & ipſum probant; vel diuerſificant: & tunc ſi relinquunt in ſuo eſſe, reddunt teſtes diuerſos quò ad factum, vel deſtruunt ratione diuerſitatis: vt contigit in teſtimonio ſenum contra Suſannam deponentes de eodem actu adulterij, ſed non conuenientes de loco; & tunc conuincuntur teſtes falſitatis.

2 Regula communis ab omnibus recepta eſt, Quòd teſtes ſingulares non plenè probẽt. Quæ tamen intelligitur in ijs caſibus, quando plures teſtes requiruntur. Ita deſumitur ex Cap. *Licet cauſam.* ibi *Et quidem alij ſint in ſui dicto ſingulares. Extra de Probat.* vbi etiam Gloſſa *Verbo ſingulares*, quæ affert etiam Cap. *Bonæ 1. §. Contra verò de Elect.* & *Cap. Cum dilectus eodem tit.* Præterea ex Cap. *Cum Eccleſia Sutrina. §. Nos igitur. de Cauſ. propr.* & *Cap. Nihilominus 3. quæſ. 9.* Aret. *Extra de Teſtib. num. 15. Cap. Licet ex quadam.* Hoſtienſ. *num. 7.* Felin. *poſt num. 2. ver. Et eſt regulariter notandum.* Butrius dicto Cap. *Licet cauſam num. 38. ver. Nota quod ſingularitas.* Buto. *num. 38. init. Extra de Probat.* Bal. *l. Ob carmen §. fin. num. 2. ver. Sed Riccar. ff. de Teſtam.* Iaſon. *l. Admouendi nu. 255. ff. de Iureiurando.* Lanfran. *de Teſtib. num. 26.* Marſil. *ſing. 114. init.* Boſſ. *tit. de Oppoſit. contra num. 39.* Gomez *de Delicto tit. de Probat. delict. num. 10.* circa fin. Roland. *conſil. 95. num. 18. lib. 4.* Foller. *in Pract. Crim. Verbo* Item quod cõmiſit falſitatem *num. 25.* Hippol. Rimin. *conſil. 7. num. 20. & 24. lib. 1.* Gabr. *tit. de Teſtib. lib. 1. concluſ. 2. nu. 1.* qui plures citat. Minſing. *obſer. 76. centur. 3. init.* Royas *tract. de Hæret. par. 2. aſſert. 6. num. 120. ver. Notiſſima eſt.* Bertaz. *conſil. 92. num. 8.* & *conſil. 149. num. 11.* & *conſil. 358. num. 1.* Viu. *in com. opinionib. ver.* Teſtes ſingulares non faciunt fidem. *init.* & alij plures.

3 Huius autem regulæ ratio eſt, Quia teſtes ſingulares ſunt ſoli, nec dictum vnius adiuuat dictum alterius: & proinde remanet dubium, quia eſt ſecùndum menſuram fidei humanæ; quæ fallibilis eſt: & ideo poteſt eſſe, & non eſſe; vnde habet locum ſuſpicio doli. Quando autem plures ſunt conteſtes, quia dictum vnius confirmat dictum alterius, ideo excluditur illa dubietas, quæ oritur, ſtante fallibilitate fidei humanæ, ex ſingularitate teſtificationis.

4 Nihilominus tamen Doctores adhibent plures limitationes circa hanc regulam: ratione quarum ſingulares teſtes aliquid probant in aliquibus caſibus, quas recenſet Farinac. *quæſ. 64. de Teſtib. in Pract. Crimin. num. 112. & ſequentibus.*

5 Dicendum tamen eſt. Abſolutè teſtes ſingulares manentes in ſua ſingularitate nunquam plenè probare in quocunque caſu: ſed ſi aliquando probant, ideo probare, quia fiunt conteſtes circa illud, quod probant.

6 Ratio autem eſt, Quia quamdiù manent ſingulares, viget ſemper ratio, ob quam ſingulares teſtes non faciunt plenam probationem: quia videlicet in quocunque caſu ſemper ſunt ſoli, diſcordes, ſeu varij, nec dictum vnius confirmat dictum alterius; vnde poteſt eſſe, & non eſſe: cum non certificetur aliunde. Confir. Quando affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio quoque eſt cauſa negationis. Ergo cum teſtes eſſe conteſtes ſit cauſa cur plenè probent: quod non ſint conteſtes erit cauſa quòd non plenè probent. Præterea. Vel teſtes ſingulares reddunt rem certam, vel non. Si primum: ergo cum ſufficiant ad reddẽdam

rem

rem certam, in quocunque caſu ſufficient. Si ſecùndum: ergo in nullo caſu ſufficient.

7 Verùm dices, In aliquibus caſibus non requiri tantam probationem, quanta regulariter requiritur; & ideo teſtes ſingulares aliquando ſufficere. Sed cum ſententia iudicis debeat eſſe ſecundùm menſuram probationis; & ſemper certa ſit, non poteſt fundari in probatione incerta; alioquin non eſſet ſecundùm menſuram probationis, atque adeo eſſet mala. Quare cum in nullo caſu teſtes ſingulares faciant probationem certam, in nullo caſu ſufficient pro ferenda ſententia.

8 Neque obſtat praxis in contrarium; quia quando forum procedit ex teſtibus ſingularibus infligendo aliquam pœnam, non eſt cenſendum punire id, de quo teſtes ſingulares ſunt; ſed aliquid, in quo concordes ſint. Quod manifeſtum fiet, ſi fiat inductio per omnes caſus, in quibus dicuntur ſufficere teſtes ſingulares. Aut quia concurrunt alia indicia, & argumenta, quæ confirmant teſtificationem teſtium ſingularium.

An teſtes ſingulares aliquid probent in genere.

Deciſio CCXIII.

SVMMARIVM.

1 *Punctus difficultatis.*
2 *Sententia affirmatiua.*
3 *Eius fundamentum.*
4 *Sententia negatiua.*
5 *Teſtes ſingulares nunquam aliquid plenè probant.*
6 *Forum, ſententia, & teſtificatio, ſolùm circa ſingularia.*
7 *Quod non eſt verum in indiuiduo, nec etiam eſt verum in genere.*
8 *Si particulare non probatur, nec etiam probatur aliquid in genere.*
9 *Singularibus plenè probatis non eſt opus aliquo in genere.*
10 *Teſtes ſingulares non deponunt immediatè de aliquo in genere, ſed de particularibus.*
11 *Teſtes non concordes in ſingularibus nec etiam concordant in genere.*
12 *Teſtes ſingulares plenè probant, quando immediatè agitur de aliquo in genere.*
13 *Teſtes ſingulares de aliquo in genere ſunt conteſtes, & quomodo.*
14 *Teſtes ſingulares deponentes de ſingularibus non ſunt conteſtes.*

1 Difficultas procedit de perfecta probatione, quæ plena ſit, & ſufficiens ad ferendam ſententiam; quando videlicet teſtes deponunt de diuerſis actibus, ex quibus vnum aliquid in genere deducitur: vt ſi vnus deponat Titium furatum eſſe cētum aureos Petro: alius verò, eũdem Titium furatum eſſe equum Franciſco.

2 Prima ſententia affirmat: quamuis non ſufficiant ad probandum aliquid in indiuiduo, aut in ſpecie. Ita Felin. *cap. Licet ex quadam ver. Ad idem & cap. Extra De teſtib.* Decius *in cap. Licet cauſam, num. 69. init. Extra. De probat.* Bero. *in dictum capit. Licet cauſam num. 40.* qui etiam alios citat, Gabr. *Tit. De teſtib. concluſ. 2 num. 18. & 21. in fine.* Myſing. *obſer. 76. centur. 3. ver. prædictum tamen* Aymon. *De Antiquo tempore part. 4. Sect. Sed enim. num. 11. & ſeq.* Caccialup. *l. Admonendi num. 84. ver. Et hoc vbi agitur, & num. 91. ff. De iureiurando.* Corrad. *in pract. tit. De teſtib. Rubrica De ſingularitate teſtium num. 24. in fine* Hippolyt. Rimin. *Conſil. 7. num. 27. Et ſequent. lib. 1. & lib. 2. Conſil. criminal. diuer. Conſil. 95. num. 7.* Bertaz *lib. 1. Conſil. 20. num.* Albertin. *in cap. 1. quæſt. 16. num. 48. & num. 51. ver. Ex quibus patet. & num. 69.* Montiticel. *in Reper. teſt. Rubrica Impugnatio teſtiquia ſingulares* Lamberten. *tract. De contractibus eorum &c. gloſſ. 12. num. 1.* Lugdun. *Conſil. 72. num. 3.* Alexand. *lib. 1. Conſil. 100. num 5.* Farin. *in pract. crimin. quæſt. 64. De teſtib. num. 152.* Qui aſſerit, hanc opinionem eſſe magis communē, & alij plures. Addit autem idem Farinac. hanc opinionem habere locum tantùm in ciuilibus, non autem in criminalibus: & requiri quòd teſtes non ſint ſingulares ſingularitate obſtatiua, & nonnullas alias etiam limitationes adhibet, quæ videri poſſunt apud ipſum: & faciunt, ſi rectè perpendantur, quòd teſtes non ſint ſingulares.

3 Fundamentum huius ſententiæ eſt; Quia quando ex pluribus actibus colligitur aliquid in genere, dum teſtes ſingulares deponunt ſinguli de ſingulis actibus, fiunt conteſtes reſpectu illius, quod in genere conſurgit: quia eſt aliquid vnum teſtificatum à pluribus.

4 Secunda ſententia vult non ſolùm non probare in indiuiduo, aut in ſpecie: ſed neque etiam in genere. Ita Bald. *l. 1. C. De teſtament. quæſt. 8. & Conſil. 276. lib. 4. & in cap. Licet cauſam. num. 11. ver. Adde, & eſt notatu &c.* Decius *ibid. num. 69. ver. Sed contra. Extra. De probat.* Abbas *lib. 1. Conſil. 42.* Alexand. *item lib. 1. Conſil. 72. num. 3.* Iaſon. *l. Admonendi num. 256. ver. Nota etiam;* iuncto *ver. ſed aduerte ff. De iureiurando.* Feder. *Conſil. 17.* Ripa *in l. Si conſtante num. 17. ff. De ſoluto matrim.* Crot. *De teſtib. par. 7. num. 324. in 7. concluſ. ver. Contrarium tamen.* Lanfran. *in Clem. Diſpendioſam De iud. circa finem.*

finem. Ioan. Bapt. de Sanſeuer. *in l. Omnes populi, ff. De Iuſt. & Iure col.* 46. Emmanuel Suarez *in Theſaur recept. ſent. littera T. num.* 155. Bertaz. *lib.* 1. *Conſil.* 41. *num.* 31. & *lib.* 2. *Conſil.* 452. *num.* 6. Petra *tract. De Fideicom. quæſt.* 12. *num.* 546. & *ſequent.* Iulius Clarus *lib.* 5. *Recept. ſentent. pract. crim. quæſt.* 53. *num.* 18. 19. & 20. Couarr. *lib.* 3. *Variar. reſol. cap.* 3. *num.* 4. Simancas *De teſtib. tit.* 64. *num.* 70. Qui ait hanc ſententiam ſeruari in praxi ab Inquiſitoribus, & alij plures apud præfatos auctores, & nouiſſimè Souſa *in Aphoriſmis Inquiſ. quæſt. vnica De teſtib. ſingul. &c. ſect.* 2. *num.* 10.

5 Reſpond. igitur eſt cum hac ſententia, Nunquam teſtes ſingulares probare plenè aliquid in genere: ſed quandiù ſingulares ſunt, manere imperfectam eorumdem probationem: & in tantum poſſe iudicem ſecùndum ipſos iudicare, in quantùm quò ad aliquid particulare ad conteſtes reducuntur.

6 Ratio potiſſima eſt; Quia forum non verſatur circa actiones in genere, ſed tantùm circa ſingulares; quia habet punire, aut præmiare, aut abſoluere: nemo autem punitur, abſoluitur, aut præmiatur niſi ratione actionum liberè exercitarum, atque adeo ſingularium. vnde aliquid tale in genere non eſt obiectum. Confir. Forum habet inducere iuſtitiam in ordine ad bonum regimen, & bonam conſtitutionem Reipublicæ: & in hunc finem vtitur atteſtationibus, atque circa ea tantùm verſatur, quæ cadunt ſub regimen: quæ ſunt ſola ſingularia, de quibus tantùm poteſt iudicare. Teſtes autem de ijs tantùm debent interrogari, de quibus poteſt ferri ſententia.

7 Dices. Illud, quod teſtes ſingulares probant in genere, non eſſe aliquid vagum, ſed aliquid certum in determinato indiuiduo; quia dicit quòd talis homo ſit v.g. fur in genere. Sed hoc dici non poteſt; Quia non poteſt aliquid ſecùndum genus conuenire certo, & determinato indiuiduo, niſi conueniat ſecundùm eſſe ſingulare; quia non poteſt quis eſſe fur in genere, niſi commiſerit certa, & determinata furta. Vnde quòd non poteſt dici verū in ſpecie, neq. poteſt dici verum in genere: vt notant Sal. *in l. teſtiū C. de teſtib.* & Conrad. Bru. *l.* 4. *de Hære. c.* 9.

8 Quòd ſi rurſus dicas: Probari per teſtes ſingulares actiones particulares, in quibus ſubſiſtit aliquod vnum in genere, quod poteſt eſſe obiectum fori, ratione illarum actionum; neque adhuc eneruatur vis rationis; quia hoc vnum in genere non ſubſiſtit extra actus, ſeu res particulares: cum non poſſit res in genere exiſtere. Et ideo ſi actiones, ſeu res in particulari non manent probatæ ſufficienter, neq; etiam manet probatum illud vnum in genere; non manent autem plenè probatæ per teſtes ſingulares.

9 Præterea. Vel ſingularia, de quibus procedunt teſtes ſingulares, & ex quibus deducitur aliquod vnum in genere, remanent plenè probata, vel non. Si primum. Tunc oportet vt de ſingulis deponant plures teſtes conteſtes; quia per ſingulares teſtes non poteſt probari aliquid in particulari. In tali autem caſu probatio erit de ſingularibus, de quibus erit ferenda ſententia; nec eſt recurrendum ad aliquid in genere, quando ſingularia manent probata. Si ſecundum. Ergo neque aliquid in genere plenè probatur; quia teſtificatio directè, & immediatè eſt de ſingularibus; & ratione ipſorum extenditur ad vniuerſale, vnde ſi ſingularia non ſunt plenè probata, neque etiam plenè erit probatum vniuerſale.

10 Quòd ſi rurſus dicas. Teſtes ſingulares, deponendo de diuerſis actionibus in particulari, concordes eſſe quò ad vnum in genere, quod verè exiſtat in illis particularibus actionibus, & ideo cōuincere de hoc vno in genere, ex quo poſtea poteſt iudex inferre, quòd certæ etiam ſint actiones in particulari; adhuc reijcitur reſponſio iſta. Quia neque de hoc vno in genere conuincunt, vt modo dicebamus; quia teſtificatio non poteſt immediatè procedere de ipſo: ſed de rebus particularibus: & tantùm mediatè de ipſo; vnde non habet maiorem certitudinem, quàm habeant particularia. Deinde, Non poteſt iudex ex vniuerſali inferre particulare, vt de hoc ſententiam ferat; quia cum ex particularibus inferat vniuerſale, ſi ex hoc rurſus inferret particulare, reuerteretur ad id, quod non erat ſufficienter probatum, & de ipſo ſententiam ferret.

11 Denique. Teſtes, qui non concordant in ſingulari, neq; in genere concordare poſſunt. Quia licet actiones, de quibus deponunt, ſint vnum genere, teſtificatio tamen ipſorum non eſt de hac vnitate generica: ſed quod actio ſecùndum genus conueniat tali homini: & cum vnus teſtetur quòd conueniat ratione talis actionis in indiuiduo, & alter ratione alterius: neque concordant in eo, quòd conueniat ſecùndum genus.

12 Addendum tamen eſt, Quòd quando agitur de aliquo ſecùndum genus, v. g. an aliquis ſit fur: & teſtes deponunt actiones ſingulares, v. g. furti, non tanquam id, de quo teſtentur, ſed tanquam rationem ſui dicti: ita vt teſtificatio procedat de furto in genere: tunc ſufficiunt ad plenè probandum teſtes ſingulares.

13 Ratio autem eſt, Quia licet dicatur probari aliquid in genere, teſtificatio tamen procedit de aliquo in particulari, v.g. de vitio furti; & tunc teſtes licet ſint ſingulares quò ad rationem ſui dicti (quia vnus affert vnam actionem, & alius aliam) ſunt tamen conte-

ſtes

ſtes quò ad rem teſtificatam; quia omnes concordes ſont in eo, quod per ſe primò deponunt. Et propterea Albertin. *cap. 1. quaſ. 10. num. 49. & 56. §. Si verò aliquis actus de Hæreticis in 6.* Bertaz. *conſil. 41. nu. 31. lib. 1.* Lamberteng. *de Contractib. eorum &c. gloſſ. 12. nu. 26.* docent, Quòd teſtes ſingulares probant in genere, quando articulatur genus: ſecus autem quando articulantor certi actus.

14 Ex his autem Reſp. Ad fundamentom pro oppoſita ſententia; negando quòd teſtes, deponendo ſingulj de ſingulis actionibus, fiant conteſtes reſpectu illius, quod in genere conſurgit; quia non deponunt de ipſo per ſe primò, ſed tantùm conſequutiuè, & quod conueniat alicui. Vnde cum non ſint conteſtes quò ad ſingulares actiones; nec etiam ſunt tales quò ad illud tertium, & quòd ipſum alicui conueniat.

An Teſtes ſingulares plenè probent, quando agitur de re permanenti.

Deciſio CCXIV.

SVMMARIVM.

1 *Plenè probare docent communiter.*
2 *Quando res eſt permanens teſtes ſingulares ſunt conteſtes.*
3 *Qualis debeat eſſe res permanens, vt teſtes ſingulares plenè probent.*
4 *Quando res ratione ſingularis circumſtantia potuit variari, teſtis ſingularis non ſit conteſtis.*
5 *Quando teſtes in dubio quòd ſint conteſtes, debeant præſupponi tales.*

1 Reſp. affirmatiuè cum *Bal. l. 1. C. De teſtamentis quæſt. 8. & l. Lucius, ff. De his, qui notant, in fin.* Vbi etiam Paulos. Bar. *in l. De quibus, num. 24. ff. De legib.* Lanfran. *in cap. Quoniam contra De probat. §. Teſtium. num. 30. & in Clem. Diſpendioſam, circa finem ver. Tertia concluſ.* ex Gloſſ. celebri *in l. Ob carmen, ff. De teſtib.* Abbat. *lib. 3. Conſil. 18.* Angel. *in Diſp. Eſtenſis miles.* Alexand. *Conſ. 141. lib. 1. & Conſil. 92. lib. 5.* Cæpol. *Conſil. 3. ciuilium circa finem.* Aret. *Conſil. 60.* Soncin. *lib. 3. Conſ. 95. in fine* Aymon. *conſil. 78. num. 6.* Couar. *lib. 3. variar. reſolut. c. 3. num. 5.* Azor. *tom. 3. lib. 13. cap. 27. dub. 7.* Sanch. *lib. 6. conſil. cap. 5. dub. 12. num. 3.* ex Gloſſ. *l. Ob carcerem, ff. De teſtibus.* Syluestr. *in ſumm. verbo* teſtis. *quæſt. 3.* & eum communi ſententia.

2 Ratio autem huius reſolutionis eſt, quia teſtes, quando res eſt permanens, non manent in ſua ſingularitate, licet teſtificentur de diuerſis temporibus, & locis: ſed fiunt conteſtes; quia res eadem, quæ in iudicium venit, ſubijcitur vniuſcuiuſque teſtificationi: vnde de vno, & eodem teſtificantur. Sic teſtes ſingulares ſufficient ad conuincendum aliquem eſſe publicum concubinarium: aliquem eſſe impotentem pro matrimonio conſumando, &c.

3 Illud tamen eſt aduertendum, Quòd vt teſtes ſingulares de re permanenti faciant plenam fidem, debet res permanens eſſe talis conditionis, quòd non potuerit variari ratione temporis, aut loci, aut alterius circumſtantiæ, ſecùndum quam teſtes ſingulares ſunt; quia ſi potuit variari, ſequitur etiam quòd alter teſtis ſingularis ſecùndum circumſtantiam, ratione cuius potuit res variari, poſſit falſus eſſe, & non eſſe concors cum altero, ſeu conteſtis. Atque adeo non conſtat in foro, an ſit concors; vnde neque probatio eſt plena, & ſufficiens, cum nõ reddat rem certam. Et ideo vlteriùs eſſet probandum per teſtes conteſtes quòd res illa non fuerit variata: Verùm tunc iſti conteſtes ſufficerent ad probandum ſimpliciter, nec eſſet neceſſarium alterius teſtimonium.

4 Neque valet, ſi dicatur; Quòd dum quis teſtificat de eadem re in diuerſo tempore, aut loco, aut cum diuerſa alia circumſtantia, ratione cuius potuerit variari, præſumitur non fuiſſe variatam: quia ſimul etiam teſtificat, quod non fuerit variata; Quia licet adſit præſumptio quòd non fuerit variata, non tamen plenè probatur; & teſtis remanet ſolus & vnus quò ad depoſitionem rei cum tali circumſtantia; & ideo poteſt eſſe concors cum altero, & non eſſe quò ad rem ipſam; quia potuit res ipſa variari. Et proinde remanet dubia teſtificatio, non ſecus ac ſi eſſet ab vno tantùm teſte.

5 Quòd ſi rurſus dicas. In dubio, quòd teſtes ſint conteſtes, præſumendum eſſe quòd ſint conteſtes: vt docent complures tum ex Legiſtis, tum etiam ex Canoniſtis, quos refert Farinac. *in pract. crim. quæſt. 64. De teſtibus num. 318.* Quia alij quoque, vt notat idem Farinac. *ibid.* oppoſitum docent, & præſertim Decius *conſil. 650. num. 8.* & alij; relati à Petra. *De Fideicom. quæſt. 12. num. 497.* Et alij cum eodem Farinac. *num. ſequentib.* hoc etiam limitant: vt valeat tantùm, quando dubium eſt ſupra pluralitatem actuũ: quia præſumitur vnus actus; non autem quando eſt ſupra diuerſitatem loci, aut temporis, præſertim ſi pertineant ad ſubſtantiam actus. Deinde, dubium, an ſint cõteſtes, oriri poteſt vel ex modo deponendi ipſorum teſtium: & tunc ad ſummum præſumendi ſunt conteſtes: quia poteſt forum adiuuare teſtificationem, quando io modo procedendi

deficiens eſt. Vel poteſt oriri ex ſingularitate circumſtantiæ, ſecundum quam teſtes ſingulares ſunt; & tunc non poſſunt præſumi conteſtes; quia res teſtificata dubia manet ratione ſingularitatis; atq. adeo ſi iudex præſumeret conteſtes, ſe exponeret periculo exercendi iniuſtitiam loco iuſtitiæ.

An Teſtes ſingulares ratione multitudinis, aut integritatis faciant plenam probationem.

Deciſio CCXV.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſententia.*

2 *Eius fundamentum.*

3 *Oppoſita ſententia: Teſtes ſingulares ratione numeri non plenè probare, eſt vera.*

4 *Lex diuina prohibet ſententiam ferri iuxta ſingularem teſtificationem.*

5 *Cur requirantur plures teſtes ad conuincendum.*

6 *Quomodo qualificatio perſonæ augeat ipſius teſtificationem.*

7 *Qualificatio teſtis non eleuat teſtificationem alterius, ſi ſit ſingularis.*

8 *Non præponderat alterius teſtimonio.*

9 *Nullus numerus teſtium ſingularium facit plenam probationem.*

10 *Singularis teſtis non confirmat dictum alterius.*

11 *Etiam ſi iudex ſupponat teſtes ſingulares ratione integritatis verum deponere; non per hoc tamen plenè probant.*

12 *Non poteſt iudex ſententiare de eo, quod colligit ex pluribus ſingularibus teſtimonijs.*

13 *Qualificatio teſtis ſingularis relinquit teſtificationem in ſua ſingularitate.*

1 Affirmatiuè Reſpondent Caſtrenſ *l. Lucius ff. de his, qui not. infam.* Marſil. *conſil. 1. num. 71. & ſing. 114.* Cępol. *conſil. 3. in fine.* Hippolyt. Rimin. *conſil. 83. num. 2. ver. Non præterea lib. 2.* Brun. *tract. de Indic. & tort. par. 1. quæſ. 2. num. 6.* Crot. *tract. de Teſtib. par. 7. num. 32. initio.* Corrad. *in Pract. tit. de Teſtib. rubr. de Singul. teſt. num. 25. in fine, in 10. limit.* Gabr. *tit. de Teſtib. concluſ. 2. num. 71. lib. 1.* Albertin. *in cap. 1. quæſ. 16. nu. 60. de Hæret. in 6.* Tiraquel. *de Pæn. temper. cauſa 51. num. 106.* Pegna *in Direct. Inquiſit. par. 3. com. 121. in fine ver. Et quæ hactenus.* Simanca *tract. de Hæret. tit. 64. de Teſtib. num. 77.* Monticel. *in Reper. teſt. rubr. Singul. teſtes, an, & quando. & cęt.* Lamberteng. *de Contractib. eorum &c. gloſ. 12. ſub num. 38.* Minſing. *centur. 3. obſer. 76. in fine.* Petra *de Fideicom. quæſ. 12. num. 596. & 703.* Thuſcus *tom. 8. concluſ. 265. num. 73.* Rota *Diuer. par. 1. deciſ. 238. num. 13. coram D. Hippolyto Aldobrandino*, & alij, qui docent ratione nobilitatis, aut integritatis ſi ſint perſonæ notabiles, facere plenam fidem. Sanchez autem *lib. 6. Conſil. cap. 5. dub. 12. nu. 5.* addit etiam ratione numeri teſtes ſingulares plenè probare.

2 Fundamentum eſt, Quia ſingularitas ſuppletur qualitate perſonæ; quæ ſicut illi tribuit maiorem fidem, ita etiam facit, vt probatio plenior ſit, atq; adeo maior, quàm ſemiplena.

3 Contraria tamen ſententia tenenda eſt, videlicet, Nunquam teſtes ſingulares conuincere, & facere plenam probationem, quantumuis inſignes ſint, & qualificati; niſi aliter cautum ſit in iure, ratione gradus, quem perſona teneat. Et ita docent Crot. *de Teſtib. par. 7. num. 326. ver. Sed credo illam.* Bero. *in Cap. Licet cauſam, num. 43. ver. Iſtud tamen dictum de Probat.* Et quamuis Petra pro oppoſita ſententia citetur, videtur tamen huius eſſe ſentent. *num. 198. citata Rubrica, ſingulares teſtes an, & quando &c.* Farinac. *in Tract. Crimin. quæſ. 64. de Teſtib. num. 305.* qui hanc ſententiam veriorem dicit. Et hanc ſententiam extendunt etiam ad eum, qui de proprio facto teſtificatur. Cinus *in l. Si quis Decurio C. de Fal.* Iaſon *l. 2. §. Si abſens. & l. Nequeūs de Acquirenda hæred.* Alex. *iiſdem locis. & conſil. 192. lib. 6.* Syluan. *conſil. 17. lib. 1.* Ruinus *conſil. 19. & conſil. 65. lib. 5.* Curtius Senior *tract. de Teſtib. concluſ. vltima.* Simanca *de Hæret. tit. 64. num. 35.* Et ex Theologis abſolutè hanc ſententiam docent D. Th. *lect. 3. in cap. 10. Ad Hebr. & lect. 2. in cap. 8. Io: & 2. 2. quæſ. 80. ar. 2. ad. 2.* vbi Caiet. Soto *5. de Inſt. & Iure quæſ. 7. ar. 2.* Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 10. cap. 12. num. 33.* & alij.

4 Ratio autem eſt, Quia teſtes ſingulares, quantumuis ſint perſonæ qualificatæ, niſi fiant conteſtes, non excedunt vim vnius teſtis; quia ſemper ſunt ſinguli pro ſingulis articulis; vnus autem teſtis, quicunque ſit, nunquam ſufficit; cum in lege diuina vniuerſaliter præceptum ſit, & prohibitum ſententiam ferri ex teſtimonio vnius. Deut. *cap. 17. In ore duorum, vel trium teſtium peribit qui interficietur: nemo occidatur vno contra ſe dicente teſtimonium.* Præterea cap. 19. *Non ſtabit teſtis vnus contra aliquem, quicquid illud peccati, & facinoris fuerit.* & num. 35. *Ad vnius teſtimonium nullus condemnabitur.* Et Matth. 18. *Adhibe tecum vnum, vel duos teſtes: vt in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum.* Et idem quoque habetur 1. *Corinth* 13. Quando autem aliquid vniuerſaliter prohibetur, reſpectu cuiuſcunque prohibetur.

5 Deinde. Ideo ad conuincendum requiruntur

tur

tur plures conteſtes, nec vni habetur plena fides; quia vnus aut proprijs paſſionibus, aut aliquo alio modo peruerti poteſt; & quia debet teſtimonium vnius integro teſtimonio certificati. Sed hæc ratio adhuc militat in ſingularibus teſtibus licet qualificatis: nam adhuc perſonæ ſpectatæ integriraris ſubijciuntur proprijs paſſionibus, deceprionibus, & alijs huiuſmodi, quæ poſſunt cauſare falſam teſtificationem: nec earum dictum alio integro teſtimonio confirmatur; ſi quidem qualificatio perſonæ non affert ſecum nouum teſtimonium, ſed tantùm ipſum qualificat.

6 Confir. etiam. Qualificatio perſonæ auget tantùm intenſiuè teſtificationem; ita tamen, vt relinquat in ſuo eſſe, eam intra ipſum perficiendo; Ergo adhuc maner reſtificario ſingularis, nec egredirur limites ſemiprobationis, ſed tantùm perficitur in ratione ſemiprobationis; & ideo nunquam poteſt ſupplere pro alio diſtincto teſtimonio.

7 Denique etiam ſi concurrant plures teſtes ſingulares valdè qualificati: quia tamen ſibi inuicem non communicant qualificationem, nec in dicto conueniunt, ideo teſtificatio vnius non poteſt eleuare teſtificationem alterius, ſed tantùm propriam. Ergo ſicuti excluſa qualificatione non facerent plenam fidem, ita neque facient ea poſita; quia qualificatio non infert conteſtationem, nec aliud æquiualens;

8 quia licet reddat ſingulare teſtimonium maioris ponderis, nunquam tamen peruenit ad præponderandum alterius teſtimonium; quia in tantùm alterius teſtimonium confirmat, in quantùm non communicat in internis ſenſibus, & paſſionibus teſtificantis; qualificatio autem perſonæ non extrahit teſtimonium ipſius á tali communicatione.

9 Secundò etiam addendum eſt. Nullum numerum quantumuis magnum teſtium ſingularium facere plenam probationem. Hanc doctrinam tradunt ſpecialiter Bald. *in l. Ius iurandi nu. 4. ver. Deinde nota C. de Teſtib.* Iaſon. *in l. Admonendi ff. de Iure iurando nu.* 256. Caccialup. *ibid. nu.* 84. Felin. *in Cap. Licet ex quadam num. 2. ver. Vnde tantùm probant, Extra de Teſtib.* Decius *in Cap. Licet cauſam num. 61. de Probat.* Alberrin. *cap. 1. quæſ. 16. poſt num. 46. de Hæret. in 6.* Alex. *lib. 4. conſil. 21. num. 2.* Rolan. *conſil. 33. num. 18. lib. 2.* Burſat. *lib. 3. conſil. 321. num. 32.* Gabr. *tit. de Teſtib. lib. 1. concluſ. 2. num. 2.* Gomez *tom. 3. Variar. Reſol. de Delict. tit. de Prob. delict. num. 10. circa finem.* Minſiger. *centur. 3. obſeru. 76. ver. Quinimò etiam.* Marſil. *ſing. 114. Vulgat. ver. Quinimo etiam.* Corrad. *in Pract. §. 2. de Officio Prat. in cauſ. ciuil. tit. de Teſtib. ſect. Dicta teſtium aſſum. rubr. de Sing. teſt. poſt num. 23.* Royas *tract. de Hæret. par. 2. aſſert. 6. num. 120. ver. ob id meritò.* Simanca *de Cathol. inſtit. tit. 64. num. 63.* Monricel. *in Reper. teſt. rub. Singulares teſtes an &c.* qui alios quoque auctores affert. Farinac. *in Pract. Crimin. quæſ. 64. de Teſtib. num. 34.* qui ſimiliter alios citat. Et *deciſ. 64. Crimin. num. 4.* Armil. *Verbo* Teſtis *num. 5.* Caiet. *2. 2. quæſ. 70. ar. 2. ad 2.* Pegna *3. par. Direct. com. 121. ver. His fortaſſis.* Clar. *quæſ. 21. ver. Vnus teſtis. & quæſ. 52. ver. Dixi etiam.* Graſſus *deciſ. 97. num. 5. & Deciſ. 171. num. 6.* Abbas *Cap. Super eo. de Teſtib.* Rodriquez *in Pract. Crimin. tit. 11. cap. 11. num. 54.*

10 Prob. In quouis magno numero reſtinm ſingularium, niſi fiant conreſtes, nullus confirmat, aut adiuuat teſtificarionem alrerius; quia dictum vnius non perriner ad dictum alterius, neque cum ipſo connectirur; Ergo eodem pacto res ſe habet, ac ſi vnus rantùm teſtificaretur: quia reuera vnus tanrùm de ſingulis articulis teſtificatur; vnus autem non facit plenam probationem.

11 Dices. Concurrente mulritudine teſtium ſingularium ſimul cum qualificarione eorumdem, & integritate conuinci iudicem ad aſſentiendum teſtificatis; quia eſt moralirer impoſſibile quòd tot teſtes falſi ſint, præſertim ſi ſint perſonæ qualificaræ, & magnæ integritaris. Reſp. Quòd licer iudex ſupponat omnes illos teſtes verum deponere: non tamen aſſentiri quòd faciant plenam probationem; quia adhuc ſingulares ſunt, nec vnus in teſtificando reſpicir dictum alterius, ſed aliquid diuerſum deponit. Vnde integritas, & qualificatio ſolùm confirmat proprium dictum cuiuslibet, non autem dictum alterius; & quibis numerus teſtium per accidens ſe habet ad cuiuslibet alterius dictum. Solùm poteſt iudex vtendo cuiuslibet depoſitione tanquam ratione dicti, colligere aliquid in genere fundatum in illis teſtificationibus, vt malam famam, aut prauos mores, aut aliquid aliud.

12 Quæres. An poſſit iudex ad ſententiam deuenire circa hoc, quod colligirur ex plurium ſingularium teſtium depoſitione. Reſp. negatiuè; Quia hoc non eſt id, ſuper quo teſtes deponunt: ita vt vtantur ſingularibus actibus tanquam ratione ſui dicti: ſed deponunt ſinguli de ſingulis actibus; vnde non remanet aliquid conteſtificatum: atq; adeo nec aptum, vt ſit argumentum ſententiæ. Poteſt tamen iudex repetere teſtes, & facere quòd deponant ſuper illo, quod ex ſingularibus actibus colligitur; quia hoc remanet indiciatum.

13 Hinc patet ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ. Quia licet qualificatio perſonæ tribuat maiorem vim teſtificationi, illam tamen relinquit in ſua ſingularitate; & ideo non facit quòd ſit plena: ſed tantùm illam auget in ratione ſemiplenę probationis.

An teſtes ſingulares ſufficiant ad infligendam leuiorem pœnam ordinaria.

Deciſio CCXVI.

SVMMARIVM.

1 *Quid requiratur, vt ordinaria pœna infligatur.*
2 *Reſponſio affirmatina ad quæſtionem.*
3 *Teſtes ſingulares ſingularitate obſtatiua non ſufficiunt, & cur.*
4 *Teſtes ſingulares ſingularitate obſtatiua nihil probant.*
5 *Neque teſtes ſingulares ſingularitate diuerſificatiua ſufficiunt pro leniori pœna.*
6 *In Quemnam feratur ſententia.*
7 *Quam probationem ſequatur pœna.*
8 *Ordo procedendi non poteſt inuerti in præiudicium rei, & quinam ſit.*
9 *Neque Religioſi poſſunt puniri ſine plena probatione.*
10 *Probatio per ſingulares teſtes non debet eſſe maioris ponderis apud Regulares.*
11 *Quomodo poſſit iudex vti ſingularibus teſtibus ad pœnam infligendam.*
12 *Quem modum procedendi in tali caſu debeat ſeruare.*
13 *An ſufficiant teſtes ſingulares ſingularitate adminiculatiua pro aliqua pœna infligenda.*
14 *Teſtes ſingulares ſingularitate adminiculatiua, licet probent, non tamen plenè.*
15 *Limitatur doctrina* num. 13. *tradita.*

1 VT pœna ordinaria, quæ ſecùndum leges decernitur, infligatur, requiritur, quòd reus quoque ſecùndum leges conuincatur: atque adeo quòd interueniat contra ipſum plena probatio: qualis non habetur per teſtes ſingulares, niſi aliquid aliud concurrat. In eaſu ergo, in quo tantùm teſtes ſingulares concurrunt, deponentes de diuerſis actibus non integrantibus vnum, dubitatur an talis probatio ſuffieiat ad infligendam leuiorem pœnam ordinaria.

2 Reſpondent affirmatiuè Couarru. *lib.* 3. *Variar. Reſolut. cap.* 3. *num.* 5. *verſ. Ex quibus Regij iudices.* Caiet. 2. 2. *quæſ.* 70. *ar.* 2. Sotus *lib.* 5. *de Iuſt. & Iure quæſ.* 7. *ar.* 2. *ad* 2. Sanchez *lib.* 6. *Conſil. cap.* 5. *dub.* 12. *num.* 4. & alij. & ait Sanchez, hoc eſſe in vſu apud Religioſos; vt euitentur tormenta, ad quæ procedunt ſæculares ex his probationibus; quia non ſufficiunt ad damnandum, cum pœnæ ſint apud ipſos acerbiores.

3 Verùm magis diſtinctè procedendum eſt; vnde ſit Prima concluſio. Teſtes ſingulares ſingularitate obſtatiua, qua videlicet in ſuis dictis ſibi inuicem obſtant; non probant ſufficienter pro aliqua pęna infligenda, quantumuis leui. Ratio eſt, Quia cum ſibi inuicem obſtent, reddunt etiam ſibi inuicem teſtificationem ſuſpectam, & quod dicit vnus, deſtruitur per alterum; vnde non remanet aliqua probatio, pro qua poſſit inferri pœna.

4 Hinc communiter docent, huiuſmodi teſtes nihil probare Bal. *in Cap. Licet cauſam. num.* 11. iuncto ver. *Sed vbi Extra de Prob.* Felin. *Cap. Licet ex quadam, ver. Eſt etiam. Extra de Teſtib.* Iaſon. *l. Admonendi num.* 256. *ver. Quædam obſtatiua.* Ripa *num.* 205. Caccialup. *nu.* 92. *ver. Teſtes igitur ff. de Iure iurando.* Rolan. *conſil.* 32. *num.* 16. & *conſil.* 33. *num.* 9. *lib.* 2. Pegna *in Direct. Inquiſ. par.* 3. *com.* 121. *ver. Quo caſu.* Gabr. *lib.* 1. *de Teſtib. conclus.* 2. *num.* 9. Craſſus *lib.* 2. *Commun. Opin. cap.* 17. *quæſ.* 27. *ver. Prædicta concluſio.* Petra *tract. de Fideicom. quæſ.* 12. *num.* 489. *ver. Et de prima*, alios adducens. Farinac. *Pract. Crim. quæſ.* 64. *de Teſtib. num.* 54 qui plures alios citat.

5 Secunda concluſio. Neque teſtes ſingulares ſingularitate diuerſificatiua, qua ſcilicet diuerſa, ſed non contraria deponunt, ſufficiunt ad infligendam pœnam leuiorem ordinaria.

6 Ratio autem eſt, Quia ſententia non fertur, niſi in conuictum, aut ſua ſponte confeſſum. Per hanc autem probationem teſtium ſingularium nemo conuincitur. Et quamuis pœna ſit mitior, adhuc tamen eſt pœna certa, & declarat reum verè eſſe reum; quia non infligitur innocenti, & tamen in foro externo non apparet reum eſſe. Vnde fit ipſi præiudicium eo, quòd ſine pleno iure fori punitur.

7 Neque valet ſi dicatur quòd ſicuti teſtes ſingulares faciunt probationem imperfectã, ita etiam ex vi ipſius poteſt intelligi pœna imperfecta, atque adeo leuior ordinaria. Nam pœna cum reſpiciat delictum, non poteſt infligi, niſi conſtet de ipſo. Vnde non ſequitur qualemcunque probationem, ſed illam, quæ ponit delictum in claro. Neque ex eo quòd ſit leuior, poteſt infligi, niſi delictum ſit manifeſtum; quia ſic non ſeruaretur æqualitas iuſtitiæ; nam delictum eſſet incertum, & pœna certa; iuſtitia autem requirit quòd pœna ſit æqualis delicto nedum in quantitate, ſed etiã in certitudine. Deinde, aut conſtat de delicto: & tunc debet infligi pœna integra ordinaria: aut non conſtat: & tunc, ad ſummum, poſſunt adeſſe indicia, & ſemiplena probatio: atque adeo procedendum eſt eo modo, quo proceditur contra indiciatos.

8 Deinde inuerteretur ordo procedendi iudicialiter in præiudicium rei: & cum res ſit grauis, eſſet peccatũ mortale, huiuſmodi enim ordo exigit quòd ſententia incipiat à plena

proba-

probatione: & quando non eſt plena, ad vlteriora media deueniatur, per quæ poteſt fieri plena, aut alio modo veritas manifeſtari. In caſu autem noſtro prætermitteretur iſte ordo, & ſententia inciperet ab imperfecta probatione. Et licet pœna eſſet leuior, adhuc tamen reus per ſententiam ſubijceretur delicto, & prætermitteretur aliquid, ratione cuius poſſet etiam abſolui; Quia, ſtante imperfecta probatione, fieri poteſt quòd non magis condamnetur quàm abſoluatur.

9 Et hoc etiam extendendum eſt ad Religioſos; Quia non debent eſſe inferioris conditionis, imò melioris. Et cum mitiùs cum ipſis agẽdum ſit: ſicuti nõ plenè probatur delictum, ita nec pro ipſo puniri poſſunt, quamuis pœna ſit mitior; Quia non debent priuari fauore iuris, quod talem modum procedendi præſcribit: vt non deueniatur ad ſententiam, niſi adſit plena probatio. Sed deueniendum eſt ad ea tormenta, quæ conſueta ſunt apud Regulares; cum hæc minus malum ſint, quàm pœna, licet regularis, inflicta ob delictum; quia hæc quamtumuis leuis, relinquit infamiam ex delicto, quæ poterit purgari vel per tormenta, vel aliquo alio modo. Et pœna leuis grauis eſt quando infligitur intuitu delicti; quia eſt quædam cõfirmatio delicti: quod per ſententiã iudicis nõ poteſt confirmari, niſi de ipſo euidenter conſtet. Vnde quia mitiùs cum Religioſis agendum eſt, non debet peruerti forma iuris in præiudicium ipſorum, ſed mitigari.

10 Nec talis probatio per ſingulares teſtes debet eſſe maioris ponderis apud Regulares, quàm apud ſæculares: aut magnam fidem facere, & haberi pro ſufficienti; quia ſequeretur quòd Religioſi minùs fruerentur priuilegio fori, & faciliùs poſſent conuinci; nam huiuſmodi probatio non eſt ſufficiens ſecundum regulam fori. Quod dici non poteſt; Quia ratione ſtatus debent eſſe melioris conditionis.

11 Vt autem poſſit iudex ad ſententiam deuenire ex vi horum ſingularium teſtium, & infligere aliquam pœnam, conſiderandum eſt quidnam colligatur ex teſtificatione ipſorum; ſemper enim colligitur aut mala fama, aut quod ſit prauorum morum, aut aliquid huiuſmodi; quando enim plures actus mali deponuntur de aliquo, quamuis de ſingulis nõ plenè conſtet, conſtat tamen ex ipſis, reum eſſe culpabilem, & criminoſum, promptum ad mala perpetrãda &c. & ideo iudex poteſt ad hoc reſpicere, & pro ipſo reum punire. Et hoc habet locum præcipuè apud Religioſos, apud quos in caſu ſunt pœnæ ſalutares, quæ maximè congruunt illi, qui promptus eſt ad malum ſiuè in vno, ſiuè in alio genere. Et pro hoc facit Rota *deciſ.279.num.4.per Farinac.ad practic.criminalem*. Vbi dicitur teſtes ſingulares probare, quando agitur non principaliter de actibus, circa quos ſunt ſingulares, ſed de effectu, qui ex ipſis reſultat.

12 Quia tamen pœna, neque etiam, ſalutaris infligi poteſt preſertim Religioſis; quia ipſa quoque trahit ſecum infamiam, quæ apud ipſos grauis eſt, niſi de delicto conſtet; ideo debet iudex, vt ritè procedat, articulare proceſſum ſupra id, quod colligitur ex ſingularibus, actibus, de quibus deponunt ſingulares teſtes, & facere quòd de ipſo deponant, & vtantur ſingularibus actibus tanquam ratione ſui dicti; tunc enim fient conteſtes circa id, de quo ſententia feretur.

13 Tertia concluſio. Si teſtes ſint ſingulares ſingularitate adminiculatiua, qua videlicet dictum vnius non eſt quidem dictum alterius, ſed tamen ipſum adiuuat: vt ſi vnus teſtificetur de facto, & alter de confeſſione facti: neque adhuc ſufficiunt pro pœna, etiam leniori, infligenda.

14 Ratio concluſionis eſt, Quia etiam ſi pœna ſit leuior ordinaria, adhuc tamen infligitur per ſententiam condemnationis; hi autem teſtes, licet probent, vt docent communiter Doctores, quos refert Farinac. *in practic. crim. quæſt.64. De teſtib. num.112.* non tamen plenè probant, ſed tantùm ſemiplenè, aut aliquid ampliùs, quàm ſemiplenè. vt notãt Caccialup. *l. Admonendi. num.86. ver. Dicit etiam*, iuncto, *num.92. ver. Teſtes ſingularitatè adminiculatiua, ff. De iureiurando*. Gabr. *Titulo de teſtibus lib.1. concluſ.2. num.65. & ſequent.* & *Tit. De prob. lib.1. concluſ.1. num.5. ver. Sed hoc exemplum*, qui etiam alios citat. Monticell. *in Reper. teſt. Rubrica ſingulares teſtes an, &c.* Corrad. *in pract. §.2. De officio Pretor. in cauſ. ciuil. Tit. De Teſtib. ſect. Dicta teſtium aſſum rubr. De ſingul. teſt. num.23. ver. cumulatiua* eſt. Petra *De Fideicomm. quæſt.12. num.507. & ſequent.* Emmanuel Suarez *in Theſauro Recep. ſent. Litera T. num.156.* Farinac. *in pract. crimin. quæſt.64. De Teſtib. num.113.* Hinc autem fit, vt huiuſmodi probatio non ſit ſufficiens pro pœna infligenda: cum plena probatio ſit neceſſaria, vt iuſtè infligi poſſit per ſententiam condemnationis; Quia ſententia condemnationis requirit reum conuictum, aut ſponte confeſſum; vt diximus *num.6.*

15 Doctrina autem tradita *num.13.* debet intelligi, quòd non ſufficiunt teſtes ſingulares ſingularitate adminiculatiua, quando adminiculatio non eſt talis quòd faciat plenam probationem, iuncta teſtificatione alterius teſtis ſingularis. Fieri enim poteſt, quod faciat tale indicium, quod tamen conſtet per teſtes conteſtes: vt iuncta alterius teſtificatione conſurgat plena probatio. Et in hoc ſenſu ac-

cipiendi ſint Doctores, qui docent teſtes ſingulares adminiculantes plenè probare.

An ſufficiant teſtes ſingulares, vt poſſit iudex aliquando ex iuſta cauſa, ſecùndum ipſos, ſententiam ferre.

Deciſio CCXVII.

SVMMARIVM.

1 *Iudex aliquando ex iuſta cauſa poteſt ferre ſententiam concurrentibus tantùm teſtibus ſingularibus, ſecùndum aliquos.*

2 *Quomodo in hoc ſit diſtinguendum, & quomodo teſtes ſingulares ſingularitate obſtatiua nullo modo ſufficiant.*

3 *Poteſt fundare ſententiam in teſtibus ſingularibus ſingularitate adminiculatiua, aut etiam diuerſificatiua, ſi poteſt ſequi ſcientiam priuatam.*

4 *Quid ſi non poſſit ſequi ſcientiam priuatam, & motiuum iudicandi non ſit in actibus.*

5 *Non ſufficit in ſententia explicare motiuum ſequendi teſtes ſingulares; vt ſecùndum ipſos iudicetur.*

6 *Quid ſi motiuum iudicandi ſecùndum teſtes ſingulares ſit in actis.*

7 *Quid ſi motiuum ſequendi teſtes ſingulares ſit in actis, & ſit intrinſecum cauſæ.*

8 *Quid ſi tale motiuum non adiuuet probationem.*

9 *Quid requiratur, vt iudex poſſit ferre ſententiam innixus ſolis teſtibus ſingularibus.*

10 *Iuſta cauſa iudicandi ſecùndum teſtes ſingulares non poteſt adeſſe, niſi motiuum iudicandi det certitudinem.*

1 RESp. communiter affirmatiuè, contra nonnullos apud Lamberteng. infra citandum; Quia poteſt ex iuſta cauſa ijs credere. Ita Soncin. *lib. 2. conſil. 262. numer. 62. & lib. 3. conſil. 11. num. 6.* Aymon. *conſil. 73. num. 35. & conſil. 78. num. 7.* Petra. *De Fideicomm. quæſt. 12. num. 517. 534. 623. & 705.* Monticell. *in Reper. Teſtium. Verbo* Singulares teſtes. *An &c.* Marſil. *Sing. 14. Incipit vulgatum* Gab. *Tit. De teſtib. lib. 1. concluſ. 2. num. 62.* alios adducens. Couarru. *3. variar. reſolut. cap. 3. num. 5. verſic. Hinc profecto.* Lamberteng. *Tract. de contract. eorum &c. gloſſ. 12. num. 35.* Qui alios quoque refert, Corrad. *in pract. Tit. De teſtib. Rubrica de ſingularit. teſtium num. 25. limit. 3.* Menoch. *De arbit. quæſt. 22. lib. 2. caſu 90. num. 6.* Farinac. *quæſt. 64. De teſtib. num. 310.* Caſtrenſ. *l. Admonendi, ff. De iureiurando colum. 7.* Cæpolla *conſil. 3. in fine*; & alij. Quorum nonnulli addunt, quòd debeat iudex exprimere cauſam, ob quam ſequatur teſtes ſingulares.

2 Verùm hæc doctrina non ita vniuerſaliter accipienda eſt; & primò diſtinguendum eſt de iudice, qui tenetur iudicare ſecùndum allegata & probata: atque de eo, qui poteſt ſcientiam ſuam priuatam ſequi. Rurſus etiam de teſtibus ſingularibus; nam ſi ſint ſingulares ſingularitate obſtatiua nullo pacto ſufficiunt, vt ex quacunque cauſa poſſit iudex illos ſequi: cum nullam fidem faciant: vt diximus *deciſ. 396. num. 4.*

3 Si verò teſtes ſint ſingulares ſingularitate diuerſificatiua, aut adminiculatiua, & tunc poſſit priuatam ſcientiam ſequi; tunc ſi habet talem ſcientiam priuatam, vt faciat ſimul cum teſtibus plenam probationem: quæ ex eo cognoſcitur quòd ſit talis, quia, ſi tranſiret in teſtificationem, faceret ſimul cum teſtibus ſingularibus plenam probationem: tunc poteſt ſecundùm ipſos iudicare; quia iam habet rem in comperto, modo ſibi ſufficienti: atque adeo ſententia ipſius rectè procedit. Si verò non habeat ſcientiam priuatam, ſed aliud motiuum: tunc eſt eadem ratio de ipſo, ac de cœteris iudicibus.

4 At ſi iudex non poſſit ſequi ſcientiam priuatam; Si motiuum ſequendi teſtes ſingulares non eſt in actis, neq. cum ipſis connexum, ita vt non appareat ex ipſis, ſed priuatum ſit: tūc non poteſt iudex ſequi teſtes ſingulares, ſed peccaret ſi ſequeretur. Quia cum non poſſit ſequi ſcientiam priuatam, neque etiam poteſt ſequi motiuum priuatum; cum eadem ſit ratio; vnde peruerteret ordinem procedendi iudicialiter, in præiudicium alterius: cum poſſit tantùm iudicare ſecùndum allegata & probata. Deinde, in tantùm poteſt ſequi hos teſtes ex iuſto motiuo, in quantum motiuum adiuuat eorumdem teſtificationem; tale autem motiuum non adiuuat: quia non eſt in actibus: ad quos tantùm reſpicere debet iudex, qui ſecùndum allegata & probata tenetur iudicare; quia ſententia debet fundari in probatione apparente ex actis, quibus debet eſſe alligata.

5 Neque ſufficit quòd explicet tale motiuum in ipſis actis ſententiæ; quia neq; adhuc adiuuat probationem, cui debet ſententia commenſurari; nam hæc debet antecedere ipſam ſententiam, & tanquam aliquid in actis exiſtens mouere iudicem ad ſententiandum; & proinde adhuc illud motiuum eſt priuatum, quia eſt ipſius iudicis proprium; nam non habetur ex proceſſu: & ideo non eſt publicum motiuum fori, in quo ius ipſius fundetur.

6 Quòd ſi motiuum ex allegatis & probatis habeatur:

habeatur: adhuc conſiderari debet an ſit intrinſecum cauſæ, quæ agitatur, ſeu pertinens ad eſſe ipſius: an verò extrinſecum, ita vt non concernat ad ipſam. Si enim ſit extrinſecum, tunc non eſt ſufficiens, vt iudex ſequatur teſtes ſingulares; quia cum ſit alligatus vt iudicet ſecundum allegata, & probata, eſt etiam iudex particularis, hoc eſt, alligatus ad iudicandum de iis, de quibus formatur proceſſus; & proinde debet reſpicere tantùm eas probationes, & motiua, quæ concernunt articulum, qui in proceſſu intenditur probari. Quòd ſi non concernat, erit extra allegata & probata; quia non adducetur ad probandum quæ ex vi proceſſus intenduntur probari; & iudex non iudicabit ſecundum allegata & probata. Quare ad ſummum faciet indicium ad formandum alium proceſſum.

7 Verùm ſi motiuum ſit intrinſecum cauſæ, tunc conſiderandum eſt, quomodo adiuuet probationem per teſtes ſingulares exhibitam. Si enim ita adiuuat, vt faciat rem certam, poteſt ſequi teſtes ſingulares; quia iam in allegatis, & probatis habet ſufficiens fundamentum: ſi quidem ex vi ipſorum habetur certitudo de eo, de quo iudicari debet; & iudex mouetur ad ita ſentiendum ſicut iudicat; quod cum rationabiliter fiat, ſupponitur quòd ex allegatis & probatis res ſufficienter certificetur; nam trahitur iudex ad ita ſentiendum.

8 At ſi non ita adiuuat probationem, vt ponat rem in claro, ſed adhuc dubiam relinquat; tunc non poteſt iudex ſequi teſtificationem teſtium ſingularium; quia tunc non adeſt iuſta cauſa. Neque enim iuſtum eſt quòd iudex pronunciet ſententiam aliter, ac ipſe ſentit ex vi allegatorum & probatorum, quibus debet eſſe alligata. Non poteſt autem ita ſentire ſicut pronunciat, niſi allegata moueant ad ita certò ſentiendum; quod non præſtant quando teſtes ſunt ſingulares, & motiuum non ita adiuuat probationem, vt ponat rem in claro; cum hoc implicet in terminis.

9 Deinde, Vt iudex ex iuſta cauſa iudicet ſecundum teſtes ſingulares, debet ipſa cauſa continere iuſtitiam ſententiæ; alioquin ſi non redderet ſententiam iuſtam, ſaltem iuncta cum teſtibus ſingularibus, non eſſet iuſta cauſa; quia non eſſet iuſtum quòd ratione ipſius ita ſententiaretur; non poteſt autem reddere ſententiam iuſtam, niſi ſit talis, vt exigat ita iudicari. Verùm non poteſt exigere quòd ita iudicetur, niſi moueat iudicem ad ſentiendum, rem ita eſſe. Quod fieri non poteſt, niſi reddat rem certam ipſi iudici.

10 Rurſus, Ideo non poteſt iudex ferre ſententiam iuxta teſtificationem teſtium ſingularium, niſi interueniat iuſta & rationabilis cauſa; quia talis teſtificatio relinquit rem dubiam: ſententia autem iudicis requirit in re, de qua procedit, certitudinem: quia debet eſſe commenſurata obiecto, vt iuſta ſit: & non poteſt eſſe iuſta, ſi ab ipſo diſcrepet; quod contingeret, ſi res eſſet dubia; quia ſententia procedit abſoluto modo, & certò pronunciat rem ita eſſe, E contra autem poteſt iudex ſequi teſtes ſingulares, ſi habeat iuſtam cauſam; & ideo requiritur iuſta cauſa, vt ſententia iuſtè feratur. Ergo vt ſit iuſta cauſa, & faciat ſententiam iuſtè ferri, debet ſupplere id, quod deficit ex parte teſtium ſingularium, cuius defectu ſententia non ferretur iuſtè; hoc autem eſt certitudo; ideo namque teſtes ſingulares præcisè non ſufficiunt: quia relinquunt rem in dubio.

An teſtis habens aliqualem probabilitatem quòd iudex non legitimè interroget, teneatur teſtificari contra reum.

Deciſio CCXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Teſtis putans probabiliter quòd iudex legitimè non interroget, non tenetur reſpondere, quando vita rei eſt precioſa.*
2 *Cur non teneatur reſpondere.*
3 *Nec etiam tenetur reſpondere, quicunq; ſit reus.*
4 *Quòd non reſpondeat non præiudicat communitati.*
5 *Si tamen reſpondeat, non peccat.*
6 *Quomodo in hoc non abſtet charitas, qua tenetur diligere proximum ſicut ſeipſum.*

1 RESpond. negatiuè Sotus *de tegendo ſecreto memb. 7. quæſ. 2. concluſ. 3.* Villalob. *1. par. Sum. tract. 1. difficul. 8.* ſi reus ſit perſona, cuius vita ſit pretioſa in Repub. quia tunc tenetur ſequi opinionem probabilem, quòd non teneatur.

2 Quam doctrinem puto eſſe veram: ſed non rectè limitari ad reum, cujus vita eſt pretioſa; quia ratio, quæ hic militat, militat etiam reſpectu cuiuſcunque rei. Ideo enim non tenetur reſpondere: quia putat probabile, quòd iudex non interroget legitimè; & conſequenter eſt etiam probabile, quòd non teneatur reſpondere; nam ſolùm tenetur reſpondere iudici legitimè interroganti; non autem quia eſt reus perſona, cuius vita eſt pretioſa; nam ſi conſtaret quòd legitimè interrogatet, teneretur reſpondere, etiam ſi reus eſſet eiuſdem conditionis; vnde quòd non teneatur ſolum

ſum

lùm prouenit ex probabilitate opinionis.

3 Itaque ſemper, quicunque ſit reus, poteſt teſtis non reſpondere, aut vti æquiuocatione, quando habet aliquam probabilitatem quòd iudex aut non ſit legitimus, aut iuridicè non interroget; quia ſemper poteſt ſequi ſuam opinionem probabilem, etiamſi habeat minimum gradum probabilitatis; quia dummodò probabilis ſit, eſt conformis rectæ rationi: atque adeo qui ſecùndum ipſam operatur, cum conformitate ad rectam rationem operatur.

4 Nec obſtat quòd interſit communitati quòd mali puniantur, quia non ſit per hoc aliqua iniuria eidem communitati; nam tunc teſtis non ſubtrahit aliquid, quod ſit debitum communitati: quia agit cum iudice, vt cum eo, qui non interrogat legitimè: & proinde vt cum eo, qui non gerit partes communitatis; quia ſolùm gerit quatenus iuridicè interrogat; vnde nihil ſubtrahit communitati, ſed ſolùm negat teſtimonium illi, cui non eſt debitum.

5 Quæres, an in tali caſu peccet teſtis, qui reſpondet iudici: cum id ſit in præiudicium proximi. Reſp. Non peccare, Quia poteſt ſequi oppoſitam opinionem probabilem, nimirum quòd iudex iuridicè interroget: atq; adeo, quod teneatur reſpondere. Eſt enim in poteſtate cuiuſcunque ſequi quamcunque opinionem probabilem.

6 Nec poteſt obijci, quòd teneatur diligere proximum ſicut ſeipſum: vnde ſicuti non reſponderet, ſi ageretur de ſeipſo, ita nec etiam debet reſpondere dum agitur de proximo; alioquin facit contra debitam charitatem. Nam hoc eſſet verum quando non adeſſet oppoſita opinio probabilis, quòd teneatur reſpondere; quia tunc non concurreret proximus cum proximo; cum autem concurrat proximus cum proximo, nempe Communitas quam non minùs tenemur diligere quàm proximum, & reus: & adſit opinio probabilis in fauorem vtriuſque, eſt etiam in noſtra poteſtate vnum alteri præferre, & ſequi quamcunque opinionem.

An in dubio, quòd iudex legitimè interroget, teneatur teſtis reſpondere, & fateri veritatem.

Deciſio CCXIX.

SVMMARIVM.

1 *Reus, & teſtes dubij, an iudex legitimè interroget, tenentur reſpondere, ſecùndùm Sanctum.*
2 *Non tenentur reſpondere.*
2 *Nemo tenetur ſoluere debitum dubium.*
3 *Dubium de legitima interrogatione iudicis facit quòd teſtis non poſſit conſtringi ad reſpondendum.*
4 *Dubium, an iudex legitimè interroget, facit dubiam poſſeſſionem interrogandi.*
5 *Certa poſſeſſio libertatis in teſte vincit ius dubium iudicis.*
6 *Melior eſt conditio poſſidentis in dubio, quando ius poſſidendi ex vtraque parte eſt dubium.*

1 EAdem eſt ratio de teſte, ac de reo: vnde quod traditur de vno, debet etiam dici de altero; imò maior ratio eſt de teſte: quia non deponit contra ſeipſum, ſicut reus reſpondet contra ſeipſum. Loquens autem de reo, Reſpondet Sanchez *in Select. diſp. de Sacram. diſp.* 43. *num.* 28. quòd tenetur reſpondere, & veritatem dicere. Vnde, à fortiori, idem dicet de Teſte; Quia nimirum iudex eſt in poſſeſſione præcipiendi, & interrogandi; qua non debet priuari ob ius dubium ſubditi, ſeu teſtis, quod habet ad non reſpondendum, ex eo quòd dubitat, an iudex legitimè interroget; neque enim ius dubium poteſt vincere ius certum: & in dubijs melior eſt conditio poſſidentis.

2 Hoc tamen non obſtante, exiſtimo non teneri reſpondere, & dicere veritatem; quia iudex ſe habet vt actor repetens quod ſuum eſt à teſte, nempe teſtimonium ipſius; vnde debet conſtare quòd iuſtè repetat: & quandiù non conſtat, non tenetur teſtis ſoluere; nemo enim tenetur ſoluere debitum dubium, nec creditor poteſt ipſum exigere, quandiù eſt dubium, ſed tenetur ipſum liquidare. Et ſicut ſi creditor coram iudice citaret debitorem, & debitor allegaret incertitudinem debiti, non poſſet à iudice condemnari ad ſoluendum, niſi creditor faceret conſtare de debito: ita ſi iudex citaret teſtem nolentem deponere coram alio iudice, non poſſet conſtringi ad deponendum, dum allegaret iudicem non interrogare legitimè niſi iudex faceret conſtare ſe legitimè interrogare.

3 Ex hoc autem ſit, quòd neque dum interrogatur à iudice, teneatur teſtis reſpondere, ſi dubitet quòd non legitimè interrogetur; quia in tantùm teneretur, in quantùm iudex habet ius ad exigendam illam teſtificationem; non habet autem ius, niſi legitimè interroget; vnde quando eſt dubium, an interrogatio ſit legitima, eſt etiam dubium ius iudicis; & ideo in foro iudiciali nõ adeſt ſufficiens fundamentum conſtringendi teſtem ad deponendum. Quia autem eſt idem fundamentum in foro iudiciali, & in foro conſcientiæ, quò ad obligationem teſtis in reſpondendo, ideo ſi non

poteſt

Digitized by Google

poteſt conſtringi ad reſpondendum iudici in foro iudiciali externo, nec etiam conſtringetur in foro conſcientiæ.

4 Nec poteſt dici quòd iudex ſit in poſſeſſione præcipiendi, & interrogandi, quia eius poſſeſſio ſicut eſt ſolùm ſecùndum aſſiſtentiam iuris, ita etiã ſolùm eſt ad legitimè interrogandum; vnde quando adeſt dubium, an legitime interroget, redditur etiam dubia poſſeſſio, & ius; quia redditur dubia aſſiſtẽtia iuris ad manutenendam poſſeſſionem. E contra autem, teſtis habet certam poſſeſſionem ſuæ libertatis ad non reſpondendum; quia obligatio reſpondendi non conſurgit niſi ex iure interrogandi, quod eſt apud iudicem: vnde ex dubio iure interrogandi non poteſt conſurgere niſi dubia obligatio ad reſpondendum: dubia autem obligatio non prævalet certo iuri, & certæ poſſeſſioni propriæ libertatis.

5 Vnde non ius dubium teſtis vincit certum ius, & certam poſſeſſionem iudicis: quia tunc iudex non habet hanc certam poſſeſſionem, & certum ius; ſed certa poſſeſſio propriæ libertatis, quæ eſt in teſte, vincit dubiam obligationem teſtis, & dubium ius iudicis. Semper autem certum debet vincere dubium.

6 Cum autem dicitur, Quod in dubijs melior eſt conditio poſſidentis, intelligitur quando concurrit dubium cum dubio, quo ad rem poſſeſſam, & ex neutra parte aliquid certum reperitur quod vincat, & determinet dubium; tunc enim res debet manere apud poſſidentem. Quando autem ex altera parte adeſt aliquid certum, quod determinat dubium, vt in caſu noſtro, in quo adeſt certa poſſeſſio libertatis ex parte teſtis: non eſt melior conditio poſſidentis: ſed illius, qui habet pro ſe aliquid certum; tunc enim ſequendum eſt hoc certum: & proinde in foro exteriori iudex feret ſententiam in noſtro caſu in fauorem teſtis, innixus certæ poſſeſſioni propriæ libertatis, quam ipſe teſtis habet.

An teſtis teneatur reſpondere iudici in præiudicium affinium, & conſanguineorum.

Deciſio CCXX.

SVMMARIVM.

1 *Teſtis non tenetur reſpondere iudici in præiudicium affinium, & conſanguineorum.*

2 *Lex non obligat, niſi quatenus eſt tolerabilis.*

3 *Cur non ſit tolerabile obligari ad teſtificandum contra affines, & conſanguineos.*

4 *Ad quem gradum affinitatis, & conſanguinitatis hoc extendatur.*

5 *In cauſa Fidei, & proditionis Reipublicæ tenetur teſtis deponere contra affines, & conſanguineos.*

6 *Etiam in cauſa læſæ maieſtatis, quando perſona Principis eſt offenſa.*

1 RESP. negatiuè cum Sanchez *in ſelect. diſput. de Sacram. diſput.*43 *num.*32. & deſumitur etiam ex *l. Lege Iulia iudiciorum, ff. De teſtibus*; quando nimirum ex tali teſtificatione graue damnum imminet affini, aut conſanguineo.

2 Ratio eſt, Quia lex non obligat niſi quatenus eſt tolerabilis, & conſentanea conditioni humanæ: non eſt autem tolerabile, quod quis deponat contra ſibi ſanguine coniunctum, aut contra affinem.

3 Quod ſi quæras, cur hoc non ſit tolerabile. Reſp. hoc non eſſe tolerabile: quia ſpecialis coniunctio, quæ eſt inter conſanguineos, & affines requirit etiam ſpecialem amorem, & charitatem, ratione cuius vnus reputet proprium quod eſt alterius; quia ſicuti ſpeciali modo debent eſſe vnum in amore, & charitate, ita etiam ſpeciali modo debent inuicem propria communicare ſicuti autem nemo tenetur accuſare ſeipſum etiam ſi interrogetur: ita nec contra eos teſtimonium dicere, quos ratione conſanguinitatis, aut affinitatis habet vt aliquid ſui, & quibus eadem debet, quæ ſibi ipſi.

4 Si autem quæras, an hoc extendatur ad omnem gradum conſanguinitatis, & affinitatis. Reſp. negatiuè: ſed ſolùm vſque ad quartum gradum: vt notat Sanchez *citatus*, & in ſimili caſu alter Sanchez, *lib.* 4. *de Matrimonio diſp.*4. *num.*11. & 12. Nam talis gradus videtur eſſe terminus illius ſpecialis coniunctionis, quæ eſt inter affines, et conſanguineos. Vnde etiam talis gradus terminat prohibitionem coniunctionis matrimonialis.

5 Excipienda tamẽ eſt cum Sanchez *citata diſput.*43. cauſa Fidei, & proditionis Reipublicæ. Quia ſicut conſeruatio Fidei præferenda eſt, tanquam cauſa ipſius Dei, conſanguinitati, & affinitati: & ſimiliter etiam Reſp. tanquam bonum commune, & publicum bono priuato, & particulari conſanguineorum, & affinium: ita etiam obligatio ad conſeruationẽ Fidei, & Reipublicæ procurandam obligationi procurandi commodum affinium, & conſanguineorum; vnde etiam, concurrente damno Fidei, & Reipublicæ cum damno affinium, aut conſanguineorum hoc illi poſtponendum eſt.

6 Ex-

6 Excipienda eſt etiam cauſa læſę maieſtatis: quando perſona Principis offenſa eſt; quia perſona Principis, vt caput Reipublicæ, præferenda eſt cuicunque perſonæ priuatæ, & etiam publicæ, cum ipſa ſit ſuprema, & ideo obligatio ad ipſum præualere debet obligationi, quæ ſit ad quamcunque aliam perſonam: & conſequenter concurrente Principe cum affinibus, & conſanguineis, ipſe præferendus eſt.

De Virginitate probanda.

An ad teſtificandum de Virginitate requirantur ſeptem, quæ inſpexerint.

Deciſio CCXXI.

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmatiua.*
2 *Auctoritas Cap.* Propoſuiſti. De probat.
3 *Quot obſtetrices requirantur, quando adeſt ſuſpicio contra mulierem prægnantem.*
4 *Non requiruntur ſeptem mulieres ad teſtificandum de Virginitate.*
5 *Cur non requiratur iſte numerus.*
6 *Ad inſpiciendum de Virginitate non ſunt adhibenda fœminæ imperitæ.*
7 *Nec etiam ſuſpectæ de veracitate.*
8 *Explicatur tex. Cap.* Propoſuiſti *quò ad ſeptem mulieres.*
9 *Decretum iuris de quinque obſtetricibus pro muliere prægnante non debet extendi ad mulieres inſpicientes de Virginitate.*

1 PRima ſententia requirit ſeptem mulieres, quæ ex inſpectione teſtificent. Ita docet Ful. Pacianus *lib. 2. De probat. cap. 2. num. 26.*

2 Prob. primo ex Cap. *Propoſuiſti De probationibus.* Vbi habetur *Iuramento Puellæ, & teſtimonio illarum ſeptem mulierum eſt potiùs fides adhibenda,* ergo requiruntur ſeptem.

3 Secundo. Quando adeſt ſuſpicio contra mulierem prægnantem requiruntur quinque obſtetrices *l. 1. §. Si omnes, vel plures. ver. Mittantur autem mulieres, ff. De ventre inſpiciendo.* iuncta Gloſſa *ibid. Verbo quinque, &c.* Ergo multò magis ad teſtificandum de Virginitate: cum regulariter hoc contingat aut in ordine ad diſſoluendum matrimonium, aut ad diſpenſandum in aliquo impedimento matrimonij.

4 Oppoſitam ſententiam tenent Gloſſa *Cap. Nec aliqua, Verbo* Obſtetricum *27. quæſt. 1.* Baldus *Capit. Propoſuiſti. De Probat. numer. 4. ver. Item quia* Sanchez *lib. 7. De Matrim. diſp. 109. num. 8.* & alij. Et hæc ſententia veriſſima eſt.

5 Hoc autem certum fit ex eo, quòd nulla lege requiritur iſte numerus: & aliunde habemus, quòd ſiue ſegerant vt teſtes, ſiue, vt iudices, non eſt neceſſarius iſte ſeptenarius numerus: & ideo non eſt aſſerendus vt neceſſarius; cum ſit in præiudicium, & fœminæ, quæ inſpicitur: quia eſt contra naturalem honeſtatem pluribus ſe inſpiciendam præbere; et ideo quando ſe exhibet inſpiciendam ijs, quibus non tenetur ſe exhibere, patitur præiudicium: & earum, quæ inſpiciunt: quia præiudicium patiuntur, quò ad veracitatem.

6 Neque obſtat, quod fœminæ inſpicientes aut non ſint peritæ, aut non ſint veraces; Quia ſi non ſunt peritæ, non ſunt delegandæ ad inſpiciendum: quia non poſſunt iuuare forum, & fit contra naturalem honeſtatem fœminæ, quæ inſpicitur; quod eſt in re graui contra iuſtitiam.

7 Si verò non ſunt veraces, non ſunt eadem de cauſa delegandæ: quia ex earumdem teſtificatione nihil certi habetur; & ideo inſpectio illa inutilis eſt, & alioquin eſt contra naturalem honeſtatem. Vnde in hoc caſu non debent delegari niſi illæ, quæ ratione veracitatis, & peritiæ poſſint exhibere vtilem teſtificationem. Quod ſi ex his plures, quàm ſint neceſſariæ delegentur, fit contra naturalem honeſtatem fœminæ, quæ inſpicitur.

8 Ad primum oppoſitæ ſent. reſp. in illo Cap. *Propoſuiſti* narrari factum, in quo ſeptem fœminæ fuerant inſpectrices: non autem decerni, quòd ſeptem ſint neceſſariæ; & ideo cum neque alibi id decernatur, non eſt hoc inducendum tanquàm neceſſarium.

9 Ad 2. verò, Negatur conſeq. quia lex illa decernit tantùm de illo caſu ſpeciali: & non debet fieri extenſio ad alios, propter ſingularem rationem illius caſus. Lex enim illa procedit de fœmina, quæ ſe ingerit in hæreditatem, quia dicit ſe eſſe prægnantem; quod cum ſit in præiudicium hæredum, & ſuſpecta ſit fœmina: ideo debet plures obſtetrices adhiberi propter periculum ſubornationis. Hinc quando mulier non ſe ingeſſit; quia non adeſt ſuſpicio, ſufficiunt tres. Vt notat Gloſſa *ibid. Verbo* quinque.

An

An ad inſpiciendum, & teſtificandum de Virginitate ſufficiat vnica Matrona.

Deciſio CCXXII.

SVMMARIVM.

1 *Sententia negatiua.*
2 *Vnius teſtiſicatio non facit integram fidem.*
3 *Cautè in arduis procedendum.*
4 *Quomodo procedendum, quando agitur de diſpendio animarum.*
5 *Quando vna ſola matrona ſufficiat, ſecundum aliorum ſententiam.*
6 *Si vna matrona ſuffieit, quando nulla alia reperitur, ſemper ſufficiet.*
7 *Vnica tantùm matrona ſufficit ad inſpiciendum de Virginitate.*
8 *Periti in arte cum deponunt de aliqua re, ſe habent vt iudices.*
9 *Teſtes non poſſunt recuſari, ſed ſolùm contra ipſos obijci poteſt.*
10 *Iudex poteſt eſſe vnicus tantùm.*
11 *Quomodo matronæ inſpicientes de Virginitate, dicantur teſtes.*
12 *Neque in ordine ad depoſitionem de re iudicata ſunt teſtes.*
13 *Suſpicio tàm habet locum in iudicibus, quàm in matronis inſpicientibus de Virginitate.*
14 *Diſpoſitio Authent.* De non alienan. *non extenditur ad hunc caſum.*
15 *Iura non curant minùs vtilitatem* Eccleſiæ, *quàm res alias.*
16 *Etiam in arduis vni tantùm ſolet committi iudicium.*
17 *Tutiſſimè proceditur, quando res committitur perito.*

1 NOn ſufficere in quocunque caſu abſolutè docent Abbas *Cap. Propoſuiſti num. 5. de Probat.* Garzia de *Expenſ. cap. 24. num. 20. &* 22. Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſp. 113. nu. 17.*

2 Prob. Quia vnius teſtificatio quauis dignitate præditi non facit integram fidem: l. *Iuris iurandi in fine C. de Teſtib.* & Cap. *Licet vniuerſis de Teſtibus* per nullum autem alium textum excipitur præſens caſus.

3 Deinde, cum cauſa, in qua teſtificandum eſt de Virginitate, ſit valdè ardua; quia vt plurimùm eſt in ordine ad diſſoluendum matrimonium, & concedendam facultatem tranſeundi ad alias nuptias (quod eſt in magnum præiudicium matrimonij) cautè admodum procedendum eſt, nec innitendum vnico tantùm teſtimonio.

4 Deniq; agitur de diſpendio, & periculo animarum: & ideo tutiſſimè eſt procedendum; quod fieri non poteſt, ſi vnica tantùm matrona, quanrumuis perita teſtificetur.

5 Secunda ſententia aſſerit, Vnam matronam ſufficere, ſi ſit perita, dummodo in eodem oppido non adſint plures. Ita Bartol. *l. 1. num. 4. C. de Ponderat.* & *l. Fin. in fine C. Ad legem Corneliam de Sicarijs.* & *l. 1. nu. 4. ver. Sed quæro. ff. de Ventre inſpiciendo.* Ancharan. *Cap. Laudabilem, num. 1. notab. 6. de Frigidis.* Anton. *Cap. Propoſuiſti num. 6. de Probat.* Aretin. *ibid. num. 12. & 13.* Pacianus *lib. 1. de Probat. cap. 47. num. 135.* Maſcar. *de Probat. concluſ. 1174. num. 21.* Decius *Cap. Propoſuiſti de Probat. nu. 18.* Felin. *ibid. num. 7. ver. Fallit tertio.* Bald. *eodem titulo cap. penult. num. 3.* Barbat. *ibid. num. 12.* Gomez *tom. 2. Variar. cap. 9. nu. 5.* Aduerte tamen Auctores citatos in Cap. *Propoſuiſti,* & Cap. *penult. de Probat.* loqui de matrona aſſumpta ad inſpiciendum de Virginitate: alios verò loqui vniuerſaliter de peritis in arte ad teſtificandum in re ardua.

6 Verùm, ſi quando in oppido reperitur vnica tantùm matrona perita, ſufficit: non video, cur ſemper non ſufficiat; cum ſit ſemper idem periculum erroris, ſiue adſint plures in oppido, ſiue non. Et ſicut, quia ad faciendam plenam probationem requiruntur plures teſtes, nunquam vnus ſufficit, etiam ſi ſolus adſit, ita & in caſu præſenti.

7 Vnde, ſaluo meliori iudicio, cenſerem in rigore ſemper ſufficere vnicam matronam ad inſpiciendum de Virginirare, dummodo tamen ſit perita, ita vt cenſeatur ſufficiens ad iudicandum de Virginitate.

8 Ratio huius concluſionis eſt, Quia matrona ac omnes in arte periti, qui de aliqua re deponunt, ſe habent vt iudices, quibus committitur, vt iudicent de tali re ſecùndum artis peritiam. Bartol. *in Tract. de Teſtim. num. 12.* Baldus *l. 2. num. 4. ff. de Ferijs.* Decius *Cap. Propoſuiſti num. 53. in nona edit. ver. Vltimò de iſtis peritis. de Probat.* Felin. *ibid. num. 9.* Pacianus *lib. 2. de Probat. cap. 47. num. 15. & 94.* Sanchez *lib. 7. de Matrimonio diſp. 113. nu. 7.* Io: Garzia *de Expenſ. cap. 24. num. 18.* & alij. Quòd etiam conſtat ex facto, nam à iudice delegantur, vt iudicent an mulier ſit virgo, an verò corrupta; vnde ſuper hac re ferre debent ſuam ſententiam. Et deſumitur etiam ex Cap. *Quia iudicante de Præſcrip.*

9 Quod etiam ex eo conſtat, Quia licet contra teſtium fidem poſſit obijci, non tamen poſſunt recuſari; quia Recuſatio eſt iuriſditionis declinatio. Speculat. *tit de Recuſ. initio,* & teſtes nullam iuriſdictionem habent: Matronæ autem deputatæ ad inſpiciendum recuſari poſſunt Cap. *Cauſam matrimonij de Probat.* vt docent
10 etiam Auctores *num. præced. allegati.* Cum igitur ſint iudices, poteſt vnicus tantùm delegari,

legari: vt conſtat ex praxi tam in foro ciuili, quàm in criminali. Quod in modo dictis fundatur; quia non eſt in præiudicium partium, quòd iudex ſit vnus; quia poteſt recuſari; at teſtes non poſſunt recuſari: & ideo plures eſſe debent.

21 Neque obſtat Cap. *Propoſuiſti de Probat.* vbi habetur: *Septem illarum mulierum teſtimonio fides eſt potius adhibenda*; quia vocantur teſtes impropriè, quatenus ſuam ſententiam deferunt in iudicium; ſicut etiam in Cap. *Fin. de Frigidis*. vnde Bald. *l. Data opera num. 23. ver. Si autem non eſt verus. C. De his, qui accuſare non poſſunt*, vocat huiuſmodi peritos, teſtes præſumptiuos.

22 Quòd ſi quis vrgeat, non eſſe teſtes, quatenus iudicant in re ardua ſecundum artis peritiam: eſſe tamen teſtes, quatenus deponunt de qualitate rei iudicatæ: & ideo cum iudicium fiat in ordine ad hanc depoſitionem, non poſſe per vnum exerceri. Reſp. Neque in ordine ad hanc depoſitionem eſſe teſtes; quia iudex non vtitur ipſorum dicto in iudicando, ſed ipſorum iudicio, ſeu ſententia, quam ipſi præſentant iudici; vt ſupra ipſam poſſit aliam ſententiam fundare.

23 Neque etiam obſtat, quòd poſſit vna matrona in fauorem partis aliter iudicare, ac res ſe habeat: & ideo ad tollendam hanc ſuſpitionem neceſſe eſſe, plures adhibere. Quia hoc etiam contingere poteſt in iudicibus: & tamen non per hoc fit, quòd vnus non ſufficiat; Deinde ſi adſit ſuſpicio huiuſmodi, poteſt recuſari, & ita periculo obuiam iri. Sicuti neque etiam, quòd abſque fraude matronæ poſſit contingere deceptio, eo quòd oculus, vel manus fallatur: vt inſinuatur Cap. *Cauſam matrimonij de Probat.* quia hoc ſimiliter habet locum etiam in cœteris iudicibus, qui poſſunt decipi in expendendis probationibus adductis à partibus.

24 Et ſi rurſus obiciatur Diſpoſitio Authent. *De non alienando §. Quod autem. collat.* 2. vbi decernitur: Pro æſtimando rei valore adhibendos eſſe duos peritos, ſi adſint; ſufficere tamen vnum, ſi plures non reperiantur. Reſp. Huiuſmodi determinationem non eſſe extendendam ad noſtrum caſum, propter ſpecialem rationem, quæ in ipſo militat; agitur enim de inſpectione, quæ eſt contra naturalem honeſtatem: & ideo coarctanda eſt, quò magis fieri poteſt; & cum textus non agat de ipſa, non poteſt ob ſimilitudinem rationis ad noſtrum caſum extendi. Adde quòd cum ſubditur. Sufficere vnum, ſi plures non reperiantur, manifeſtè indicat non eſſe plures neceſ-
25 ſarios. Et ſi ſufficit vnus, quando conſulendum eſt vtilitati Eccleſiæ pro re aliqua æſtimanda (nam de hoc agitur in illo §.) ſufficiet etiam in quocunque alio caſu; quia cum iura non minus debeant facere pro vtilitate Eccleſiæ, quàm pro quocunque alio, non eſt dicendum quòd magis proſpiciant cœteris rebus, quàm Eccleſiæ vtilitati: & minorem cautelam ponant pro iſta, quàm pro alijs rebus.

16 Hinc ferè ſoluta manent argumenta in oppoſitum; nam quod ſpectat ad primum, Diximus, matronam inſpicientem non eſſe teſtem, ſed iudicem. Ad 2. vero dicimus, Quod etiam in rebus arduis iudicium vni tantùm ſolet committi: dummodo ſufficiens habeatur pro ferenda ſententia; & ſicut vnus tantùm fert ſententiam pro diſſolutione matrimonij: ita etiam vnus tantùm ferre poteſt ſententiam de Virginitate: quod eſt aliquid minus.

17 Vnde etiam ad numerū teſtium dicitur, quòd eadem ratione non ſufficeret vnus tantùm ad ferendam ſententiam pro diſſolutione matrimonij. Verùm tunc tutiſſimè proceditur; quando res committitur perito; non enim numerus, ſed peritia æſtimanda eſt. Sic etiam quando confeſſarius peritus eſt, poteſt quilibet ſecura conſcientia ſequi directionem ipſius abſque vllo ſcrupulo: nec eſt neceſſe plures confeſſarios conſulere.

An poſſint plures Matronæ delegari ad inſpiciendum de Virginitate.

Deciſio CCXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Ratio dubitandi. Eſt contra naturalem honeſtatem ſecreta fœminæ inſpici.*
2 *Poſſunt plures delegari ad inſpiciendum de Virginitate.*
3 *Periculum deceptionis in inſpiciendo de Virginitate.*
4 *Quæ ſit rationabilis cauſa delegandi plures, quæ inſpiciant de Virginitate.*
5 *Quando non ſit contra naturalem honeſtatem, mulierem ſe exhibere inſpiciendam.*

1 RAtio dubitandi deſumitur ex dictis in ſuperioribus. Diximus enim, vnicam ſufficere: & cùm ſe exhibere inſpiciendam ſit contra naturalem honeſtatem mulieris, quò à pluribus inſpicitur, eo magis eſt contra naturalem honeſtatem; vnde cum vna ſufficiat, eſſet in præiudicium naturalis honeſtatis plures delegare.

2 Reſpondendum tamen eſt. Poſſe plures delegari. Ita tenere debet omnes allegati in *praeced.* Deciſ. pro prima, & ſecunda ſentent.

Et

Et deſumitur ex Cap. *Propoſuiſti, & Cap. Cauſam matrimonij De probationibus*. & Cap. *Fin. De Frigidis.*

3 Et ratio etiam in text. indicatur: quia videlicet in huiuſmodi inſpectione poteſt facilè contingere deceptio; vnde text. habet, Quòd *ſæpe manus, & oculus fallitur*: ideo ad euitandam deceptionem poſſunt plures delegari, quia difficiliùs plures, quàm vna decipi poſſunt.

4 Aduerte tamen. Non poſſe plures delegari niſi ex rationabili cauſa: quæ tunc contingit; quando nulla eſt adeo perita, vt poſſit iudex illius iudicio abſolutè ſtare; alioquin illicitum eſſet: quia eſſet in præiudicium graue mulieris inſpiciendæ. Quòd ſi poſſet ſtare iudicio vnius ratione peritiæ; haberet tamen ſuſpectam probitatem ipſius: tunc non debet iſtam nec ſolam, nec ſimul cum alijs delegare: quia cum non ſit apta vt iudicet, ad nihil deſeruit: & ideo in præiudicium naturalis honeſtatis inſpicit fœminam.

5 Ad rationem dubitandi Reſp. vnicam ſufficere, quando concurrunt debitæ circumſtantiæ. Quando autem rationabiliter vnica non ſufficit, tunc, ſi plures delegentur, nullum fit præiudicium naturali honeſtati: quia ſuppoſito quòd fœmina ſit inſpicienda, debet ab omnibus illis inſpici, quæ ſunt neceſſariæ; nec eſt contra naturalem honeſtatem quòd inſpiciatur; quia eſt neceſſarium ob finem, cui debet ſubiacere naturalis honeſtas.

De Electione, Electore, & Eligendo.

An electores committant ſimoniam, paciſcendo: Elige tu illum, & ego eligam iſtum, quem tu mihi proponis.

Deciſio CCXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia.*
2 *Licet commutare ſpirituale cum ſpirituali.*
3 *Sententia affirmatiua, & eiuſdem auctores.*
4 *In electione duo conſiderantur.*
5 *Pactum de electione ſecùndum ſubſtantiam, eſt ſimoniacum.*
6 *In quo præcipuè conſiſtat ſimonia.*
7 *Pactum de commodò electionis non videtur ſimoniacum.*
8 *Cur tamen ſit ſimoniacum.*
9 *Simonia non coarctatur ad commutationem ſpiritualis cum temporali.*
10 *Iura prohibent omne pactum circa ſpiritualia.*
11 *Quomodo commutatio ſpiritualium adinuicem ſit licita. Vbi exponitur Cap.* Ad quæſtiones, De rerum permutatione.

CAſus iſte frequens eſt aut ſub his, aut ſub alijs huiuſmodi terminis: nam aliqui dicunt: ſi me eliges in Prouincialem, ego te eligam in Priorem: aut alio ſimili pacto ſolent electores conuenire inter ſe, permutando vnam electionem cum alia.

1 Negatiuam ſentent. tradunt Arragon. 2. 2. *quæſt.* 100. *artic.* 1. Victoria *Relect. de ſimon. num.* 17. Sotus *lib.* 9. *De Iuſt. & Iure quæſt.* 5. *artic.* 2. *ad* 3. Sanchez *tom.* 2. *opuſc. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 44. *num.* 3. & alij Recentiores: Quia videlicet nihil temporale datur pro ſpirituali: ſed ſpirituale cum ſpirituali commutatur.

2 Deinde. Iura prohibent tantùm commutationem beneficiorum; quod cum ſit quid pœnale, non debet extendi ad alia. Imò Cap. *Ad quæſtiones. De rerum permut.* habetur per ſe licere commutare ſpirituale cum ſpirituali. Quod etiam tradit Gloſſa *ibid.*

3 Affirmatiuè autem reſp. Petrus Nauarr. *De reſtit. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 386. Syluester *in ſumm. Verbo* ſimonia *quæſt.* 16. *in fine* Armila *eodem Verbo num.* 42. Tabiena *ibid. quæſt.* 45. *num.* 46. Lopez *par.* 1. *Inſtruct cap.* 299. Riccard. *in* 4. *diſtin.* 25. *ar.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 1. Diana 3. *par. tract.* 2. *reſolut.* 125. & *par.* 4. *tract.* 4. *Miſcellan. reſolut.* 150. Rodriquez *in Compend. quæſt. Reg. reſolut.* 129. *num.* 3. Villalobos in *ſum. tom.* 2. *tract.* 37. *difficult.* 24. Portel. *in dub. Reg. verbo* ſimonia, *num.* 1.

4 Sed ego diſtinguendum exiſtimo. In electione enim duo debent conſiderari; Subſtantia nempe electionis, quæ dicit ipſam vocationem perſonæ dignæ ad aliquod munus: & commodum electionis, quod percipiunt electores, ſi electio fiat in tali, vel tali perſona.

5 Exiſtimo autem interuenire ſimoniam, ſi pactum ſit de electione ſecùdum ſubſtantiam, etiam ſi commutetur cum re ſpirituali; Quia ſimonia nedum dicit quòd ſpirituale commutetur cum temporali; ſed quòd ſpirituale ſubijciatur contractui humano: imò in hoc præcipuè conſiſtit ſimonia: quia hæc eſt præcipua iniuria, quæ fit rei ſpirituali; & per hoc præci-
6 puè inuertitur debitus ordo rerum. Sicuti enim ſpiritualia ſunt in ordine ſuperiori, & eleuant hominem ad participandum aliquo modo in eſſe diuino: ita ſi humano contractui ſubijciantur, inuertitur iſte ordo, & homo vtens ipſis indebitè, auertitur ab vltimo fine

quia non tendit in ipſum iuxta exigentiam rerum ſpiritualium. Hinc Matth. 10. *ver.* 8. *Gratis accepiſtis, gratis date.* Per quod prohibetur omnis contractus circa ſpiritualia. Et proinde etiam Cap. *Pactiones De pactis*, Damnatur vt illicitum omne pactum, & omnis conuentio circa ſpiritualia.

7 Si verò loquamur de commodo electionis, Videtur poſſe dici, non interuenire ſimoniam, ſi de ipſo Electores paciſcantur, per ſe loquendo; Quia tale commodum eſt quid temporale; vnde ſi vnus electorum percipiat commodum ex vna electione, & alius ex alia, ſi de hoc commodo inuicem paciſcantur, non committunt ſimoniam.

8 Sed hoc ſolùm haberet locum, ſi commodum electionis ſeparari poſſet ab electione; nam tunc eſſet ſolum commutatio temporalis pro temporali. Sed quia coniungitur cum electione, vt effectus cum ſua cauſa, qui non poteſt haberi, niſi per poſitionem cauſæ, nempe electionis; ideo paciſcens de tali commodo, implicitè paciſcitur de electione; quia paciſcitur de ipſo, vt ſequitur ex electione; & proinde tale pactum eſt illicitum: quia venit in contractum ipſa electio.

9 Ad primum autem contrariæ ſentent. patet ex dictis quid reſpondendum: Non enim ſimonia conſiſtit tantùm in eo quòd ſpirituale pro temporali commutetur: ſed etiam in eo, quòd ſpirituale quomodocunque ſubijciatur contractui humano; quia homo diſponit de eo, de quo non habet dominium: & in re graui inuertit debitum ordinem rerum.

10 Ad 2. Iura non ſolùm prohibere commutationem beneficiorum, ſed etiam omne pactum circa ſpiritualia; vt conſtat ex allato Cap. *Pactiones*. Vnde prohibetur, ſubijcere ſpiritualia cuicunque contractui. Et Cap. *Non ſatis. de Simonia*, Prioratus, Capellania, Ingreſſus in Religionem, declarantur materia ſimoniæ. Atque ex toto illo titulo, conſtat plurima quæ non ſunt beneficia, imò omnia ſpiritualia, non poſſe ſubijci contractui.

11 Textus autem Cap. *Ad quæſtiones, de Rerum permutatione.* Debet intelligi de commutatione ſpiritualium, ratione applicationis, qua huic, vel illi perſonæ, vel Eccleſiæ approprianttur. Hìc enim eſt ſermo de Parochialibus: & Pontifex reſpondet, licere has inuicem commutare; quia cum ex natura ſua ſint appropriabiles, poſſunt huic, vel illi appropriari, etiam interueniente commutatione: quia tunc non ſubijcitur contractui ſpirituale ſecundum ſubſtantiam, ſed commodum quod percipitur ex tali commutatione. In caſu enim allato in prædicto textu attendebatur commodum, quod proueniebat ex permutatione.

An liceat electoribus inuicem paciſci de commodis electionis.

Deciſio CCXXV.

SVMMARIVM.

1 *Commodum electionis quid ſit.*
2 *Negatiua ſententia.*
3 *Aliud eſt paciſci de commodo electionis, & aliud, illud proponere electoribus.*
4 *An liceat dicere: Eligam amicum Titij, ſi ille eliget meum.*
5 *An poſſint electores inuicem paciſci de commodo electionis.*
6 *Quid permittat ius naturale in proprio commodo procurando.*
7 *Licet vnum commodum honeſtum cum alio honeſto commodo commutare.*
8 *Pactum de obiecto honeſto eſt licitum, ſi aliàs non immutet naturam obiecti. vt nu. ſequenti.*
9 *Pactum de commodo electionis aliàs honeſtæ, cur illicitum.*
10 *Qualis procuratio ſuffragiorum prohibeatur à Iure.*
11 *Quid dicendum, ſi aliqui electores inuicem paciſcantur.*

1 COmmodum electionis diximus Deciſ. *præced.* eſſe vtilitatem illam, quæ percipitur ex electione facta in tali, vel tali perſona: vt eſſet, gratificare amicum, habere aliquem conſtitutum in officio, à quo ſperare poſſis aliqua beneficia, & alia huiuſmodi.

2 Negatiuam ſententiam videntur tradere Villalobos *in Sum. tom. 2. tract. 37. difficul.* 24. & Diana *4. par. tract. 4. Miſcellan. reſol.* 150. *in fine*, qui licet probabile putet non interuenire ſimoniam, exiſtimat tamen hoc eſſe cauendum: quia eſt ſpecies quædam ſubornationis. Cœleſtin. *in Compend. Theol. Moral. ar. 7. cap. 4. in fine*. Et hoc etiam ſentient omnes, qui putant interuenire ſimoniam; quia non poteſt eſſe ſimoniacum, quod non eſt de ſe illicitum. Verùm Auctores iſti non diſtinguunt de electione, & commodo electionis; & ideo non poſſunt abſolutè citari pro negatiua ſententia.

3 Sed antequam reſpondeam, Priùs admoneo quòd aliud eſt paciſci de commodo electionis, & aliud eſt proponere mutuum commodum electorum, ſi eligantur hæ, vel illæ perſonæ: ſeu ſi oſtendatur voluntas eligendi aliquem, ſi talis tamen priùs eligatur; vt ſi quis dicat: Ego eligam amicum Titij, ſi ille eliget hunc meum amicum. Primo modo inducitur obligatio, quæ ſequitur ex natura pacti. Poſteriori

riori autem modo non inducitur; ſed ſolùm eſt quædam veluti ſuaſio, qua electorea inducantur ad eligendum aliquem, oblata ſpe alicuius commodi, quod ſequatur ex alterius electioue; remanent tamen plenè liberi.

4 Atque hunc poſteriorem modum puto eſſe de ſe licitum, & ſolùm vitiari poſſe ratione mali finis, & circumſtantiarum; quia continet tantùm quamdam ſuaſionem, quæ de ſe non eſt mala, ſed tantùm ex obiecto, & fine malo vitiari poteſt; nec eſt procuratio ſuffragij prohibita. Vt dicemus infra *num.* 10.

5 An autem poſſint electores iuuicem paciſci de commodo electionia, ita vt Paulus eligat in commodum Titij, & Titius in commodum Pauli, ſecluſa tamen iniuria electionis. (Quod contingeret, ſi vterque poſſet eligere plures æquè dignos: & ex his vnum eligat potiùs, quàm alterum, quia cedit in commodum alterius.)

6 3 Videtur poſſe affirmatiuè reſponderi. Quia ius naturale permittit vnicuique procurare proprium commodum omnibus medijs licitis; vnde etiam poteſt procurare tale commodum, quod ſequitur ex electione talis perſonæ: offerendo commodum, quod ſequitur ex alterius electione. Et medium hoc eſt licitum; quia eſt in libertate vtriuſque has perſonas eligere, vel non eligere: cum adſint aliæ, quæ poſſint eligi; vnde vterque poſſunt mutuò eligere in gratiam alterius; quia dant quod habent ſub proprio dominio; nec fit aliquod præiudicium electioni; quia eliguntur perſonæ dignæ.

7 Tum quia quem Titius eligit in gratiam Pauli, eſt eligibilis. Ergo poteſt Paulus procurare, vt ipſi ſuffragetur Titius, offerendo eidem Titio ſe ſufragaturum illi, quem ipſe Titius voluerit; ſi tamen ſit dignus; quia offert commodum, quod ſequitur ex actione honeſta, qualis eſt electio perſonæ dignæ: atq; adeo quod eſt honeſtum; compenſare autem vnum commodum honeſtum cum alio honeſto non continet aliquid mali.

8 Rurſus. Secluſo pacto, ſunt licitæ iſtæ electiones; quia ſunt de perſonis dignis, vt ſupponimus; erunt ergo etiam, appoſito pacto: & pactum ipſum erit licitum; quia pactum ſumit honeſtatem ab obiecto, ſeu re, de qua eſt. hic autem eſt de honeſto commodo fundato ſupra honeſtas electiones. Et hoc commodum, cum ſit quid temporale, poteſt cadere ſub pacto.

9 Oppoſitum tamen eſt tenendum; Quia tale pactum deſtruit naturam electionis; quæ tum fiat mediante ſuffragio, debet elector libero modo ſuffragari: cum de ratione electionis ſit, vt libera ſit; poſito autem tali pacto non eſſet liberum ſuffragium; quia elector ſuffragaretur ex obligatione contractus; nam pactum de commodo electionis obligaret ſuffragium.

10 Atq; Ob hanc cauſam tale pactum eſt illicitum: non autem quia ſit contra iura prohibentia procurationem ſuffragiorum, & præcipuè contra Conſtit. Clementis VIII. *editam ſub die* 20. *Martij* 1601. quæ incipit *Nullus omnino &c.* §. *Vt officiorum ambitus &c.* in qua prohibetur tàm directa, quàm indirecta ſuffragiorum procuratio, tàm pro ſe, quàm pro alijs. Solùm enim Pontifex prohibet illam procurationem ſuffragiorum, quæ ordinatur ad malum finem: vt .u. aliquis indignus eligatur, aut aliquo alio pacto electio præiudicium patiatur. Vt notat circa aliam ſimilem Conſtitutionem Rodriquez *in Quæſt. Regul. tom.* 2. *quæſ.* 56. *ar.* 1. §. *Circa quas Conſtitutiones &c.* nam procurare ſuffragia, vt dignus eligatur, eſt laudabile; vnde licet proponere merita, & virtutes, quibus aliquis redditur dignus electione.

11 Ex his colligitur, quid dicendum, ſi contingant aliquos electores inuicem paciſci de eligendo hoc, & illo; cum enim electio non ſit capax pacti huiuſmodi, vt iam vidimus; quia præſumitur quòd velint verè eligere: atque adeo, quòd nolint tali pacto præiudicare veritati electionis: ideo accipiendum eſt pactum non pro pacto ſtricto, ſed pro quadam firmi animi declaratione prompti ad eligendam talem perſonam: Atque adeo, niſi adſit aliquid in oppoſitum, quòd votum remaneat liberum, iuxta exigentiam electionis, & ſolùm obligetur fides ad non decipiendum. Vnde ſi electiones aliàs de ſe ſint honeſtæ, excuſabuntur à peccato.

An poſſit aliquis electorum ita cum alio conuenire: Elige me in Generalem, & ego eligam te in Priorem; aut è contra: ſi promittis te me electurum in Priorem, ego eligam te in Generalem.

Deciſio CCXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Aliud eſt electores paciſci inuicem: & aliud declarare mentem ſuam.*
2 *Licet declarare mentem ſuam de aliquo eligendo: vt alliciat ad ſui electionem.*
3 *Declarans conditionatè mentem ſuam de aliquo eligendo, an ineat contractum.*
4 *Declarare mentem ſuam de aliquo eligendo, ſi*

ipſe eligatur, non eſt ſubornatio.

5 *Proteſtatio gratitudinis alliciens ad honeſtam electionem non eſt in præiudicium electionis.*

6 *Qui declarat mentem ſuam de aliquo eligendo, ſi ipſe eligatur, an ſit ambitioſus.*

7 *Electores an poſſint inuicem paciſci de commodo ex mutua ſui ipſius electione.*

8 *Quando annexa ſpiritualibus ſint obiectum pacti.*

9 *Pactum de commodo electionis cur illicitum.*

10 *Quæ connexio faciat vt ex venditione vnius ſequatur venditio alterius.*

1 ADuertendum eſt Quòd aliud eſt paciſci, & aliud declarare mentem ſuam. Poteſt enim quis dicere: Si me elegeris in Generalem, ego te eligam in Priorem, non paciſcendo, ſed declarando mentem ſuam; quia ita intendat facere, poſita illa conditione, quòd ille concurrat ad electionem ſui ipſius in Generalem. Neque in hoc intercedit contractus; quia alter tantùm declarat mentem ſuam, & alter remanet omnino ſui iuris in ordine ad electionem.

2 Suppoſito ergo, quòd electio aliàs ſit honeſta, licet hoc pacto declarare mentem ſuam; quia nullum fit præiudicium electioni: ſed potiùs eſt quædam allectio ad eligendum dignum, & declaratio quædam operis honeſti faciendi. Et ita docet. Rodriquez *tom. 3. quæſt. Regul. quæſt. 63. art. 4.* Confir. Licet proteſtari ſuam gratitudinem in ordine ad alliciendos homines ad benefaciendum ſibi; quia eſt proteſtatio virtutis, & cuiuſdam debiti exſoluendi; & procurare ſibi beneficia, quæ licitè conferantur, eſt licitum vnicuique: cum procurare bonum proprium ſit de iure naturali; in caſu autem noſtro fit tantùm proteſtatio quædam gratitudinis in ordine ad recipiendum beneficium electionis.

3 Neque obſtat, quòd talis actus ſit conditionatus, quia requirit conditionem, quòd aliùs priùs eligat, aut declaret ſe electurum: vnde videtur interuenire quidam contractus. Reſp. enim, quòd conditio illa non concurrit, neque requiritur vt obiectum commutationis alicuius: ſed ſe habet per modum beneficij compenſandi; & quia gratitudo non poteſt habere locum, niſi ſupponat beneficium, ideo fit declaratio intentionis, non abſolutè, ſed conditionatè, in ordine ad conditionem beneficij, quod requiritur, vt poſſit exerceri gratitudo.

4 Et etiam facilè reijcitur, ſi quis obijciat, Quod videatur quædam ſpecies ſubornationis; nam non proponitur aliquid electori, propter quod decipiatur in electione, eligendo quem non deberet eligere, in quo conſiſtit ſubornatio mala; ſed relinquitur ipſi arbitrium iudicandi liberum, an ſit eligendus: & ſolùm propoſita virtute gratitudinis eligendi allicitur ad eligendum.

5 Solùm obſtare videtur periculum, quòd ille, cui fit proteſtatio gratitudinis, moueatur ad eligendum quem non deberet eligere: vt ex tali electione percipiat commodum; & ideo videtur præberi occaſio malæ electionis. Reſp. tamen neque hoc obſtare, ſi accipiatur doctrina, vt tradidimus: quia ſupponimus, non adeſſe periculum malæ electionis, eo quòd & qui proponitur eligendus, & qui declaratur eligendus dignus ſit, & aliàs tuta conſcientia eligi poſſit. Certum eſt enim, quòd facere talem declarationem eſſet ſubornare, ſi ordinaretur ad electionem indigni.

6 Rurſus. Nec etiam facit contra prædicta, Quòd eſſet ambitioſus, qui faceret huiuſmodi declarationem in ordine ad electionem: & ideo ſe redderet indignum, & peccaret: quia non licet ambitioſè ſe gerere in electione. Reſp. non eſſe ambitioſum, qui ſuam mentem ſic declarat, dummodo tamen debito modo id faciat; eſt enim tantùm ambitio, velle ſe eligi quomodocunque, ſiue dignus habeatur, ſiue non; vnde ſi ex ſuppoſitione quòd dignus habeatur, velit tantùm allicere ad electionem proteſtatione gratitudinis, non ſe gerit ambitioſè: quia allicit, ſe magis dignum oſtendendo; nam gratitudo eſt aliquis titulus, propter quàm redditur dignus; & fit dignior in comparatione illius, qui caret gratitudine. Et quia vnuſquiſque præſumitur bonus niſi malus probetur; qui facit talem declarationem, cenſendus eſt facere in ordine ad honeſtam electionem, atque adeo tantùm ex ſuppoſitione, quòd cenſeatur dignus.

7 Quod autem ſpectat ad pactum, Si procedat tantùm de commodo electionis, vt diximus etiam *in præcedenti Deciſ.* videtur poſſe cenſeri licitum de ſe: atque adeo poſſe aliquos ita paciſci: Elige me in Generalem, & ego eligam te in Priorem: ſuppoſito tamen, quod vtraque electio ſit aliàs de ſe licita, & honeſta, & vt talis ab vtroque habeatur; alioquin eſſet pactum de re illicita: quia etiam commodum electionis eſt illicitum quando ſequitur ex electione illicita.

8 Ratio etiam fauere videtur; quia tale commodum eſt aliquid temporale, & ſupra ipſum cadit pactum, & nullum præiudicium infertur electioni: quia de ſe ſupponitur honeſta. Et ſicuti ſi tale commodum eſſet ſeparatum ab electione, poſſet eſſe obiectum pacti abſque vllo ſcrupulo: ita etiam ſi ſit connexum electioni; quia quæ aliàs ſunt de ſe obiectum contractus, adhuc de ſe ſunt talia, quando ſunt annexa ſpiritualibus, & poſſunt ſimul cum ſpiritualibus, quibus ſunt annexa, permutari, dū-

modo

Digitized by Google

modo contractu diſtincto fiat permutatio: ita vt contractus cadat præciſè ſupra temporalia, Cap. *Ad quæſtiones, De rerũ permutatione.*

9 At ob eamdem rationem, quam *Deciſ. præcedenti* attulimus, hoc pactum eſt illicitum. Quia obligat ante electionem ſuffragium, atque deſtruit naturam electionis, quæ exigit (vt ſit electio) ſuffragia libera: in tali autem caſu ſuffragia non eſſent libera, quia electores ſuffragarentur ex obligatione pacti; nam dum ſe obligarent ad commodum electionis, ſe etiam obligarent ad ſuffragium, tanquam ad cauſam, qua mediante tenerentur ad commodum electionis. Et proinde Trident. *ſeſſ. 25. cap. 6. De regularib.* præcipit quòd ſuffragia ſecreta ſint: vt poſſit ipſorum libertas ſeruari.

10 Et facit Cap. *Si quis obiecerit. 1. q. 3.* vbi habetur. *Qui vnũ vẽdit, ſine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum derelinquit.* Per quod ſignificatur illa connexio, qua res ex natura ſua inſeparabiliter connectuntur: & ideo eo ipſo, quòd vna eſt obiectum contractus, eſt etiam altera: quia non poſſunt ſeparari: vt eſſet obligatio ad actum ſpiritualem, quæ non eſt ſeparabilis ab ipſo actu; vnde caderent ſub contractu ſecùndum ordinem ad ſpiritualia; quod etiam contingit in illis, quæ ſunt ſeparabilia, quando ob connexionem cum ſpiritualibus pluris æſtimantur. In caſu autem noſtro commodum electionis inſeparabiliter connectitur cum electione, vt effectus cum ſua cauſa: & ideo ſi venit in contractum, venit etiam electio, vt connexa cum commodo.

An cum elector vult eligere indignũ, aut minùs dignum liceat offerre pecuniam, ne eligat.

Deciſio CCXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Opinio, quòd non liceat offerre pecuniam electoribus volentibus eligere indignum, ne eligant.*
2 *Senſus Cap.* De hoc. *Cap.* Sicut tuus, *& Cap.* Mattheus De ſimonia.
3 *Non licet munire viam ad electionem mediante pecunia.*
4 *Licet dare pecuniam electoribus, ne eligant indignum, quem parati ſunt eligere.*
5 *Non licet offerre materiam minoris mali, quando ipſa oblatio continet peccatum.*
6 *Offerre pecuniam electori pro electione eſt ita malum, vt nunquam honeſtari poſſit.*
7 *Remouere ab electore malam diſpoſitionem, quam habet erga electionem, mediante pecunia, eſt licitum.*
8 *Et ſi solùm intendatur impedire malam electionem, aut quòd bona ſequatur.*
9 *Licet offerre pecuniam, vt eligatur dignus in communi.*

1 NEgatiuè reſp. Gloſ. *in Cap. Nemo Extra. De ſimonia* Sylueſter *verbo ſimon. quæſt. 9.* Gabriel *in 4. diſt. 25. q. 2.* Palud. *quæſt. 5.* Sanchez *lib. 2. opuſc. cap. 3. dub. 30 num. 6.* Villalobos *tom. 2. ſumm. tract. 37. difficult. 23. num. 3.* Moſcoſus *in ſum. tract. 15. cap. 15. num. 16.* Diana *1. par. tract. 14. reſolut. 1.* Solet etiam citari D. Thom. *2. 2. quæſt. 100. art. 2. ad 5.* vbi docet, quòd eſſet ſimoniacum ante electionem, ſeu acquiſitum ius, dare pecuniam ad remouenda obſtacula. Qui tamen eſt caſus diuerſus.

2 Prob. Ex Cap. *De hoc.* Cap. *Sicut tuis.* & Cap. *Matthæus de Simonia.* Qui tamen tex. nihil faciunt ad rem; nam in primo tantùm habetur, quòd qui conuincitur de Simonia, debet puniti pœnis ibi expreſſis. In ſecundo, quòd non debet imputari electo ad ſimoniam, ſi, eo prohibente, ſit data pecunia. In tertio verò, quòd electus committit ſimoniam, ſi tradat pecuniam contradicentibus: ne contradicant electioni. Ex quibus patet, quòd caſus à nobis propoſitus eſt longè diuerſus.

3 Prob. igitur ratione; Quia hoc eſſet, mediante pecunia, munire viam ad acquirendum aliquid ſpirituale; atque adeo ſpirituale compenſaretur pecunia.

4 Oppoſitam tamen ſententiam tradunt Adrianus *Quodlib. 9.* Innocent. *in Cap. Nemo. Extra de Simon.* Valent. *tom. 3. diſp. 6. quæſ. 16. punct. 2. ver. Reſp. primo.* Sotus *lib. 9. de Iuſt. & Iure quæſ. 6. ar. 1. dub. vlt.* Nauar. *in Sum. cap. 23. num. 102. ver. Octauo, quod &c.* Leſſ. *lib. 2. de Iuſt. cap. 35. dub. 9. in fine.* Layman. *lib. 4. Theol. Moral. tr. 10. cap. vlt. §. 2. nu. 23.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. de Simon. cap. 50. num. 36.* Villalobos *tom. 2. Sum. tr. 37. diff. 23. num. 1.* Ledeſma *2. par. Sum. tr. 12. poſt 29. concluſ. ver. Digo lo primero.* Caiet. *Opuſ. de Simon. quæſ. 3.* Bonacina *tom. 1. diſp. 1. de Simonia quæſ. 6. puncto 5. num. 11.* Arragon. *2. 2. quæſ. 100. ar. 2. dub. vltim. concluſ. 1.* Palaus *3. par. tr. 17. diſp. 3. dub. 20. num. 8.* Reginal. *lib. 23. Praxis Fori pœnit. num. 133.* Pontius *lib. 5. de Matrimonio cap. 18. §. 6. num. 43.* Hurtad. *2. 2. diſp. 173. ſect. 17. § 234.* quia offerre pecuniam ad impediendam electionem indigni, aut minùs digni eſt minùs malum, quàm ſi eligatur indignus: quia in illo caſu elector peccat contra diſtributiuam iuſtitiam: remanet obligatus ad reſarcienda omnia damna: peccat contra charitatem debitam Eccleſiæ, ſeu communitati, cui talis electio eſt valdè noxia; vnde, ait Pontius, licet offerre materiam minoris peccati.

5 Hæc tamen doctrina mihi nullo pacto probatur. Quicquid enim ſit, an liceat offerre materiam minoris peccati: ſi enim hoc verum eſt, tunc ad ſummum valet, quando in offerenda tali materia non committitur peccatum; at quando offerri non poteſt, quin ipſa oblatio ſit peccatum, tunc nullo modo licet: quia peccatum numquam de ſe eſt licitum. Et, ſi iuxta commune principium; *Non ſunt facienda mala, vt eueniant bona*, multò minùs *Non ſunt facienda mala, vt impediantur aliorum mala*.

6 Offerre autem pecuniam electori pro electione facienda, etiam ſi per hoc impediatur electio indigni, aut minùs digni, eſt ita malum, vt nullo extrinſeco fine honeſtari poſſit: quia electio compenſatur precio, atque adeo ſpirituale pecunia.

7 Vera ergo fundamentalis ratio huius ſententiæ eſt, Quia talis actus habet obiectum honeſtum: vnde erit actus honeſtus; quia actus ſumunt honeſtatem, vel turpitudinem ab obiecto. Obiectum enim talis actus non eſt pecunia compenſare ſpirituale, aut per ipſam ſternere ſibi viam ad ſpirituale; ſed expellere à iudice malam diſpoſitionem, & ita eum allicere, & benemereri animum ipſius, vt recedens à prauo ſenſu conſtituatur in debita rectitudine, & diſpoſitione, quam quilibet elector debet habere: & vt ſic diſpoſitus procedat rectè in electione, eligendo quem debet eligere. Quare cum obiectum ſit bonum, & etiam finis extrinſecus, actus erit vndequaq; licitus. Vnde ſoluta manet ratio pro oppoſita ſententia. Neque enim ſic munitur via ad ſpirituale; ſed tollitur impedimentum obſtans rectæ electioni. Et proinde hæc poſterior ſententia probabilior eſt.

8 Et hoc verum eſt etiam quando quis non intendit explicitè conſtituere electorem in tali rectitudine, & diſpoſitione debita: ſed tantùm impedire malam electionem: aut etiam procurare bonam electionem; quia cum habeat rectum finem, præſumi debet, quòd adhibeat media eo modo, quo licitè, & rationabiliter adhiberi poſſunt. Debet enim præſumi quod vnuſquiſque prudenter operetur, præſertim quando ex recto fine operatur: atq; adeo quòd velit rectificari actiones ſuas, quocunque modo rectificari poſſunt.

9 Eſt autem notandum cum Calec. Arragon. Palao, Ledeſma *citat.* & Villalob. *n. citat. difficul.* Maiore *in 4. diſt. 25. quæſ. 5. ad 4.* licere offerre pecuniam: vt eligatur aliquis dignus in communi; quia hoc eſt redimere vexationem Eccleſiæ; quæ cum habeat ius, vt eligantur digni, redimi poteſt iniuſta vexatio ipſius. Non placet autem quod ait Villalobos, quòd liceat: quia eſt idem offerre, vt non eligant indignum, & vt eligant dignum. Nam longè diuerſum eſt; offerre enim ne eligant indignū, eſt impedire malum. Offerre verò, vt eligant dignum, eſt precio procurare bonum; vnde, niſi reducatur ad redemptionem vexationis, eſſet compenſare precio electionem. Quod eſt longè diuerſum. Hinc corruit fundamentum Bonacinæ, qui *tom. 1. diſp. 1. de Simon. quæſt. 6. punct. 5. num. 11.* oppoſitum ſentit.

An cum electores volunt eligere indignum, aut minùs dignum liceat offerre pecuniam: vt eligant aliquem dignum determinatè.

Deciſio CCXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Non licet offerre pecuniam electoribus volentibus eligere indignum, vt eligant dignum determinatè.*

2 *Eſſet hoc intendere electionem mediante pecunia.*

3 *Licet mediante pecunia conciliare alicui electores malè affectos erga ipſum.*

4 *Quid liceat cum electoribus, quando volunt eligere indignum.*

5 *An liceat procurare pro determinata perſona mediante pecunia bonum affectum electorum.*

6 *An data pecunia electoribus, ne eligant indignum, liceat procurare electionem digni determinatè debitis modis.*

1 Negatiuè reſp. Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. de Simon. cap. 50. num. 28. & 41.* Leſſ. *lib. 2. cap. 35. num. 106.* Layman. *lib. 4. Theol. Moral. tr. 10. cap. vlt. §. 2. num. 23.* Sotus *lib. 9. de Iuſt. & Iur. quæſ. 6. ar. 1. circa finem.* qui addit; quòd quando plures digni ſunt, non licet hoc facere in fauorem digniſſimi. Pontius *lib. 5. de Matr. cap. 18. §. 6. num. 44.* Caiet. *Opuſ. de Simon. quæſ. 3.* Ledeſma *2. par. Summ. tract. 12. poſt 19. concluſ. ver. A eſta.* Villalob. *par. 2. Sum. tr. 37. difficul. 23. num. 3.* Bonacina *tom. 1. diſp. 1. de Simon. quæſ. 6. punc. 5. num. 11.* Arragon. *de Iuſt. & Iure quæſ. 100. ar. 2. dub. vlt. concluſ. 3.* Reginal. *lib. 23. Praxis Fori Pœnit. num. 133.* Adrian. *quodlib. 9. §. Quo ad Tertium principale.* & alij præſertim iſ, quos pro prima ſentent. ſupra Deciſ. *præced. num. 1.* citauimus.

2 Prob. Quia directè tribueretur pecunia pro ipſa electione; vnde ſpirituale compenſaretur precio. Atque hæc ſententia ſic abſolutè accepta vera eſt. Quia non poteſt intendi, quòd quis

quis determinatè ex pluribus eligatur, niſi intendatur electio ipſius determinate; vnde pecunia offerretur pro ipſa electione; quia offerretur pro eo, quod intenditur.

3 Eſt autem limitanda, Quando contingit, quòd electores nollent eligere dignos ex malo affectu erga ipſos: tunc enim licet offerre pecuniam pro aliquo digno determinatè; vt ipſi concilientur electores, & reducantur ad debitam diſpoſitionem; non tamen, vt ipſum eligant. Tenentur enim electores habere bonam diſpoſitionem erga eligendos, & peccant, quando prætermittunt dignos, & eligunt indignos, aut minùs dignos, præſertim ex malo affectu. Vnde bona diſpoſitio in electoribus erga dignos eſt laudabilis, & poteſt ab vnoquoque procurari; neque dare munera pro conciliandis ſibi, aut amico alienis animis eſt malum: ſed licitum, & laudabile, ſi cum debito modo fiat. Cum ergo actus dandi pecunias pro conciliandis electoribus alicui ex eligendis habeat obiectum bonum, atq. etiam finem (quia ſupponimus in hunc finem fieri, vt electores conſtituantur in debita diſpoſitione, & deponant animum prauum) erit actus licitus, atque bonus.

4 Et quia natura humana eſt naturaliter inclinata ad honeſtum, & in ipſum tendit, niſi aliqua praua animi affectione peruertatur; in eo caſu, in quo electores vellent eligere indignum, prætermiſſis dignis, præſumi debet, quòd prauè diſpoſiti ſint ex aliqua mala animi affectione; & ideo tunc licitum erit muneribus demereri animos malè affectos, & eos reducere ad debitam æqualitatem erga aliquem ex eligendis.

5 Dices. Conciliare animos electorum vni tantùm ex eligendis, nihil aliud eſſe, quàm ipſi pecunia procurare electionem. Reſp. hoc non eſſe ipſi procurare electionem, ſed tantùm procurare bonam affectionem electorum erga ipſum; quòd ſi ex hac bona affectione ſequitur electio, hoc eſt per accidens: nam eſt in poteſtate electorum quemlibet ex dignis eligere, neque cum ipſis ſit pactum, quòd talem determinatè eligant, ſed ad ſummum, quòd erga talem deponant malum animum; Quod nõ eſt aliud, quàm muneribus incitare ad bonum, & ad auerſionem à malo.

6 Hic autem adnotãdum eſt, quòd poſtquam data eſt pecunia, ne eligant indignos, ſed dignum in communi; licet bona fide, & debitis medijs procurare electionem digni in particulari; quia vterque actus habet obiectum honeſtum, neque vnus actus ordinatur ad alium. Ita etiam docet Ledeſma *2. par. ſum. tract. 12. poſt. 29. concluſ. ver. Digo lo tercero.*

An quando ex eligendis vnus eſt tantum dignus, liceat offerre electoribus pecuniam, ne eligant indignos aut minùs dignos, ſed vt eligant illum, qui eſt dignus.

Deciſio CCXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Quòd non liceat dare pecuniam, vt eligatur ille qui ſolus eſt dignus, eſt aliquorum opinio.*
2 *Ex aliorum ſententia licet.*
3 *Etiam in extrema neceſſitate non licet compenſare pecunia electionem.*
4 *Quando vnus eſt tantùm dignus, licet offerre pecuniam, ne indigni eligantur.*
5 *Licet aliquem pecunia promereri, vt abſtineat à malo.*
6 *An qui dat pecuniam pro impedienda mala electione, poſſit intendere, vt eligatur ille, qui ſolus dignus eſt.*
7 *An liceat dare pecuniam electoribus, vt concipiant bonum animum erga illum, qui ex eligendis ſolus dignus eſt.*

1 Negatiuè reſpondet Sanchez *lib. 2. Opuſc. cap. 3. dub. 30. num. 5.* Cœleſtin *in Compen. Theol. mor. tract. 7. c. 4. num. 9.* Quia hoc eſſet redimere vexationem, quę cõſiſtit in denegatione electionis; redimere autem huiuſmodi vexationẽ nõ eſt aliud, quàm emere electionem; quod præſertim verũ eſt, ſi detur pecunia pro electione illius, qui eſt dignus.

2 Alij verò putant, in tali caſu nedum licere offerre pecuniam pro impedienda electione indignorum, ſed etiam pro obtinenda electione illius digni determinatè. Ita Sotus *lib. 9. De Iuſt. & Iure quaeſt. 6. art. 1. circa finem,* Quia, inquit, licet ſpiritualia vendere ſit intrinſecè malum: redimere tamen non vſque adeo eſt malum, quin extrema neceſſitas licitum id poſſit facere. In quo tamen fallitur: quia ſiue redimeretur, ſiue acquireretur de nouo electio pro perſona digna, ſemper ipſa electio compenſaretur pecunia; Quod ſemper ex natura ſua eſt illicitum. Pręterea Pontius *lib. 5. de Matrimonio cap. 18. §. 6. num. 44.* quia hoc eſſet offerre materiam minoris peccati. Quod tamen vt ſupra diximus non licet: quando ipſamet oblatio peccatum eſt (vt eſſet in præſenti caſu) nam directa electio pararetur pecunia. Palans *part. 3. tract. 17. diſp. 3. punc. 20. num. 4. ver. Reſpondeo &c. & num. 9.*

4 Tertio alij aſſerunt, Quòd ſolùm licet offerre pecuniam, ne indigni eligantur: non autem licet offerre, vt eligatur ille ſolus, qui dignus eſt.

eſt. Ita Valent. *tom. 3. diſp. 6. quæſt. 16. quæſtiun. 4. ver. Reſpondeo primo.* Layman. *lib. 4. theol. moral. tract. 10. cap. vlt.* §. 2. *num.* 23. Quia tunc non datur pecunia pro electione perſonæ determinatæ, ſed tantùm, ne eligantur indigni: & per accidens cenſetur, ſi vnus ſolus dignus ſit, qui poſſit eligi.

5 Hæc tertia ſententia mihi probabilis videtur, Quia tribuit actui obiectum honeſtum: eſt namque honeſtum impedire malum, quantum fieri poteſt, & ijs omnibus medijs impediri poteſt, quæ ex natura ſua non ſunt mala: ex natura autem ſua non eſt malum aliquem promereri pecunijs, & muneribus, vt ſibi complaceat abſtinendo à malo; vnde per hoc medium poterit impediri mala electio. Neque enim aliquid ſpirituale compenſatur pecunia, ſed datur pecunia, ne aliquod malum fiat.

6 Addo etiam, Quòd dans pecuniam, vt impediat malam electionem, poteſt habere intentionem, quòd eligatur ille ſolus, qui dignus eſt: ita vt intendat impedire malam electionem in hunc finem, vt eligatur, qui dignus eſt. Eſt enim huiuſmodi intentio de obiecto bono: cum talis ſit electio perſonæ dignæ, quæ ab vnoquoque intendi, & procurari poteſt medijs licitis; & medium, quod adhibetur, non eſt malum; neque enim datur pecunia pro ipſa electione, ſed pro impedienda mala electione: & impedire malam electionem aſſumitur tanquam medium ad obtinendam bonam, & iuſtam electionem; quod eſt omnino honeſtum, cum liceat impedire mala, præſertim vt eueniant bona.

7 Præterea licet non poſſit offerri pecunia, vt eligatur ille ſolus, qui eſt dignus: poteſt tamen offerri pecunia electoribus, vt benè afficiantur erga dignum: quia, vt dicebamus in ſuperioribus, hic actus reſpicit obiectum honeſtum, nempe ita promereri animum electorum, vt conſtituantur in illa diſpoſitione, & æqualitate debita electioni; quod pecunijs, & quouis munere licet obtinere: quia quod careant tali æqualitate, non aliunde prouenire poteſt, quàm quia ſunt auerſi ab illa perſona dignà; licet autem medijs muneribus tollere huiuſmodi auerſionem, & ſibi animos conciliare.

An quando electores ſubornantur vi, aut fraude, poſſim redimere pecunijs hanc vexationem.

Deciſio CCXXX.

SVMMARIVM.

1 *Quæ ſubornatio contingere ſoleat in electionibus.*
2 *Licet ſubornanti dare pecuniam, vt deſiſtat, quando non eſt vnus ex electoribus.*
3 *Secus ſecùndum aliquos, quando ſubornans prodeſſe poteſt.*
4 *Imò etiam quando prodeſſe poteſt.*
5 *Quia hoc eſt ſolùm redimere vexationem.*
6 *Redimere vim, aut fraudem impedientem ſcrutinium debitum in electione, an licitum.*

1 FRequenter contingere poteſt, quòd dum agitur de aliqua electione, per vim, aut fraudem inducatur quis ad diffamandum aliquem ex eligendis apud electores, ne eligatur: aut quòd, vi, aut fraude impediatur: ne electores in ſcrutinio deueniant in cognitionem aut prauarum qualitatum alicuius ex eligendis: ad hoc vt in ipſum cadat electio, quæ in me caderet, ſi prauæ illius qualitates notificarentur, ſicut deberent notificari: aut vt occultentur merita alicuius, ne eligatur ipſe, ſed alius: aut aliquo alio modo adhibeatur vis aut fraus; & tunc dubium eſt, an liceat hanc vexationem pecunijs redimere.

2 Eſſe licitum, quando ſubornans adhibens vim, aut fraudem non eſt vnus ex electoribus: quia hoc eſt purè redimere iniuſtam vexationem; & non datur pecunia ad obtinendum auxilium pro electione, ſed tantùm ad vitandum nocumentum: docent Sotus *lib. 9. De Iuſt. & Iure, quæſt. 6. artic. 1. ad 5.* Leſſ. *lib. 2. cap. 35. dub. 18. num. 19.* Vgolin. *Tab. 1. De ſimon. cap. 9. §. 9. num. 3.* Valent. *tom. 3. diſp. 6. quæſt. 16. punc. 3. concluſ. 2. circumſtantia* 2. Suarez *tom. 1. De Relig. lib. 4. De ſimon. ca. 50. num.* 2. Layman. *lib. 4. Theol. moral. tract. 10. cap. vlt.* §. 2. *num. 22. ver. Secundò dixi.* Bonac. *tom. 1. diſp. 1. De ſimon. quæſt. 6. punc 5. num. 7.* Gordonius *lib. 8. Theol. moral. quæſt. 8. cap. 18. num.* 54. Arragon. *De Iuſtitia, & Iure quæſt. 100. art. 2. in dub. circa ſolut. 5.*

3 Secus autem, inquiunt prædicti Auctores, ſi ſubornans prodeſſe poſſit, vt ſi ſit elector. debet enim intelligi de eo, qui poteſt prodeſſe cooperando per ſe ad actum electionis; quia tunc cenſeretur pecunia offerri, vt prodeſſet, atque adeo in ordine ad electionem.

4 At eſſe licitum etiam quando ſubornans vi, aut

aut fraude, prodeſſe poteſt, ita vt ſit elector: docent Auctores citandi pro ſecunda ſententia in *ſubſequenti* Deciſ. & præſertim Sanchez *lib. 2. Conſil. Moral. cap. 3. dub. 30. num. 5. &* 9. Quæ ſententia probabiliſſima eſt, & eam nouiſſimè ſequitur Palaus *par. 3. tr. 17. diſp. 3. de Simonia punct. 20. num. 4. ver. Reſpondeo.*

5 Neque enim datur pecunia illi, qui prodeſſe poteſt, vt proſit, ſed tantùm ob redimendam ipſius iniuſtam vexationem. Habet enim Ius ſibi à natura conceſſum ſe ſuaque defendendi; atque adeo poteſt redimere quamcunque vexationem ſibi noxiam, ſiue directam, ſiue indirectam.

6 Præterea, Quod ante electionem fiat debitũ ſcrutinium de eligendis; ita pertinet ad electionem, vt ſine ipſo iuſta electio fieri non poſſit; Ergo quando huiuſmodi ſcrutinium prodeſſe poteſt, & è contra obeſt, ſi debito modo non fiat: poteſt qui ſe in hoc grauari ſentit, redimere vim, aut fraudem, qua impeditur ſcrutinium debitum: vt à ſe noxia auertat iuxta dictamen luminis naturalis.

An quando electores ſubornantur precibus, aut muneribus, ne quis eligatur: poſſit ipſe redimere precio hanc vexationem.

Deciſio CCXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Non licet alicui redimere precio ſubornationem contra propriam electionem, ſecùndum aliquos.*
2 *Ex aliorum opinione licet, quando ſubornans ſolùm poteſt obeſſe.*
3 *Poteſt redimi, etiam quando ſubornans poteſt prodeſſe.*
4 *Poteſt quilibet auertere proprium nocumentum.*
5 *Quando pecunia datur electori ſubornanti, vt deſiſtat, non datur tanquam electori.*
6 *Talis ſubornatio poteſt redimi ab electore vt aliquid contra iuſtitiam.*
7 *Quomodo iura damnent vt ſimoniacum redimere vexationem in ordine ad electionem.*

1 NEgatiuam ſententiam tradunt abſolutè Turrecrem. *in Cap. Quæſitum 1. quæſ. 3. num. 3.* Archidiacon. *ibid.* Sotus *lib. 9. de Iuſt. & Iure quæſ. 6. ar. 1. ad 5. principale.* Moſcoſus *tr. 15. Sum. cap. 15. num. 4.* Quia ſubornans non facit contra iuſtitiam, ſed tantùm contra charitatem; vnde non licet occurrere precio: quia largitio haberet quamdam ſpeciem emptionis. Addit Moſcoſus, quòd precibus importunis per alias preces obuiandum eſt. Non video autem cur etiam muneribus alijs muneribus occurri non poſſit: ſi valeret hæc ratio.

2 Alij vero cum diſtinctione procedunt. Vt nimirum liceat, quando qui impedit, poteſt ſolùm obeſſe: non liceat autem, quando etiam prodeſſe poteſt: quia nimirum eſt elector. Ita Syluius *2. 2. quæſ. 100. ar. 2. concluſ. 3.* Arragon. *in dub. circa ſolut. 2.* Malderus *tr. 9. cap. 3. dub. 17.* Leſſ. *lib. 2. cap. 35. dub. 17.* Vgolin. *Tab. 1. de Simon. cap. 9. §. 8. num. 3.* Bonacina *tom. 1. diſp. 1. de Simon. quæſ. 6. punct. 5. num. 6. & 7.* Cęleſtio. *in Compend. Theol. Mor. tract. 7. cap. 4. num. 9.* & alij. Quia ſi prodeſſe poteſt, inducitur non ſolùm ad non impediendum, ſed etiam ad adiuuandum: & precio paratur via ad electionem.

3 Abſolutè tamen poſſe redimi vexationem etiam quando vexans poteſt prodeſſe, & eſt vnus ex electoribus, docent Villalobos *tom. 2. Sum. tr. 37. difficult. 30. num. 3.* citans Arragon. Sanchez *lib. 2. Conſil. Mor. cap. 3. dub. 30. num. 5.* Fernandez *par. 3. Exam. Theol. Mor. cap. 32. num. 28.* Diana *par. 5. tr. 14. reſol. 2. ver. Sed affirmatiuam,* Suarez *tom. 1. de Religione lib. 4. de Simon. cap. 50. nu. 28. poſt med.* Et hæc ſententia tenenda eſt. Quam nouiſſimè etiam tenet Palaus *par. 3. tractat. 17. diſp. 3. punct. 20 num. 6.*

4 Ratio autem pro priori parte eſt, Quia quãdo vexatio huiuſmodi fit ab eo, qui non poteſt prodeſſe electioni, habet meram rationem nocumenti; vnde qui læditur, poteſt vti iure naturali, quod habet ad ſe defendendum, & ad auertendum à ſe quodlibet malum. Neque medium, quod adhibetur, eſt malum, quia quod precio obtinetur non eſt quid ſpirituale, nec quid connexum per ſe cum ipſo, neq; conſequens per ſe ad ipſum: quia remanent electores in eo ſtatu, in quo eſſent, ſi non fieret ſubornatio; ſed tantùm, quòd ſubornans deponat prauum animum ſubornandi.

5 Secunda autem pars prob. Quia licet, quando ſubornans prodeſſe poteſt, quia eſt elector, cenſeri poſſet quòd illa ſubornatio pertineret ad munus ipſius: & proinde daretur ipſi pecunia vt electori: nihilominus quia ſubornatio eſt contra munus electoris (vt pote contraria bonæ electioni) ideo ſi datur ipſi pecunia ex hoc præciſo fine, vt deſiſtat à ſubornatione: non datur tanquam electori, ſed tanquam male affecto; & in tali caſu eadem eſt ratio de ipſo, ac de eo, qui non poteſt prodeſſe: vt notat etiam Suarez *citat ſupra num. 3.* Et ideo hoc licitum eſt, quia non ordinatur ad acquirendum aliquod ſpirituale: ſed merè ex intentione dantis ad auertendum à ſe nocumentum.

Neque

Neque iura, quæ prohibent ſimoniam, prohibent vti iure proprio naturali ad ſui defenſionem.

6 Deinde. Cum Eccleſia, ſeu communitas habeat ius ad electionem digni, & ſubornatio ſit contra iuſtitiam diſtributiuam, tanquam illa quæ tendit ad inuertendum debitum ordinem talis iuſtitiæ: ſequitur quòd poſſit redimi precio vexatio per ſubornationem, vt aliquid contra iuſtitiam: de qua participat etiam is, contra quem fit ſubornatio.

7 Dices. Dum datur electori pecunia ad redimendam vexationem ſubornationis, non ſolùm ipſum remoueri à ſubornatione, ſed etiam inclinari ad eligendum: quia attrahitur à pecunia; & proinde iura poſitiua damnant tanquam ſimoniacum redimere hãc vexationem. Reſp. Iura damnare vt ſimoniacam redemptionem vexationis, quando fit in ordine ad obtinendam electionem, ſeu beneficium, quia intentio eſt illa, quæ dat ſpeciem operi: ſecùs autem quando fit ſolùm in ordinem ad conſtituendum electorem in debita diſpoſitione, & ad amouendam ſubornationem. Quod ſi per hoc inclinatur animus electoris ad eligẽdum, id eſt per accidens, & præter intentionem; vnde non poteſt inficere redemptionem vexationis.

An liceat precio obtinere, quod electio iuridicè fiat etiam pro determinata perſona.

Deciſio CCXXXII.

SVMMARIVM:

1 *Declaratio caſus.*
2 *Poteſt procurari mediante pecunia, quòd electio iuridicè fiat, contra eos, qui procurant, quòd non fiat iuridicè.*
3 *Etiam ſi agatur de electione determinatæ perſonæ.*

1 POteſt contingere quòd quis videns quòd neque per viam ſcrutinij, neque per ſubornationem, neque alio modo obtinere poſſit, vt electio ſortiatur, quemadmodum ipſe deſiderat: procuret, quòd electio non fiat iuridicè: vt opponere poſſit, & obtinere annullationem: & interim diſponere electores ad eligendum iuxta proprium ſenſum. Dubitatur ergo, an in tali caſu liceat precio procurare, ne impediatur electio, quin iuridicè fiat.

2 Reſp. affirmatiuè cum Syluestro *Verbo* Simonia *quæſ.13. poſt init.* Sanchez *lib.2. Conſil. Moral. cap. 3. dub. 30. num. 9.* quia per hoc non obtinetur precio ipſa electio: ſed tantùm redimitur vexatio, quam pateretur Collegium ſi ex malitia alicuius electio non fieret iuridicè: habet enim ius Collegium ad iuridicam electionem: ad quam tenetur concurrere, & ipſam procurare, quantum fieri poteſt; vnde ſi quis facit ne iuridicè fiat, infert iniuriã Collegio in re graui: quia ipſum malitiosè fraudat fine, quem intendit; & proinde licet redimere hanc iniuſtam vexationem.

3 Quod etiam extendendum eſt cum eodem Sanchez *citato* (licet, vt ait ipſe, aliqui Doctores oppoſitum ſentiant) etiam quando agitur de electione alicuius perſonæ determinatæ; adhuc enim redimitur vexatio, quando datur precium, ne impediatur quin electio ipſius iuridicè fiat; ſi enim eligeretur, & non iuridicè, adhuc fieret iniuria Collegio, quod fine ſuo fruſtraretur in tali electione. Nec datur precium in hunc finem, vt ipſum eligant, ſed vt eligendo, iuridicè procedant; vnde manent electores in illa æqualitate, & diſpoſitione, quam haberent ſecluſo omni precio, ſi ad electionem rectè procederent; vnde nulla committitur ſimonia: quia non trahitur mediante precio electio ad aliquem.

An ſi Elector accepit à meó competitore pecunias, aut munera, liceat mihi munera, & pecunias dare.

Deciſio CCXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Quando elector accepit pecunias à meo competitore, an poſſim indicare animum paratum ad dandam pecuniam.*
2 *An poſſit offerri pecunia.*
3 *Dare pecuniam electori ad ſibi eiuſdem animum conciliandum, an licitum.*
4 *An liceat dare electori pecuniam, vt eius animus reducatur ad debitam æqualitatem.*
5 *Quomodo iura probibeant munera, & largitiones dandas electoribus.*
6 *An largitio facta electori ſit materia peccati, ſeu occaſio.*

1 HAec difficultas noua eſt, inquit Diana *par. 5. tract. 7. Reſol. 17. in fine,* & eius reſolutio in praxi maximè neceſſaria; caſus enim frequenter occurrere poteſt; affert autem reſolutionem Petri Hurtadi: ipſe tamen nihil reſoluit. Reſpondet igitur Hurtad. 2. 2. *diſput.* 173. *ſect.*

173. *ſect.* 17. §. 243. Quòd ſi certò ſcio electorem accepiſſe pecuniam, potero indicare animum meum, & oſtendere me eſſe paratum ad dandas pecunias, ſi elector eas voluerit; quia hoc non eſt prouocatio, neque conſilium; abſolutè tamen non licet offerre; quia ego non vexor iniuſtè, & elector poteſt eſſe antecedenter determinatus in fauorem competitoris ſine vlla iniuſtitia.

2 Addit tamen, non eſſe improbabile poſſe offerri illam pecuniam: quia quod ego peto, poteſt fieri & benè, & malè (nempe vt mihi opituletur) quòd ſi malè fit, eſt culpa ipſius, quam ego non teneor vitare cum graui damno: eſt autem graue damnum, vt electus ſit à competitore pecunijs deuinctus. Neque illi ſum cauſa peccati, quia iam formaliter, eſt in peccato. Ita Hurtadus, & idem tenet Palaus *3. par. trac. 17. diſp. 3. De ſimonia puncto 20. num.* 8. circa med.

3 Hæc difficultas decidenda eſt iuxta dicta in ſuperioribus, & iuxta doctrinam, quam tradunt *ſupracitati* auctores, quos ſequuti ſumus. Et præmittendum eſt; Hunc actum non eſſe malum ex obiecto: quia, vt ſupponimus, non datur pecunia in compenſationem ſuffragij, & proinde non eſt ſimonia ex obiecto; imò eſſe bonum: quia dare alicui pecuniã, aut munera ad ſibi ipſius animum conciliandum eſt actus munificentiæ, & liberalitatis, quæ eſt ſpecialis virtus; & licet procedat ex amore concupiſcentiæ erga ſeipſum, adhuc tamen importat conuenientem vſum pecuniæ.

4 Vnde hic actus ſolùm poteſt eſſe malus ratione finis extrinſeci, quatenus ordinetur ad illicitum, vt ſi daretur pecunia in hunc finem, vt concurreret ad meam electionem. Si verò detur pecunia ad præponderandam inclinationem, quam habet erga meum competitorem, eò quòd pecunia ab ipſo quoque deuinctus ſit: finis eſt bonus, quia nihil aliud intenditur, quàm quod eius animus reducatur ad illam æqualitatem inclinationis, quæ debita eſt in ſingulis electoribus erga competitores, vt iuſta electio ſequatur. Hæc autem æqualitas nedum eſt bona de ſe, ſed etiam neceſſaria pro ipſa electione; vnde qui eam procurat, non facit aliquid in præiudicium bonæ electionis; ſed facit in fauorem illius; nam quantum eſt de ſe, procurat, vt iuſtè fiat: & non intendit inclinare animum ad eligendum.

5 Neq; iura hoc prohibent; nam quando prohibent munera, & largitiones, prohibent quatenus obeſſe poſſunt electioni, ne debito modo fiat; in hoc autem caſu ceſſat finis legis, & proinde ceſſat etiam lex: imò obtinetur contrarius finis, vt electio debito modo fiat.

6 Nec item offertur materia ſcandali, ſeu peccati; quia largitio nec de ſe eſt cauſa peccati; nec etiam in talibus circumſtantijs, nempe quando agitur de electione: quia cum fiat abſque vllo pacto, vt ſuppono, concernente electionem, poteſt benè, & malè acceptari, nam poteſt acceptari tanquam effectus liberalitatis ordinatus ad demerendum animum acceptantis, ſecundùm menſuram rectæ rationis: vnde ſi malè acceptatur, malitiæ acceptantis imputari debet.

An ſi electione iam facta à maiori parte, detur aliquid electori contradicenti, vt ceſſet à contradictione, committatur ſimonia.

Deciſio CCXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Dare pecuniam electori contradicenti electioni iam facta, vt ceſſet, eſt ſimonia.*
2 *Etiam ſi contradictio ſit iniuſta, ſecùndum aliquos.*
3 *Eſt licitum, ſi contradictio ſit iniuſta.*
4 *Redimere contradictionem iniuſtam factam propriæ electioni, eſt ſe defendere ab iniuſtitia.*
5 *Per talem pecuniam redimitur tantùm vexatio iniuſta.*
6 *Etiam ſi electio indigeat confirmatione, licet redimere pecunia contradictionem iniuſtam.*
7 *Poſt ius acquiſitum licet pecunia redimere vexationem.*

1 RESP. eſſe ſimoniã ex text. expreſsè in Cap. *Matthæus De ſimonia.* Quamuis enim electio ſit iam facta: quia tamen contradictio tendit ad illam annulandam, ideo pecunia remouere contradictionem, eſt ſibi electionem de nouo per pecuniam adiudicare. Quod quomodo accipiendum ſit, conſtabit ex *Deciſ. ſequentib.*

2 Difficultas autem eſt. An hoc habeat locum, etiam quando contradictio eſt iniuſta. Affirmatiuè reſpondet Sanchez *lib. 2. Conſil. mor. cap. 3. dub. 30. num.* 8. Quia hoc pacto paratur via ad electionem, quæ, ſtante contradictione, nondum eſt ſub pleno iure electi. Sequẽs Cardinal. Panormit. & alios in dictum tex. Syluestrum *verbo* ſimonia *quæſt.* 10. *init.* Innocent. *in Cap. Significaſti. De electione.*

3 At licitum eſſe, quando contradictio eſt iniuſta, & non eſſe ſimoniam tenet Gloſsa *in dictum. Cap. Matthæus. verbo Maioris*, intelligens tex. ſolùm de contradictione iuſta: quando ſcilicet electo aliquid rationabiliter opponitur.

Item

Item Gloſ. *in Cap. Dilectus 1. de ſimon.* Præpoſit. 1. *quæſt.* 1. *init. num.* 3. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *De ſimon. cap.* 50. *num.* 8. Palaus *par.* 3. *trac.* 17. *diſput.* 3. *De ſimon. punc.* 20. *num.* 1. *ver. Neque aduerſus.*

4 Quæ ſententia probabilior eſt. Nam in tali caſu licet electo ſe defendere iuxta ius, quod habet à natura, & ideo cum in contradictione patiatur iniuſtitiam, poteſt nedum ſe ab illa tueri, ſed etiam redimere vexationem iniuſtam, præueniendo iniuſtam turbationem electionis: quia vnuſquiſque habet ius ad manutenendum proprium ſtatum contra omnem iniuſtitiam, & proinde habet ius ad manutenendum ſtatum propriæ electionis contra iniuſtam contradictionem eam redimendo.

5 Hinc hoc non eſt electionem de nouo pecunia ſibi adiudicare, hoc enim ſolum haberet locum, quando contradictio eſſet iuſta, & rationabilis, & ipſa mediante pecunia euerteretur: quia tunc procuraret quòd electio ſubſiſteret contra iuſtam contradictionem, atque adeo quod iniuſtè ſubſiſteret; ſed in caſu noſtro actus dandi pecunias habet pro obiecto tantùm redemptionem vexationis iniuſtæ contra proprium ſtatum, & eſt exercitium illius iuris, quod quiſque habet ad propriam defenſionem.

6 Et hoc locum habet etiam quando electio indiget vlteriori confirmatione; quia tunc non datur pecunia pro confirmatione, ſed pro auertenda iniuſta contradictione, quæ fit contra electionem, quæ eſt iam ſub iure electi: vnde defendit, quod ſuum eſt.

7 Et ſequitur ex regula, quam tradunt communiter, quod poſt ius acquiſitum liceat pecunijs redimere vexationem iniuſtam, quæ fit pro turbando ipſo iure: & tradit Gloſ. *in Cap. Quæſitum* 1. 1. *quæſt.* 3. *verbo Redemptione, & in Cap. Decimas* 3. 16. *quæſt.* 6. & *in Cap. Dilectus* 1. *De ſimonia*, vbi Innocent. Panorm. & alij, & D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 2. *ad* 5. & alij plures, quos refert & ſequitur Suarez *dict. tom.* 1. *De Relig. lib.* 4. *De ſimon. cap.* 50. *num.* 2. Cum enim quis eſt electus à maiori parte, licet nondum confirmatus, fecit iam ſuam electionem: & ideo poteſt contra iniuſtè turbantes defendere, & etiam præuenire turbationem dando pecunias.

An electus poſſit precio redimere vexationem injuſtam, quam patitur in confirmatione electionis.

Deciſio CCXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Facta electione licet precio redimere vexationem in ordine ad confirmationem, & quando.*
2 *Quando vexatio non eſt ab eo, qui debet confirmare, licet precio eam redimere.*
3 *Et quando vexans prodeſſe poteſt, & ad ipſum pertinet de confirmatione.*
4 *Poteſt pecunia dare confirmatori, tantùm vt vexatori: vt deſiſtat.*
5 *Tale precium non ordinatur ad confirmationem.*
6 *Nec datur ex intentione confirmationis; licet talis intentio adſit.*

1 QVando vexatio eſt ab eo, qui poteſt prodeſſe, non licet eam precio redimere, quia tunc ille actus tenderet non ſolùm ad vexationem tollendam, ſed etiam ad parandam viam ad confirmationem: vnde ſaltem mediatè ordinatur ad obtinendam confirmationem: quia non daret pecuniam, ſi non vellet obtinere electionem: & proinde dat ex intentione obtinendi. Si verò vexans non poſſit prodeſſe, quia non pertineat ad ipſum de confirmatione: tunc licet redimere iniuſtam vexationem. Ita docent Suarez *tom.* 1. *De Relig. lib.* 4. *De ſimon. cap.* 50. *num.* 8. citans Præpoſitum, & Bellameram. Laym. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vlt.* §. 2. *num.* 22. *ver. Secundo dixi.* Gordonius *lib.* 8. *Theol. moral. quæſt.* 8. *cap.* 18. *num.* 54. *ver. Sanè hac.* Villalobos *par.* 2. *ſum. tract.* 37. *difficult.* 30. *num.* 4. Bonacina *tom.* 1. *Diſp.* 1. *De ſimon. quæſt.* 6. *punc.* 5. *num.* 4. *ver. Reſpondeo, ſimoniam*, ſequens Suarez; de ſecunda tamen parte nihil dicit Sanchez *lib.* 2. *conſil. moral. cap.* 3. *dub.* 30. *num.* 10. Qui tamen ſolùm dicit non licere redimere vexationem iniuſtam confirmatoris. Altera tamen pars eſt conformis doctrinæ quã tradit *ibid. num.* 5.

2 Poſterior pars nullam habet difficultatem; quia quando confirmatio non ſpectat ad vexantem, tunc dare pecuniam pro redimenda vexatione, eſt pura redemptio vexationis, nec habet ad mixtum aliquid, quod ſpectet ad confirmationem: & alioquin redemptio vexationis eſt iuſta, cum ſpectet ad defenſionem: nec interuenit aliquid ſpirituale, pro quo detur pecunia.

3 Quando verò vexatio iniuſta eſt ab eo, ad quẽ ſpectat confirmatio eſt eadem ratio, ac de electore iniuſtè vexante; de quo diximus ſu-

pra

pra Deciſ. 135. Vnde cum iiſdem anctoribus ibi *num. 3. citatis*, quamuis Suarez hic oppoſitum doceat de confirmatoribus, tenendum eſt quod etiam ſi vexans prodeſſe poſſit, adhuc licet ab ipſo iniuſtam vexationem redimere, quia tunc pecunia non datur pro confirmatione obtinenda, ſed pro remouenda iniuſta vexatione, & conſtituendo confirmatore in debita æqualitate, quàm debet habere; vnde talis actus habet pro obiecto aliquid honeſtum, nempe animi æqualitatem in confirmatore, in ipſo neceſſariam, & remouere ipſum à malo, & peccato, in quo eſt, dum iniuſtè vexat. Atque eadem eſt ratio de ipſo, ac de eo qui non poteſt prodeſſe, quia quod prodeſſe poſſit per accidens ſe habet, nec intenditur quòd poſſit, ſed quod non iniuſtè noceat.

4 Et ſicut veſtes, & vaſa ſacra emi, & vendi poſſunt ratione materiæ non obſtante, quòd cum ipſis tranſeat, quod ſacrum, & ſpirituale eſt, quia pretium ſoluitur ratione materiæ tantùm, ita etiam in caſu noſtro poteſt ſolui pretium confirmatori, & in electione electori tantùm vt vexatori ob vexationem redimendam, non vt confirmatori, ſiue electori.

5 Nec obſtat, quod in oppoſitum adducitur, quia falſum eſt, quòd pretium ordinetur ad confirmationem obtinendam, quia adhibetur ſolùm vt medium ad vexationem remouendã, vt ea remota procedat confirmator ſicut debet abſque paſſione.

6 Et licet non daretur pecunia, niſi adeſſet intentio confirmationis, non tamen datur ex intentione confirmationis, ſed ex intentione habendi confirmatorem æquum, & iuſtè procedentem; vnde inuentio confirmationis non mouet ad dandum pretium pro ipſa confirmatione, ſed tantùm ad deſiderandum confirmatorem in debita æqualitate conſtitutum, & pecunia datur pro hac debita æqualitate obtinenda, non pro confirmatione.

An quando quis apud Electores iuſtè vexatur, poſſit redimere vexationem, vt tollat impedimentum propriæ electionis.

Deciſio CCXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Vexatio iuſta contra eligendum poteſt iniuſtè exerceri.*
2 *Vexatio iuſta non poteſt redimi ex communi ſententia.*
3 *Si iniuſtè fiat, poteſt pretio redimi ab eligendo.*
4 *Poſſumus à nobis propulſare malum vexationis iniuſtæ.*
5 *Poſſumus ratione charitatis pretio impedire peccatum iniuſtè vexantis.*
6 *Eligendus poteſt pretio redimere vexationem illius, qui ex malo animo vult ipſum diffamare apud electores, licet de rebus veris.*
7 *Si quis alicui in ordine ad electionem vera obijciat, vt impediat, ne eligatur, vt nimirum ſequatur poſtea electio amici, an talis vexatio poſſit pretio redimi.*

1 NOmine vexationis iuſtæ intelligo oppoſitionem eorum, quæ vera ſunt, & opponuntur, vt impediant electionem, vt ſi quis reuera eſſet deditus ludo, & hoc illi opponeretur, ne ab electoribus eligeretur. Rurſus vexatio, licet ſit iuſta, poteſt tamen iniuſtè exerceri, vel quia fiat ab eo, à quo opponi non poteſt, vel fiat ex malo animo, & non ex intentione bonæ electionis, vel ex aliquo alio capite. Vel etiam non ſolùm poteſt eſſe iuſta, ſed etiam iuſto modo fieri, ita vt qui vexat nullo pacto peccet.

2 In hac difficultate DD. ſatis confusè loquuntur, nec diſtinguunt, vbi neceſſario diſtinguendum eſt. Communiter enim docent abſolutè non licere redimere vexationem iuſtam. Ita Gloſa in *Cap. Matthæus Verbo* Paucis *de Simonia*. Panorm. *in Cap. Dilectus* 1. *de Simonia*. Innocent. *ibid.* Abbas *num.* 3. Felin. *num.* 4. Redoan. 3. *par. cap.* 22. *in fine*. Nauar. *conſil.* 41. *de Simon. num.* 2. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *de Simon. cap.* 50. *num.* 10. Azor. 3. *par. lib.* 12. *cap.* 3. *quæſ.* 3. Laiman. *lib.* 4. *Theol. Moral. tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 22. *ver Aſſertio* 2. Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 1. *de Simonia quæſ.* 6. *punct.* 5. *num.* 3. Palaus 3. *par. tr.* 17. *diſp.* 3. *de Simon. punct.* 20. *num.* 4. *ver. Reſpondeo*. Reginal. *lib.* 23. *Prax. Fori Pœnit. nu.* 125.

3 Vt igitur diſtinguam, ſicut oportet diſtinguere. Quando vexatio iuſta iniuſtè fit, tunc pretio redimi poteſt, non ſolùm abſque ſimonia, ſed etiam abſque peccato, ſi enim recta intentione id fiat, nimirum ſi tantùm detur, vt deponatur malus animus, vnde prouenit vexatio, maneat tamen in ſua libertate.

4 Ratio eſt, quia ratione defenſionis, quæ de iure naturali eſt, poſſumus à nobis propulſare omne malum, præſertim quando iniuſto modo infertur, etiam ſi alioquin de ſe iuſtum ſit; vnde ſi quis mortem mereatur, poteſt ſe defendere contra conantem occidere, ſi iniuſto modo velit occidere, quia nimirum non habet poteſtatem occidendi. Vnde poteſt etiam propulſare vexationem iuſtam ſibi in-
5 iuſtè illatam. Rurſus ratione charitatis, qua tenemur diligere proximum ſicut nos ipſos, poſſumus impedire malum ipſius exercendo

Digitized by Google

actum charitatis erga ipſum, ergo cum peccet, qui iniuſto modo nos vexat, etiam ſi vexatio iuſta ſit poſſumus impedire hoc peccatum vt malum ipſius, etiam mediante precio, quia precium datur pro vincendo malo animo ipſius, quo mouetur, vt velit iniuſto modo vexare; vnde hic actus habet obiectum honeſtum, nempe vincere malum animum, & impedire malum, nec medium eſt malum, ſed indifferens, nempe traditio pecuniæ, quæ de ſe non eſt nec bona, nec mala, ſed ſolum iuxta finem ad quem ordinatur.

6 Ex hoc autem ſequitur, quòd ſi dum agitur, de electione alicuius, aliquis alius vellet illum diffamare apud electores ex odio in ipſum, vt impediret eiuſdem electionem, etiam ſi vera opponeret, quia tamen ex malo animo opponeret, poſſet precio redimi huiuſmodi vexatio, quia daretur pecunia ad propulſandum malum, & vincendum malum animum ipſius,

7 Secundò deducitur, quod ſi dum agitur de electione alicuius, alter vera opponat, vt impediat, ne eligatur in eum finem, vt ipſius electione impedita ſequatur electio pro amico, poſſe adhuc hāc vexationē precio redimi, quia prouenit ex inordinato animo; dum enim vult eligi amicum ex eo, quia amicus eſt, & nō potius eum, qui meretur eligi, vult electionem inordinatam, vt nimirum ſuccedat, non ſecundum merita eligendorum, ſed ſecundum affectum proprium, & proinde habet voluntatem inordinatam. Quod ex eo patet, quia eſt ita diſpoſitus, vt nolit detegere aliquid contra amicum, etiam ſi poſſet; quod ſatis ipſum conuincit, non moueri ad detegendum aliquid contra competitorem amici zelo electionis, ſed affectu amicitiæ: vnde in tali caſu traditio pecuniæ haberet finem honeſtum, nempe tollere à vexante inordinationem animi, & ipſum redimere ad debitam æqualitatem.

An quando iuſta vexatio iuſto modo fit ab ijs, ad quos non pertinet de electione, poſſit precio redimi.

Deciſio CCXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Vexatio, quæ fit iuſto modo ab eo, ad quem non pertinet de electione, non videtur poſſe precio redimi.*

2 *Poteſt precio redimi ſi vexans non teneatur opponere.*

3 *Omne malum poteſt propulſari, quando non eſt iuſta punitio.*

4 *An accipere pecuniam pro abſtinendo à iuſto nocumento, ſit licitum.*

5 *An mediante pecunia propulſare iuſtum nocumentum ſit parare ſibi viam ad electionem.*

6 *An redimere iuſtam vexationem illius, ad quem non pertinet de electione, impediat, ne electio fiat debito modo.*

7 *Licet inducere precibus aliquem ne noceat eligendis manifeſtando, quæ poteſt tacere.*

8 *Probabile eſt non peccare qui ab id accepit pecuniam.*

1 MAior difficultas eſt in præſenti puncto, poteſt enim quis, licet ad ipſum non pertineat de electione iuſtè vexare opponendo ea, quæ electionem impedire poſſunt, non quidem ex inordinato animo, ſed zelo bonæ electionis, ita tamen, vt quæ opponit verè opponere poſſit, & abſque culpa, alioquin vexatio non fieret iuſto modo, tunc autem videtur dicendum, non poſſe vexationem precio redimi, quia precio ſibi pararet viam ad electionem, & impediret, ne electio debito modo fieret.

2 Puto tamen, hanc quoque vexationem poſſe pretio redimi, ſi ſit ab eo, qui non teneatur ex aliqua obligatione opponere eligendo, vt cōtingit in illis, ad quos non pertinet de electione, & fiat redemptio cum debita intentione, nimirum vt intendatur tantùm auertere proprium nocumentum.

3 Moueor; quia poteſt eligendus vti iure ſuo naturali, quo poteſt ſe defendere, & propulſare omne malum, quod ſit à quocunque, cui non ſubijciatur, ita vt poſſit ab ipſo puniri: atque adeo omne malum, quod non habet rationem iuſtæ punitionis: & poteſt adhibere pecuniam, vt medium indifferens. Tunc autem, cum talis vexatio non ſit iuſta punitio, talis actus habebit obiectum honeſtum, nempe propulſationem mali per medium licitum: vnde etiam actus licitus erit.

4 Nec accipiens pecuniam inducitur ad actum malum, quatenus ab ipſo exigatur aliquid mali, quia tantum exigitur, vt abſtineat ab eo, quod nocet eligendo. Vnde ſolum exigitur, ne noceat. Et licet opponere eligendo zelo bonæ electionis ſit actus bonus, habet tamen annexum nocumentum alterius, vnde cum alioquin non teneatur opponere, poteſt ceſſare ab oppoſitione ex eo, quod ſit nocumentum alterius, abſque eo quod peccet: vnde non exigitur ab ipſo aliquid malum, ſed vt abſtineat ab aliquo nocumento, à quo poteſt ex libertate ſua licitè abſtinere.

5 Neque hoc pacto parat ſibi viam ad electionem, quia per id, quod impediat, ne ſibi

opponatur

opponatur ab eo, quod non tenetur opponere, non magis accedit ad ipſam electionem, neque ponit aliquam diſpoſirionem ad ipſam, ſed tantùm conſeruat bonum nomen apud electores, ad quod conſeruandum habet ius, & ideo pro tali conſeruatione poteſt vti omnibus medijs licitis. Vnde ſtat in illo ſtatu apud electores, in quo erat, antequam ageretur de electione, & ipſum conſeruat: & nihil ponitur in eſſe, quod moueat, aut magis diſponat electores ad ipſum eligendum.

6 Nec etiam impedit, quin electio fiat debito modo, tum quia non ponit aliquod impedimẽtum, nec impedir, quòd electores acquirant illam notitiam de ſe ipſo, quæ ſit illis debira; quia ſuppono, quòd accipiens pecuniam non teneatur aliquid opponere eligendo; tum quia non inducit electores, vt eligant aliter, ac ſecundum conſcientiam debent eligere, quia non habent aliam obligarionem, niſi eligendi illum, quem putant cœteris præferendum ſecundum noririam, quam habent; neque enim aliquid ponit, quod eos inducat ad aliter eligendum.

7 Ex his autem ſequitur, quòd multò magis liceat aliquem precibus, ſuaſionibus, & alijs huiuſmodi medijs inducere, vt non opponat apud electores eligendis ea, quæ electionem impedire poſſunt, quando non tenetur ea electoribus manifeſtare: hoc enim non eſt aliud, quam ipſum diſponere, vt non noceat eligendis, & abſtineat ab eo, alioquin bono, à quo poteſt abſtinere, ea de cauſa, quia ita eſt bonum, vt tamen ſit nociuum alteri.

8 Quæres. An peccet, qui in tali caſu accipit pecuniam. Reſp. probabile eſſe, non peccare, quia accipit pro re iuſta, & quæ pender ex arbitrio ſuo, cum ſit in eius poteſtate illi nocere, & non nocère, & iuſtè nocere poſſe: vnde cum in gratiam ipſius taceat, exhibet beneficium, quod eſt precio æſtimabile,

---

An quando iuſta vexatio eſt ab ijs, ad quos pertinet de electione, poſſit precio redimi.

Deciſio CCXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Quando ille, ad quem pertinet de electione, tenetur opponere eligendo, non poteſt vexatio pretio redimi.*
2 *Quid ſi poſſit opponere, ſed poſſit etiam non opponere.*
3 *Elector putans ſe obligari opponere eligendo, non poteſt induci, ne opponat.*
4 *In ijs, quæ opponi poßunt eligendo, debet conſiderari, an ipſum reddant inhabilem, an non.*
5 *Elector non poteſt induci, vt taceat, quæ reddunt inhabilem eligendum.*
6 *Secus autem, ſi non reddant inhabilem.*
7 *Electores non tenentur negare electionem ob mala merita, quando non reddunt eligendum indignum.*
8 *Eligendus poteſt omni licito medio prouidere propriæ vtilitati, & bono nomini.*

1 Hic rurſus diſtinguendum eſt. Fieri enim poteſt, quòd elector, aut quiuis alius, ad quẽ pertinet, de electione poſſit, & debeat opponere, quæ habet contra eligendum; & tunc certum eſt, non poſſe precio redimi hanc vexationem. Quia enim tenetur opponere, quæ habet contra eligendos, peccat mortaliter, ſi non opponit; quia in re graui nõ ſatisfacit proprio muneri: & ideo inducere ipſum precio, aut alio modo ad tacendum, eſt inducere ad peccatum.

2 Si verò ſolùm poteſt opponere, ſed non tenetur, Quia vel abſolutè nõ habet obligationem, vel ab ipſa excuſatur ratione circumſtantiarum; tunc eſt eadem ratio de ipſo, ac de ijs, ad quos non pertinet de electione; & proinde poteſt vexatio precio redimi, militat enim eadem ratio. Quia nimirum eligendus poteſt vti iure ſuo propulſandi malum à ſeipſo, & poteſt exigere ab eo, qui illaturus eſt, vt non inferat, deſiſtendo ab oppoſitione, à qua eum poſſit licitè ex libertate ſua deſiſtere, nihil illicitum ab eo exigitur.

3 Hoc autem habet locum, ſi elector cognoſcat, ſe non teneri opponere, quæ habet contra eligendum; quia ſi putaret, ſe obligari, non poſſet induci ad oppoſitum, quia induceretur ad faciendum contra propriam conſcientiam: niſi ipſi oſtenderetur, & perſuaderetur, non teneri opponere.

4 Rurſus. Conſiderandum eſt, an, quæ opponi poſſunt eligendo, reddant ipſum inhabilem pro electione, ſeu pro munere, pro quo facienda eſt electio: an verò non reddant inhabilem, ad exercendum munus pro quo facienda eſt electio; & rurſus an reddant indignum, an non.

5 Si enim quæ opponi poſſunt, reddunt inhabilem pro electione, aut indignum tunc nullo modo ij, ad quos ſpectat electio, tacere poſſunt, nam permitterent, eligi indignum, & inhabilem: vnde eſſent auctores totius damni, quod ex huiuſmodi electione ſequeretur; & ideo à nullo induci poſſunt ſiue pretio, ſiue aliquo alio modo, vt taceant: quia hoc eſſet eos inducere ad malum.

6 At ſi quæ opponi poſſunt eligendis, non reddunt indignos, aut inhabiles pro munere, ad quod concurrunt, ſed tantùm non dignos beneficio electionis, ita vt negatio electionis ſit potiùs quædam pœna malis moribus inflicta, quàm aliquid debitum communitati, tunc licet pretio redimete hanc vexationem, aut alio medio operari, ne ea proferantur, quæ impedire poſſunt electionem.

7 Ratio eſt, quia electores tenentur ſolùm eligere dignum, & habilem ad illud munus, pro quo fit electio: & proinde tenentur ſolùm impedire ratione ſui muneris, ne eligatur aliquis, qui inhabilis ſit, & cuius electio damnoſa ſit communitati. vnde quamuis poſſint præterquam ex inhabilitate, & indignirate, etiam ex alijs demeritis denegare electionem, non tamen tenentur: quia ſufficit, quod prouideant de perſona idonea, & conſequentet qui nouit demerita eligendi, quæ non præiudicant idoneitati, & bono electionis, non tenetur propalare apud alios electores, vt eos inducat ad denegandam electionem, ſed tacere poteſt; & ideo ſi hoc ab ipſo exigarur, non inducitur ad aliquod malum, cum exigatur, quod licitè poteſt facere.

8 Rurſus cum poſſit eligendus prouidere omni licito medio propriæ vtilitati, & bono nomini, poteſt exhibitione pecuniæ, aut muneribus ſibi æquum redere animum electoris, ne ea ſibi opponat apud alios electores, quæ ſibi nocere poſſunt, & ſi taceantur, electioni non præiudicant.

An vt vexatio precio redimi poſſit in ordine ad electionem, neceſſe ſit, vt aliter vitari non poſſit.

Deciſio CCXXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Vt vexatio poſſit pretio redimi, oportet, vt non poſſit aliter vitari, ſecundum aliquos.*
2 *Quia in tali caſu redemptionis electio eſt ſimoniaca ex parte electoris.*
3 *Dans pecuniam ob redimendam vexationem non procurat electionem inualidam.*
4 *Poteſt in electione vexatio redimi precio, etiam ſi aliter vitari poſſit.*
5 *Propulſare vexationem ſemper eſt ſecundum ius natura.*
6 *An vexatus poſſit paciſci cum vexante ne vexet.*

1 AFfirmãt, neceſſe eſſe, vt vexatio aliter vitari non poſſit moraliter loquendo, nã ſi vitari poteſt alio modo, vt adeundo ſuperiorem; qui cohibeat vexantes, tunc non licere illam precio redimere Io. Andr. *in Cap. Ad aures De ſimonia* Abbas *in Cap. Dilectus* 1. *De ſimon. num.* 4. Felin. *num.* 3. Rebuf. *in Praxi tit. De ſimon. in renun. num.* 30. *&* 31. Redoan. 3. *par. cap.* 2. *num.* 17. Bonacina *num.* 1. *diſp.* 1. *De ſimon. quæſt.* 6. *punc.* 5. *num.* 11. *verſ. Obſernandum tamen eſt.* Sotus *lib* 9. *De Iuſt. & Iure. quæſ.* 6. *art.* 1. Reginald. *lib.* 23. *Praxis Fori Pœnitent. num.* 133. *ver. Quia tamen.*

2 Ratio qua mouentur hi Doctores, eſt, quia quando precio redimitur vexatio, electio ſimoniaca eſt quantum eſt ex parte electoris, atque adeo nulla: non licet autem procurare electionem inualidam, etiam ſi adſit intentio procurandi conualidationem à Summo Pontifice, niſi adſit vrgens cauſa.

3 Hæc tamen ratio vim non habet, nam ſolum militat de redimenda vexatione ab electoribus: ſed neque in hoc caſu valida eſt, quia eſto electio ex parte electorum ſimoniaca ſit, de quo tamen melius inueſtigare oportet, non ſequitur, quòd dans pecuniam, procuret electionem inualidam, ſed tantum procuret impedire propriam vexationem vtens iure ſuo, & quod electio ſit inualida, per accidens ſe habet, & prouenit ex malitia electorum.

4 Itaque tenendum eſt cum Suarez *tom.* 1. *De Relig. lib.* 4. *De ſimon. cap.* 50. *num.* 6. Fernandez *par.* 3. *Exam. Theolog. cap.* 14. §. 1. *num.* 28. Poſſe vexationem precio redimi, etiam ſi adiri poſſit ſuperior, aut alio modo vitari. Quia nulla adeſt obligatio, qua teneamur alio modo prouidere, ne vexemur.

5 Siue enim poſſimus, ſiue non poſſimus alio medio propulſare vexationem, ſemper hic actus propulſandi eſt ſecùndum ius naturæ, quo nobis conceditur defendere nos ipſos, & habet idem obiectum, nempe defenſionem propriam, ſeu conſeruationem proprij eſſe, ſtatus, atque eorum, quæ ad nos pertinent: vnde ſemper de ſe eſt actus honeſtus, & habet obiectum honeſtum: atque adeo eſt actus licitus, quo hoc ipſum intendimus; ergo pro ipſo obtinendo poſſumus applicare quodcunque medium, quod de ſe malum non ſit, & nobis magis expediat applicare: huiuſmodi autem eſt traditio pecuniæ, quæ de ſui natura eſt medium indifferens, & fit bonum, vel malum iuxta finem, cui applicatur.

6 Dices. Eſſe malum pactum, quod fit, & ideo non eſſe licitum, niſi ex graui neceſſitate. Verum hoc dici non poteſt, nam licet non poſſet paciſci, qui vexat, ſuppoſito tamen malo animo ipſius poteſt vexatus vti ſuo iure, & pa-

Digitized by Google

& paciſci cum ipſo de non vexando; quòd enim non vexet eſt quid bonum, vnde poteſt ab ipſo exigi, & in pactum deduci; & quia eſt precio æſtimabile, quod ſibi non inferatur nocumentum, ideo poteſt hoc precio compenſare.

An, vt in electione vexatio pretio redimi poſſit, debeat eſſe actualis, an vero ſufficiat, quod probabiliter timeatur.

Deciſio CCXL.

SVMMARIVM.

1 *Vexatio in electione non poteſt à timente præueniri, ex aliquorum opinione.*
2 *Poteſt præueniri, & anticipatè redimi.*
3 *Quando poteſt vexatio actualis redimi, poteſt etiam redemptione præueniri.*
4 *Quando medium ad propulſandum malum non eſt de ſe illicitum, non eſt neceſſe expectare, quod malum ſit præſens.*
5 *Quando vis ſit licita.*
6 *An dans pecuniam vexatori, offerat materiam periculi, aut ſcandali.*

1 DEbere vexationem eſſe actualem, vt poſſit precio redimi, nec ſufficere, quod probabiliter timeatur tradunt Sotus *lib. 9. De Iuſt. & iure quaſt. 6. art. 1.* Bonacina, *tom. 1. diſput. 1. De ſimon. quaſt. 6. punc. 5. num. 11. ver. Obſeruandum eſt.* Quia. Non licet vim vi repellere, niſi uis inferatur; vnde nec precio redimere vexationem, niſi adſit vexatio, cum adſit periculum ſcandali, & ſimoniæ, nam ex hoc fieri poteſt, vt elector moueatur ad promouendam electionem ob pecuniam.

2 At præueniri poſſe vexationem, & precio redimi, quando eſt apertè futura iniuſta docet Reginald. *lib. 23. Praxis Fori Pœnit. num. 126.* & quando certò cognoſcitur inferenda. Fernandez *par. 3. Exam. Theol mor. cap. 14. §. 1. num. 28.* Et hæc ſententia tenenda eſt.

3 Atque iuxta dicta in ſuperioribus addendum eſt, quod quotieſcumque vexatio poteſt redimi, poteſt etiam præueniri redemptio; Nec eſt neceſſe, quod certò cognoſcatur inferenda, ſed ſuffiect ſi probabiliter timeatur.

4 Quotieſcũq. enim imminet malum, ſiue certo ſiue probabiliter, poſſumus vti iure naturali defenſionis, & ipſũ propulſare, nec debemus expectare, quòd ſit præſens, niſi quando medium ad propulſandum eſt de ſe illicitum, & fit tantum licitum ob neceſſitatem vitandi mali præſentis, & proinde requirit præſentiam mali, vt honeſtetur, vt eſſet homicidium pro defenſione propria, quod de ſe non eſt licitum, ſed tantum honeſtatum ex neceſſitate defendendi propriam vitam ab actuali vi illata. In caſu autem noſtro adeſt malum, quod probabiliter timetur, & medium ad ipſum auertendum non eſt de ſe illicitum, ſed indifferens, nempe traditio pecuniæ aut largitio munerum, quæ poſſunt benè, vel malè adhiberi iuxta finem ad quem ordinantur; & in caſu noſtro ordinantur ad finem, qui eſt ſecundum ius naturale, nempe ad propriam deſenſionem mediante reconciliatione illius, qui paratus eſt nocere, atque reductione animi illius ad beneuolam affectionem. Cur ergo hoc non erit licitum, cum nihil turpitudinis in his omnibus reperiatur, antequam vexatio præſens fiat?

5 Nec obeſt, quod in contrarium allatum eſt *num. 1.* cum non ſit eadem ratio de vi, quia vis non eſt de ſe licita, ſed tantùm fit licita exiſtente vi in contrarium; eſt enim vis de ſe iniurioſa, & ideo non poteſt adhiberi, niſi ad repellendam actualem vim.

6 Periculum autem ſcandali, aut ſimoniæ poteſt tantùm eſſe ex parte accipientis, non quidem ratione oblationis pecuniæ, quia non datur pro ſpirituali, nec eſt talis, quin iuſto modo accipi poſſit, ſi accipiatur per modum muneris, quando circumſtantiæ ſunt tales, vt permittant habere rationem muneris. Quando autem non permittunt, poteſt reſpui; vnde totum ſcandalum erit paſſiuum, & totum periculum ſimoniæ erit ex malitia accipientis. Deinde qui dat pecuniam vexatori parato, non offert materiam peccati, quaſi ex oblatione ordinetur ad peccatum, ſed offert medium ordinatum ad ſui defenſionem, & conſeruationem: qui autem accipit eam facit materiam peccati ex propria malitia.

An quando aliquis electorum accipit pecuniam, vt ceſſet à vexatione, electio ſit ſimoniaca, atque adeo nulla.

Deciſio CCXLI.

SVMMARIVM.

1 *Quando vexans non poteſt prodeſſe in ordine ad electionem, electio non eſt ſimoniaca.*
2 *Quando prodeſſe poteſt eſt ſimoniaca ex aliquorum ſententia.*

3 *Non eſſe ſimoniacam, ſed validam eſt probabilior ſententia.*

4 *Quando vexans ex pacto relinquit vexationem non ſubijcit contractui aliquid ſpirituale.*

5 *Ceſſans à vexatione intuitu pecuniæ, non ſe obligat, vt proſit.*

6 *Quid dicendum, ſi vexans accipiat pecuniam animo eligendi, quando accipit, vt ceſſet à vexatione.*

7 *Simonia eſt tradere ſpirituale pro redimenda vexatione.*

8 *Si materia vexationis ſit quid ſpirituale, ſi precio redimatur, eſt ſimonia.*

9 *Quomodo in tali caſu redimi poſſit vexatio abſq; ſimonia.*

10 *Ceſſio iuris ſpiritualis non eſt ſimoniaca, quando non eſt ex vi pecuniæ.*

1 QVando vexans accipit pecuniam, & non pertinet ad ipſum de electione, quia nec eſt elector, nec alio modo concurrit ad ipſam, certum non committi ſimoniam, vt notat Valent. *tom. 3. diſp. 6. quæſ. 16. punct. 3. circumſtant. 2. poſt concluſ. 2.* citans Palud. & Sotum. Tunc enim interuenit pura redemptio vexationis, nec vllo pacto aliquid, quod poſſit eſſe materia ſimoniæ: vnde nec præſumptiuè poteſt electio cenſeri ſimoniaca, cum nulla adſit præſumptio nec ex parte dantis, nec ex parte accipientis.

2 Quando autem vexans, & accipiens pecuniam eſt vnus ex Electoribus, aut alius, ad quem pertineat concurrere quomodocunque ad electionem, quia prodeſſe poteſt, vt dici ſolet, tunc electionem eſſe ſimoniacam tradit Præpoſit. *1. Quæſ. 1. init. num. 30.* tanquam communem ſententiam Canoniſt. in Cap. *Dilectus 1. de Simonia.* quod tamen non eſt verum, nam plures dicunt tantùm, id eſſe iniuſtum, vt Gloſa, Panor. & alij. Idem tenet Layman. *lib. 4. tract. 10. cap. vlt. num. 23. ver. Tertio dixi &c. in fine.* qui citat Valent. *tom. 3. diſp 6. quæſ. 16. punc. 3. circumſt. 3. poſt 2. concluſ.* Sed non abſolutè loquitur, ſed tantùm de eo, qui animo ſimoniaco non vult conferre ſpirituale. & concludit, electionem eſſe ſimoniacam ſecundum præſumptionem in foro externo. Quod etiam docet Adrian. *Quodlib. 9. in ſolut. 2. confir. tertij argum. principalis.*

3 At electionem non eſſe ſimoniacam, & proinde eſſe validam, docent Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. de Simon. cap. 50. nu. 14.* Reginal. *lib. 23. Praxis Fori Pænit. num.* 128. Bonacina *tom. 1. diſp. 1. de Simon. quæſ. 6. puncto 5. nu. 4. verſ. Reſpondeo vexationem.* & hæc ſententia omnino vt probabilior tenenda eſt.

4 Certum eſt enim, quod non committitur ſimonia, niſi vendatur ſpirituale, & ſubijciatur humano contractui, in caſu autem noſtro nihil ſpirituale ſubijcitur venditioni, & humano contractui, nam materia contractus eſt tantùm vexatio remouenda à vexante; vexatio autem eſt quid merè temporale.

5 Et quamuis vexans prodeſſe poſſit electioni, non tamen cadit ſub contractum quòd proſit; quia ſolum intuitu pecuniæ ceſſat à vexatione: deinde eſt in arbitrio ipſius, vt proſit, vel non proſit eligendo: neq; enim de hoc aliquid exigitur.

6 Atque hoc etiam valet quando vexans non habet explicitam intentionem accipiendi pecuniam pro deſiſtendo à vexatione, ſed ſolum accipit, vt non impediat electionem, & animo eligendi, ſi accipiat pecuniam: quia præſumitur quòd accipiat eo fine, quo datur; vnde cum detur, vt deſiſtat à vexatione, etiam præſumitur accipi pro deſiſtendo à vexatione. Quod autem accipiat cum animo eligendi, hoc non facit quòd vendat electionem: ſed quod habeat conditionatè illam intẽtionem, quam abſolutè haberet, ſi non intenderet vexare, aut ex malo animo in eligendum, aut ex intentione acquirendi pecuniam mediante vexatione. Et ideo animus eligendi non eſt effectus pecuniæ, nec electio ab ipſo procedẽs eſt materia contractus, ſed ſolum coniungitur cum conditione pecuniæ, cum tamen ſit effectus illius indicij, quo indicatur, hunc eſſe eligendum.

7 Limitanda tamen eſt ſupradicta ſententia cum auctoribus *num. 3.* allatis, quando, quod traditur pro redimenda vexatione, non eſt quid ſpirituale, nam ſi eſſet ſpirituale, committeretur ſimonia, quia ſpirituale pro temporale commutaretur vt habetur ex Cap. *Euphemium, & Thomam 1. quæſt. 3.* vbi vt ſimoniaci puniuntur qui acceperunt ordinea ab Epiſcopo pro relinquenda eiuſdem Epiſcopi accuſatione.

8 Rurſus etiam limitari debet, vt non habeat locum, quando ipſa vexatio ſpiritualis eſt, vt ſi fiat per manutentionem iuris ſpiritualis, atque adeo non poſſit ceſſari ab ipſa, niſi cedendo alicui iuri ſpirituali, tunc enim venit in contractum aliquid ſpirituale, quòd precio æſtimatur, & ideo ſimonia committitur.

9 Circa hoc vltimum tamen aduertendum eſt; Quod ſpirituale nunquam poteſt eſſe ipſa formalis vexatio, ſed tantùm materia, per quam fiat vexatio. Vexatio enim formalis eſt illa moleſtia, quæ prouenit ab animo malè affecto, ſi ſit iniuſta: vel ab animo illam intendente ob aliquem iniuſtum finem. Quia autem poſſumus nobis muneribus, & alijs huiuſmodi, etiam mediante pacto, aduerſos animos conciliare, & non aduerſos reddere beneuolos: ideo quando vexatio ſit per aliquid ſpirituale, poſſumus vti precio ad nobis conciliandum,

ciliandum, & reddendum beneuolum animum vexantis, in eum finem, vt poſita beneuolentia, deſinat vexare. Tunc enim per pecuniam nihil aliud acquiritur, aut datur, niſi aliquid
10 temporale; Quod autem fiat ceſſio iuris ſpiritualis; hoc non eſt ex vi contractus, neque ex vi pecuniæ, ſed ex vi animi compoſiti, & benè affecti; ita tamen, vt nec mediante animo bene affecto: ſequatur talis ceſſio ex vi pecuniæ, ſed ſequitur ex vi iudicij rationis, quòd ſtante animo benè compoſito poteſt ad id mouere: vnde precium ſiſtit in eo, quòd animum benè componat nec ad aliud vltra ſe extendit; ſed ſinit quod animus benè compoſitus ſe determinet iuxta prudens dictamen rationis.

An cum quis ex eo, quòd prodeſſe poteſt, mouetur ad vexandum, vt mediante vexatione obtineat pecuniam, committat ſimoniam, & electio ſit nulla.

Deciſio CCXLII.

SVMMARIVM.

1 *Pars affirmatiua.*
2 *Quando ſit ſimonia, ſi quis vexat ex eo, quòd poteſt eligere, vt accipiat pecuniam.*
3 *Quando non ſit ſimonia, & quomodo electio non ſubijciatur contractui.*

1 HAnc difficultatem in terminis non reperio apud Doctores, videtur tamē reſpondendum, Committi ſimoniam, quia electio mediante vexatione ſubijcitur contractui, & precio: intendit enim per vexationem inducere eligendum ad emendam electionem.

2 Si vexans haberet hanc intentionem inducendi eligendum, vt daret pecuniam pro electione, non eſſet dubitandum, quod haberet animum ſimoniacum, nam intenderet vendere electionem, vnde ex parte ipſius committeretur ſimonia, licet nō committeretur ex parte redimentis.

3 Quia tamen poteſt moueri ad vexandum ex eo, quòd prodeſſe poteſt abſque eo, quod intendat accipere pecuniam pro electione: nam poteſt vti tanquam occaſione, facultate, quam habet in ordine ad electionem, pro acquirenda pecunia, ita vt ſtante hac occaſione moueatur ad vexandum ex deſiderio pecuniæ, ideo in tali caſu non erit ſimoniacus, quia non habet animum vendendi ipſam electionem ſed aliquid quod poſſit vendi nimirum vexationem, & proinde adhibet vexationem, vt de ipſa paciſcatur, ne fiat pactum de electione. Et ideo nullo modo cenſendus eſt vendere electionem, dum illa non vtitur pro acquirenda pecunia, ſed aſſumit vexationem, cuius aſſumptio dat præſumptionem, ne vllo pacto paciſcatur de electione, ſed solùm illa vtatur, vt occaſione. Iniuſtè tamen agit & tenetur ad reſtitutionem: imò in foro externo præſumeretur ſimoniacus, & poſſet puniri.

An, ſi electus vexetur in ordine ad poſſeſſionem, poſſit precio redimere vexationem.

Deciſio CCXLIII.

SVMMARIVM.

1 *Vexatio illata ab eo, qui non poteſt prodeſſe, poteſt precio redimi.*
2 *Quando eſt ab eo, qui poteſt prodeſſe, non poteſt ſecundum aliquos precio redimi.*
3 *In poſſeſſione datur ius ſpirituale.*
4 *Vexatio in ordine ad poſſeſſionem poteſt precio redimi, etiamſi ſit ab eo, qui poteſt prodeſſe.*
5 *Non eſt ſimonia compenſare precio, quod non eſt ſpirituale, licet annexum ſpirituali, dummodo non tradat ſecum ſpirituale.*
6 *Poſſeſſio eſt quid corporale temporale.*
7 *Quando requiratur poſſeſſio pro adminiſtrando officio ſpirituali.*
8 *Et ſi poſſeſſio eſſet quid ſpirituale poſſet vexatio precio redimi.*
9 *Poſſeſſio non firmat ius ſpirituali modo.*
10 *Quomodo pacta probibita in beneficialibus.*

1 DIfficultas procedit de vexatione, quæ iniuſta eſt: & ſecundum nos, iuxta ea, quæ diximus in ſuperioribus, etiam quando iuſta eſt, ſed pendet ab arbitrio vexatoris, vt inferatur, vel non inferatur. Et quando vexatio in ordine ad poſſeſſionem eſt per violentiam illatam ab eo propria auctoritate, & vt à priuata perſona, ad quem non ſpectat de poſſeſſione, conueniunt omnes, quod poſſit precio redimi, quia tendit redemptio illa ad remouendum tantum impedimentum merè temporale, vt ſi electus detineretur ab aliquo, ne poſſet adire ſuperiorem, à qua eſt conferenda poſſeſſio.

2 At ſi vexatio ſit à ſuperiore, vel ab aliquo, qui vexet apud ſuperiorem, vt impediat, ne ipſi conferatur poſſeſſio: ſeu quandocunque vexatio eſt iuris, non facti, ita vt tendat ad iuridicè inpediendam poſſeſſionem, tunc non li-

cere

cere eā precio redimere docent Gloſſa *in Cap. Decimas.* 2. *Cauſa* 16. *quæſt.* 7. Abbas *in Cap. Ad aures De ſimonia, & Cap. Dilectus* 1. *eodem titul.* Felin. *num.* 3. Innocent. *in dictum Cap. Ad aures* Præpoſit. 1. *quæſt.* 1. *init. num.* 28. *&* 29. Redoan. *par.* 3. *cap.* 22. *num.* 2. Vgolin. *tab.* 1. *cap.* 9. §. 8. *num.* 5. Guido Papa *deciſ.* 1. *in fine* Nauarr. *in Manual. cap.* 23. *num.* 102. *ver. Octauo quod*. Sotus *lib.* 9. *De Iuſtit. & Iure, quæſt.* 6. *art.* 1. *circa Reſp. Ad* 5. licet dubitanter Armilla *Verbo ſimonia num.* 25. Syluester *ibid. quæſt.* 3. Summa confeſſ. *lib.* 1. *tit.* 1. *De ſimon. quæſt.* 46. Summa Corona 3. *par. tract. de ſimon. num.* 32. Lopez 2. *par. inſtruct. cap.* 302. Garzia *par.* 1. *De Beneficijs. cap* 2. *num.* 53. Qui *num. ſequent.* affert Deciſionem in cauſa *Maioricenſi præeminentiarum ſub die* 21. *Maij anni* 1554. *coram D. Veſtano.* in qua fuit deciſum: Poſſeſſionem canonicatus fuiſſe ſimoniacam, quia fuit tradita cum quondam pactu de non habenda voce in capitulo, nec poſſidenda domo canonicali vſque ad certum tempus. Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 1. *de ſimon. quæſt.* 6. *puncto* 5. *num* 8.

3 Hoc autem probant, quia poſſeſſio eſt quid ſpirituale, nam datur in ipſa ius ſpirituale adminiſtrandi officium, vel ſaltem eſt connexa cum ſpirituali nempe cum adminiſtratione officij & auctoritatis, quæ inde ſequitur.

4 Oppoſita tamen ſententia nempe poſſe redimi vexationem quæ obſtat poſſeſſioni deſumitur ex D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art* 2. *ad* 5. quatenus docet, acquiſito iure licere vexationem redimi vbi etiam. Arragon. *circa explicat. eiuſdem reſpon. ver. Circa ſecundum.* Rodriquez *tom.* 2. *Sum. cap.* 59. *num.* 5. & *cap.* 61. *num.* 2. Vega *par.* 2. *Sum. cap.* 101. *caſu* 19. 33. *&* 44. *circa finem* Summa Piſanel. *Verbo ſimonia* 1. Ledeſma 2. *par. Sum. tract.* 12. *concluſ.* 26. *&* 27. Maior. *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 5. *ad* 2. Suarez *tom.* 1. *De Relig. lib.* 4. *De ſimon. cap.* 50. *num.* 31. Leſſius *lib.* 2. *De Iuſtit. & Iure cap.* 35. *dub.* 18. *num.* 10. Reginald. *lib.* 23. *Praxis Fori Pœnit. num.* 130. Sum. *Roſella ſimon.* 1. §. 13. Sum. Angel. *Simonia* 2. §. 11. Palaus *par.* 3. *tract.* 17. *Diſp.* 3. *De ſimon. dub.* 20. *num.* 3. Layman. *lib.* 4. *Theol. Moral. tractat.* 10. *cap. vlt. num.* 22. *ver. Exinde.* Sanchez *lib.* 2. *opuſc. cap.* 3. *dub* 30. *num.* 11. Villalobos 2. *par. Sum. tract.* 37. *difficult.* 30. *num.* 5.

5 Hæc ſententia poſterior procul dubio probabilior eſt, & ego eam certam exiſtimo ex duobus principijs, quorum primum eſt, quod non eſt ſimonia compenſare precio quod non eſt ſpirituale, ſed temporale, & precio æſtimabile, dummodo ſaltem non ita ſit annexum ſpirituali, vt trahat ſecum ipſum ſpirituale; & ſpirituale principaliori modo ſe habeat, vt contingit in beneficio, in quo ius ſpirituale eſt principalius, & connectitur cum temporali.

6 Alterum principium eſt, quòd poſſeſſio eſt quid merè temporale, quia non dicit aliud, quam quoddam factum corporale, quo res poſſidenda conſignatur poſſeſſori; nec in ſpiritualibus ſecùndum ſe differt à poſſeſſione in ciuilibus, ſed eſt omnino idem factum; ſolùm enim differt ratione tituli. Et licet ſit annexa titulo ſpirituali, non tamen vexatio eſt circa titulum, & ius, quia ſupponitur ius iam plenè acquiſitum: vnde remanet, quòd redimatur vexatio tantùm in ordine ad temporale.

7 Nec obſtat, quod *num.* 3. dicitur, nam licet requiratur poſſeſſio pro adminiſtranda auctoritate, & officio, non tamen talis adminiſtratio eſt annexa poſſeſſioni vt conſequens ad ipſam, nam conſequitur ad titulum, & ius acquiſitum per electionem; ſed poſſeſſio ſe habet tantùm vt condicio, ſine qua ius acquiſitum exerceri non poteſt in adminiſtratione auctoritatis, & officij.

8 Addo. Quòd etiam ſi poſſeſſio eſſet quid ſpirituale, poſſet redimi vexatio contra ipſam; vt enim diximus in ſuperioribus, vexatio eſt quid merè temporale, atque adeo poteſt precio compenſari ex natura ſua, & alioquin vexatus poteſt vtens iure ſuo naturalis defenſionis, ipſam propulſare mediante pecunia abſque eo, quod intendat aliquo pacto ſubijcere contractui ipſam poſſeſſionem, ſed tantum tollere impedimentum, ita vt res in eo ſtatu conſtituatur, in quo eſſet ſecluſa vexatione, tunc autem nulla interueniret ſimonia, quia nullo pacto intenditur mediante pecunia acquirere ſpirituale. Neque ſimiliter vexans committeret ſimoniam, quia poteſt intuitu pecuniæ ſolum ceſſare à vexatione.

9 Nec obſtat, quod poſſeſſio ſit annexa iuri ſpirituali, quia non illud trahit ſecum, ſed ſupponitur iam acquiſitum, & ideo pecunia non ordinatur ad acquirendum aliquid ſpirituale. Nec poſſeſſio magis firmat ius ſpirituali modo, ſeu dans aliquid ſpirituale de nouo ſed tantum dicitur firmare, quatenus ius coniungitur cum ſuo obiecto, & ſit ius executioni mandatum.

10 Nec item, quòd Eccleſia prohibeat pacta, & conuentiones in beneficijs, quia, intelligit de pactis, quæ fiunt in ordine ad acquirenda beneficia, ſeu in ordine ad acquirendum ius; nec intelligit de pactis ad propulſandam vexationem, ſed ordinatis ad acquirendum beneficium.

An quando ius ad poſſeſſionem eſt dubium, liceat precio redimere vexationem contra poſſeſſionem.

Deciſio CCXLIV.

SVMMARIVM.

1 *Pars negatiua, & eius auctores.*
2 *Vexatio contra poſſeſſionem poteſt precio redimi non obſtante dubio iuris.*
3 *Poſſeſſio neque trahit ſecum, neque roborat ius ſpirituale, ſed relinquit vt eſt.*
4 *Poteſt vnuſquiſque defendere ſuum ius, etiam ſi ſit dubium.*
5 *Vexatio contra ius dubium poteſt precio redimi, & quomodo.*
6 *Quando ius ad poſſeſſionem eſt dubium, poteſt propulſari vexatio.*
7 *Poſſunt adhiberi munera ad aliquid temporale acquirendum occaſione ſpiritualis.*

1 EX ijs, qui docent licere redimere vexationem, quæ fit contra poſſeſſionem, acquiſito iure per electionem, negant id licere, quando ius eſt dubium: quia hoc eſſet conſeruare, & roborare ius infirmum; nã daretur pecunia pro poſſeſſione, vt trahente ſecum conſolidationem, & determinationem iuris dubij. Ita Suarez, Palaus, Layman. Reginald. citati *num. 4. deciſ. præcedentis*.

2 In hoc tamen caſu diſtinguendum puto. Vel enim vexatio eſt contra poſſeſſionem, vel contra ius ad poſſeſſionem acquiſitum per electionem. Si vexatio ſit contra poſſeſſionem, poſſe precio redimi abſque vlla ſimonia, exiſtimo extra difficultatem. Poſſeſſio enim non ſolum reuera, ſed etiam ſecundum citatos auctores eſt quid temporale: vnde dare pecuniam pro ipſa, eſt dare pro re merè temporali. Adde, quod neque datur pecunia pro ipſa, ſed tantum pro propulſanda vexatione, cui cum non teneatur ſubiacere, poteſt illam quocunque licito medio propulſare.

3 Nec dici poteſt, quòd poſſeſſio trahat ſecum ius ſpirituale, aut corroboret, & faciat melioris conditionis; nam cum poſſeſſio conſequatur ad ius, & ius debeat antecedere poſſeſſionem, non poteſt per poſſeſſionem conualidari, aut corroborari; neque effectus corroborat ſuam cauſam, quia ipſam ſupponit vt illam, à qua accipit eſſe; & proinde validitas poſſeſſionis eſt à validitate iuris acquiſiti per electionem; & poſſeſſio eſt nulla, ſi ius ſit nullũ & dubia ſi eſt dubium. Vnde non obſtante poſſeſſione ius retinet totam ſuam dubietatem, ſi antea erat dubium, & conſequenter ex acquiſitione poſſeſſionis nihil penitus iuris acquiritur; & ideo redimendo vexationem in ordine ad poſſeſſionem, nullo pacto ordinatur pecunia ad aliquid ſpirituale.

4 At ſi vexatio ſit contra ius acquiſitum, quod tamen ſit dubium, tunc cum per electionem poſſideat illud ius, qualecunque ſit, & in dubijs ſit melior conditio poſſidentis, poteſt illud ius tanquam aliquid proprium ſui ipſius defendere, & adhibere omnia illa media, quæ ad iuſtam defenſionem ſui, & ſuarum rerum permittuntur, & vti iure naturali defenſionis.

5 Ex hoc autem fit, quòd poſſit precio redimere vexationem: quia hoc eſt vnum ex illis medijs, quæ ad defenſionem conceſſa ſunt, Quia hoc non eſt aliud, quàm defendere ius proprium. Neque enim tunc pecunia ordinatur ad aliquid ſpirituale acquirendum: ſed tantum ad defendendũ acquiſitum: vnde obiectum iſtius actus eſt iuſta defenſio rerum propriarum, quæ cum ſit quid honeſtum, actus quoque erit licitus, & honeſtus.

6 Deinde alia etiam via poteſt redimere vexationem, vt ſupra dicebamus de electione, non intendendo acquirere aliquid ſpirituale, ſed tantum merè ſe liberare à vexatione temporali, & ſe conſeruare in illo ſtatu, in quo eſſet, ſi non vexaretur: & reddere eos, qui prodeſſe poſſunt, ſi ab ijs vexetur, ad debitam æqualitatem, vt ſibi quod de iure fuerit recto iudicio reddant. Hoc enim pacto nihil ſpirituale ſubijcitur contractui, nec pecunia ordinatur ad aliquid ſpirituale parandum.

7 Et hoc à fortiori fieri poteſt medijs muneribus; nam hæc ex natura ſua ordinantur ad reddendos animos ſibi beneuolos, ad acquirendam amicitiam, & alia huiuſmodi, quæ de ſe licita ſunt, vnde intendi poſſunt licitè, etiam ſi motiuum occaſionale intendendi ſit quid ſpirituale; Quia hoc ſpirituale, quod eſt occaſio, non eſt id quod intenditur medijs muneribus, ſed eſt tantum cauſa intendendi medijs muneribus, quod licitè ipſis mediantibus intendi poteſt: & ſolum ex eo quod intenditur medijs muneribus aliquid ſpirituale ſperatur; quod non eſt ipſum ſubijcere contractui, aut muneribus, ſed ſpei; quæ acquiritur per beneuolẽtiam acquiſitam medijs muneribus, quod non eſt quid illicitum. Sic quis poteſt inſeruire Epiſcopo cum ſpe acquirendi beneficium, fundata in beneuolentia Epiſcopi, comparata mediante ſeruitute. Hæc autem intelligenda ſunt quando non datur pecunia ad hoc vt vexans cedat alicui iuri ſpirituali, quod habeat dictam poſſeſſionem.

An

An ſi electus vexetur in poſſeſſione acquiſita virtute electionis, aut deturbetur ab ipſa, aut in ijs, quæ conſequuntur poſſeſſionem: poſſit precio vexationem redimere.

Deciſio CCXLV.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia Vgolini.*
2 *Vexatio contra poſſeſſionem iam habitam poteſt pretio redimi, etiam ſequuta deturbatione.*
3 *Deturbatio poſſeſſionis non tollit ius, nec quid ſpirituale.*
4 *Acquiſito pleno iure poteſt redimi vexatio. communis doctrina.*

1 NEgat Vgolin. *tabul.* 1. *cap.* 9. §. 8. *num.* 6. quia videtur ordinari illud precium ad ſpirituale, aut ſaltem ad annexum ſpirituali, quia inſeruit pro recuperando, quod eſt admiſſum, & quod ſine ſimonia per pecuniam priùs obtineri non poterat.

2 Cōmunis tamen ſententia tenet, poſſe precio redimi vexationē, quod tradunt etiam ij, qui negant poſſe redimi vexationem contra poſſeſſionem; hanc autem ſentent. tradunt Gloſa *in Cap. Dilectus* 1. *de Simonia.* Felin. *ibid.* Præpoſit. 1. *quæſ.* 1. *init. num.* 30. *in fine.* Turrecrem. *in Cap. Nullus* 1. *quæſ.* 1. & *in Cap. Decimas* 16. *quæſ.* 7. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *de Simon. cap.* 50. *num.* 34. Reginal. *lib.* 23. *Praxis Fori Pœnit. num.* 131. Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 1. *de Simon. quæſ.* 6. *puncto* 5. *num.* 8. Layman. *lib.* 4. *Theol. Mor. tract.* 10. *cap. vlt. num.* 22. §. *Exinde probabiliter.* Sanchez *lib.* 2. *Opuſ. cap.* 3. *dub.* 30. *num.* 12. & alij.

3 Et hæc ſententia tenenda eſt vt vera. Quia acquiſito pleno iure per electionem, & confirmationem, & capta poſſeſſione, tota vexatio, quæ eſt per deturbationem poſſeſſionis, & contra reliqua, quæ conſequuntur poſſeſſionem eſt mera violentia, nec aufert aliquid ſpirituale: quia non habet vexans auctoritatem auferendi; vnde redemptio vexationis ordinatur ad merum temporale, cum ſemper remaneat apud vexatum totum, quod ſpirituale eſt. Nec eſt eadem ratio de prima acquiſitione, quia in prima acquiſitione eſt acquirendum quid ſpirituale, in recuperatione autem nihil ſpirituale eſt acquirendum, cum non ſit amiſſum.

4 Et hic valet doctrina, quòd acquiſito pleno iure, licet vexationem redimere. Quam communiter tradunt D. Th. 2. 2. *quæſ.* 100. *ar.* 1. *ad* 5. Arragon. & Raphael à Turre *ibid.* Gloſſa *in Cap. Nullus Epiſcopus* 1. *quæſ.* 1. *Verbo* Reſtituat. & *in Cap. Quæſitum* 1. *cauſa* 1. *quæſ.* 3. *Verbo* Redemptione. & *in Cap. Dilectus* 1. *de Simonia.* vbi Innocent. Panor. & alij, Præpoſit. 1. *quæſ.* 1. *init. num.* 27. Turrecrem. *in Cap. Quæſitum.* & *in Cap. Altaria* 1. *quæſ.* 3. Nauar. *in Manuali cap.* 23. *num.* 102. *ver. Octauo.* Sylueſter *Verbo* Simonia *quæſ.* 3. *reg.* 3. Rebuf. *in Praxi tit. de Simon. in renun. num.* 18. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *de Simon. cap.* 50. *num.* 2. & alij communiter. Et faciunt citata Cap. *Dilectus* 1. *de Simonia.* & *Quæſitum* 1. *cauſa* 1. *quæſ.* 3. vbi non cenſentur peccaſſe, qui dederunt pecuniã, vt ſe liberarent à grauaminibus circa ea, quæ iam poſſidebant. In caſu autem noſtro, cum ſupponatur poſſeſſio, ſupponitur etiam plenum ius, atque adeo licebit omnem vexationem redimere.

An ſi electus vexetur per viam iuris circa poſſeſſionem iam habitam, poſſit precio redimere vexationem.

Deciſio CCXLVI.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia.*
2 *Quomodo probabile ſit, poſſe precio redimi vexationem per viam iuris contra poſſeſſionem.*
3 *Paciſci de iure vexandi, an ſit ſimonia, & quando, & quomodo ſit licitum.*
4 *Redempta vexatione contra poſſeſſionem, ius acquiſitum in electione manet in ſuo ſtatu.*
5 *Habens probabilem opinionem, quòd iuſtè poſſideat, poteſt redimere vexationem per viam iuris.*

1 VIdentur communiter negatiuè reſpondere præſertim Suarez *tom.* 1. *De Relig. lib.* 4. *De ſimonia. Cap.* 50. *num.* 31. *in fine*, cum Turrecrem. *in Cap. Altaria* 1. *quæſt.* 3. & *in Cap. Decimas* 2. *Cauſa* 16. *quæſt.* 6. Reginal. *lib.* 23. *Praxis Fori Pœnit. num.* 131. Sanchez *lib.* 2. *opuſc. moral. capit.* 3. *dub.* 30. *numer.* 12. Layman. *lib.* 4. *Theol. moral. tract.* 10. *cap. vlt. num.* 22. *ver. Exinde.* Quia hoc pacto ordinaretur pecunia ad ſpirituale; nam daretur pro poſſeſſione, vt eſt annexa iuri ſpirituali, & eſſet redimere, & ſibi firmare ius ad poſſeſſionem.

2 Oppoſitum tamen ſuaderi poteſt. Quia non remanet priuatus poſſeſſione, neque iure ad ipſam, niſi per ſententiam: vnde ante ſententiam poteſt habere & ius, & poſſeſſionem pro ſuis, & vti iure naturali defendendi ſe, & ſua,

& precio

Digitized by Google

& precio redimere vexationem, vt contra ſua propria procedentem, in tali enim caſu redemptio vexationis eſt licita, vt quædam naturalis defenſio.

3 Neque committitur ſimonia, quia tunc ſolum committitur, quando pecunia ordinatur ad acquirendum ſpirituale; in caſu autem noſtro non ordinatur, quia ordinatur tantum ad auertendam vexationem, & faciendum, vt vexans non vtatur iure ſuo vexandi per viam iuris: vnde obiectum contractus non eſt aliquid ſpirituale, ſed ceſſio iuris vexandi, Quod eſt quid merum temporale, & precio æſtimabile. Hoc autem locum habet, quando vexans non habet ius ad poſſeſſionem, cui implicitè cedat, dum cedit iuri vexandi, nam tunc committeretur ſimonia, quia illud ius, cui cederet ſecundariò, eſſet ſpirituale. Vnde in tali caſu ad ſummum liceret ſibi vexantem muneribus conciliare, ne proſequeretur ius vexandi.

4 Nec item redimit ius ſpirituale acquiſitum per electionem, aut ſibi firmat, nam manet in ſuo ſtatu in quo antea, & proinde nō acquirit de nouo aliquid ſpirituale quod pertineat ad ius, & poſſeſſionem, dum redimit vexationem. Nec etiam aliquid temporale, quod ſecum trahat ſpirituale, nam ex eo quod ceſſet vexatio, non magis firmatur, aut roboratur ius poſſeſſionis, cum remaneat in ſuo præcedenti ſtatu.

5 Itaque, ſi quis probabiliter putet ſuam electionem fuiſſe validam, & ſe ſecundum ius eſſe in poſſeſſione, quia poteſt quilibet ſequi opinionem etiam minùs probabilem, poterit ſe gerere non ſecus ac ſi certus eſſet, ſe iuſtè poſſidere; & proinde poterit redimere vexationem ſibi per viam iuris illatam, intendendo ſe, & ſua defendere, quia tunc neque directè, neque indirectè pecunia ordinabitur ad aliquid ſpirituale acquirendum, nam directè ordinabitur ad propulſandam vexationem: indirectè autē ad defendendum proprium ius ſpirituale, quod licet etiam precio defendere, quia tunc non ſubijcitur contractui, ſed manu tenetur in ſuo ſtatu. Hinc apud infideles Epiſcopi catholici ſolent aliquando ſoluere infidelibus certam pecuniam, vt permittantur exercere ſuum munus ſpirituale.

An dare pecuniam alicui, ne mihi in electione exceptionem opponat, quam iure poteſt opponere, ſit licitum, an vero ſimoniacum.

Deciſio CCXLVII.

SVMMARIVM.

1 *Qui doceant, eſſe ſimoniam ſi quis inducat precio alium, ne ſibi in electione opponat.*
2 *Oppoſitio exceptionis in electione non eſt de ſe materia ſimoniæ.*
3 *Nec ratione alicuius ſpiritualis adiuncti.*
4 *Redimere oppoſitionem exceptionis non eſt parare ſibi viam ad electionem.*
5 *Quæ præparatio viæ ad electionem ſit materia ſimoniæ.*
6 *Redimere oppoſitionem exceptionis non eſt reddere viam ſe veriorem ad electionem.*
7 *An interueniat peccatum, ſi quis pecunia redimat oppoſitionem exceptionis in electione.*
8 *Licet vti peccato alterius, cum eſt ad ipſum paratus ad aliquod bonum.*

1 COmmitti ſimoniam docent ſpecialiter: Vgolin. *tab.* 4. *de ſimon. cap.* 50. §. 8. *in fine* Flamin. *De confident. benef. quæſt.* 47. *num.* 9. Proſper. de Auguſt. *in Addit. ad Quarantam verbo.* Simon. *Addit.* 3. Nauarr. *Conſil.* 3. *De ſimonia num.* 1. *in Antiqua editione.* In cæteris verò 39. 41. *&* 42. Palaus *part* 3. *Theol. moral. tractat.* 17. *diſput.* 3. *De ſimon. punc.* 20. *num.* 2. Barboſa. *De offic. & poteſt. Epiſcopi part.* 3. *allegat.* 6. *num.* 55. Sanchez *lib.* 2. *opuſc. cap.* 3. *dub.* 30. *num.* 13. & alij, qui docent, non poſſe redimi vexationem iuſtam. Quia hoc pacto redderetur per pecuniam via ſecurior ad beneficium, ſeu electionem.

2 Mihi tamen hæc doctrina difficilis videtur, nam oppoſitio exceptionis eſt quid merè tēporale, vnde quantum eſt de ſe, non eſt materia ſimoniæ, ſi circa ipſam fiat contractus, ac pactum, & alioquin quilibet habet ius ad ſe conſeruandum indemnem, vnde cum oppoſitio exceptionis ſit ipſi damnoſa, poterit quantum eſt ex hoc capite eam precio impedire.

3 Nec redimere talem oppoſitionem trahit ſecum quid ſpirituale, quod ſit ipſi annexum, & proinde ſit materia ſimoniæ vt quid annexum ſpirituali: nam non trahit ſecum electionem, quia adhuc eſt in poteſtate electorum, ſicut erat antea; nec adeſt aliud ſpirituale, quod ſecum trahere poſſit.

4 Neque etiam dici poteſt, quòd hoc ſit ſibi parare viam ad electionem, quia præparare viam ad electionem eſt aliquid facere, quod

conducat

Digitized by Google

conducat ad ipſam per ſe directè, & poſitiuè; non autem tollere, ſeu impedire obſtacula, quæ poſſent, electioni obſtare; nam via ducit ad terminum, & eſt quædam incompleta aſſecutio illius; quod non eſt ſolum remouere impedimenta.

5 Deinde præparatio viæ ad electionem tunc ſolum eſt materia ſimoniæ, quando eſt talis, vt trahat ſecum electionem. quia cum præparatio non ſit quid ſpirituale, ſed temporale, poteſt tantùm eſſe materia ſimoniæ ratione ſpiritualis adiuncti; vnde debet eſſe talis, vt non ſe habeat remotè, ſed vt taliter res diſponat, vt trahat ſecum electionem.

6 Cum dicitur, quòd redditur via ſecurior ad electionem, hoc non eſt verum de ſecuritate poſitiua; ſed tantum de negatiua, quia non eſt ponere aliquid poſitiuum, quod reddat ſecuram electionem, ſed tantum remouere obicem. Remouere autem obicem ſicut non eſt comparare aliquid ſpirituale, nec aliquid temporale, quod trahat ſecum ſpirituale; ita non eſt materia ſimoniæ: ſed quiſque habet ius remouendi ea, quæ ſibi etiam iuſtè obeſſe poſſunt, dummodo non teneatur ea ſubire per modum pœnę.

7 Ex nullo ergo capite apparet ſimonia; nec aliud peccatum, ſi fiat ex debito fine, interuenire poteſt, niſi forte, qui poteſt opponere exceptionem, teneatur opponere; tunc enim non poſſet indnci ad non opponendum, nam induceretur ad peccandum.

8 Si tamen eſſet paratus ad non opponendum, ſi illi daretur pecunia, poſſet tunc quis vti malo animo illius ad aliquod bonum, & dare pecuniam pro remouendo obice, intendendo proprium commodum, quatenus ex alterius peccato iam exiſtente elici poteſt, nam hoc non eſſet inducere ad peccandum, quia iam peccauit, ſed vti peccato ad bonum, quod etiam fit ab ipſo Deo. Hæc autem intelligenda ſunt, dummodo quæ opponi poſſunt reddant inhabilem.

An ſi vnus ex concurrentibus det alteri pecuniam, vt à concurſu deſiſtat ob impedimentum tollendum committat ſimoniam, & peccet.

Deciſio CCXLVIII.

SVMMARIVM.

1 *Dare pecuniam, ne quis mecum concurrat ad electionem, ſimonia eſt.*
2 *Obiectum huius actus non eſt quid illicitum.*
3 *Talis contractus non tendit ad acquiſitionem electionis.*
4 *Nec in ipſo eſt aliquid, quod poſitiuè conducat ad electionem.*
5 *In hoc pacto mediante pecunia reſtringitur materia electionis.*
6 *Ratione huius pacti nullo pacto electores inducuntur ad eligendum.*
7 *Aliud trahere ad ſe electionem, & aliud coarctare in ſe eligibilitatem.*

1 QVod ſit ſimonia docent Maiol. *lib.* 5. *de Irregular. cap.* 45. *num.* 3. Vgolin. *tabul.* 4. *de Simon. cap.* 50. §. 9. *num.* 2 Proſper *de Auguſ. in Addition. ad Quarant. Verbo* Simonia *addit.* 3. Barboſa *par.* 3. *de Officio, & poteſt. Epiſcop. allegat.* 6. *num.* 54. Sanchez *lib.* 2. *Opuſ. cap.* 3. *dub.* 3. *num.* 13. Palaus *par.* 3. *tract.* 17. *diſp* 3. *de Simon. punc.* 20. *num.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 18. Pontius *lib.* 5. *de Matrim. cap.* 13. §. 6. *nu.* 40. Et citari ſolet Cap. *Matthæus de Simonia.* Quod tamen non facit ad rem, cum ſit de caſu longè diuerſo. Quod ſit ſimonia ex eo probant; nam hoc eſt parare ſibi viam ad electionem, & redimere vexationem iuſtam, quæ ſibi infertur ab alio competitore.

2 Pro oppoſita tamen parte dici poteſt, quod obiectum actus non eſt quid illicitum, ſed aliquid precio æſtimabile, nam cum quilibet habeat ius concurrendi ad electionem, vnus in fauorem alterius cedit iuri ſuo: vnde obiectum actus eſt ceſſio iuris ſui, quod quidem de ſe non eſt malum, quia poteſt ex libertate ſua concurrere, & non concurrere; vnde vtrumq; licitè fieri poteſt. Quod autem cedat iuri concurrendi eſt aliquid precio æſtimabile, & eſt quid temporale, & ideo poteſt pro ipſo accipi pecunia: vnde quantum eſt ex hoc capite non video aliquid obſtare, quominùs liceat.

3 Sed neque quia talis contractus tendat ad acquiſitionem electionis, quia, etiam ſi competitor deſinat concurrere, non per hoc remaneo electus, neque ius aliquod acquiro, ſed poſſum eligi, & non eligi: quod ſatis indicat nihil de electione in me transferri, atq; adeo nullo pacto, quod pertinet ad electionem ſubijci contractui.

4 Nec etiam aliquid facio, quod poſitiuè conducat ad electionem, ſeu quod ſecum trahat electionem, & ius electionis, nam electores habent totam ſuam libertatem, & res eodem pacto ſe habet, ac ſi contigiſſet, quòd ille, qui intuitu pecuniæ non concurrit, noluiſſet à principio concurrere, tunc autem nihil ſpiritualis acquiſiuiſſem, nec quod ad ſpirituale conduceret: vnde eodem modo dicendum eſt, quod neque quando do pecuniam, vt deſiſtat quis à concurſu aliquid ſpirituale, aut quod conducat ad ſpirituale acquiro. Et ideo neq;

ex

ex hoc capite committitur ſimonia.

5 Solùm ergo mediante pecunia facio, quòd pauciores ſint concurrentes, atq; adeo quòd reſtringatur materia electionis; hoc autem totum eſt quid merè temporale; nam materia electionis temporalis eſt, quia ſunt perſonæ eligendæ: & ideo illam reſtringere, ſeu reducere ad pauciores perſonas, eſt diſponere de temporali; vnde ſi hoc fiat mediante pecunia, nulla committitur ſimonia.

6 Dices: dum facio quòd concurrentes deſiſtant à concurſu, trahere electionem ad me ipſum, quia electores eligent me, dum non ſunt alij, qui concurrant: & ideo mediante pecunia parare mihi viam ad electionem. Reſp. nullo modo trahere electionem ad me ipſum, quia nihil facio, quod mihi pariat electionem, aut inducat electores ad eligendum; nam ſi eligent, nullo pacto mouebuntur à pecunia ad eligendum, neque ab aliquo alio, quod mihi ſit acquiſitum mediante pecunia: quia non mouebuntur ad eligendum, quia ſim ſolus in concurſu, ſed quia cognoſcent habilem: & ſi non cognoſcerent, non eligerent. Vnde neque mihi paro viam ad electionem, quia nihil facio, quod poſitiuè conducat ad electionem; quod requiritur, vt quis dicatur ſibi parare viam.

7 Hinc aliud eſt trahere ad ſe electionem, & aliud coarctare in ſe eligibilitatē. In præſenti caſu tantùm ſecundum contingit, & eſt merè temporale; quia dicit perſonas eligendas ſe exhibentes concurſui cedere alteri ius quod habent ad illum concurſum: hoc autem ius eſt quid temporale.

An pactum cum alio, quòd non concurrat mecum in ordine ad hanc electionem, & ego non concurram ſecum ad ſubſequentem, licitum ſit.

Deciſio CCXLIX.

SVMMARIVM

1 *Non poſſe aliquos ſe inuicem obligare, vt non concurrant vnus ad vnam, & alius ad aliam electionem.*

2 *Obligatio non concurrendi ad electionem eſt precio æſtimabilis, & poteſt alia ſimili obligatione compenſari.*

3 *Obligatio non concurrendi ad electionem non cooperatur electioni concurrentis.*

4 *Facere, quòd quis non concurrat ad electionem, non eſt ſibi viam ad electionem, ſed tollere quod poteſt eſſe impedimentum.*

5 *Licet commutare quæ ſunt precio æſtimabilia, licet annexum habeant ſpirituale ex motiuo etiam ſpirituali & quomodo.*

6 *An ſic paciſcens faciat ſuam electionem.*

7 *An tale pactum ſit licitum, ſi ille, cum quo ſit, ſit dignior.*

1 Negatiuè reſpondet Sanchez *lib. 2. opuſc. mor. cap. 3. dub. 30. num. 13.* Quia obligatio non concurrendi poſteriori vice eſt precio æſtimabilis, & ideo per id, quod eſt precio æſtimabile, paratur via ad electionem. Addit autem, quòd non eſt ſimonia completa donec adimpleatur quod promiſſum eſt, non concurrendo pro poſteriori uice, etiam ſi in priori concurſu electus fuerit, qui promiſerat.

2 Verùm ſi obligatio non concurrendi pro poſteriori vice eſt precio æſtimabilis, etiam obligatio non concurrendi pro priori vice erit precio æſtimabilis, atque adeo in hoc contractu fit commutatio eorum, quæ ſunt precio æſtimabilia, nempe vnius obligationis cum alia obligatione. Quando autem commutantur quæ ſunt precio æſtimabilia, nulla committitur ſimonia.

3 Neque obligatio non concurrendi pro poſteriori vice datur pro electione, aut pro aliquo, quod ipſam ſecum trahat: quia non eſt in poteſtate illius, qui ſe obligat non concurrere, dare electionem: cum non ſit in eius poteſtate: aut facere aliquid, quod ſecum trahat electionem, ſed eſt mera compenſatio alterius obligationis.

4 Nec etiam per hoc paratur via ad electionem; quia electio non ſequitur ex hac obligatione, nec electores vllo pacto mouentur ad eligendum ratione ipſius, nec ex eo, quòd alter non concurrat. Aliud enim eſt, quòd fortè non eligerent, ſi alius concurreret; & aliud, quòd moueantur ad eligendum, quia alter non concurrat: hoc enim poſterius falſum eſt; primum autem dicit ſolam oppoſitionem impedimenti, quod fortè impediret electionem: vnde facere quòd non concurrat, non eſt aliud, quàm tollere, quod poteſt eſſe impedimentum electionis. tollere autem impedimenta electionis non eſt ſimoniacum, ſed licitum; quia non eſt dare precium, aut aliquid precio æſtimabile pro electione, aut pro aliquo, quod cauſet electionem, ſed tantùm pro aliquo, quod negatiuè ſe habet in ordine ad electionem, nempe pro ſubtractione impedimenti.

5 Denique ſemper licitum eſt commutare inter ſe, quæ ſunt precio æſtimabilia, aut pre-

cio compenſare, etiam ſi habeant annexum quid ſpirituale; vnde poſſum emere calicem conſecratum compenſando precio materiam calicis. Ergo multò magis poſſum pretio, aut aliquo alio, quod ſit precio æſtimabile, obligationem non concurrendi mecum: cum ſit precio æſtimabilis, licet ſit in ordine ad ſpiritualia: cum non habeat annexum quid ſpirituale, ſed tantùm per accidens ſequi poſſit. Imò ſicut ex motiuo habendi calicem conſecratum poſſum emere materiam calicis, ita etiam ex motiuo electionis poſſum emere obligationem alicuius non concurrendi mecum ad electionem eamdem, cum hæc obligatio ſit precio æſtimabilis: & quiſque ſicut poteſt ex libertate non concurrere, ita etiam poſſit cedere iuri concurrendi.

6 Dices, poſſe hoc pacto facere ſuam electionem: cum fieri poſſit, quòd remaneat ſolus. Reſp. Hoc eſſe per accidens, quia per accidẽs eſt, quòd non concurrant alij. Et ſicuti, ſi ſecluſo hoc pacto nemo alius concurreret, poſſet ipſe adhuc concurrere, licèt concurrendo faceret electionem ſuam; ita etiam in caſu noſtro: quia non dat aliquid pro electione, et per accidens eſt quòd ſolus concurrat: & facit ſuam electionem non ex vi pacti, ſed quia per accidens eſt, quòd maneat ſolus.

7 Sed quid, ſi ille, cũ quo ſit pactum, ſit dignior? Reſpond. quòd videtur militare eadem ratio, nam adhuc pactũ eſt de eo, quod eſt in poteſtate paciſcentis: quod non eſt quid ſpirituale, ſed precio æſtimabile. Neque officit, quòd ſit dignior, quaſi tale pactum præiudicet electioni; quia electio non habet ius ad quemcunque digniorem, ſed tantùm ad digniorem ex concurrentibus; vnde facere quod dignior non concurrat, non eſt contra ius electionis. Hæc probabilia videntur, ſed meliori iudicio examinanda relinquo, nihil interim decernens.

An, ſi quis det alicui pecuniam, vt metum incutiat competitori: vt deſiſtat à concurſu in ordine ad electionem, ad quam ipſe quoque concurrit, committat ſimoniam.

Deciſio CCL.

SVMMARIVM.

1 *Qui mediante pecunia facit vt metus incutiatur competitori, peccat.*
2 *Secundum aliquos committit etiam ſimoniam.*
3 *Non tamen committit ſimoniam.*
4 *Ad ſimoniam non ſufficit quòd motiuum dandi precium ſit res ſpiritualis; ſed inſuper debet dari pro re ſpirituali.*

1 CErtum eſt peccare: nam inducit aliquem ad inferendam iniuſtam violentiam, quæ eſt contra iuſtitiam; nam impedit ius competitoris, quod habet ad concurſum. An autem contingat ſimonia, & electio ſit nulla, ſi cadat in dantem pecuniam pro incutiendo metu.

2 Affirmant Vgolin. *De ſimon. tab. 1. cap. 48. §. 3. num. 5. & tab. 4. cap. 50. §. 9. in fine*. Barboſa *par. 3. De offic. et poteſt. Epiſc. Allegat. 60. num. 56.* Quia hoc pacto conducit ſe ad electionem: atque adeo mediante pecunia.

3 At non committi ſimoniam probabilius exiſtimo: quia pecunia nullo pacto cauſat electionem; ſolùm enim datur pro obligatione incutiendi metum: & ex metu incuſſo ſolùm ſequitur quòd competitor non concurrat; ex his autem non ſequitur electio per ſe, ſed ſi ſequitur, eſt per accidens: & ideo cum nullo modo ſit effectus pecuniæ, nullo etiam modo pecunia datur pro ipſa; atque adeo non committitur ſimonia.

4 Nec obſtat quòd electio ſit motiuum dandi pecuniam pro incutiendo metu; nam ad ſimoniam non ſufficit quòd motiuum precij ſit res ſpiritualis; ſed debet eſſe id, quod commutatur cum precio, aut directè, aut ſaltem indirectè: vt quando precium datur pro temporali, quod non poſſum habere, niſi etiam habeam ſpirituale; quia fundatur in ſpirituali: vt ſunt beneficia. Sic etiam poſſum ex motiuo electionis dare pecunias pro eleemoſyna, vt orationes pauperum adiuuent meam electionem: nec tamen committo ſimoniam; ſic ergo etiam ſi ex motiuo electionis dem pecuniam pro incutiendo metu, non committo ſimoniam, quia non do neque directè, neque indirectè pro electione.

An in electione liceat vti ſubornatione contra ſubornationem.

Deciſio CCLI.

SVMMARIVM.

1 *Licere vti in electione ſubornatione contra ſubornationem docet Villalobos.*
2 *Non licet vti ſubornatione contra ſubornationem in electione.*

3 *Subornatio*

3 *Subornatio ſemper tendit ad malum.*
4 *Poteſt ſolui ſubornatio abſque alia ſubornatione.*
5 *Vis, qua altera vis depellitur, ideo licita, quia eſt ad defenſionem.*
6 *Cur licitum ſit monupolium contra monupolium.*
7 *Subornatio contra ſubornationem non eſt ad uim depellendam, ſed ad malum.*
8 *Vis moralis ſubornationis poteſt depelli altera vi.*

1 AFfirmatiuam ſententiam tenet Villalobos. *tom 2. ſum. tract. 37. difficul. num.* . Vnde per ipſum licebit adhibere munera, preces, promiſiones, & alia huiuſmodi, in ordine ad ſubornandos electores: quando ſcio ab alijs adhiberi: quia nimirum licet uim vi repellere, & monupolium alio monupolio diſſoluere.

2 Hanc tamen ſententiam nullo pacto puto probabilem; quia licet aliquando liceat adhibere munera, & preces ad aliquid iuſtum, & honeſtum obtinendum, vt conſtat ex dictis in ſuperioribus, non tamen in ordine ad ſubornandum; vnde tenendum eſt nullo pacto eſſe licitum adhibere ſubornationem contra ſubornationem: vt docuit etiam Suarez *tom. 1. De Relig. tractat. 3. lib. 4. De ſimon. cap. 50. num. 26.* Bonacina *tom. 1. diſput. 1. De ſimon. quaeſt. 6. punc. 5. num. 15.*

3 Ratio autem eſt, quia elector ſubornatus non poteſt benè eligere, cum eligat ſecundùm menſuram ſubornationis; vnde qui ſubornat, quantum eſt de ſe, ſemper ponit cauſam malæ electionis, & intendit, quòd electio ſequatur ſecùndum menſuram illius ſubornationis: & ideo intendit, quod de ſe eſt malum: nunquam autem licet intendere malum ſiuè in ordine ad bonum, ſiuè in ordine ad aliud malum propulſandum.

4 Deinde, Abſque noua ſubornatione, poteſt adhiberi remedium priori ſubornationi, eam detegendo, & manifeſtando electoribus, & proponendo motiua iuſtæ, & debitæ electionis: & proinde eos inducere poſſumus, adhibita ratione, ad eligendum quem debent eligere. Quod ſi hoc non ſufficit, poſſumus alijs medijs inducere eorumdem animos, etiam tradita pecunia, ad debitam æqualitatem, vt poſſint rectè iudicare, quinam ſit eligendus. Quòd ſi neque hoc ſufficit, neque etiam ſufficiet ſubornatio, niſi ſit innixa alicui mendacio; quæ non ſolùm erit illicita, quia eſt ſubornatio, ſed etiam quia continet mendacium.

5 Neque eſt eadem ratio de vi. Quia vis, qua altera vis repellitur, non ordinatur ad malum; ſed ad id, quod licitum, & honeſtum eſt: nempe ad defenſionem, vel perſonæ, vel rerum, quæ eſt de iure naturali; & ideo licita, & honeſta eſt contra aliam: at ſubornatio per ſe primò ordinatur ad malum, licet poſſit inde ſequi aliquod bonum. Non ſunt tamen facienda mala, vt eueniant bona.

6 Et ſimiliter eſt diuerſa ratio de monupolio: quia monupolium quoq; eſt iniurioſum communitati, & particularibus perſonis, quæ ſunt de communitate: & infert moralem vim; ideo eſt licita defenſio contra ipſum: vnum autem ex medijs aptis ad defenſionem eſt alterum monupolium contra ipſum; & ideo licet ipſum adhibere, quia vis moralis altera vi morali depellitur.

7 Nec obſtat quòd etiam in ſubornatione inferatur quædam vis moralis electori: & proinde liceat alia vi morali ipſam depellere, adhibendo aliam ſubornationem. Quia hoc non eſſet vim vi depellere, ſed adhibere aliam vim in ordine ad effectum malum: nempe in ordine ad malè diſponendos electores in ordine ad electionem: atq; adeo ad cauſandam ma-
8 lam electionem. Solùm ergo licebit adhibere vim contra ſubornantem, vt deſiſtat à ſubornatione; quod poterit fieri vel per preces, vel per munera, vel etiam per minas, aut de malo licitè inferendo, in pœnam ſubornationis: vel de malo in genere; quia tunc præſumuntur quòd ſint minæ, quæ iuſtè mandari poſſint executioni.

An, ad vitandam ſubornationem in electione, poſſit induci conſuetudo quòd nullus adhibeatur tractatus.

Deciſio CCLII.

SVMMARIVM.

1 *Valet conſuetudo de non adhibendo tractatu in electione, ſecùndum Sigiſmundum.*
2 *Hæc conſuetudo omnino reijcienda eſt.*
3 *Electio ſine debito tractatu eſt nulla.*
4 *Ius præuidit poſſe induci ſubornationem loco tractatus: & ideo ſtatuit pœnas.*
5 *Quando conſuetudo ex tacito conſenſu, ſi ſit contra ius, poſſit tolerari.*

1 AFfirmat Sigiſmundus à Bononia *par. 2. de Elect. cap. 1. dub. 55. num. 11.* Quia licet ſit contra ius canonicum, eſt tamen ex cauſa vrgenti, & veriſimiliter non præuiſa à canone: nempe, ne occaſione tractatus, fiat ſubornatio: vnde toleratur, cum ſurgat ex ta-

cito conſenſu. vt ait Panor. *in Clement. Et ſi principalis. num. 6. de Reſcriptis.* Tum quia non præſumitur ambitio: & quia maius ſcandalum oriretur ex reprobatione conſuetudinis.

2 Hæc tamen doctrina nullo modo ſuſtineri poteſt: quia, quicquid ſit, an poſſit induci conſuetudo contra ius canonicum, hæc tamen conſuetudo omnino reijcienda eſt tanquam abuſus, & contraria ſubſtantiæ electionis; ratione enim ipſius ſequitur electiones eſſe nullas.

3 Electio enim, in qua non præcedit debitus tractatus, eſt nulla ex Cap. *In Geneſi, de Electione*, & docent Gloſ. Cap. *Cum in veteri Verbo* In tractatu *de Elect.* & Cap. *In nomine Domini Verbo* Tractantes *diſt. 23.* Toloſ. *cap. 15. tit. de Elect. in fine.* Butrius *Cap. Cum inter num. 7.* & Cap. *In cauſis de Elect.* & alij paſſim; deeſt enim aliquid ſubſtantiale, & ſine quo non poteſt fieri electio: quæ cum ſit aſſumptio vnius pre cœteris, eo quòd pre illis debeat eligi, non poteſt talis aſſumptio habere locum ſine tractatu: quia ſine ipſo non poteſt electoribus innoteſcere, quinam ſit cœteris præferendus. Et cum debeat collegialiter præferri, debet etiam collegialiter innoteſcere, quòd ſit præferendus.

4 Nec valet quòd conſuetudo ſit ex cauſa vrgenti veriſimiliter non præuiſa à canone: quia optimè canon præuidit, poſſe tractatum euadere ſubornationem: & ideo decreuit pœnas

5 contra ſubornantes. Nec ſufficit tacitus conſenſus, vt poſſit tolerari; nam hoc habet ſolùm locum, quando aliàs conſuetudo poteſt ſubſiſtere: quod in hac non contingit, cum ſit contra ſubſtantiam electionis. Et in hoc ſenſu non loquitur Panor. *citat.* Et, licet non præſumatur ambitio, præſumitur tamen ignorantia præiudicialis electioni. Nec verum ſcandalum oriri poteſt ex reprobatione prauæ conſuetudinis, & tollentis neceſſaria ad bonam electionem.

An, quando duo tantùm ſunt electores, & vnus de collegio eligendus eſt, poſſit ſequi electio Canonica.

Deciſio CCLIII.

SVMMARIVM.

1 *Quot requirantur ad conſtituendum Collegium.*
2 *Cur pauciores requirantur ſecundum ius canonicum, quàm ſecundum ciuile.*
3 *Sententia negatiua.*
4 *Inter duos electores poteſt eſſe canonica electio, etiam ſi eligendus ſit de collegio.*
5 *In quo conſiſtat vera ratio electionis.*
6 *Quando ſunt duo electores, poteſt vnus eligere, & alter cedere iuri ſuo.*
7 *Poteſt in vno tantùm reſidere tota collegij poteſtas.*
8 *Cum duo ſunt tantùm electores poteſt vnus alterum eligere, & hic conſentire electioni ſuæ.*
9 *Poteſt quis electorum conſentiendo electioni ſuæ augere numerum.*
10 *Lex non obligat, quando non poteſt ſeruari.*
11 *Quando Decretum Trident. de non publicandis votis in electione, obliget.*
12 *Si duo tantùm remaneant vocales in Congreg. Cler. Reg. poſſint canonicè eligere vocalem interfuturum Generali Capitulo.*

1 Collegium, ſecundum Ius Canonicum, in duabus tantum perſonis ſubſiſtere poteſt: quæ proinde, niſi aliunde impediantur, efficere poterunt electionem canonicam. Cap. 1. *de Elect.* vbi Abbas *nu. 5. & 6.* Nauar. *conſ. 6. de Elect. num. 2.* Miranda *tom. 2. Manual. quæſ. 23. ar. 5. concluſ. 21.* Adhuc enim in duobus ſaluatur pluralitas; atque adeo fieri poteſt communis inquiſitio, & concors ſcrutinium, pro eligendo.

2 Neque obſtat quòd ſecundum Ius Ciuile, requirantur ſaltem tres perſonæ ad conſtituendum collegium. l. *Neratius ff. de Verborum ſignificationib.* Tum quia Ius Canonicum præualet Ciuili, & ipſum in electione canonica ſeruandum eſt; Tum etiam quia electio canonica, vt pote communitati magis neceſſaria, facilior reddi debuit, vt minus, ex ijs, quæ poſſunt accidere, impediri poſſet.

3 Negatiuam ſententiam tradunt Nauar. *conſ. 6. de Elect. num. 4.* Miranda *tom. 2. Manual. quæſ. 23. ar. 5. concluſ. 21.* & alij. Mouentur autem. Quia tunc non poſſet ſeruari forma electionis, quæ præſcribitur in Cap. *Quia propter de Electione*, ibi enim requiritur quòd maior pars conſentiat in aliquem, ſicuti etiam in Cap. *Cumana eodem titulo*; in tali autem caſu neutet poſſet habere maiorem partem. Secundò, Vota debent eſſe ſecreta, vt eligentium nomina nunquam publicentur. ex Trident. *ſeſſ. 25. cap. 6. de Regul.* in hoc autem caſu vota eligentium non poſſent eſſe ſecreta; quia certum eſſet, quòd ſibi inuicem ſuffragarentur.

4 Contraria tamen ſententia tenenda eſt, cum Ancharan. *in Cap. Nullus de Electione.* Paulo de Eleazarijs *ibid. nu. 13. tom. 2. Repert.* Io. Andr. *in Regul. In toto de Regul. ur. in 6.* Panor. *par. 2. conſil. 25. num. 2.* Biax *in Direct. Elect. par. 3. cap. 23. num. 3.* Boich. *Cap. Quia propter de Elect. nu. 1.* Tuſch. *littera E. concluſ. 72. & 78.* Sigiſmund. *de Elect. & poteſt. Prælat. par. 1. cap. 3. dub. 24. num. 5.* & alij.

5 Ratio

5 Ratio eſt, quia inter duos poteſt ſaluari vera ratio electionis canonicæ, quæ ab Hoſt. & Ioann. Andrea, vt refert Syluester *Elect.* 1. §. 1. à Panorm. *in Rubr. de De Poſtul. Prælat. num.* 1. Gloſſa *in Cap. Vnic. verb. Vera elect. De Poſtulat. prælat. in* 6. *& ibid in Rubr.* Boer. *q.* 1. *num.* 1. *Dec in Rubr. De elect. num.* 1. Paulus de Eleazar. *nu.* 1. *in Repetit.* Luch. *lib* 4 *Inſtit. Maior. tit. De Elect. num.* 4. Alter. *tom.* 1. *de Cenſuris lib.* 2. *cap.* 2. *nit.* & alijs definitur *Alicuius perſonæ canonicè facta vocatio.* Poteſt namque vnus alterum canonicè vocare ad id, ad quod eligitur, præmiſſo prudenti, & diſcreto iudicio de eligibilitate perſonæ.

6 Hoc autem poteſt contingere, ſi vnus vtatur eligendi poteſtate, & alter cedat iuri ſuo eligendi; tunc enim ille hunc eliget, vt docet Ancharan. *vbi ſupra*, & Eleazar. *num.* 13. & hic conſentiet electioni ſuæ.

7 Hic autem erit electus à toto collegio, quia licet ad collegium conſtituendum requirantur plures, poteſt tamen ad vnum deuenire, & tunc reſidebit in illo tota poteſtas Collegij: l. *Sicut* §. *fin. ff. Quod cuiuſq vniuer.* Gloſſa, & Panorm. *Cap. Nullus De elect.* Innocent. *Cap. Quia propter Eodem titulo.* Vbi Gloſſa *Verbo Pauciores* Boich *Cap. Illa quotidiana De Elect. num.* 3. Biax. *Direct. elect. pa.* 1. *cap.* 2. *num.* 3. Lambert. *De Iure patronat. par.* 1. *lib.* 1. *quæſt.* 9. *art.* 3. *num.* 27 Item Panormit. *Cap. Gratum De Poſtulat. Prælat.* vbi etiam Ancharan. Cuchus *Inſtitut. maior. lib.* 4. *tit. De Elect. num.* 39. Butrius *Cap. Gratum De Poſtulat. Præfat. num.* 18. Nauarr. *lib.* 1. *conſil.* 6. *De Elect. in* 2. *edit.* Rodriquez *tomo* 2. *quæſt. Regul. quæſ.* 54. *ar.* 11. Rota *deciſ.* 860. *num.* 7. *& deciſ.* 1050. *num.* 5. *coram Card. Seraphin.* Sigiſmun. *De elect. & poteſt. Prælat. par.* 1. *cap.* 1. *dub.* 13. *num.* 4.

8 Secundo modo poteſt contingere, ſi vnus ab alio palam eligatur, & electus conſentiat ſuæ electioni, & hoc pacto augeat numerum: in hoc enim caſu ſeruatur id, quod ius præſcribit Cap. *Quam* 18. *quæſt.* 1. Quod videlicet electio debeat eſſe concors: non enim eſſet concors, ſi electus in alium conſentiret. Vnde talis electio erit à toto collegio.

9 Quod autem conſentiendo ſuæ electioni poſſit augere numerum, patet, quia non incipit ipſe ſuam electionem, & proinde non eſt ambitioſus, ſed ab alio inceptam complet. & ita docent Bald. Cap. *Cum in iure num.* 1. *&* 2. *De elect.* Gloſa *ibid. Verbo Conſentiat.* Panorm. *ibid. num.* 1. *&* 2. & *Cap. Licet. num.* 13. & *Cap. Cumana.* & *Cap. Per noſtras num.* 5. *De iure patronat.* & *par.* 2. *conſil.* 25. *num.* 3. Marech. *quæſt.* 931. *per totam.* Lambert. *De Iure patr. lib.* 2. *par.* 1. *quæſt.* 8. *artic.* 8. *num.* 2. Butrius *Cap. Cumana De elect. num.* 35. Præpoſit. *Cap. Qui Epiſcopatum* 8. *quæſt.* 1. *num.* 6. Thuſch. *littera E. concluſ.* 72. *num.* 3. & *concluſ.* 78. Ioann. Andr. *In reg. in toto De regul. iur. in mer. lib.* 6. Sigiſmun. *De elect. & poteſt. Prelat. par.* 3. *cap.* 4. *dub.* 115. *num.* 3.

10 Hinc ad primum argumētum oppoſitæ ſententiæ, Reſp. ſeruari diſpoſitionem Cap. *Quia propter*, quò ad illud, quòd electio fit à maiori parte, quia in vtroque caſu eſt à toto collegio. Forma autem ſcrutinij, quæ ibi præſcribitur non poteſt ſeruari ob paucitatem electorum, quia ſi eſt facienda electio, neceſſario debet alter alteri ſuffragari, atque adeo ex natura rei vota debent eſſe publica; Nec ob id electio deſinit eſſe canonica; quia lex non obligat, quando non poteſt ſeruari. Cap. *Erit autem lex. Diſt.* 4. Et l. *Fin. ff. quæ ſent. ſine.* & l. *Ita autem ff. De admi. tut.*

11 Et hoc etiam modo ſoluendum eſt ſecundum argumentum. Vnde ſacra quoque Congregatio ſupra Concil. Tridentin. vt refertur in collect. Declarat. Gallemart. cum interrogata fuerit: Vbi ſunt tres vocales, quorum vnus poteſt eligi in diſcretum, & per conſequens neceſſe eſt, vt alter aliorum duorum, qui remanent, det alteri vocem ſuam, & ita electio non poſſit eſſe ſecreta, dubitatum fuit, an poſſit fieri electio diſcreti, quæ non ſit contra huius decreti formam. Et reſpondit: *Congregatio cenſuit poſſe, ſi ita ſtatus religionis permittit.*

12 Ex his autem colligitur. Quòd in Congregatione Clericorum Regularium Theatinorum poteſt ſequi electio canonica vocalis Capitulo Generali interfuturi; etiam ſi electores ad duos tantùm reducantur: quia licet prior modus non habeat locum: quia qui voci actiuæ renunciat, remanet etiam priuatus paſſiua vt habetur *par.* 3. *Decret. cap.* 1. *num.* 2. *&* 3. habet tamen locum poſterior modus; nam vnus poteſt alteri ſuffragari, & iſte electioni ſuæ conſentire, & electio erit canonica, vt iam patet ex dictis. Quod præſertim habet locum: quia iuxta Conſtitutiones huius Congregat. *par.* 3 *cap.* 1. *ver. Nulla electio &c* permittitur vnicuique in electione huiuſmodi accedere ad ſeipſum, dummodo ante ſcrutinium omnes, & ſinguli electores in id conſentiant. Et Conſtitutiones huiuſmodi confirmatæ ſunt à Summis Pontificibus cum ampliſſimis clauſulis, & derogationibus omniū, quæ ipſis obſtare poſſunt.

An in Congregatione Clericorum Reg. ſi electores pro eligendo vocali Capitulo Generali interfuturo ad duos reducantur, poſſit qui poſterior ſchedulam mittit, ipſi inſcribere, ſe conſentire electioni ſuæ.

Deciſio CCLIV.

SVMMARIVM.

1 *Poteſt conſentire electioni ſuæ, hoc ſchedulæ inſcribendo, ſi ante conuenerunt.*

2 *Conſtitutiones Cleric. Reg. prohibent in qualibet electione ad ſeipſum accedere.*

3 *In ſecreto ſcrutinio non licet ſibi ipſi ſuffragari.*

4 *Præſens caſus affirmatiuè reſoluitur.*

5 *Conſtitut. Clericor. Regul. prohibent acceſſum ad ſeipſum in electionibus, quæ fiunt ſecundùm formam ab iiſdem præſcriptam.*

6 *In prædicto caſu acceſſus ad ſeipſum eſt de mente eiuſdem Congregat.*

7 *Conſtitutiones Clericor. Reg. prohibent acceſſum ad ſe ipſum quando prohibet etiam ius commune.*

8 *In prædicto caſu conſentiens electioni ſuæ non inciperet electionem. Quando ſcrutinium ſit ſecretum.*

9 *Quilibet bonus præſumitur, niſi probetur malus.*

10 *In prædicto caſu qui prius votum mittit tacitè conſentit acceſſui ad ſeipſum.*

11 *Capitulum Generale Congreg. Cler. Reg. deputauit ſeniorem pro Capitulo Generali è qualibet domo, quando electores non eligunt, & quomodo.*

1 POſſe hoc fieri certum eſt, ſi electores antequam ad electionem veniant, conſentiant, vt poſſit vnuſquiſque accedere ad ſeipſum. Hoc enim permittunt Conſtitutiones ipſorum, vt habetur *par. 3. cap. 1. ver. Nulla electio*.

2 Si autem de hoc non conueniant, videtur, id non licere, nam *citato loco Conſtitut.* id expreſsè prohibetur: his verbis. *In nulla vnquam electione poſſit quis accedere ad ſeipſum, augendo numerum, & electionem perficiendo, niſi prius omnes, & ſinguli Electores id fieri conſentiant*. Vnde cum acceſſus ad ſeipſum in nulla vnquam electione permittatur, neque etiam in hoc caſu erit licitus.

3 Secundò Quia ipſe inciperet electionem ſuam; nam ſibi ſuffragaretur in ſecreto ſcrutinio, quod non eſt licitum Cap. *Per noſtras de Iure Patron.* Vbi etiam Ioann. Andr. & Hoſt. & Cap. *In ſcripturis* 8. *quæſt.* 1. Butrius Cap. *Vbi periculum De electione in* 6. Panormit. *Cap. Cum poſt. num.* 5. *De electione* Gonzalez *ſuper reg.* 8. *Cancel. gloſ.* 2. *num.* 57. Sigiſmund. *De elect. & poteſt. Prælat. &c. par.* 3. *c.* 4. *dub.* 115. *num.* 1. *&* 2. Rota *Decíſ.* 6. *De elect. in antiq.* Bertach. *in Reper. Verbo* Electio à quibus *num.* 2. alios afferens.

4 Sed nihilominus dicendum eſt, in prædicto caſu poſſe, qui poſterior ſchedulam mittit, ipſi inſcribere, ſe conſentire electioni ſuæ, & hoc pacto augendo numerum, complere electionem.

5 Ratio autem eſt, Quia cum de hoc caſu particulari nihil præſcribant Cōſtitutiones Clericorum Reg. aut Decreta Capitulorum Generalium prædictæ Congregationis, ſtandum eſt iuri communi, quod permittit poſſe aliquem conſentire electioni ſuæ, augendo numerum, quando vota non ſunt ſecreta, & non poteſt ſeruari, ob paucitatem electorum, forma Cap. *Quia propter. De electione.* vt docent Baldus, Panorm. & alij allati Deciſ. *præced. num.* 9. Quia tunc non eſt ambitioſus, ſed ab alijs vocatus, atque adeo à Deo, conſentit ſuæ electioni. In caſu autem præſenti ob paucitatem electorum (nam ſunt tantùm duo) non poteſt ſeruari forma Cap. *Quia propter*, Nec de tali caſu particulari aliquid præſcribitur in Conſtitutionibus aut Decretis Clericor. Regularium; quia textus allatus *num.* 3. procedit tantùm de electionibus, quæ fiunt ſecundùm formam præſcriptam ab *iiſdem* Cōſtitut. & Decretis, iuxta quorum præſcriptionem tres ad minus vocales debent in vtraque domo aſſignari pro eligendo vocali pro Capitulo Generali; & ideo non procedit de hoc caſu, in quo ex accidenti, non ex præſcripto, duo tantùm conueniunt.

6 Imò potius eſt de mente eiuſdem Congregationis, quòd poſſit conſentiendo electioni ſuæ augere numerum, & electionem complere, nam ex Decret. 3. *par. cap.* 1 *num.* 8. decernitur, quòd ſi ſint tres tantùm Vocales, vnus actiuæ vocis tantùm, atque adeo qui eligi non poteſt, & duo tum actiuæ, tum paſſiuæ vocis, & alter ex his duobus electioni ſe ſubtrahat, *Electio, quæ fiet ab illo, qui actiuæ tantùm vocis ſuffragium habet, erit firma, rata, & canonica.* Quod aliter fieri non poteſt, niſi, inſiſtendo iuri communi, vocalis actiuæ & paſſiuæ vocis, qui electioni non ſe ſubtrahit, conſentiat electioni de ſe factæ, & augeat numerum: alioquin non interueniret electio, quia non adeſſet maior pars eligens, vt requirunt iura Cap. *Eccleſia veſtra* 1. & *Eccleſia veſtra* 2. & Cap. *Quia propter De electione*.

7 Ad

7 Ad primum autem reſp. Conſtitutionem illam inſiſtere iuri communi prohibendo acceſſum ad ſeipſum, niſi omnes, & ſinguli electores conſentiant, quando electio fit per vota ſecreta, & ſeruari poteſt forma Cap. *Quia propter*. tunc enim non licet alicui accedere ad ſeipſum augendo numerum, vt docent Auctores allati Deciſ. *præced. num. 9.* locis ibid. citatis. Et quia omnes electiones, quæ præſcribuntur ab iiſdem Conſtitutionibus, & Decretis, poſſunt celebrari ſeruata forma Cap. *Quia propter*, ideo dicitur, quòd *in nulla vnquam electione* &c. Quid autem poſſit fieri in dicto caſu non decernit, ſed relinquit diſpoſitioni iuris communis.

8 Ad Secundum, Negatur incipere electionem ſuam, nam complet; licet enim electio fiat per ſchedulas, quia tamen eligendus debet eſſe de collegio, ideo, qui prius ſchulam immittit, præſumitur alteri ſuffragari, & ſic ſuffragium eſt certum, & publicum quò ad præſumptionem. Nec poteſt dici, quòd ſcrutinium ſit ſecretum, quia tunc ſolùm dicitur ſecretum, quando ex publicatione electionis non ſequitur publicari eligentium ſuffragia, vt deſumitur ex Cap. *Quia propter de Electione*. & ex Trident. *ſeſſ. 25. cap. 6. de Regular.*

9 Atque cum quilibet præſupponatur bonus, niſi malus probetur l. *Merito ff. Pro ſocio*, fieret iniuria illi, qui prior ſchedalam mittit, ſi alter exiſtimaret, eum ſibi non ſuffragari, quia ſine fundamento præſumeret de malitia ipſius, quòd videlicet non eligeret eo modo, quo iuxta conſcientiam tenetur eligere.

10 Accedit etiam; Quòd qui prior ſuffragatur, declarat ſe velle electionem, quam tamen poſſet recuſare: quia cum ſint duo tantùm electores non tenetur vnus alteri ſuffragari, vnde ſimul etiam tacitè conuenit, quòd fiat eo modo, quo fieri poteſt, atq; adeo etiam per acceſſum. Vnde habet locum quod permittunt Conſtitutiones allatæ *num. 1.*

11 Neque obſtat, quòd poſſit intendere, quòd alter ſibi quoq; mutuò ſuffragetur, & hoc pacto tanquam ſenior iuxta profeſſionis ordinem cenſeatur electus, iuxta Decretum *eiuſdem Cõgregat. 3. par. cap. 1. num. 9.* Quia Capitulum Generale in tantum hoc ſanciuit, in quantum intendebat vt è qualibet domo aliquis vocalis accederet ad Capitulum Generale: & ideo non habẽte locum electione, deputauit ſeniorem, cui aliquis fuerit ſuffragatus. Quæ tamen deputatio ceſſat, quando electio poteſt habere locum. Vnde non eſt cenſendus, quod qui prior ſchedulam mittit, velit deputationem præferre electioni, ſed e contra, electionem deputationi: alioquin eſſet ambitioſus, quòd de ipſo non debet præſumi.

Quænam ſuffragiorum procuratio, ſiue ſubornatio ſit in electione prohibita.

Deciſio CCLV.

SVMMARIVM.

1 *Iura probibent in electione procurationem ſuffragiorum.*
2 *Quæ ſuffragiorum procuratio ſit probibita.*
3 *Finis Conſtitutionum ex proœmio colligitur.*
4 *Lex non obligat vltra finem.*
5 *Non probibentur in electione tractatus boni, vt vitentur mali.*
6 *Cooperari bono eſt de iure natura.*
7 *Intereſt communitati, vt perſonæ dignæ eligantur.*
8 *Quomodo intelligendum decretum Congreg. Clericor. Reg. in quo probibetur omnis tractatus ante electionem vocalis pro Capitulo Generali.*
9 *Quodnam incommodum pracaueatur in prædicto decreto.*

1 TAm iura, quàm ſpeciales Conſtitutiones Summorum Pontificum, & præſertim ea Clementis VIII. quæ incipit *Nullus omnino &c.* condita pro Reformatione Regularium 1601. *ſub die 20. Martij* prohibent procurationem ſuffragiorum pro ſe, vel pro alijs, quocunque modo fiat, v. precibus, promiſſis, &c.

2 Reſp. cum Rodriquez *tom. 2. Quæſ. Regular. q. 56. ar. 1. ver. Circa quas Conſtitutiones, & ver. ex quibus infertur*. Naldo *in Sum. Verbo* Relig. *num. 42.* qui citat etiam Cardinal. *in Clement. 3. de Teſtib.* Illam tantùm ſuffragiorum procurationem, ſiue ſubornationem eſſe prohibitam, quæ ordinatur ad malum finem, & ambitioſa eſt; non autem quæ eſt iuſta, & reſpicit bonum electionis.

3 Hoc colligitur ex fine harum Conſtitutionum, qui cum deſumatur ex verbis proœmialibus l. *fin. ff. de Hæredib. inſtit.* vbi Bartol. *num. 6.* Angel. & Imol. *num. 4.* Panor. *Cap. Aduerſus num. 2. de Immunit. Eccleſ.* in præfatis Conſtitutionibus non eſt alius, quàm prouidere, ne eligantur indigni, & ambitioſi; aut minùs

4 digni dignioribus præferantur. Vnde cum lex non obliget vltra finem intẽtum, qui eſt menſura obligationis (quia vltra ipſum non ſe extendit intentio legiſlatoris, atque adeo nec vltra ipſum aliquid operatur. Cap. *Fin. de Præbend.* & l. *In aqua ff. de Acquir. rer. dom.*) ſequitur, præfatas Conſtitutiones prohibere tantùm illos tractatus, qui aduerſantur fini intento, quales non ſunt, qui ordinantur ad electionem perſonæ dignæ.

5 Neque

Neque obſtat, quòd debeant intelligi prohibitæ etiam tractationes, quæ reſpiciunt bonum electionis, ne harum occaſione, etiam vitioſæ, & iniuſtæ ſubrepant. Quia hoc pacto præcluderetur via ad canonicam electionem, in qua debet inueſtigari de moribus, & qualitatibus perſonæ eligendæ. Vt notat Azor. *tom. 2. lib. 2. cap. 21, quæſt. 4.* Naldus *in Summa Ver-*
6 *bo.* Eligere *num. 2.* Deinde cum cooperari bono communitatis ſit de iure naturæ, & vnuſquiſque teneatur ad hoc ex vi eiuſdem iuris naturalis in ijs, quæ ſpectant ad munus ſuum: non poſſunt electores prohiberi, ne procurent
7 bonum electionis: enim valde intereſt communitati, vt perſonæ dignæ eligantur. Cap. *Nihil,* & Cap. *Fin. De Electione,* et ideo prædictæ conſtitutiones non poſſunt ſe extendere ad tractatus licitos, & iuſtos.

8 Ex his colligitur, quomodo accipiendum ſit illud Decretum capitulare Congregationis Clericorum Reg. 3. *par. cap.* 1. *num.* 15. in quo prohibetur omnis tractatus, & colloquium, ſiue per verba, ſiue per litteras, aut nutus mediatè, & immediatè præter illum, qui eſt ex Canonum præſcripto in ordine ad electionem, Vocalis pro Capitulo Generali. Non enim per hoc decretum prohibetur tractatus iuſtus reſpiciens bonum electionis, quocunque tempore præcedat electionem: quia ex eo quòd tempore præcedat, non euadit iniuſtus, cum non ſit pernitioſus, imò neque inutilis, ſed conducat ad eligendam perſonam dignam. Sed tantùm prohibetur tractatus ambitioſus, & in præiudicium electionis. Et hoc pacto interpretatur ſimile Decretum alterius Congregationis. Rodriquez *in Quæſt. Regul. tom. 2. quæſt. 56. art. 1. §. Ex quibus.*

9 Neque obſtat, quod finis prohibitionis non ſolùm ſit prouidere electioni, ſed etiam ne aliquod incommodum ſequatur occaſione tractatus: qui tamen poteſt ſequi etiam ſi tractatus ſit iuſtus. Reſp. enim, tale incommodum poſſe etiam æqualiter ſequi ex legitimo tractatu in ipſo tempore electionis, qui tamen nec prohibetur, nec prohiberi poteſt. Vnde, vt Decretum ſuam iuſtitiam ſernet, debet accipi, vt intendat præcauere illud incommodum, quod ex tractatu rationabiliter ſequitur; ſolùm autem rationabiliter ſequitur ex tractatu iniuſto: quia non poteſt quis rationabiliter ægrè ferre, quòd quis procuret eligi perſonam dignam, etiam ſi indirectè ſequatur excluſio ſui ipſius.

An, quando in electione ſeruanda eſt iuſtitia diſtributiua, poſſit eligi minùs dignus, relicto digniori, vt vitetur electio indigni.

Deciſio CCLVI.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſententia. Elector debet magis communitati, quàm priuatæ perſonæ.*
2 *In electione bonum priuatæ perſonæ non diſtinguitur à bono communitatis.*
3 *Communitas exigit eligi digniorem, quando ſeruanda eſt iuſtitia diſtributiua.*
4 *Vnuſquiſque tenetur eligere digniorem, quando ſeruanda eſt iuſtitia diſtributiua.*
5 *Poteſt eligi minùs dignus, relicto digniori, vt impediatur electio indigni.*
6 *Qualis ſit obligatio eligendi digniorem.*
7 *Qualiter elector teneatur ad procurandum bonum communitatis in electione.*
8 *Quod bonum communitatis debeat reſpicere elector in electione.*

1 Affirmatiuè reſp. Vaſquez *Opuſc. De Benefic. cap. 2. §. 3. dub. 3. ver. Sed quares.* Cuius fundamentum eſt, Quia elector magis debet communitati, quàm priuatæ perſonæ; & ideo concurrente bono communitatis cum bono priuatæ perſonæ, debet illud præferri; vnde, vt vitetur electio indigni, debet elector ſuffragari minùs digno, relicto digniori, ſi hoc pacto impedit electionem indigni.

2 Sed non video quomodo in hoc caſu diſtingui poſſit bonum communitatis, & bonum priuatæ perſonæ; nam cum priuata perſona ſit pars communitatis, & debeat eligi in ordine ad vtilitatem ipſius, bonum ipſius eſt etiam bonum communitatis.

3 Deinde. Communitas exigit ſeruari iuſtitiam diſtributiuam in electione, quando ſeruanda eſt, atque adeo exigit eligi digniorem, quia ſicut eſt incommodum communitatis, quòd indigni eligantur, ita confert vtilitati ipſius, quòd eligantur digni Cap. *Nihil.* & Cap. *Fin. De electione;* Atque adeo magis confert vtilitati communitatis, quòd magis digni eligantur, & ideo in præſenti caſu bonum priuatæ perſonæ eligendæ non poteſt ſeparari à bono communitatis.

4 Ex hoc autem fit, quod vnuſquiſque ſemper teneatur eligere digniorem, quando in electione ſeruanda eſt iuſtitia diſtributiua; quia hoc non ſolùm exigit ius perſonæ eligendæ,

dæ, ſed etiam ius communitatis; nam eſt contra bonum ipſius, quod minus dignus eligatur.

5 Hoc tamen non obſtante, poteſt eligi minus dignus, relicto digniori, quando per talem electionem impeditur electio indigni, quæ alias ſequeretur, niſi eligeretur minus dignus: vt tradunt Conrad. *par. 1. Reſponſ. quæſt. 121. in Addit.* Salon. 2. 2. *quæſt. 63. art. 2. controuer. 4.* Sà *Verbo* Elect. *num. 9.* Valent. *tom. 3. diſput. 5. quæſt. 7. punc. 2. §. tertio quæritur. Verſ. Sequitur quarto.* Zecch. *in ſum. tit. De accept. perſon. cap. 77. num. 7. verſ. Notand. ſexto* Arragon. 2. 2. *quæſt. 63. art. 2. concluſ. 3.* Rodriquez *par. 1. ſum. cap. 106. num. 7.* Sigiſmundus à Bonon. *cap. 5. De Elect. dub. 36. num* 5.

6 Ratio autem eſt, quia obligatio ad eligendum digniorem eſt reſpectu illius dignioris, qui eſt eligibilis: qui verò non eſt eligibilis, non cadit ſub iſtam obligationem, quia ſicuti electio non poteſt extendi ad ipſum, ita nec obligatio eligendi. In caſu autem noſtro, qui eſt abſolutè dignior, non eſt eligibilis ſtante malitia cæterorum electorum, & votum vnius non ſufficit. vnde minus dignus eſt hic & nunc dignior, ex ijs videlicet, qui poſſunt eligi.

7 Deinde, elector tenetur ad bonum communitatis in electione procurandum ſolùm quãtum ipſi poſſibile eſt: vnde cum non ſit ipſi poſſibile eligere abſolutè digniorem, ſolum tenebitur eligere digniorem ex ijs, qui poſſunt hic, & nunc eligi; præſertim quia ſi ſuffragaretur abſolutè digniori, eligeretur indignus: & ideo noceret communitati, quia non auerteret malum ab ipſa, quod poſſet auertere.

8 Vnde non rectè poſſet obijci, quod in huiuſmodi electione deficienter ſe haberet; quia non faceret totum illud bonum quod poſſet, eligendo abſolutè digniorem; nam cum non poſſit, niſi ſimul cum alijs eligere, debet reſpicere illud bonum, quod vt ſummum ex concurſu omnium electorum poteſt ſequi: & hoc tantum debet intendere; alioquin ſi reſpiceret ad illud, quod ex ſuo ſuffragio poteſt conſequi, quia non poteſt ab ipſo efficaciter conſequi, haberet intentionem fruſtratoriam.

An non ſolùm poſſit elector eligere minus dignum, relicto digniori, ad vitandam electionem indigni, ſed etiam teneatur eligere, etiam ſi in electione ſit ſeruanda iuſtitia diſtributiua.

Deciſio CCLVII.

SVMMARIVM.

1 *Elector tenetur eligere minus dignum ad vitandam electionem indigni.*
2 *Strictius obligat iuſtitia commutatiua, quàm diſtributiua.*
3 *Iuſtitia commutatiua non obligat ad eligendum minus dignum, vt vitetur electio indigni.*
4 *Nec quia elector teneatur prouidere, ne communitas in electione detrimentum patiatur.*
5 *Communitas induit rationem proximi.*
6 *Ratione charitatis tenetur elector eligere minus dignum, ne indignus eligatur.*
7 *Præceptum iuſtitiæ diſtributiuæ non obligat electorem, quando inde ſequitur damnum communitatis.*
8 *Ius dignioris in electione ceſſat, quando non poteſt reddi ſine detrimento communitatis.*

1 ADeſſe obligationem eligendi minus dignum, relicto digniſſimo, ne eligatur indignus, tradunt Turrian. *tom. 2. in* 2. 2. nempe *de Iuſt. & Iure diſp.* 22. *dub.* 2. *num.* 6. Sigiſmundus à Bononia *dub. 36. de Elect. nu. 6. & 7.* & à fortiori Banneſ. 2. 2. *quæſ. 63. ar. 2. dub. 3.* Sotus *lib. 3. de Iuſt. & Iure quæſ. 6. ar. 2. poſt concluſ. 9. dub. 2. quod eſt de electionibus.*

2 Fundantur in eo, quòd ſtrictius obliget iuſtitia commutatiua, quàm diſtributiua: ratione autem iuſtitiæ commutatiuæ tenetur prouidere communitati de perſona digna.

3 Quæ tamen ratio non conuincit: quia ratione iuſtitiæ commutatiuæ nemo obligari poteſt ad ſoluendum, quod alter debet; & ſatisfacit iuſtitiæ, ſi ſoluat, quod ipſe tenetur ſoluere, etiam ſi alij non ſoluant; quando autem concurrit cum digniori, ſoluit quantum debet communitati ratione iuſtitiæ: quia non plus debet, quàm præſtare poſſit per ſuum ſuffragium. Quòd ſi non eligitur dignior, non ſtat per ipſum, ſed per alios, qui non faciunt quod debent. Non enim tenentur ad electionem digni, aut dignioris in ſolidum, ſed tantùm pro rata, nempe quantum electio dependet à proprio ſuffragio. Sic quando plures tenentur ad aliquam ſummam pecuniæ ſinguli

pro

Digitized by Google

pro rata, ſi vnus ſoluat quantum debet pro rata, ſatisfacit debito ſuo.

4 Teneri ergo poteſt ad eligendum in tali caſu minus dignum, ex eo quòd teneatur prouidere, ne communitas in electione detrimentum patiatur. Sed neque ex hoc capite oriri poteſt talis obligatio; nam non tenetur prouidere communitati, ne abſolutè detrimentum patiatur; ſed tantùm, ne patiatur ex defectu ſui ipſius, quia nimirum non exhibeat ipſi, quod tenetur exhibere; in quo nullo pacto deficit, dum, quantum eſt de ſe, concurrit ad eligendum, qui deberet eligi; atque adeo quantum eſt de ſe, prouidet, ne communitas aliquod damnum patiatur. Vnde hæc obligatio coincidit cum obligatione iuſtitiæ, qua obligatur communitati ad eligendam perſonam habilem.

5 Ratione ergo charitatis tenetur eligere in tali caſu minus dignum. Communitas enim induit rationem proximi: quia bonum communitatis eſt bonum eorum, qui ſunt de communitate: vnde ſicut ratione charitatis tenemur amare proximum ſicut nos ipſos, ita etiam tenemur amare communitatem ſicut nos ipſos.

6 Quia ergo, ſi electio indigni nobis eſſet nocitura, eligeremus minus dignum, ad illius electionem vitandam, ita etiam quando agitur de damno communitatis ſecuturo ex electione indigni, tenemur talem electionem impedire, eligendo minus dignum, quando dignior non poteſt eligi.

7 Nec obſtat, quod ratione iuſtitiæ diſtributiuæ teneamur eligere digniorem; quia nullum præceptum obligat, quando non poteſt adimpleri, aut quando adimpletio cauſat maius damnum, vt in caſu noſtro; eſt enim maius damnum communitatis, quod eligatur indignus, quàm quòd, relicto digniori, eligatur minus dignus.

8 Nec etiam obſtat ius dignioris, quod habet ad electionem; quia cum bonum commune debeat præferri bono particulari, debet dignior cedere iuri ſuo, ne ob bonum proprium communitas patiatur detrimentum; quia tunc eſſet præferre bonum particulare bono communi. Imò ceſſat ius dignioris ex natura ſua; quia cum electio ſit propter communitatem, & bonum ipſius, nemo habet ius ad electionem, niſi ſeruato ordine electionis ad bonum communitatis.

An quando ſeruanda eſt iuſtitia diſtributiua in electione, & non poſſum eligere digniorem, poſſim eligere mediocrem, vt ſic impediam electionem minus digni.

Deciſio CCLVIII.

SVMMARIVM.

1 *Non poſſe eligi mediocrem, vt vitetur electio minus digni.*
2 *Abſurdum ex oppoſito ſequens.*
3 *Poſſum eligere mediocrem, vt impediam electionem minus digni.*
4 *Iuſtitia diſtributiua non obligat eligere digniorem, quando ex aliquorum malitia impeditur electio, vt non ſit eligibilis.*
5 *Quomodo accipiendum iuramentum de eligendo digniori.*
6 *Qui in tali caſu eligit mediocrem, vtiliter gerit negocium communitatis.*
7 *Qui ſuffragatur digniſſimo, etiam ſi ſciat non poſſe ſequi electionem, non lædit iuſtitiam, ideo nec in caſu noſtro tenetur aliquid reſtituere.*

1 Negatiuè reſpondet Turrian. 2. 2. *tom. de Iuſt. diſp.* 22. *dub.* 2. *num.* 7. Quia primaria obligatio iuſtitiæ diſtributiuæ eſt ſuffragandi digniori, nec adeſt obligatio de vitanda electione minus digni, ſicut adeſt de vitanda electione indigni.

2 Quòd ſi non teneretur eligere digniorem, ſequeretur quod facta electione in perſona minus digna, teneretur ad reſarcienda damna mediocris, qui electus fuiſſet, ſi ipſi eſſet ſuffragatus: vt pote, quia fuit cauſa quod non eligeretur; quod tamen eſt incredibile: quia mediocris non habet ius contra digniſſimum, ſed hic contra reliquos.

3 Sotus autem *lib.* 3. *de Iuſt. & Iure quæſ.* 6. *ar.* 2. *poſt concluſ.* 9. *in dub.* 2. & Bannes 2. 2. *quæſt.* 63. *ar.* 2. *dub.* 3. aſſerunt, poſſe eligi mediocrem, omiſſo digniſſimo, quando alias eſſet eligendus infimus.

4 Atque hanc ſententiam exiſtimo certam. Iuſtitia enim diſtributiua obligat tantùm ſecundum ſubiectam materiam, nempe ad ſeruandum ius ijs, quibus debet, & poteſt ſeruari: non autem ijs, quibus ſeruari non poteſt; vnde licet aliqui ſint omnium digniſſimi, non tamen teneor illos eligere, niſi ſint de ijs, de quibus facienda eſt electio. Si igitur ex ijs, qui concurrunt, non poſſum eligere digniſſimum, quia cæteri volunt ipſum eligere, nec

Digitized by Google

re: nec ego teneor, quia hic & nunc, ſtante malitia electorum, non eſt eligibilis; vnde eligibilitas trahitur ad proximè dignum.

5 Nec obſtat iuramentum de eligendo digniori; quia intelligitur de digniori non ſimpliciter, ſed qui eſt eligibilis, vt notat Sotus *ſupracit.* quia cum ſit in ordine ad praxim, debet procedere de electione dignioris, prout ad praxim reduci poteſt.

6 Atque qui in tali caſu eligit mediocrem, vtiliter gerit negocium communitatis, quia facit, quòd meliùs prouideatur, quàm ſi ſineret eligi minus dignum: vnde cum agatur de maiori bono communitatis, cedit ius dignioris, vt pote fruſtratorium, reſpectu illius, qui eſt paratus ipſum eligere; quia, ſi per ſuum ſuffragium redderet hoc ius, nihil proficeret, & priuaret communitatem maiori bono.

7 Hinc ſoluta manet ratio allata *num.* 1. Ad id autem, quod affertur *num.* 2. Reſp. obligationem ad reſtituendum non oriri niſi ex læſione iuſtitiæ: qui autem ſuffragatur digniſſimo, etiam ſi cognoſcat non fore eligendum, non lædit iuſtitiam, quia non ſuffragatur ipſi contra ius tertij.

An in eodem caſu, quando eligetur minus dignus, ſi ego non ſuffragor mediocri, ſed digniſſimo, tenear ſuffragari mediocri.

Deciſio CCLIX.

SVMMARIVM.

1 *Teneri electorem eligere mediocrem ad impediendam electionem minus digni, aliquorum ſententia.*
2 *Non tamen tenetur.*
3 *Elector ſatisfacit iuſtitiæ, ſi iuſtè ſuffragetur.*
4 *Non obligatur elector ex charitate impedire electionem minus digni.*

1 AFfirmatiuam ſentent. tenet Bannes. 2. 2. *quaſ.* 63. *ar.* 2. *dub.* 3. Sotus *lib.* 3. *de Iuſt. & Iure quaſ.* 6. *ar.* 2. *poſt* 9. *concluſ. dub.* 2. *de Election.*

2 Negatiua tamen ſententia tenenda eſt cum Turriano 2. 2. *tom.* 2. *de Iuſt. diſp.* 22. *dub.* 2. *num.* 7. Quia non apparet aliqua obligatio, qua obliger ad eligendum mediocrem, dum non poſſum optimum: cum non agatur de vitanda electione indigni.

3 Non enim teneor ex iuſtitia; quia huic ſatiſfacio ſuffragendo illi, cui debeo: quia iuſtitia non me obligat, niſi in ordine ad ferendum meum ſuffragium; vnde ſi iuſtè fero, non facio contra iuſtitiam. Dum autem ſuffragor digniſſimo, fero iuſtè ſuffragium tàm in ordine ad communitatem, quàm in ordine ad eligendos: nam ſeruo vnicuique ius ſuum.

4 Nec etiam ratione charitatis erga communitatem; nam non agitur de impediendo aliquo malo illius, vt eſſet electio indigni, nam adhuc eligetur dignus: & proinde propter vitandam malam electionem non teneor mutare ſuffragium. Nec etiam de impediendo malo proximi quia potiùs eſt malum: quòd repellatur dignior, cum ipſe habeat maius ius; vnde ex nullo capite oriri poteſt hæc obligatio.

An ſi quattuor, vel plures electores conueniant ad electionem faciendam, & aliquis illorum contendat, non poſſe alium interuenire, quia amiſerit ius eligendi: alius verò contendat debere ipſum quoq; admitti ſaltem cum proteſtatione: atque excludens nullo modo conſentiat, vt admittatur, & vocato ſocio ſimul cum ipſo eligat, reclamàtibus cœteris duobus, electio ſit valida. Et quid, ſi, facta tali electione, alij duo, vel plures aliam electionem faciant, contendentes priorem fuiſſe nullam.

Deciſio CCLX.

SVMMARIVM.

1 *Electio poſterior non ſubſiſtit, niſi caſſata priori.*
2 *Electio, quæ non eſt communis, eſt euidenter nulla, & talis eſt, quando non admittuntur omnes, qui debent admitti.*
3 *Electores non poſſunt eligere, niſi collegialiter congregati.*
4 *Qui ſe ſeparant à Collegio, non poſſunt eligere.*
5 *Qui nam cenſendi ſint ſe ſeparare à Collegio.*
6 *Qui non vult conuenire cum ijs, qui cum proteſtatione admittunt aliquem, de quo dubitatur, an poſſit conuenire, ſe ſeparat à Collegio.*
7 *Electio facta ab ijs, qui manent collegialiter congregati, eſt valida.*

1 Caſus

1 CAſus accidit proximis præteritis diebus, & habita diſcuſſione irritata fuit vtraque electio: prior quidem propter excluſionem illius, qui non debuit excludi: poſterior autem, quia non poteſt ſubſiſtere poſterior electio, niſi caſſetur prior, aut niſi ſit euidenter nulla. Cap. *Conſiderauimus*, & Cap. *Congregato De elect.* vbi etiam Gloſ. *poſteriori Cap. verbo Irrita*. Et tunc ego quoque idem votum tuli ſequutus conſultationes peritorum: vnde noua electio eſt intimata.

2 Poſtea tamen, re melius conſiderata, mihi videtur tenendum priorem electionem eſſe ipſo iure nullam nullitate habenda pro euidenti, quia non fuit electio communis; perfecta ab electoribus collegiater congregatis.

3 Electio enim, vt ſit vera electio, debet fieri ab electoribus, quatenus habent poteſtatem eligendi: hanc autem poteſtatem non habent, niſi in communi conueniant, & collegiater congregentur; ita vt tanquam collegiatee congregati veniant ad actum electionis. Cap. *Cum in Geneſi De elect.* vbi Gloſa *verbo Communiter*. Et Cap. *Quia propter eodem tit.* Panormit. *ibid.* Item Gloſ. *in cap. 1. De reb. Eccleſ. non alien.* Mirand. *tom. 2. Manual. prælat. quæſt. 23. artic. 29.* & communiter: Et ratio eſt, quia quando electio pertinet ad plures, eſt ex natura ſua electio communis, & pertinet ad collegium, ad ſingulos verò electores ſolùm vt ſunt pars collegij; vnde nec poſſunt eligere, niſi vt pars collegij: & proinde niſi vt in collegio exiſtentes: alioquin nullá ſequeretur vera electio,

4 Ex quo fit, quòd ſi aliqui ſe ſeparent à collegio, non poſſint eligere; quia tunc non eſſet vera electio, eo quòd non fieret à collegio; qui enim ſe ſeparant, ſunt extra collegium, & velùti ſchiſmatici. Quod etiam intelligendum eſt, etiam ſi, qui ſe ſeparant, ſit maior pars, quia collegium non requirit maiorem partem electorum, ſed tota poteſtas poteſt etiam ad vnum reduci, vt diximus ſupra cum communi, Deciſ. 127. *num. 7.* vnde, qui ſe ſeparant, ſicut fiunt ſingulares perſonæ, & extra collegium, ita relinquunt ius, & poteſtatem apud eos, qui remanent.

5 Illi autem cenſendi ſunt ſe ſeparare à collegio, qui non manent ſub illa congregatione, quæ facta eſt in ordine ad electionem; quia congregatio facta in ordine ad electionem conſtituit collegium. Vnde qui nolunt conuenire ad electionem faciendam cum omnibus congregatis, ſaltem cum proteſtatione, ſe ſeparant ab ijs, qui non recuſant, imò requirunt conuenire cum omnibus, & facere communem electionem; quia iſti retinent congregationem iam factam, alij verò ſcindunt, & aliam inſtituunt. Quod intelligendum eſt, quando is, cum quo conuenire recuſant, non eſt euidenter inhabilis ad eligendum.

6 In caſu autem noſtro illi, qui priorem electionem fecerunt, ſe ſeparauerunt à collegio: quia noluerunt conuenire cum cæteris, qui non recuſabant cum ipſis conuenire; & proinde electio fuit ſingularis, non communis, nec facta à collegio, ſed à ſingularibus perſonis: & ideo fuit prætenſa, non autem vera electio. Neque obſtat, quod fuerit dubium, an aliquis potuerit interuenire: quia ſtante dubio non poterat excludi, ſed erat admittendus cum proteſtatione; quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis: & ideo qui nolunt cum ipſo conuenire, & cum illis, qui ipſum admittunt, ſe ſeparant a collegio.

7 Ex hoc autem ſequitur, quòd poſterior electio fuerit legitima, & canonica, quia duo electores, vel plures conſtituebant totum collegium; nam poteſtas, & ius collegij remanent apud eos, qui permanent collegiater in congregatione facta in ordine ad electionem, & illi remanent, vt diximus, qui non recuſant conuenire cum cæteris: qui autem recuſant ex dubia & incerta cauſa, non remanent: vnde cum poſterior electio ſit facta in communi, & à collegio, erit valida, & canonica; & ad ipſam potuit deueniri: quia euidẽs erat, priorem non eſſe factam à collegio, atq; adeo non eſſe veram electionem.

An ſi quis det alteri ex electoribus propriam ſchedulam ab ipſo in vrnam mittendam plicatam tamen, faciat contra ſecretum electionis, in qua præcipitur ſuffragia non publicari.

Deciſio CCLXI.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſuadeat, non poſſe electorem dare alteri ſchedulam in vrnam mittendam.*
2 *Dare alteri electori propriam ſchedulam in vrnam mittendum non eſt contra ſecretum ſuffragiorum.*
3 *Per hoc non fit aliqua publicatio ſuffragij.*
4 *Nec fit aliqua poteſtas cognoſcendi ſuffragium.*
5 *Si qui accipit ſchedulam, eam inſpiciat, & non publicet, non fit aliquid contra ſecretum ſuffragiorum.*
6 *Quid ſi alijs manifeſtet.*

7 An

7 *An peccet, qui tradit alteri propriam ſchedulam in vrnam mittendam.*

8 *An peccet qui talem ſchedulam propriæ fidei commiſſam inſpicit.*

1 CAſus facilè occurrere poteſt, & quandoque etiam occurrit. Et videtur interuenire publicatio voti; quia ſchedula vnius electoris eſt in poteſtate alterius; vnde vnus poteſt ſcire, cuinam alter ſuffragetur, & cum vnus elector faciat poteſtatem notitiæ ſui ſuffragij alteri, facit etiam contra ſecretum ſuffragiorum.

2 De hoc dubio nihil inuenio apud Doctores. Exiſtimo tamen quòd nihil fiat contra ſecretum ſuffragiorum; & proinde electio remaneat valida, nec qui tali pacto dat ſuam ſchedulam alteri incurrat aliquam pœnam, dummodò tamen det ipſi ſchedulam plicatam.

3 Moueor, quia in hoc non reperio aliquam publicationem ſuffragij; nam cum det ſchedulam plicatam, illam committit eiuſdem fidei vt ſecretum, & proinde vt talem mittendam in vrnam; vnde nulla interuenit publicatio; quia, qui accipit ſchedulam neſcit pro quo ſuffragetur qui tradidit ſchedulam, ſi ipſi ſeruet debitam fidem.

4 Vnde nec qui tradit ſchedulam facit poteſtatem alteri, vt ſciat pro quonam ſit illud ſuffragium; quia licèt poſſit eã explicare, non tamen licitè poteſt; nã eo ipſo, quòd eam accipit plicatam, accipit vt ſecretam, & accipiendo conſentit facto ipſo in ſecretum, & tacitè obligat ſuam fidem: & ideo, moraliter loquendo, eſt certus, quòd ſuffragium erit ſecretum.

5 Sed dubium eſt, quid dicendum, ſi is, qui accipit ſchedulam, non ſeruet fidem, ſed eam inſpiciat. Reſp. quod ſi inſpicit, & non publicat alijs ſuffragium, pro quonam fuerit, & à quonam; tunc electio adhuc retinet ſuum ſecretum, quia res eodem pacto ſe habet quò ad ſecretum, ac ſi non inſpexiſſet; neque illud ſuffragium poteſt dici publicatum; quia publicari eſt manifeſtari ab aliquo, reſpectu alterius: vnde interuenire debet communicatio, qua quod publicatur ab vno, alteri communicetur: & ideo publicatio eſt ſemper reſpectu alterius; in caſu autem noſtro, nec qui tradidit ſchedulam, manifeſtauit, nec qui inſpexit; quia hic nulli alteri ſuffragium communicat.

6 Si verò alijs manifeſtat, & ij ſunt plures, fit certè contra ſecretum ſeruandum in ſuffragijs. Si verò vni tantum, tunc decidendum iuxta ea, quæ dicemus infra, cum inquiremus, an ſit contra ſecretum ſuffragiorum, ſi vnus alteri communicet cui nam ſuffragetur.

7 An autem peccet, qui dat propriam ſchedulam alteri reponendam in vrna. Reſp. negatiuè; quia, vt vidimus, non præiudicat ſecreto electionis, nec facit iniuriam alieni. Nec exponit periculo publicationis proprium ſuffragium; quia, qui accipit ſchedulam plicatam, facto ipſo conſentit ſecreto ſuffragij. & proinde qui dat certificatur moraliter, tali accepta fide, de ſecreto.

8 An verò peccet, qui inſpicit ſchedulam propriæ fidei commiſſam. Reſponderem, quòd ſi ex ſola curioſitate inſpicit, & non animo publicandi non peccare mortaliter, ſed tantum venialiter; quia tunc talis inſpectio non eſt in graue præiudicium alicuius. Non enim eſt in præiudicium electionis, & proinde nec eorum, quorum intereſt de ſecreto ſuffragiorum: quia remanent ſecreta non ſecus, ac ſi non præceſſiſſet huiuſmodi inſpectio. Nec etiam illius, cuius eſt illa ſchedula; quia dum ſuffragium non publicatur, non graue præiudicium patitur, quod ſit notum amico, cui probabiliter cenſendum eſt, quòd ipſum manifeſtaſſet, ſi non putaſſet facere contra ſecretum electionis; dum ipſi committit propriam ſchedulam. Solùm facit contra fidelitatem: quæ tamẽ non obligat grauiter ad non inſpiciendam: quia tunc ſolum fidelitas obligat grauiter, quando ex oppoſito ſequeretur graue incommodum.

An ſit contra ſecretum ſuffragiorum electionis, ſi quis ante electionem dicat, cui ſit ſuffragaturus, aut poſt electionem, cui ſit ſuffragatus.

Deciſio CCLXII.

SVMMARIVM.

1 *Non licet electori dicere ſe huic, vel illi ſuffragaturum, vel ſuffragatum eſſe, ſecundum nonnullos.*

2 *Si dicat, non per hoc electio eſt inualida, quia adhuc vota ſunt ſecreta in ſcrutinio.*

3 *Talis publicatio ſuffragiorum non eſt contra præceptum Tridentini, ideo nec illicita.*

1 QVod non liceat electori ſuum votum publicare ante vel poſt electionem, aſſerendo ſe huic fuiſſe ſuffragatum, vel ante ſe ſuffragaturum, docet Garzias *par. 5. De Benefic. cap. 4. num. 197.* addit tamen talem electionem non per hoc inualidari; quia poteſt elector in tali publicatione ſimulare, & ſuffragium diuerſum eſſe ab eo, quod dicit. Et, affert declarationem Congregat. *Concil. circa cap. 6. De Regularib. Seſſ. 25.* Quæ interrogata, an electio

facta cum tali publicatione teneret, reſpondit, quòd nec antè, nec poſt electionem vllo modo licet electoribus publicare cui ſuum votum dederint: & ſequitur Sigiſmundus à Bononia *de Elect. dub. 31. num. 2.*

2 Hanc ſententiam exiſtimo veram quò ad eam partem, quæ dicit; quod electio ſit valida, quia non fit cõtra formam præſcriptam à Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 6. de Regul.* nam ibi præcipit tantùm, quòd vota in ipſo actu ſcrutinij ſint ſecreta; quia agit de votis, quibus actus electionis exercetur. ait enim *Sancta Synodus diſtrictè præcipit omnes ſupradictos eligi debere per vota ſecreta.* Dum autem in actu ſcrutinij ſunt ſecreta, fit electio per ſecreta vota, & obſeruatur forma Concilij. Et quamuis elector quis dicat ſe huic, vel illi ſuffragatum, non per hoc publicatur votum in ipſo ſcrutinio, ſed extra ſcrutinium; & ita publicatur, vt non ſit publicatio certa, quia poteſt votum in ſcrutinio aliter ſe habere, ac extra ſcrutinium publicetur.

3 Addo tamen non mihi videri illicitam talem publicationem, quia non eſt contra præceptum Tridentini, cum loquatur tantùm de publicatione votorum in actu ſcrutinij, nec contra aliquam aliam prohibitionem. nam etiam alia iura ſemper loquuntur de votis actu ſuffragantibus, atque adeo in ipſo actu electionis. Nec eſt in alicuius præiudicium quia non eſt certa publicatio, ſed poteſt eſſe cum aliqua ſimulatione, & ideo non eſt cauſa, quod indirectè aliorum vota publicentur. Declaratio autem Concilij præter quam quòd non eſt authentica, poteſt etiam intelligi de publicatione, qua certò conſtet cui ſint ſuffragati, vt ſi fieret per oſtenſionem ſchedularum.

An ſi quis vni tantùm ex ſocijs oſtendat propriam ſchedulam, qua in electione ſuffragaturus eſt, ſit irrita electio.

Deciſio CCLXIII.

SVMMARIVM.

1 *Si elector vni tantùm ex ſocijs oſtendat ſchedulam, electio eſt irrita.*

2 *Declaratio Congregationis quòd ſit irrita quando plures publicant ſuffragium.*

3 *Cum vnus publicat ſuum votum electio adhuc eſt valida.*

4 *Quod ſecretum in ſuffragijs præcipiatur à Tridentino.*

5 *Eadem eſt ratio ſi vnus publicet ſuum ſuffragium in fraudem ac ſine fraude, quò ad validitatem electionis.*

6 *Licet vnus publicet proprium ſuffragium, manet ſalua adhuc forma electionis, & debitum ſecretum.*

1 Eſſe irritam tenet Garzias *par. 5. de Benefic. num. 193. & 194.* dummodò tamen oſtenſio ſchedulæ non fiat in fraudem, & ob annullandam electionem, ſi tali electori non placeret; & ait ita declaratum fuiſſe à Sacra Congregat. ſuper Concil. Trident. quæ habetur in Collec. *earumdem Declarat. circa cap. 6. de Regularib. ſeſſ. 25.* Sequitur Sigiſmundus à Bononia *de Elect. par. 1. cap. 4. dub. 31. nu. 5.* Quia nimirum non ſeruatur forma præſcripta à Trident. *ſeſſ. 25. cap. 6. de Regularib.* per quam vota debent eſſe ſecreta; vnde cum electio dependeat ab omnibus electoribus, & forma ſit indiuiſibilis, eo ipſo quòd vnum ſuffragium non eſt ſecretum, nec etiam electio eſt ſecreta.

2 Verum prædicta declaratio ſacræ Congregat. nihil iuuat hanc ſententiam; tum quia non eſt authentica: tum quia non loquitur de vno tantum: ſed quando plures ita ſuffragantur, vt vota ipſorum publicentur ijs, quibus non debuerunt publicari.

3 Itaque talem electionem eſſe validam docent Nauarr. *lib. 1. conſil. tit. De elect. conſil. 9. in nouis, & 4. in veterib. num. 2. & ſequentib.* Rodriquez *in quæſt. Regul. tom. 2. quæſt. 51. art. 9. & tom. 1. ſum. cap. 102. nu. 4.* Miranda *tom. 2. Manualis Prælat. quæſt. 23. art. 19.*

4 Atque hæc poſterior opinio mihi probabilior videtur. Quia intentio Cap. *Quia propter* & Concilij *Tridentini* eſt prouidere libertati electionis mediante ſecreto ſuffragiorum: vnde illud tantùm ſecretum præcipit, quod eſt neceſſarium ad ſeruandam talem libertatem: ad ſeruandam autem libertatem ſufficit, ſi in communi ſeruetur ſecretum, Et proinde Tridentinum præcipit, quòd non publicentur ſingulorum eligentium nomina, & ſolùm decernit irritas illas electiones, in quibus ſingulorum eligentium nomina publicantur; non autem in quibus publicatur vnius tantum eligentis ſuffragium.

5 Nec rectè diſtinguitur, quòd valeat electio, quando talis publicatio ſchedulæ fit in fraudem, ſecus autem quando non fit in fraudem: nam vel tollit formam electionis præſcriptam à Concilio, vel non tollit. Si tollit nunquam valebit, etiam ſi fiat in fraudem, quia nunquam ſtat electio ſine ſua forma. Si verò non tollit, ſemper valebit: quia ſalua forma, manet firma ſubſtantia electionis, atque adeo validitas ipſius.

6 Manet ergo ſalua forma electionis, quamuis vnius ſuffragium publicetur: quia cum ta-

le ſuffra-

le ſuffragium nec ſufficiat ſe ſolo ad faciendam electionem, non ſequitur quod publicè electio fiat. Imò ex eo, quòd forma eſt indiuiſibilis, ſicut non poteſt haberi per vnicum tantùm votum, ita neque fieri publica ex eo, quòd publicetur vnicum votum; Concilium autem non præcipit, quòd non publicetur vnicum votum, ſed quod ipſa electio ſit ſecreta: atque adeo quod non publicentur ſingula eligentium vota. Neque obſtat quod indiuiſibile totum deſtruatur, ſi aliquid de ipſo auferatur; nam licet electio indiuiſibilis ſit, non tamen ſecretum electionis: quia adhuc poteſt eſſe ſecretum, à quonam ſit facta, etiam ſi vnicum votum non ſit ſecretum; vt de ſe conſtat.

An ſi vnus ex electoribus oſtendat alteri propriam ſchedulam, qua eſt ſuffragaturus, id permittente Capitulo, ſeu Collegio, electio ſit irrita.

Deciſio CCLXIV.

SVMMARIVM.

1 *Si collegium permittit alicuius eligentis ſuffragium publicari, electio eſt irrita ſecùndum aliquos.*
2 *Talis electio non eſt irrita.*
3 *Suffragia solùm in communi per Trident. debent eſſe ſecreta.*
4 *Collegium permittens vnius votum publicari, non facit contra decretum Tridentini.*
5 *Si publicentur plurium ſuffragia, electio cenſetur publica.*

1 Eſſe nullam tenent ij, quos Deciſ. *præcedenti num.* 1. pro priori ſententia retulimus, & præterea Nauar. *lib.* 1. *conſil.* 4. & in nouis 9. *de Elect. num.* 3. Rodriquez *par.* 1. *Sum. cap.* 102. *num.* 4. afferens doctrinam Nauar. pro qua tamen nulla affertur ratio, nec video quęnam poſſit afferri.

2 Vnde Miranda *tom.* 1. *Manual. Prælat. quæſ.* 23. *ar.* 19. *circa finem.* Solùm docet electionem eſſe irritam, quando manifeſtantur vota in communi, id permittente Capitulo, aut quando, eodem Capitulo permittente, manifeſtatur votum vnius, & eſt cauſa hæc manifeſtatio, quòd fiat electio, quæ aliàs non fuiſſet facta; pro quo tamen non bene citat Nauar. vt vidimus.

3 Attendendo ergo decretum *Concilij Tridentini cap. 6. de Regular. ſeſſ.* 25. non video, cur talis electio cenſenda ſit irrita. Solùm enim circa ſecreta ſuffragia decernit. Omnes, de quibus locutus fuerat, *Eligi debere per vota ſecreta ita: vt ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur.* Et electionem, in qua hoc ſecretum non ſeruatur, decernit eſſe irritam. Vbi aduertendum eſt, quod non dicit *Vt nullius vnquam eligentis nomen publicetur*, ſed *Vt ſingulorum nomina nunquam publicentur*, vt ſignificaret, ſe prohibere eam publicationem ſuffragiorum, qua eligentes in communi publici fiant: ſingulorum enim nomina dicit collectionem nominum. Deinde non prohibet Collegio, quòd non permittat vnum aliquem electorem publicare ſuum votum; & quod ſi publicet, ſit irrita electio: vnde nec nos debemus cenſere irritam: præſertim quia odioſa reſtringenda ſunt, iuxta Cap. *Odia de Regulis iuris in 6.* Et quia talis publicatio non eſt contra finem legis; cum non tollat illud ſecretum, quod requiritur, vt electio ſit ſecreta, & cum debita libertate.

4 Quòd ſi dicas. Concilium præcipere, quòd vota ſint ſecreta, & collegium in tali caſu permittere aliquid prohibitum à Concilio, atque adeo electionem eſſe irritam. Reſpon. Concil. præcipere, quod vota in communi ſint ſecreta, de quo ſe declarat, dum ſubdit. *Ita vt ſingulorum eligentium nomina non publicentur*, nempe huius, atque illius: vnde Capitulum non permittit aliquid contra determinationem Concilij: & ideo cum in communi ſeruetur forma præſcripta, electio non erit irrita. Voluit enim Concilium per ſecretum prouidere libertati eligentium: & per id, quod vota in communi ſint ſecreta, quòd vnius publicatio non vitiet electionem; alioquin nimis facilè poſſet vitiari.

5 Et ſi rurſus inſtes, quòd valebit electio etiam ſi vota maioris partis eligentium publicentur: quia non erunt omnia publica. Reſp. id non poſſe dici; quia eo ipſo quòd plurium eligentium vota publicantur, cenſetur moraliter electionem fieri per publica ſuffragia: quia ſaltem fieri poteſt, quòd ex illorum publicatione cætera quoque publica fiant.

An ſi vnus elector oſtendat alteri electori, aut etiam non electori ſub ſecreto ſchedulam, qua ſuffragaturus eſt, peccet mortaliter.

Deciſio CCLXV.

SVMMARIVM.

1 *Videtur mortaliter peccare elector, qui alteri oſtendit ſchedulam.*

2 *Non peccat, nec facit contra Decretum Tridentini.*

3 *Talis oſtenſio non eſt contra finem legis.*

1 VIdetur ſtatim reſpondendum peccare mortaliter, quia in re graui facit contra Decretum Concilij Tridentini precipientis, vt diximus, *Seſſ. 25. cap. 6. De Regularib.* Quòd electio fiat per ſecreta ſuffragia; vnde vnuſquiſque electorum tenetur ſuffragari ſecretò.

2 Exiſtimo tamen, non contrauenire decreto Tridentini, atque adeo non peccare mortaliter. Quod etiam ſentiunt alij viri docti, quos conſului; quia per hoc, quòd ſub ſecreta oſtendatur ſchedula amico, ſuffragium non fit publicum, ſed adhuc remanet ſecretum: ſicuti etiam retinent rationem ſecreti, quæ ſecretò amicis communicantur: quia non cenſetur publicari quod ſub ſecreto vni, aut alteri dicitur; ſed quod ita dicitur, vt poſſit alijs manifeſtari.

3 Quod etiam ex eo colligitur, quia hæc oſtenſio non eſt contra finem legis, quæ præcipit ſuffragia debere eſſe ſecreta, vt ſeruetur libertas eligentium: oſtendere autem ſchedulam amico non officit huic libertati.

De Epiſcoporum Regularium votis.

An in Epiſcopis Regularibus ceſſent vota ſpecialia ſuę Religionis, quando illa habet.

Deciſio CCLXVI.

SVMMARIVM.

1 *Vota ſpecialia Religionis non ceſſant in Epiſcopis Regularibus ex aliquorum opinione.*

2 *Quibus motiuis ita ſentiant.*

3 *Vota ſpecialia Religionis ceſſant in Epiſcopis Regularibus.*

4 *Quomodo iſta vota obligent eatenus, quatenus obligat regula.*

5 *Regularis aſſumptus ad Epiſcopatum liberatur ab ijs omnibus, quæ fundantur in regula.*

6 *Vota ſpecialia Religionum ſunt acceſſoria regulæ.*

7 *Finis eſt menſura obligationis.*

8 *In Epiſcopo Regulari ceßat obligatio, quam habet, vt membrum Religionis.*

9 *Epiſcopus Regularis cur non debeat ſentire incommodum Religionis.*

10 *Materia votorum ſpecialium Religionum in Regularibus Epiſcopis mutatur; ideo ceßant vota.*

11 *Regularis emittens vota ſpecialia, an intendat ſe obligare extra ſtatum Religionis.*

12 *Quomodo ſtatus Religionis mutetur in Epiſcopo Regulari.*

13 *Specialia vota Religionum non pertinent ad ſtatum ſubſtantialem.*

14 *Quando obligatio voti ſequatur perſonam.*

15 *Votum ſpeciale alicuius Regularis an ceſſet, ſi fiat Epiſcopus.*

1 NEgatiuam ſententiam tradit Suarez *tom. 4. De Relig. lib. 3. cap. 17. num. 7.* & ſequuntur quam plures Recentiores; Loquuntur tamen quò ad illa vota, quæ ſunt compoſſibilia cum ſtatu Epiſcopali; nam ſi aliquod eſſet incompoſſibile, cenſendum eſſet ceſſare. Et hæc opinio deſumitur ex doctrina Caietan. *2. 2. quæſt. 185. art. 8. dub. 2.* & *tom. 1. opuſc. tract. 25. De obligat. & obſer. præcept. quæſt. 2.* & Soti *lib. vlt. de Iuſt. & Iure quæſt. vlt. artic. vlt. ver. Sed contra.*

2 Prob. quia ſtatus Religioſus, quò ad ſubſtantiam, eſt immutabilis; vnde debent ſemper manere, quæ pertinent ad ſubſtantiam, qualia ſunt omnia vota. Quando autem Regularis fit Epiſcopus, fit tantum maxima mutatio accidentalis. Secundò, obligatio voti eſt perſonalis; vnde ſequitur perſonam quocunque tẽdat. Tertio. Si Regularis emittat votum ſpeciale, quod non ſit commune toti Religioni, & non irritetur à Superiori, ſi creatur Epiſcopus, tenebitur ad illud votum implendum; ergo tenebitur etiam ad alia vota communia Religioni.

3 At ceſſare huiuſmodi vota in Regulari creato Epiſcopo, docet Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 6. num. 15.* Lezana *par. 1. quæſt. Regular. cap. 17. numer. 10.* Lopez à Texeda *lib. 2. controuer. Moral. contr. 1. num. 10.* Palaus *par. 3. tractat. 16. diſput. 4. De voto obedient. punc. 24. num. 5.* & à priori, qui docent ceſſare etiam votum paupertatis, quos infra referemus: & etiam ita tenent plures doctiſſimi Recentiores. Et hanc ſententiam veram exiſtimo.

4 Ratio, qua moueor, eſt, quia intentio vouentis eſt menſura obligationis ex voto; nec votum plus obligat, quàm intendat ſe obligare vouens: vt docet etiam D. Thom. 2. 2. *quæſt. 189. ar. 4.* in corpore, cum autẽ quis profitetur in illa Religione, & emittit ſpecialia vota illius Religionis, intendit ſe obligare per illa, quatenus ſe obliget ad regulam Religionis: ita & obligatio votorum ſit per obligationem regulæ; & in tantum ſubſiſtat, in quantum ſubſiſtit obligatio ad regulam; vnde vouens vult per vota ſe obligare ſecùndum illam menſuram,

ram,

ram, ſecundum quam ſe obliget ad regulam. Quia autem ita ſe obligat ad regulam, vt ceſſet obligatio, ſi ad alium ſtatum tranſferatur; ideo etiam obligatio per huiuſmodi vota tanquam pars obligationis, ſecundum regulam, ceſſabit ex eo, quòd trāſferatur ad alium ſtatum; quia intelligitur emitti votum cum hac tacita conditione: quòd ceſſet, ceſſante obligatione regulæ, quæ ſatis exprimitur per id, quod emittatur votum tāquam votum ſpeciale regulæ.

5 Deinde, cum Regularis per aſſumptionē ad Epiſcopatum liberetur à iugo regulæ iuxta Cap. *Statutum*. 18. *quæſt*. 1. liberatur etiam ab ijs omnibus, quæ habent fundamentum in regula, & ad quæ Regularis ratione regulæ ſe obligauit; nam ablato fundamento tolluntur etiam quæ in ipſo fundantur: huiuſmodi autem vota fundantur in regula, & ratione regulæ emiſſa ſunt, tanquam aliquid pertinens ad ipſam: & proinde tanquam propria regulæ non ſubſiſtunt ipſa non ſubſiſtente.

6 . Quod etiam conſit, nam emittuntur huiuſmodi vota vt acceſſoria regularis profeſſionis, & vt propria illius ſtatus, quem ſuſcipit Regularis, ſecundum talē regulam. Ergo cum acceſſorium ſequatur naturam principalis, & ceſſante ſtatu ceſſent etiam quæ ſunt propria illius, ceſſabunt vota, quia ceſſat regula, & ſtatus fundatus in ipſa.

7 Rurſus, cum quis ſe obligat in ordine ad aliquem finem, ita vt obligatio adæquatè reſpiciat illum finem, menſura obligationis deſumitur ex ipſo: quia non plus ſe intendit obligare, quam exigat finis; vnde etiam ceſſante fine, ceſſat obligatio; vt ſi quis teneatur dare alimenta Petro in hunc finem, vt ſtudeat, ſi deſinat ſtudere, non tenetur ea exhibere. Cum igitur hæc vota ſpecialia habeant pro fine conſeruationem regulæ: quia quæ vouentur, præcipiuntur à regula: &, vt firmiter obſeruentur, exigit regula, vt profitentes ſe quò ad ipſa, ſpeciali voto adſtringant. At in Regulari creato Epiſcopo ceſſat totaliter iſte finis: nam cum non ſit amplius de gremio ordinis, nec etiam incumbit ipſi conſeruare, & manutenere regulam, ceſſabit etiam obligatio votorum.

6 Inſuper Regularis creatus Epiſcopus deſinit eſſe membrum ordinis; vnde ceſſat in ipſo obligatio membri reſpectu corporis, ſeu ſingularium perſonarum reſpectu communitatis; ergo etiam obligatio horum votorū: cum ſit obligatio, quam habent ſinguli Regulares, vt membra reſpectu communitatis: ſiquidem hæc vota inſtituta ſunt à Religione in bonum communitatis, nimirum vt quæ præcipiuntur à regula pro bono Religionis, inuiolabiliter obſeruentur.

9 Quod præſertim verum eſt, quia Regularis factus Epiſcopus non ſentit commodum Religionis, quod ipſi prouenit ex huiuſmodi votis, nec vllum aliud Religionis: cum enim non ſit amplius membrum ipſius, nec etiam communicat in eius bonis. Qui autem nō ſentit commodum, nec etiam debet ſentire incommodū ordinatum ad illud commodum: ex regula *Qui ſentit. De Regulis Iuris in 6.*

10 Denique materia horum votorum in Epiſcopis continet ſpecialem difficultatem: nec habet illam proportionem cum ſtatu Epiſcopali, quam habet cum ſtatu Regulari talis ordinis: imò improportionem, ratione cuius in eſſe intrinſeco mutatur; quia fuit materia voti, prout apta ad conſeruationem ſtatus, qui aſſumebatur, vt aliquid bonum ipſius; modò autem non eſt apta pro ſtatu Epiſcopali, nec pars eorum, quæ ſpectant ad ipſum. Hæc autem mutatio facit, vt ceſſet obligatio voti; quia materia ſecundum hanc difficultatem & in ordine ad ſtatum Epiſcopalem eſt inuoluntaria, cum ſit volita vt pertinens ad ſtatum regularem: & conſtituitur in alio ſtatu; atq; adeo moraliter alia cenſeretur. Vnde habet locum regula, quòd votum non obligat vltra id, ad quod vouens ſe obligare voluiſſet, ſi aduertiſſet dum vouit: quam tradit Sanchez cum plurimis Doctorib. *lib. 4. ſum. cap. 2. num.* 18. & declarat *num. 20. & ſequentib.*

11 Et adeſt ſufficiens fundamentum interpretandi voluntatem vouentis, quòd non intenderit vouere etiam extra ſtatum Religionis: atque adeo quòd non vouiſſet, niſi limitatè ad tempus, in quo profiteretur regulam; nam non fuit motus ad vouendum, quia vellet præcisè materiam voti; ſed quia voluit regulam Religionis, quæ complectebatur materiam voti; vnde materia voti cauſauit obligationem, non ratione ſui, ſed ratione regulę. Quādo autem in materia ceſſat ratio, per quam cauſauit obligationem, ceſſat etiam obligatio voti, quia ceſſat materia formalis ipſius. Hoc autem contingit, quando Regularis fit Epiſcopus. Vnde habet locum regula, quam tradunt communiter cum D. Thomą *in 4. diſtin. 38. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 1. ad 1.* & ſequitur Sanchez, pluribus citatis, *lib. 4. ſum. cap. 2. num. 23.* Quòd id liberet ab obligatione voti, quod ſi à principio accidiſſet, aut præuiſum fuiſſet, impediſſet fieri. Debet enim intelligi de eo, quod reddidiſſet materiam inhabilē ad cauſandam obligationem; Quæ & ita accipienda eſt: quòd ſi reddit materiam inhabilem etiam pro ſolo aliquo tempore, pro illo ſoluat obligationem voti.

12 Ad 1. Reſp. Statum Religionis mutati quò ad ſubſtantiam, quando Regularis fit Epiſcopus. Quod ſatis indicatur in Cap. *Statutum.* 18. *quæſt.* 1. Dum dicitur *Quem ſacra ordinatio*

De monacho facit Epiſcopum; & patet ex diuerſitate obligationum, munerum, dignitatis, ordinis, hierarchiæ: ita vt non plus differat ſtatus monaſticus à ſtatu ſæculari, quàm Epiſcopalis à monaſtico; Status enim conſtituitur ſecundum ſubſtantiam per ea, quæ faciunt ordinem diuerſum; quando enim ſtatus differt tantùm accidentaliter, relinquit in eodem ordine. Deinde ſi per Epiſcopatum ſtatus non mutaretur ſubſtantialiter, quando Regularis fit Epiſcopus; nec etiam mutaretur, quando ſæcularis fieret Epiſcopus; nam Epiſcopatus
13 ſemper eadem ſecum affert. Adde quòd ita ſpecialia vota non pertinent ad ſtatum ſubſtantialem Religionis: quia quæ pertinent ad ipſum, non ſunt ſpecialia alicuius ordinis, ſed omnibus communia.

14 Ad ſecundum. Licet obligatio voti, ſit perſonalis, poſſe tamen ceſſare ex iuſta cauſa: & tunc ſolùm ſequitur perſonam, quando ea, in quibus fundatur, ipſam ſequuntur. Quia autem obligatio horum votorum non eſt aſſumpta in ſe immediatè, ſed in obligatione ſeruandi regulam, ideo cum hæc obligatio non ſequatur Regularem factum Epiſcopum, nec etiam ſequitur obligatio votorum.

15 Ad 3. eſſe diſparem rationem: quia in tali voto non militant cauſæ, ob quas ceſſant vota communia Religionis: aſſumitur enim in ſe, & non in alio, quod ceſſet; nec pertinet ad ſtatum regulæ illius ordinis, nec ceſſat finis ipſius, nec mutatur materia. Quod eſt verum regulariter; nam aliquando poteſt ipſum quoque ceſſare.

An Epiſcopi Regulares teneantur voto paupertatis.

Deciſio CCLXVII.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopi Regulares non abſoluuntur voto paupertatis ſecùndum communiorem opinionem.*
2 *In quo fundetur hæc opinio.*
3 *Epiſcopi Regulares abſoluuntur à voto paupertatis.*
4 *Talis abſolutio ſancitur in Cap.* Statutum 18. quæſ. 1.
5 *Quodnam ſit iugum monaſticæ profeſſionis, à quo abſoluitur Epiſcopus.*
6 *Epiſcopus Regularis fit capax proprietatis dominij.*
7 *Epiſcopi Regulares aliquando teſtantur de licentia Pontificis, & de quibus bonis.*
8 *Particula* Quaſi *aliquando proprietatem ſignificat.*
9 *Quando Regularis fit Epiſcopus, commutatur vnus ſtatus in alium.*
10 *Status monachalis non ſubordinatur Epiſcopali, ſed recedit ipſo adueniente.*
11 *Epiſcopus Regularis facit ſibi proprium, quod acquirit.*
12 *Epiſcopus etiam Regularis vt ſponſus Eccleſiæ tranſit in eamdem ſortem, & communicat cum ipſa in dominio.*
13 *Epiſcopus Regularis poteſt ad libitum diſponere de fructibus ſuæ Eccleſiæ: & ideo habet dominium illorum.*
14 *Facultas ampla diſponendi ad libitum de re aliqua abſq; alicuius iniuria, eſt dominium.*
15 *Finis voti paupertatis ceſſat in Epiſcopo Regulari.*
16 *Regularis incapax hæreditatis, factus Epiſcopus, fit capax; atque adeo etiam dominij.*
17 *Cur neceſſarium ſit, votum paupertatis ceſſare in Epiſcopis Regularibus.*
18 *An Epiſcopus Regularis maneat Religioſus.*
19 *Quomodo votum paupertatis ſit perpetuum.*
20 *Votum ſolemne eſt diſpenſabile, quia ſolemnitas eſt de iure Eccleſiaſtico.*

1 AFfirmatiuam ſententiam tradunt communiter D. Th. 2. 2. *quæſ.* 88. *ar.* 11. *ad* 4. & *quæſ.* 185. *ar.* 8. *ad* 3. & *in* 4. *diſt.* 38. *quæſ.* 1. *ar.* 4. *quæſ.* 1. *ad* 5. D. Bonau. *quæſ.* 2. *ar. vlt. ad vlt.* Palud. *quæſ.* 4. *ar.* 4. *concluſ.* 11. *num.* 49. Riccar. *ar.* 5. *quæſ.* 1. *in fine.* Maior *quæſ.* 20. *arg.* 3. *contra* 1. *concluſ.* Arragon. 2. 2. *quæſ.* 88. *ar.* 11. Valent. *diſp.* 10. *quæſ.* 3. *punc.* 8. Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 6. Sanchez *dub.* 6. *Sum. in Decal. cap.* 6. *num.* 8. Leſſ. *lib.* 2. *de Iuſt. & Iur. cap.* 40. *dub.* 14. *num.* 113. Henriquez *lib.* 10. *de Sacram. ordin. cap.* 32. *nu.* 5. & *cap.* 33. *num.* 3. & 4. & *lib.* 12. *de Matr. cap.* 5. *num.* 5. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 7. *quæſ.* 2. Rodriquez *tom.* 2. *Sum. cap.* 10. *num.* 4. & *tom.* 2. *Quæſ. Regul. quæſ.* 58. *ar.* 3. Nauar. *com.* 1. *de Reg. num.* 31. & *com.* 2. *num.* 17. & *de Reddit. Eccleſiaſ. quæſ.* 1. *mon.* 9. *num.* 1. & *mon.* 11. *nu.* 1. & *lib.* 3. *Conſil.* 1. *edit. conſil.* 15. *de Regular. num.* 11. & *in* 2. *tit. de Donat. conſil.* 6. *num.* 11. Ledeſma *par.* 2. *Sum. tract.* 32. *cap.* 3. *de Statu Epiſcop. concluſ.* 25. *ver. Digo lo terzero.* Roſel. *Verbo* Religio 1. *nu.* 4. Angel. *Verbo* Monachus *num.* 7. Tablena *Verbo* Epiſcopus *quæſ.* 6. *nu.* 7. Armil. *nu.* 8. Sylueſter *Verbo* Religio *quæſ.* 19. Graſ. *par.* 2. *Deciſ. lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 87. D. Antonin. 3. *par. tit.* 20. *cap.* 2. §. 7. Viguer. *cap.* 17. *Inſtit. Theol.* §. 1. *ver.* 21. Io: à Cruce *lib.* 1. *de Statu Relig. cap.* 2. *dub.* 4. *concluſ.* 2. Portel. *in Dub. Reg. Verbo* Epiſcop. *num.* 11. Hieronym. Rodriquez *in Compend. Quæſ. Reg. reſol.*

reſol. 60. de Epiſcop. num. 4. Gloſ. in Cap. Quorumdam Verbo Mendicantium de Elect. in 6. & Cap. vnico Verbo Legitimus 18. quæſ. 1. & Cap. Quia tua Verbo Senſum 12. quæſ. 1. & Cap. de Monachis Verbo Diſcedere 16. quæſ. 1. Couar. cap. 1. num. 18. de Teſtamentis. Io. Andr. cap. 1. num. 6. de Teſtam. Abbas in Cap. penul. in fine de Vita, & honeſt. Cler. Ancharan. Cap. Cum olim 2. num. 8. de Priuileg. Heut. Cap. fin. num. 10. de Pecul. Cler. Francus rubr. de Teſtam. nu. 75. in 6. Turrecrem. Cap. de Monachis 16. quæſ. 1. & Cap. Non dicatis 12. quæſ. 1. ur. 1. num. 2. ad 4. Baldus Authen. licent nu. 3. cod. de Epiſ. & Cler. Paul. ibid. nu. 2. Iaſon. Auth. Ingreſſi nu. 15. C. de Sacr. Eccleſ. Gamb. Auth. Legati lib. 6. num. 255. tom. 13. Tract. par. 2. Gulliel. Benedic. Cap. Raynut. de Teſtam. Verbo Mortuo itaque teſtatore 1. num. 301. Tapia Auth. Ingreſſi Verbo Sua cap. 6. num. 85. C. de Sacram. Eccleſ. & Verbo Ideoque nec de his cap. vnico num. 32. C. eodem. Fuluius Pacian. conſil. 132. num. 35. & 37. vol. 1. Nicol. de Vbal. de Succeſſion. ab inteſtato de Succeſ. Regul. par. 1. cap. 4. tom. 8. tract. par. 1. Sarmient. de Reddit. Eccleſ. par. 1. cap. 1. num. 10. & in defen. eiuſdem 1. par. monit. 11. num. 2. & 3. Molina lib. 1. de Primog. cap. 10. num. 28. Cucus 3. Inſtit. maior tit. 1. num. 158. Surdus de Alim. tit. 8. priuil. 79. num. 99. Bimius conſil. 6. nu. 7. vol. 1. Ang. de Meliorat. lib. 1. gloſ. 3. nu. 14. edit. 2. Corduba in Reg. D. Franc. cap. 2. quæſ. 20. punct. 3. Barboſa de Offic. & Poteſt. Epiſcopi par. 3. ablegat. 114. num. 29. Alzedus par. 1. de Præcell. Epiſcop. dignitatis cap. 5. num. 93. Fernandez par. 4. Exam. Theol. cap. 7. §. 1. num. 3. Valerus in Differ. vtriuſque Fori Verbo Regul. diff. 5. ver. circa vero vota. Syluius 2. 2. quæſ. 185. ar. 8. concluſ. 1. Tolet. lib. 5. cap. 4. num. 24. Caſtr. Palaus par. 1. tractat. 6. par. 8. num. 2. Coninch. De fide, ſpe, & char. diſput. 27. dub. 11. num. 201. Texeda tom. 1. Controuer. moral. lib. 2. tract. 1. controuer. 2. num. 3. Manfred. De Cardinal. deciſ. 154. Lezana par. 1. quæſt. Regul. cap. 17. num. 5. Derinus De Relig. ſubd. tom. 1. quæſt. 1. cap. 10. Tanner. 2. 2. diſp. 5. quæſt. 4. dub. 6. num. 131. Fauſt. lib. 6. Theſauri Religioſ. quæſt. 172. edit. Neapol. Sanctarel. tract. De Apoſt. cap. 16. dub. 3. num. 20. Cenedus De Pauper. Relig. dub. 43. Laurer. de Franch. in controuer. inter Regular. &c. quæſt. 112. Palaus item par. 3. tract. 16. diſp. 4. De voto obedient. punc. 24. num. 1.

2 Prob. Nulla eſt neceſſitas diſpẽſandi in hoc voto, ſicut nec in alijs; cum non ſit incompoſſibile cum ſtatu Epiſcopali, nec ipſum dedeceat, imò iuuet ad perfectionem. Eccleſia autem non diſpenſat ſine cauſa. Secundò, Regularis factus Epiſcopus manet verus Religioſus: vnde obligatur geſtare habitum Religionis; Ergo manent etiam, quæ ſunt de ſubſtantia Religionis: qualia ſunt tria vota, ex Cap. Cum ad Monaſterium, in fine. De ſtatu Monachorum. Tertiò votum paupertatis eſt perpetuum cum emittatur pro tota vita; & in Epiſcopo non eſt, à quo expellatur, quia pro adminiſtratione Epiſcopatus ſufficit ſolus vſus, & adminiſtratio diuitiarum, abſque dominio. Denique; Quia in voto ſolemni diſpenſari non poteſt: quia ſolemnitas in voto eſt de iure diuino.

3 In oppoſitum tamen ſunt plures graues Doctores cenſentes Epiſcopos Regulares abſolui à voto paupertatis. Ita tenent Medina De Sacr. homin. cont. lib. 5. cap. 26. & 27. Angles in 4. quæſt. De Voto dub. 6. concluſ. 1. Ouand. diſtin. 38 propoſit. 17. Sotus lib. 7. De Iuſt. & Iure quæſt. 4. art. 2 ad vltimum, & lib. 10. quæſt. 5. art. 7. ver. Dicendum ergo. Palat. in 4. diſt. 48. diſp. 1. Vaſquez 1. 2. diſput. 165. cap. 8. num. 91. & num. 104. & cap. 3. de Redditib. Eccleſ. num. 27. Gratian. Regul. 320. num. 4. Alphonſus de Leone De offic. confeſſ. par. 1. Reſolut. 11. num. 178. Marquez. lib. De origine Erem. Auguſt. cap. 6. §. 4. & 5. Hurtad. 2. 2. diſp. 160. ſeq. 5. ſubſect. 3. §. 54. & ſequentib. Diana par. 3. tract. 2. de dub. Regul. reſol. 50. & par. 5. tractat. 2. De poteſt. & priuileg. Cardinal. Reſol. 64. & tract. 8. Reſol. 31. ver. Dico igitur. Cœleſtin. in Compend. Theol. mor. tract. 6. cap. 7. vero vltimo. Et probabile putat Villalobos tom. 2. ſum. tract. 35. difficult 40. num. 6. aſſerens, hanc fuiſſe ſententiam Bobadillæ.

4 Et huic ſententiæ ego adhæreo, abſque vlla formidine, quia omnino veram cenſeo. Et primum eius fundamentum ſumitur ex Cap. Statutum 18. quæſt. 1. Quod ſic habet Statutum eſt, & rationabiliter ſecundùm Sanctos Patres à Synodo confirmatum, vt monachus, quem canonica electio à iugo monaſticæ profeſſionis abſoluit, & ſacra ordinatio de Monacho Epiſcopum facit, velut legitimus hæres paternum ſibi hæreditatem poſtea iure vendicandi poteſtatem habeat: ſed quid acquiſierat, vel habere viſus fuerat, monaſterio relinquat, & Abbatis ſui, qui fuerat ſecundùm regulam S. Benedicti, arbitrio. Poſtquam enim Epiſcopus ordinatur; ad altare, ad quod ſanctificatur, & titulatur, ſecundum ſacros Canones quicquid acquirere poterit reſtituat.

5 In hoc autem text. nonnulla ponderanda ſunt. Et primò quòd Monachus factus Epiſcopus abſoluitur à iugo regulæ Monaſticæ profeſſionis: ergo etiam à voto paupertatis; quia iugum Monaſticæ profeſſionis non conſiſtit in regularibus obſeruantijs; quia hæ non pertinent ad ſubſtantiam profeſſionis monaſticæ, ſed tantùm ſunt quid acceſſorium ſubſtantiæ, & integrale; ſubſtantia verò conſiſtit in votis; vnde non poſſet dici abſolutus à iugo, niſi abſolueretur ab eo, in quo conſiſtit ſubſtantialiter iugum: ſicut non diceretur quis abſolutus

lutus

lutus à peccatis, ſi abſolueretur ſolùm à venialibus, & non à mortalibus.

6 Secundò ponderanda ſunt verba illa *Legitimus hæres, & ſibi vendicādi*; Quę denotant proprietatem dominij: *eſſe* enim *legitimum hæredem* dicit ius proprium ad hæreditatem; & *ſibi vendicari* dicit capacitatem acquirendi dominium; ly enim, *ſibi*, ſtat intranſitiuè: ius autem, & capacitas dominij non ſtant cum voto paupertatis. Confir. Non poteſt dici de Monacho quòd ſit legitimus hæres; nã ſecùndum ius non ipſe eſt verus hæres, ſed monaſterium; nec quòd ſibi acquirat, cum quicquid acquirit, Monaſterio acquirat: ergo cum hæc de Epiſcopo Regulari dicantur, oportet, vt ab eo ſit ablatum illud impedimentum, ob quod de Monacho dici non poſſunt.

7 Quod inſuper ex eo declaratur: Quia Pōtifex dat aliquando facultatem teſtandi Epiſcopis Regularibus de bonis iure hæreditario acquiſitis: nunquam tamen de bonis Eccleſiæ; quod eſt ſignum quòd bona acquiſita acquiruntur nomine proprio ipſius Epiſcopi, nō autem nomine Eccleſiæ.

8 Nec obſtat particula *velut*, quaſi diminuat de legitimo hærede; nam expreſſiua eſt legitimitaris; ſenſus enim eſt. Sibi vendicare hæreditatem paternam tanquam ille, qui eſt legitimus hæres. Sic etiam Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius gloriam quaſi vnigeniti*, non enim ſequitur quod non ſit propriè vnigenitus, ſed ſenſus eſt, *Tanquam illius, qui eſt vnigenitus.*

9 Tertiò ponderanda ſunt verba. *Quem ſacra ordinatio de Monacho Epiſcopum facit.* Significant enim trāſitum de Monachatu ad Epiſcopum, ſeu conuerſionem Monachi in Epiſcopum: atque adeo commutationem ſtatuum. Quando autem fit tranſitus de vno ſtatu ad alium, ſeu conuerſio vnius in aliud, deſinit eſſe id, quod conuertitur; vt patet quando panis conuertitur in Corpus Chriſti: & relinquitur ſtatus, à quo fit tranſitus: vt cum quis ſæcularis fit Monachus; ergo deſinit eſſe etiam ſtatus Monachatus in Epiſcopo Regulari: atq; adeo etiam votum paupertatis.

10 Nec dici poteſt quòd ſtatus monachatus ſubordinetur Epiſcopali ſtatui: Quia non diceret tex. *De monacho Epiſcopum facit*; quia hic modus loquendi ſignificat in hac commutatione ſtatuum, monachatum habere rationem termini à quo, & quòd loco illius ſuccedat ſtatus Epiſcopalis; vnde debet recedere monachatus, vt loco illius ſuccedat Epiſcopatus. Et conſtat etiam, non ſubordinari: quia monachus de nullo poteſt diſponere, non habet proprium velle, aut nolle, tenetur ad regulas ordinis, & multoties ſub mortali; quorum oppoſita reperiuntur in Epiſcopo: vnde potius opponitur quàm ſubordinetur.

11 Quartò ponderandum eſt illud *Secundum ſacros Canones, quicquid acquirere poterit reſtituat altari.* Illud enim *reſtituere altari* ſignificat quòd prius quicquid acquirit, faciat proprium: deinde iuxta præſcriptum Sacrorum Canonum debet altari reſtituere. Quòd ſi non ſolueretur voto paupertatis, ex natura rei, quæ acquirit, eſſent Eccleſiæ; vnde non opus eſſet, vt id per Sacros Canones ſanciretur: Pro quo ſciendum eſt, quòd tempore illo, quo hic Canon ſancitus eſt, vigebat obligatio, qua omnes Epiſcopi tam Regulares, quàm ſæculares tenebantur omnia, quæ acquiſiſſent, propriæ Eccleſiæ relinquere; & ideo præſens Canon hoc attendens ait quòd quæ acquirit Epiſcopus, vt legitimus hæres, reſtituat Eccleſiæ: & ita notat Marquez *ſupra cit.*

12 Præterea eadem ſententia confir. etiam ratione. Epiſcopus enim eſt ſponſus Eccleſiæ: vnde tranſit in eamdem ſortem cum ipſa, in qua ſimul communicat: ergo ſi penes Eccleſiam eſt dominium bonorum Eccleſiaſticorum, Epiſcopus communicat in hoc dominio: atq; adeo ſoluitur voto paupertatis. Confir. Epiſcopi ſæculares non alia ratione acquirunt dominium horum bonorum, niſi quia fiunt Epiſcopi; quia ius dominij ad talia bona eſt intrinſecum titulo Epiſcopatus: ergo etiam Regulares acquirent hoc ius: atque adeo ſoluentur voto paupertatis. Accedit etiam quòd Eccleſia, ſecùndum ſe, non eſt capax dominij; nam capacitas dominij eſt propria tantùm naturæ rationalis, cum dominium dicat poteſtatem liberè diſponendi: quæ ſolùm poteſt eſſe apud rationalem naturam; cum ergo dominium ſit apud Eccleſiam, debet eſſe ratione illorum, qui ſunt capaces dominij: hi autem ſunt illi, ad quos ſpectat adminiſtratio Eccleſiæ: atq; adeo Epiſcopi, reſpectu Eccleſiæ Epiſcopalis; vnde debent conſtitui capaces: atque adeo ſolui voto paupertatis.

13 Quod etiam declaratur ex facultate, quam habet diſponendi de fructibus ſuæ Eccleſiæ: habet enim tam amplam facultatem diſponendi de ipſis, quàm amplam habet Epiſcopus ſæcularis; vt concedunt etiam quamplures ex Auctoribus oppoſitæ ſententiæ, quos citat, & ſequitur Sanchez *lib. 6. Sum. in Decal. cap. 6. num.* 14. Quòd ſi hoc non admittatur ex eo, quòd non poſſit diſponere in aliquos vſus, qui minùs congruunt, ſaltem verum eſt, quòd poſſit ad libitum diſponere ad omnes illos vſus, qui non dedecent ſtatum Epiſcopalem: atque adeo facere honeſtas donationes; & ſi magis in hunc, quàm in illum vſum diſponat, nulli facit iniuriam: & tota diſpoſitio eſt apud ipſum independenter à quocunque. Hoc autem eſt eſſe dominum: quia dominium nihil aliud importat, niſi poteſtatem diſponendi pro

di pro

di pro libito de re, quæ eſt ſub dominio, abſq; iniuria alicuius.

14 Neque dici poteſt, Quòd Eccleſia concedat amplam adminiſtrationem ſine dominio; quia hoc implicat in terminis; facultas enim ampla diſponendi de rebus ad libitum, abſque alicuius iniuria, eſt dominium; vnde impoſſibile eſt reperiri huiuſmodi facultatem, abſq; dominio; cum dominium non ſit aliud, quàm ius in rem in ordine ad ipſius diſpoſitionem.

15 Secunda ratio eſt. Quia in Epiſcopo Regulari ceſſat finis voti paupertatis; quia non eſt neceſſarius pro ſtatu Epiſcopali; ideo enim tenentur Regulares emittere votum paupertatis ad hoc, vt liberi à cura rerũ temporalium poſſint diuinis rebus vacare. Hoc autem non habet locum in Epiſcopis, imò oppoſitum; cum debeant etiam rebus temporalibus vacare, & ad ipſos pertineat libera diſpoſitio bonorum Eccleſiæ; vnde cum habeant oppoſitum munus, nedum exemptio à cura rerum temporalium prodeſſet ſtatui Epiſcopali; ſed etiam obeſſet, & eſſet cõtraria fini Epiſcoporum. Ergo cum Epiſcopus tranſeat à ſtatu monachatus ad ſtatum Epiſcopalem, cui nocet effectus voti paupertatis; nempe exemptio à cura rerum temporalium, debet votum ceſſare, tanquam cauſa effectus contrarij ſtatui.

16 Tertia. Si Regularis incapax hæreditatis ex eo, quòd profeſſus eſt in Religione incapaci, aſſumatur ad Epiſcopatum, fit capax hæreditatis, & recuperat ius ſuccedendi; quia tranſit ad Eccleſiam, quæ eſt capax; vt communiter docent Doctores, quos citant, & ſequuntur Sanchez *lib. 7. Decal. cap. 32. nu. 26.* & Hieronymus Rodriquez *in Compend. Quæſt. Reg. reſol. 60. de Epiſcop. num. 8.* ergo etiam recuperat capacitatem dominij: atque adeo abſoluitur voto paupertatis. Conſeq. hæc prob. Tum quia, ſi acquirat hanc capacitatem, quia Eccleſia eſt capax, fit quòd ſequatur conditionem Eccleſiæ tanquam ſponſus, & caput illius; vnde tota capacitas Eccleſiæ debeat transfundi in ipſum: atque adeo etiam capacitas dominij; Tum quia non minùs eſt effectus voti abdicatio capacitatis ſuccedendi in hæreditate, quàm ſit abdicatio dominij: quia tam vnum, quàm alterum eſt materia voti; ſi igitur ius ſuccedendi non extinguitur irrecuperabiliter per votum, ſed tantùm conſopitur, quamdiu Regularis manet ſub illo ſtatu profeſſionis obligatione adſtrictus: neq; irrecuperabiliter extinguetur capacitas dominij, ſed tantùm eodem modo conſopietur. Hæc autem magis confirmabuntur ex dicendis in Deciſionib. *ſequentib.*

17 Ad Primum. Neceſſitas diſpenſandi in voto paupertatis cum Epiſcopis Regularibus conſtat ex dictis; quia cum tranſeant in ſortem ſuæ Eccleſiæ, debent participare vt ſponſi in dominio: & quia debent poſſe ad libitum diſponere de fructibus Eccleſiæ, abſque alicuius iniuria.

18 Ad Secundum. Non manere Epiſcopum Regularem verum Religioſum: quia mutat ſtatum Religionis cum ſtatu Epiſcopali, vt patet ex dictis: qui, vt ſtatus perfectior, excludit minus perfectum. Quod ſi habitum Religionis geſtat, id fit in honorem ſui ordinis, non autem quia permaneat Religioſus.

19 Ad Tertium. Votum paupertatis eſſe perpetuum conditionatè; nempe ſi non commutetur, aut diſpenſetur; quia autem in Regulari facto Epiſcopo ſtatus Religionis mutatur in ſtatum perfectiorem Epiſcopalem: ideo etiam votum paupertatis extinguitur; ſeu potius commutatur in obligationes proprias Epiſcopi. & hæc commutatio eſt neceſſaria, cum debeat Epiſcopus habere dominium, & liberam diſpoſitionem bonorum Eccleſiaſticorum, vt iam conſtat ex dictis.

20 Ad Quartum. Communiter non admitti, quòd Pontifex non poſſit diſpenſare in voto ſolemni; volunt enim, huiuſmodi votum eſſe diſpẽſabile; & ita tradit Sanchez plures alios afferens *lib. 5. in Decal. cap. 2. num. 1.* & *lib. 8. de Matrimon. diſp. 8. num. 7.* Nec item ſolemnitas eſt de iure diuino, ſed de iure eccleſiaſtico, vt idem Sanchez cum pluribus alijs tradit *lib. 7. de Matrimon. diſp. 25. num. 2.* Vaſquez 1. 2. *diſp. 195. cap. 2. & ſequentib.* præſertim 7. & 8. Ribadeneira *cap. 15. de Inſtituto Societatis Ieſu*, & ita declarauit Bonifacius VIII. vt habetur in Cap. *Vnico de Voto in 6.*

An Epiſcopus Regularis abſoluatur à voto obedientiæ.

Deciſio CCLXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus Regularis non abſoluitur à voto obedientiæ ex communiori opinione.*

2 *Quibus fundamentis nitatur.*

3 *Epiſcopus Regularis abſoluitur à voto obediẽtiæ.*

4 *Non poteſt Epiſcopus Regularis abſolui à iugo monaſticæ profeſſionis, niſi abſoluatur à voto obedientiæ.*

5 *Quodnam ſit iugum Regularis profeſſionis.*

6 *Eximi ab obedientia Superiorum, non eſt Regularem abſolui à iugo.*

7 *Manente voto obedientiæ, etiam reſpectu Pontificis, Epiſcopus Regularis non eſſet abſolutus à iugo.*

8 *Epiſco-*

8 *Epiſcopus Regularis extrahitur à ſtatu Monachali.*

9 *Votum obedientiæ impediret, ne Epiſcopus fieret ſponſus Eccleſiæ.*

10 *Obligatio voti obedientia non eſt compoſſibilis cum obligatione Epiſcopali.*

11 *Quia Regularis Epiſcopus abſoluitur voto, ſuis Superioribus obediendi, ſimpliciter abſoluitur.*

12 *Obligatio voti obedientia, ſi ceſſat, totaliter ceſſat.*

13 *Ideo ceſſat aut reſpectu omnium Superiorum, aut reſpectu nullius.*

14 *Quomodo votum obedientiæ Regularis ſit etiam reſpectu Pontificis.*

15 *Quomodo Pontifex poſſit præcipere Regularibus ratione voti obedientia.*

16 *Epiſcopus Regularis ceſſat eſſe membrum Religionis: vnde ceſſat etiam nexus cum ipſa, & ius ad communem vitam.*

17 *In Epiſcopo Regulari ceſſat materia voti obedientiæ.*

18 *Epiſcopus Regularis eſt omnino extra regulam.*

19 *Cur in Epiſcopo Regulari ceſſet materia voti obedientiæ.*

20 *Per Cap.* de Monachis 16. quæſt. 1. *monachi non debent miniſtrare ſacramenta, ſepelire, &c.*

21 *Generales Regularium non mutant ſtatum.*

22 *Votum obedientiæ pugnat cum ſtatu Epiſcopali.*

1 NOn abſolui docent communiter D. Tho. 2.2. *quæſt.* 88. *art.* 11. *ad* 4. & *quæſt.* 185. *art.* 8. *in corpore, & ad* 3. & *in* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 4. *quæſtion.* 1. *ad* 5. D. Bonau. *art.* 2. *quæſt. vlt. ad vlt.* Palud. *quæſt.* 4. *art.* 4. *concluſ.* 11. Riccar. *art.* 9. *quæſt.* 1. *ad* 1. *pro* 2. *parı.* Maior. *quæſt.* 20. *argum.* 3. *contra* 1. *concluſ.* Supplem. Gabr. *quæſt.* 1. *art.* 1. Palat. *diſp.* 1. Caier. 2.2. *quæſt.* 185. *art.* 8. *dub.* 2. & *tom.* 1. *opuſc. tract.* 25. *De obligat. & obſeruant. præcept. quæſt.* 2. Arragon. 2.2. *quæſt.* 88. *art.* 11. Syluius *quæſt.* 185. *par.* 8. *concluſ.* 2. Conich. *diſp.* 27. *De Fide, Spe &c. dub.* 11. *num.* 201. Valent. *tom.* 3. *diſp.* 10. *quæſt.* 3. *puncto* 8. *ver. Secundo certum eſt* Vaſquez 1.2. *diſp.* 165. *cap.* 8. *num* 93 D. Anton. 3. *par. tit.* 20. *cap.* 2. §. 2. Nauarr. *lib.* 3. *conſil. tit. De Regular. conſil.* 15. *num.* 11. *prima edit.* & *titul.* 2. *De Donat. conſil.* 6. *num.* 11. & *lib. De redditib. quæſt.* 1. *monit.* 9. *num.* 1. Angel. *verbo* Monachus *num.* 7. Syluester *verbo* Religio 6. *quæſt.* 10. Roſel *verbo* Religio 1. *numer.* 7. Armilla *verbo* Epiſcopus *num.* 8. Sà *ibid. num* 11. Rodriquez *tom.* 2. *ſum. cap.* 10. *nu.* 4. & *tom.* 2. *Quæſt. Regal. quæſt.* 58 *art.* 3. Ledeſma *tom.* 2. *ſum. tract.* 10. *cap* 8. *difficult.* 3. *verſus finem in reſpon. ad* 3. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 7. *quæſt.* 1. Sotus *lib.* 10. *De Iuſt. & Iure quæſt. vlt. art. vlt. ver. De ſingulis ergo* Henriquez *lib.* 10. *De Sacrum. ordin. cap.* 23. *num.* 5. & *cap.* 33. *in fine* Leſſ. *lib.* 2. *De Iuſt. & Iure cap.* 40. *dub.* 14. *nu.* 113. Toler. *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 24. Valer. *in Differeat. vtriuſque fori verbo* Regularis *differ.* 5. Lauret. de Franchis *in controuer. quæſt.* 112. Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 6. *num.* 2. Suarez *tomo* 4. *De Relig. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 4. & *cap.* 17. *num.* 1. Diana *par.* 3. *tract.* 2. *De dub. Regul. Reſolut.* 61. Fauſtus. *lib.* 6. *Theſauri Religioſ. quæſtio.* 171. *edit. vlt. Neapol.* Hieronym. Rodriquez *in Compend quæſt. Regal. Reſol.* 60. *De Epiſcop. num.* 4. Portel. *in dub. Regular. verbo* Epiſcop. *num.* 11. Ioann. à Cruce *lib.* 1. *De ſtatu Relig. cap.* 2. *dub.* 4. *concluſ.* 2. Fernandez *par.* 4. *Exam. Theol. cap.* 7. §. 1. *num.* 3. Lezana *par.* 1. *quæſt. Regular. cap.* 17. *num.* 2. & 3. Lopez Texeda. *lib.* 2. *controuer. moral. tract.* 1. *controuer.* 1. *num.* 15. Couarru. *cap.* 1. *num.* 18. *De teſtamen.* Bald. *auth. Licentiam. num.* 3. *C. De Epiſcop. & Cler.* Nicolaus de Vbaldis *De ſucceſſ. ab in teſt. De ſucceſſ Regal. part.* 1. *num.* 4. Pacian. *conſil.* 132. *num.* 56. *volum.* 1. Angel. *De Meliorationib. lib.* 1. *Gloſ.* 3. *num.* 14. 2. *Edition.* Gullielm. Benedic. *in* Cap. *Raynutius verbo* Mortuo itaque teſtatore 1. *num.* 301. Turrecrem. *in Cap. De Monachis* 16. *quæſtio.* 1. *num.* 3. Vbi etiam Gloſ. Corduba *in Reg. D. Francıſ. cap.* 2. *quæſt.* 20. *punc.* 3. Palaus *par.* 3. *tract.* 16. *diſput.* 4. *De voto obedient. puncto* 24. *num.* 1. & 2.

2 Prob. ex Cap. *De Monachis.* 16. *quæſt.* 1. vbi ſtatuitur; Monachos, qui ad Clericatus ordinem peruenerint, non debere à priori propoſito recedere. Secundò Generales Religionum nulli ſubduntur præterquam Romano Pontifici: & tamen, etiam ſi ſint perpetui, non abſoluuntur a voto obedientiæ: ergo nec Epiſcopi Regulares licet eximantur ab obedientia Prælatorum Regularium. Tertiò Cum Papa ſit Generalis vniuerſalis omnium Religionum, votum obedientiæ obligans Religioni, obligat etiam Pontifici, & ideo manet erga Pontificem in Regulari aſſumpto ad Epiſcopatum. Quarto Votum obedientiæ non pugnat cum ſtatu Epiſcopali; ergo cum Pontifex non poſſit abſque cauſa in ipſo diſpenſare, dicendum eſt quòd non diſpenſet.

3 Oppoſitam ſententiam tradunt Medin. *De ſacra hominis continent. lib.* 5. *cap.* 26 & 27. Angles *in* 4 *par.* 2. *quæſt. de Voto art* 2. *dub.* 5. *concluſ.* 1. Quand. *diſtin.* 38. *propoſ.* 17. Hurtad. 2.2. *volum.* 2. *de Spe, & Charit. diſp.* 160. *ſect.* 5. § 65. Bobadilla, vt teſtatur Villalobos in *ſum. tom.* 2. *tract.* 35. *diff.* 40. *num.* 6. qui etiam hanc ſententia probabilem putat.

4 Licet prior ſententia plures auctores habeat, magis tamen placet poſterior, vt loquens congruentiùs pro ſtatu Epiſcopali, & quæ meliùs fundari poteſt: vnde ipſam tenendam exiſtimo. Et confir. ex Cap. *Statutum* 18. *qu.* 1. ibi enim dicitur de Monacho Epiſcopo creato.

creato. *Quem canonica electio à iugo Monaſticæ profeſſionis abſoluit.* Quomodo autem abſolueretur à iugo monaſticæ profeſſionis, ſi in ipſo remaneret votum obedientiæ: cum formalis ratio iugi in Regulari ſit ratione voti obedientiæ, quod facit, vt cœtera onera portari debeant?

5 Nec dici poteſt quòd per iugum intelligatur obſeruantia regularum, à qua abſoluitur; quia hæc non eſt verum iugum; ſed ipſa obligatio ex voto; cum hæc ſit ſubſtantia iugi, qua manente non poteſt dici abſolutus à iugo, quia manet principale iugum: ſic ſi quis damnatus ad carcerem, obtineret vt egrederetur carcerem, ſi remaneret obligatus carceri, non diceretur abſolui à carcere. Sic etiam monachus degens extra clauſtra, quamuis abſoluatur ab obſeruatione regulæ à ſuo Superiore, non tamen dicitur abſolutus à iugo monaſticæ profeſſionis. Non enim abſolui eſt tantùm non ſubjci oneri, à quo abſoluitur; ſed etiam tolli obligationem, vt ſubjciatur; nec quis eſſet abſolutus à peccatis niſi ab ipſo tolleretur obligatio ad pœnam æternam.

6 Nec item dici poteſt abſolutus à iugo, quia eximatur ab obedientia Superiorum Religionis: quia hoc non eſt abſolui. Abſoluere enim eſt tollere id, quod ligat; ergo cum votum obedientiæ ſit illud, quod ligat, non poteſt abſolui, niſi ipſum tollatur. Nec ſufficit, quòd tollatur reſpectu Superiorum Religionis; quia ſi manet reſpectu Pontificis, teneretur adhuc monachus manet ligatus eodem iugo: & eadem obligatio manet in ipſo: non enim vllo pacto ceſſat in ſe, quamuis ſit tantum reſpectu Pontificis: vnde non eſſet abſolutus à iugo monaſticæ profeſſionis: quia eſſe abſolutum dicit non ſubjci amplius iugo.

7 Quod etiam confir. Generales Religionum, etiam ſi perpetui ſint, non abſoluuntur à iugo monaſticæ profeſſionis, quamuis nulli præterquam Summo Pontifici teneantur obedire. Rurſus, ſi maneret votum obedientiæ in Epiſcopo Regulari reſpectu Summi Pontificis, poſſet Summus Pontifex ipſi præcipere quicquid pertinet ad regulam, ſecundum quam eſt profeſſus, vt plures Auctores oppoſitæ ſententiæ notant: ergo nullo modo eſſet abſolutus à iugo monaſticæ profeſſionis; nam parum refert quòd reſpectu huius, vel illius remaneat iugum, ad hoc, vt non dicatur abſolutus.

8 Secundò confir. ex eodem tex. vbi ſubditur *Et ſacra ordinatio de monacho Epiſcopum facit*: quibus ſignificatur extrahi de ſtatu monachali, & eleuari ad ſtatum Epiſcopalē; nam verba illa important commutationem quamdam de vno in alium ſtatum; quod fieri non poteſt, niſi deſinat votum obedientiæ, ratione cuius nō eſt ſui iuris, ſed ſub iure monachatus. Quod præſertim verum eſt, quia ratione huius commutationis tribuuntur Epiſcopo, quæ non poſſent tribui, niſi eſſet abſolutus à voto obedientiæ, & fieret ſui iuris: vt eſſe legitimum hæredem, & ſibi vendicare paternam hæreditatem: de quibus Deciſ. *præced.*

9 Tertio. Epiſcopus Regularis traditur in poteſtatem ſuæ Eccleſiæ, tanquam ſponſus illius, & quod fit in matrimonio corporali modo corporali, fit ſpirituali modo in hoc matrimonio ſpirituali; ergo debet eximi à poteſtate cuiuſcunque, cui ſubjciatur ratione voti; alioquin non poſſet tranſire in poteſtatem Eccleſiæ, vt ſponſus in poteſtatem ſponſæ: quia non poteſt quis tranſire de poteſtate vnius in poteſtatem alterius, niſi deſinat eſſe ſub poteſtate illius: præſertim quia Regularis totaliter ſubjcitur ratione voti, quia ſubjcitur ſecùndum omnem ſui voluntatem, & ſecùndum omne ſuum ius. Confir. Obligatio voti obedientiæ facit, vt Regularis teneatur obedire ſecùndum omnia ea, quæ ſunt contra latitudinem regulæ; quæ tamen ſi præciperentur, eſſent impeditiua muneris Epiſcopalis; non poteſt autem Epiſcopus obligari ad ea, quæ ſunt impeditiua ſui muneris, ſtante vinculo matrimonij ſpiritualis, ratione cuius obligatur ſuæ Eccleſiæ: ergo nec poteſt manere in ipſo obligatio ad obediendum.

10 Dices, Sufficere, ſi eximatur ab obedientia ſuorum ſuperiorum. Sed contra. Licet eximatur ab obedientia ſuorum Superiorum; dum tamen manet obligatio voti, manet obligatus regulæ quantum eſt de ſe: & vt aſſerunt auctores oppoſitæ ſententiæ, poſſet Pontifex ipſi præcipere quicquid pertinet ad regulam; talis autem obligatio eſt contra ſtatum ſponſi Eccleſiæ, quia impediret, ne poſſet ſe tradere Eccleſiæ, vt ſponſæ. Deinde tranſit ſub poteſtatem Pontificis, vt paſtor inferior ſubordinatus: ergo non amplius ipſi ſubjcitur, vt monachus; quia ſubiectio monachalis eſſet contra ios, quod acquirit reſpectu Pontificis, vt tractetur tanquam paſtor, & ſponſus Eccleſiæ: vnde non poteſt Pontifex præcipere, quæ ſunt extra ſtatum Epiſcopalem, quia iam acquiſiuit iura Epiſcopalia; vnde non poteſt manere obligatus vltra obligationem ſtatus Epiſcopalis.

11 Quartò. Religioſus Epiſcopus abſoluitur à voto obedientiæ, reſpectu ſuorum Superiorum Regularium: ergo ſimpliciter, & abſolutè abſoluitur. Tum quia votum iſtud conſiſtit in indiuiſibili, ita ut reſpiciat vt tale eſt, & vt habens vim obligandi, Superiores Regulares: & talis vis intrinſeca ſit voto; vnde non poteſt ceſſare obligare, niſi etiam ceſſet in ſe ipſo; Tum quia votum eſt emiſſum in manibus Prælati Regularis, & nuncupatum ad ipſi obedien-

obediendum; vnde non poteſt ceſſare obligatio, niſi ceſſet votum: quia quandiu manet, durat vt ipſi nuncupatum; nam tale durat, quale fuit emiſſum.

12 Dices Votum iſtud non ſolùm obligare, reſpectu Prælatorum Religionis, ſed etiam reſpectu Summi Pontificis, cum ſit vniuerſaliſſimus Generalis omnium Religionum. Contra Iſtud votum eſt tantùm vnum indiuiſibile, quia reſpicit Prælatos Religionis, vt ſubordinatos Papæ: & dicit vnam, & eamdem obligationem indiuiſibilem: ergo non poteſt obligatio voti ceſſare, niſi ceſſet totaliter; nam ceſſare reſpectu Prælatorum Religionis, & non reſpectu Pontificis, diceret quòd Pontifici eſſet nuncupatum, ſeorſim à Prælatis; quod tamen eſt falſum: & ſicut non poteſt obligari Religioni, niſi etiam obligetur Pontifici; ita nec Pontifici vt ſummo Generali, niſi etiam obligetur Religioni.

13 Deinde. Pontifex, & Prælati Religionum in ordine ad vota nuncupata ſe habent vt vnus ſuperior, ratione ſubordinationis; ſicut ſe habent etiam Generales, & alij Prælati inferiores; ergo votum aut ceſſat reſpectu omnium, aut reſpectu nullius. Sic non poteſt ceſſare reſpectu Prælati inferioris, niſi etiam ceſſet reſpectu Generalis.

14 Rurſus. Votum obedientiæ per ſe primò nuncupatur Religioni, & Prælatis ipſius, & Pontifici ſolùm ratione Religionis: atq; adeo non nuncupatur ipſi immediatè; ſed tantùm mediante Religione; ergo ſi ſoluitur reſpectu Religionis, ſoluitur etiam reſpectu Pontificis, quia Pontifex ipſum ſibi non vindicat, niſi, vt Generalis ſummus: atque adeo mediante Religione, & Prælatis ipſius.

15 Præterea Pontifex non habet auctoritatem ſupra Religioſos, ratione voti obedientiæ, quod emittunt, niſi intra fines Religionis; vnde non poteſt ipſis præcipere aliquid extra regulam, nec vt Generalis Religionis Dominicanæ poteſt præcipere aliquid Franciſcano, ſed tantùm, vt Generalis Franciſcanæ; ergo ſolùm per auctoritatem, quę eſt intra fines Religionis, quatenus religio in ratione talis Religionis conſtituet Pontificem, vt caput participans auctoritatem, & ius Religionis erga Religioſos. Religioſus autem factus Epiſcopus abſoluitur totaliter à iure Religionis, quod habet ſupra ipſum: atque adeo à ſubiectione reſpectu eorum omnium, qui participant de hoc iure; alioquin niſi abſolueretur à iure Religionis, neque abſolueretur à poteſtate eorum, in quibus tale ius reſidet; quia cum ius Religionis ſubijciat ſibi Regularem, ſubijcit reſpectu eorum omnium, in quibus reperitur; & cum ius ſit vnum & idem in omnibus, non poteſt vni ſubijcere, & non alij.

16 Quintò, Regularis Epiſcopus deſinit eſſe membrum ſuæ Religionis, quia fit caput ſpecialis Eccleſiæ, & vnus ex Principibus Eccleſiaſticis; vnde non eſt amplius in ſtatu, vt recipere poſſit influxus capitis Religionis, qui tantùm membris communicari poſſunt: nec eſt capax ipſorum: & ideo nec etiam Pontifex poteſt in ipſum influere vt caput illius Religionis præcipiendo in virtute voti obedientiæ; quia talis poteſtas ſe extendit tantùm ad membra: atque adeo extinguitur in ipſo id, per quod conſtituebatur membrum: nempe ius communicandi cum alijs in ijs, quę ſunt Religionis, propter votũ obedientiæ, in quo eſſentialiter eſt tale ius. Confir. Dum deſinit eſſe membrum, debet etiam ceſſare compaginatio, qua, vt membrum cum corpore compaginatur: hæc autem compaginatio eſt ipſum votum obedientiæ, quo ſe ipſum obligat Religioni, & e contra Religio ipſi. Confir. ſecundo. Regularis Epiſcopus amittit ius in communi viuendi cum cœteris ſuæ Religionis: Ergo ſoluitur contractus inter ipſum, & Religionem factus in profeſſione, quo acquiſiuit tale ius: Ergo ſoluitur etiam votum obedientiæ, in quo conſiſtit talis contractus. Si autem ſoluitur, neque reſpectu Pontificis manet.

17 Sexto. Materia voti obediẽtiæ ſunt tantùm ea, quæ ſunt ſecùndum regulam; vnde Prælatus Regularis non poteſt in virtute voti præcipere quæ ſunt extra Regulam, etiam ſi ſint ſecùndum Regulam alterius Religionis; quia Regularis ad ea ſe non obligauit: ergo in Epiſcopo Regulari ceſſat materia voti: atq; adeo etiam votum: quod ſemper ceſſat, quando ceſſat materia. Conſeq. prob. quia Epiſcopus Regularis eſt extra regulam: abſoluitur enim à iugo monaſticæ profeſſionis, vt in Cap. *Statutum* 18. *quæſt.* 1. nec in ipſo regula poteſt habere locum; quia importat normam viuendi ſecùndum ſtatum regularem, quæ incompoſſibilis eſt cum ſtatu Epiſcopali; Quia licet aliqua ſint compoſſibilia, plurima tamen ſunt incompoſſibilia; quæ ſufficiunt, vt regula ſit incompoſſibilis; neque enim conſiſtit in illis paucis compoſſibilibus; & ſtatus Epiſcopalis omnino diuerſus eſt à ſtatu regulari, prout importat modum viuendi ſecùndum regulam: cum habeat diuerſos fines, & diuerſa munera; dum autem eſt extra regulam, ceſſat reſpectu ipſius materia voti; quia ceſſante regula, ceſſant etiam ea, quæ ſunt ſecùndum regulam.

18 Nec dici poteſt quòd non ſit omnino extra regulam; quia ſi eſt ab ea abſolutus, eſt omnino extra ipſam: præſertim quia non poteſt ceſſare regula, niſi in totum ceſſet; cum importet talem determinatum modum viuendi conſti-

conſtituendum talem ſtatum regularem.

19 Nec item dici poteſt quòd licet non obligetur regula, obligetur tamen voto: quia nec votum ſubſiſtit ceſſante materia voti; ex eo autem, quòd ceſſat obligatio regulæ, & modus viuendi regularis, ceſſat etiam materia voti, quæ ea tantum complectitur, quæ ſunt ſecùndum regulam.

20 Ad 1. autem ex Cap. *De Monacis* reſp. illum canonem non loqui de Epiſcopis; ſed tantum de Monachis, qui, Clerici ordinati, vacabant muneribus Clericorum: nempe miniſtrandis Sacramentis, ſepeliendis mortuis, & alijs huiuſmodi: & de his dicitur quòd non debeant à priori propoſito recedere: Quod idem eſt, ac ſi dicatur, non debere huiuſmodi muneribus vacare, cum non ſint propria vitæ monaſticæ; cum hoc ſit recedere à priori propoſito. Et hunc eſſe verum ſenſum ex eo colligitur, quòd Concil. Nicenum, vt refertur in Cap. *anteced. Placuit omnibus*; prohibet Monachis Clericis, ne miniſtrent Sacramentum pœnitentiæ, & ne mortuos ſepeliãt; Et ex Eugenio Papa relato in Cap. *Placuit communi eadem quæſ.* qui prohibet monachis baptizare, viſitare infirmos, mortuos ſepelire, & tranſire ad Eccleſiam ſæcularem.

21 Ad 2. eſſe diſparem rationem; nam Generales non mutant ſtatum, nec abſoluuntur a iugo monaſticæ profeſſionis, nec deſinunt eſſe membra Religionis; vt contingit in Epiſcopis.

22 Ad 3. quomodo abſoluatur Epiſcopus Regularis etiam à voto, vt obligat Summo Pontifici, conſtat ex dictis. Ad 4. Votum obedientiæ pugnare cum ſtatu Epiſcopali iam dictum eſt; cum non poſſit ſtare cum eo, quòd Epiſcopus ſit ſponſus Eccleſiæ: nec cum eo quòd amplius non ſit membrum Religionis, & ceſſet materia voti, ſine qua non poteſt ſtare votum.

An Epiſcopus Regularis abſoluatur à voto caſtitatis.

Deciſio CCLXIX.

SVMMARIVM.

1 *In Epiſcopo Regulari continuatur votum caſtitatis ratione Sacrorum Ordinum, & ſtatus Epiſcopalis.*

2 *Etiam ratione ſtatus Religioſi, ex communiori ſententia.*

3 *Non continuatur ratione ſtatus Religioſi.*

4 *In Epiſcopo Regulari ceſſant omnia, quæ ſunt ſtatus Religioſi.*

5 *In Epiſcopo Regulari ſoluitur contractus initus in profeſſione inter ipſum, & Religionem: vnde deponit obligationem ſuſceptam per talem contractum.*

1 CVm votum caſtitatis ſit annexum nedum ſtatui Epiſcopali, ſed etiam Sacris Ordinibus: dubium eſſe non poteſt, an in Epiſcopo ſit votum caſtitatis cum ea obligatione, cum qua eſt in Religioſis. ſolùm dubitari poteſt, an tale votum permaneat ex vi profeſſionis, an vero ſolùm ratione ſtatus Epiſcopalis, ſeù ratione Sacrorum Ordinum: ita vt ſi votum caſtitatis non eſſet annexum Sacris Ordinibus, adhuc perſeueraret in Regulari facto Epiſcopo.

2 Qui putant non abſolui à voto obedientiæ à fortiori putant neque abſolui à voto caſtitatis, ſed permanere nedum ratione Sacrorum Ordinum, ſed etiam ratione profeſſionis. Eos autem citauimus *Deciſ. præced. num.* 1. Specialiter autem hoc notant Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 6. num.* 1. Suarez *tom.* 4. *De Relig. lib. 3. De Religioſ. mutan. ſtatum. cap.* 15. *num.* 5. Fauſtus in *Theſaur. Religioſ. lib. 6. De voto quæſt.* 171. *edit. Neapolitanæ*, Syluius 2. 2. *quæſt.* 185. *art. 8. concluſ.* 1. Rodriquez *in quæſt. Regul. tom.* 2. *quæſt.* 58. *art.* 3. Sotus *lib.* 10. *De Iuſt. & Iure quæſt* 5. *art.* 7. Valerus *in Different. vtriuſque fori Verbo* Regular. *differ.* 5 cum D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 185. *art.* 8. Rationes pro hac ſententia allatæ, & ſolutæ ſunt *in ſuperioribus*.

3 Oppoſitam tamen ſentẽtiam tenent ij, qui putant Regularem Epiſcopum omnino abſolui à votis Religionis. Angles *in 4. par. 2. quæſt. De Voto ar. 2. poſt difficil.* 13. *dub.* 5. Ouand. *d.* 38. *propoſ.* 17. Medina *De Sacra homin. continent. lib. 5. cap. 26. &* 27. Hurtad. 2. 2. *volum.* 2. *De ſpe, & charit. diſp.* 160. *ſect.* 5. §. 65. *& ſequentib.* & probabile putat Villalob. *in Sum. tom.* 2. *tract.* 35. *difficul.* 40. *num.* 6. vbi ponderat Cap. *Statutum* 18. *quæſt.* 1. & ait hanc fuiſſe ſententiam ſui doctiſſimi Bobadillæ.

4 Hanc ſententiam poſteriorem exiſtimo probabiliorem, propter ea, quæ dicta ſunt *in ſuperioribus Deciſ.* Tum ſecundùm tex. Cap. *Statutum*; Tum ſecùndum rationem. Soluitur enim ſtatus Religioſus, & ſuccedit Epiſcopalis; vnde ceſſant omnia; quæ ſunt de ſubſtantia talis ſtatus. Status enim Religioſus conſiſtit in indiuiſibili, & coaleſcit ex tribus votis; vnde non poteſt conſiſtere, niſi cum omnibus; & ideo, ſi ceſſat vnum votum, deſinit & ipſe, & proinde etiam alia vota; quia ſolùm ſubſiſtũt, vt ſunt vota ſtatus: cum ſint emiſſa pro ipſo ſtatu, & per modum vnius integrationis reſpectu eiuſdem ſtatus.

5 Prætcrea in aſcenſu ad Epiſcopatum ſoluitur contractus initus in profeſſione inter Regularem & Religionem; vnde nec Religio aliquid amplius debet Religioſo, nec Religioſus Religioni: & proinde in Cap. *Statutum* 18. *quæſt.* 1. dicitur Monachus ſolui à iugo monaſticæ profeſſionis, dum fit Epiſcopus. Hinc deponit totam illam obligationem, quam ſuſcepit ſe obligando Religioni; ergo etiam obligationem voti caſtitatis: quia in illo contractu monachus tradit, & obligat ſe ipſum iuxta exigentiam votorum Religioni, & mediante Religione Deo; vnde ceſſante obligatione cum Religione, ceſſat etiam cum Deo: quia obligatio fundatur in eodem contractu indiuiſibili.

An ex natura rei, an vero ex diſpenſatione ceſſent vota Regularium, quando fiunt Epiſcopi.

Deciſio CCLXX.

SVMMARIVM.

1 *Regularis per vota conſecratur Deo.*
2 *Vota ceſſant in Epiſcopo Regulari ex natura rei.*
3 *Quid ſit ſtatus, & quomodo in Epiſcopo Regulari ſtatus Religioſus commutetur in alium.*
4 *Mutatur etiam ſecundum ſubſtantialia.*
5 *Cur ſtatus Religioſus non ſubordinetur Epiſcopali.*
6 *Status Epiſcopalis eſt perfectior Regulari: & quomodo Regularis ſit ſtatus paſſiuus, Epiſcopalis vero actiuus.*
7 *Quilibet poteſt vota propria auctoritate propria commutare in melius.*
8 *Cum Regularis fit Epiſcopus, commutat ſuum ſtatum, atque adeo etiam vota in ſtatum Epiſcopalem, vt meliorem.*
9 *Ingrediens Religionem cenſetur commutare omnia vota in ſtatum Religioſum.*
10 *Quomodo in Regulari ſit voluntas interpretatiua quòd durent vota, quatenus viuit ſub Regula.*
11 *Cur Epiſcopus Regularis acquirat regreſſum ad legitimam, cui expreſsè renunciauit.*
12 *Vota Regularia emittuntur cum dependentia à modo viuendi ſub Regulis.*
13 *Vota Regularium ſunt de materia determinata per Regulam, ſecundum quam profitentur.*
14 *In Epiſcopo Regulari deſinit materia, ad quam ſe obligauit per vota.*
15 *Epiſcopus Regulari non communicat cum corpore Religionis, vnde nec cum Regula, & eiuſdem obligatione.*
16 *Res Sacra poteſt deſinere eſſe Sacra.*
17 *Quomodo in Epiſcopo Regulari deſinat conſecratio facta per vota.*

1 VIdetur Reſp. non ceſſare ex natura rei: quia per vota Regularis conſecratur, & dedicatur Deo: quatenus per ipſa ſe totum tradit in manus Superiorum in honorem Dei; quod autem eſt ſemel conſecratum, & dicatum Deo, ſemper tale manet, quouſque durat ſubiectum.

2 Attamen dicendum eſt. Ex natura rei, abſque alia diſpenſatione ſolui vota Regularium, quando fiunt Epiſcopi. Sequitur ex dictis in *præcedentibus Deciſionib.* & faciunt pro hoc nonnullæ rationes *ibidem* allatæ: & fauet tex. Cap. *Statutum* 18. *qu.* 1. *Quem canonica electio à iugo monaſticæ profeſſionis abſoluit, & Sacra ordinatio de monacho Epiſcopum facit.* Si igitur electio, & ordinatio abſoluunt, & de monacho faciunt Epiſcopum, iam ratione electionis, & ordinationis, & non ratione diſpenſationis abſoluitur.

3 Prætcrea probatur. Cum monachus fit Epiſcopus, fit commutatio ſtatus: ita vt Epiſcopalis ſuccedat Religioſo. Status enim vt deſumitur ex D.Thom. 2.2. *quæſt.* 183. *art.* 1. importat quamdam hominis diſpoſitionem ſecùndum modum ſuæ naturæ factam ex libertate, cum quadam immobilitate, & firmitate: atque adeo obligatione aliqua firmatam; In monacho autem creato Epiſcopo ſuccedit noua diſpoſitio, per quam diſponitur ad alia munera, & noua obligatio: Ergo ex vi noui ſtatus Epiſcopalis deſinit ſtatus Religioſus ex natura rei: atq. adeo, quæ ſunt illius ſtatus; quia deſinit diſpoſitio, & obligatio illius ſtatus; & ſicut in corporalibus, adueniente nouo ſtatu deſinit, prior ea natura rei; ita etiam in ſpiritualibus; quia pluralitas ſtatuum in eodem ſubiecto eſt incompoſſibilis, cum ſtatus diſponat de tota perſona, ſecùndum quamdam menſuram, intra quam debet perſona conſiſtere; non poteſt autem tota perſona diſponi ſecùndum diuerſas menſuras, & addici diuerſis finibus, qui requirant diuerſa media: quia diſpoſitio ſecùndum vnam menſuram diſtraheret diſpoſitionem ſecundum aliam; cum vtraque ſit totalis; ſicut officia ſecùndum vnam menſuram diſtraherent officia ſecundum aliam.

4 Dices, Non mutari ſtatum Regularem ſecùndum ſubſtantialia, ſed tantùm ſecùndùm accidentalia. Contra. Mutatur ſtatus ſecùndum diſpoſitionem perſonæ, & obligationem: quia fit in ipſa alia diſpoſitio, & obligatio: diſpoſitio autem importat ſubſtantiam ſtatus, quia in ipſo formaliter conſiſtit; vnde hac

hac variata, variatur ſtatus ſecùndum ſubſtantialia; quia totaliter deſiuit.

5 Dices 2. Statum Religioſum eſſe ſubordinatum Epiſcopali, & ideo manere ſimul cum ipſo. Contra. Satus Religionis eſt dedicatio hominis facta Deo ſub aliqua regula: quæ abducat à curis ſæculi, & coniungat Deo: vt docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 1. Iſta autem diſpoſitio ſecùndum hanc menſuram non ſubordinatur ſtatui Epiſcopali: quia hæc dedicatio ordinat ad munera incompoſſibilia cum muneribus Epiſcopalibus: diſpoſitiones autē ſubordinatæ reſpiciunt munera ſubordinata, non autem incompoſſibilia: Hinc, ſi eſſet ſtatus ſubordinatus: poſſet ſtare cum ſuo totali exercitio: atque adeo cum exercitio obedientiæ reſpectu Prælatorum Regularium.

6 Deinde ex eodem D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 184. *art.* 7. ſtatus Epiſcopalis eſt perfectior Regulari: quia in genere perfectionis Epiſcopi ſe habent vt perfectiores: nam tendunt ad perficiendos alios: Religioſi autem ſe habent vt perfecti, qnia recipiunt perfectionem, nam ſe perficiunt ſecùndum regulam; vnde ſtatus Religionis eſt ſtatus paſſiuus: ſtatus Epiſcopalis, actiuus. Status autem paſſiuus non ſubordinatur actiuo in eodem ſubiecto; nam ſi ſubordinaretur, reſpiceret ipſum: atque adeo etiam finem ipſius, & ad ipſum ſaltem mediatè ordinaretur; quod dici non poteſt, cum paſſiuum non poſſit ordinari, vt tale ad agendum: nec per id, quod quis conſtituatur in illa diſpoſitione, vt recipiat in ſe perfectionem, conſtituatur aliquo modo in diſpoſitione ordinata ad alios perficiendos. Deinde, ſtatus actiui, & ſtatus paſſiui ſunt oppoſiti; vnde nullò pacto poterunt inuicem in eodem ſubiecto ſubordinari in ordine ad eundem finem.

7 Præterea, Licet vniculque propria vota commutare in melius auctoritate propria, vt tradunt communiter Doctores, quos abundè citat, & ſequitur Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 49. *num.* 4. Et ſumitur ex Cap. *Peruenit* 2. *De iureiurando.*; & ex Cap. *Scriptura De voto*. Et hoc non ſolum habet locum in votis ſimplicibus; ſed etiam in ſolemnibus, quia militat eadem ratio; & quamuis ſolemnia ſubſint ſpeciali poteſtate Eccleſiæ ob ſolemnitatem: quia tamen cenſetur Eccleſia ſemper rationabiliter procedere, cenſetur etiam approbare talem commutationem; vnde in Cap. *Licet De regular.* habetur, quòd licitus ſit tranſitus à latiori ad ſtrictiorem Religionem, etiam ſi non obtineatur licentia petita.

8 Hæc autem commutatio interuenit ex natura rei, cum Regularis fit Epiſcopus: quia cum ſtatus Epiſcopalis ſit maius bonū ex eo, quod eſt magis perfectus, & quod inducit maiorem obligationem, & cedit in maiorem gloriam Dei, propter curam animarum, quæ ſuſcipitur, eo ipſo quòd Regularis conſentit electioni de ſe factæ, cenſetur virtualiter facere talem commutationem; quia ſtatus ſuccedens eum ſecum affert. In priori enim ſtatu Religionis erat ſecùndum ſe totum obligatus Deo ſecùndum menſuram obligationis Religionis: cum autem fit Epiſcopus ſuperuenit obligatio in alio genere, quæ ſimiliter trahit totam perſonam, & obligat Deo: atq; adeo fit commutatio vnius obligationis in aliam meliorem, atque excellentiorem: quia qui tradit aliquod maius, in quo, quod prius debebatur, contineatur, liberatur ex natura rei priori obligatione: ſic qui ſe tradit in ſeruum alteri, liberatur ab obligatione aliorum obſequiorum; nam hæc obligatio tranſit in illam: in obligatione autem Epiſcopali continetur obligatio Religionis, quia per ipſam excellentiori modo obligatur, & dedicatur Deo tota perſona.

9 Confir. Cum quis Religionem ingreditur, omnia vota commutantur in Religionem ipſo facto, quęcumq; illa ſint, quia cōtinentur eminenter in ipſa profeſſione Religionis, tanquam in aliquo meliori: vt tradit communiter apud Sanchez *lib.* 5. *in Decal. c.* 5. *nu.* 38. & 43. cum D. Th. 2. 2. *quæſ.* 88. *ar.* 12. *ad* 1. ex Cap. *Penul. de Regularib. in* 6. vbi habetur ſimplici voto per ſolemne derogari: ergo ſimiliter, cum Regularis tranſit ad Epiſcopatum, ex natura rei commutatur ſtatus Religionis in Epiſcopalem, tamquam in eminentiorem, & maius bonum: cum enim ſit perfectior ſtatus, vt docent communiter cum D. Th. 2. 2. *quæſ.* 184. *ar.* 7. eminentiori modo continet bonum ſtatus Religioſi, quia eminentiori modo perſona Deo dedicatur, & maiori obligatione obligatur, cum obligetur etiam ad profundendam vitam pro ouibus.

10 Tertia ratio principalis. Vota emittuntur à profitente pro ſtatu Religioſo, ſub illa certa regula, atque ex electione illius modi viuendi, quem Religio præſcribit; vnde non ſunt ſimpliciter emiſſa, ſed pro electione ſtatus: & electio ſtatus eſt motiuum vouendi; ita vt non eſſet emiſſurus vota, ſi non ingrederetur illum ſtatum. Si enim vouens interrogaretur, an ita ſe voluerit obligare, vt valeret obligatio, etiam ſi non permaneret intra ſtatum Regularē; certè reſponderet, ſe noluiſſe obligare; Et hoc eſt iuxta naturam votorum, quia ordinantur ad ſtatum conſtituendum; & ideo ille modus viuendi ſecùndum certas regulas, quas præſcribit Religio, eſt ratio, cur Regularis ſe obliget per vota. ergo vota cenſentur emiſſa, ſub virtuali conditione durationis ſtatus ſecùndum modum Regularem viuendi; ita vt ceſſante tali ſtatu per mutationem in meliorem,

liorem, ceſſent vota tanquam dependentia à conditione ſtatus.

11 Confir. Epiſcopus Regularis acquirit ius, & regreſſum ad legitimam, etiam ſi ipſi expreſsè renunciauerit in profeſſione, quia cenſetur renũciaſſe ſub virtuali conditione, quod permanſerit in Religione, vt docent Paſchal. *de Virib. pater. poteſt. par. 1. cap. 3. num. 93.* Genuenſ. *quæſ. 263. Practicab. Eccleſ.* Riccius *par. 1. Prax. reſol.* 152. Molfeſ. *conſil. 1. poſt vol. 1. ad Conſuet. Neapol. num. 21. & 22. & conſil. 39. poſt vol. 2. num.* 25. Et de Cardinal. Regular. docent Laudenſ. *quæſ. 22. de Cardin.* Cuccus *lib. 2. Inſtit. Canon. tit. 4. num.* 111. Ergo ſoluitur etiam obligatione votorum; quia cenſetur illa emiſiſſe, ſub tacita conditione, quòd permanſerit in Religione; quia ſicut renunciatio fit ex electione vitæ Regularis, ita etiam emiſſio votorum.

12 Dices. Vota eſſe perpetua ex ſe, ex inſtitutione Religionis, & intentione Eccleſiæ, & cum conſtituant ſtatum Religioſum, ſecùndum ſubſtantiam, etiam ſtatus eſt perpetuus licet non ſit perpetuus actualis viuendi modus ſub regulis Religionis. Contra. Non conſtat ex intentione Eccleſiæ, & Religionis quòd vota non ſint dependentia ab illo actuali viuendi modo, ſub certis regulis; atq; adeo quòd non ſint ſolubilia, ſoluto illo viuendi modo. Imò oppoſitum deducitur ex Cap. *Statutum 18. quæſ.* 1. vt ponderatum eſt *in ſuperioribus*; & cum vota exigantur ab Eccleſia, & Religione, vt dent firmitatem illi modo viuendi ſub illis regulis, & faciant ſtatum permanentem: fit, vt emittantur cum dependentia ab illo actuali viuendi modo, ſub regulis, tanquam ſaltem à conditione, ſine qua non emitterentur; Imò ille modus viuendi electus facit, vt emittantur vota, ad acquirendam ſtabilitatem; ergo ſi iſte modus viuendi non eſt perpetuus, nec etiam ſunt perpetua vota.

13 Quarta ratio. Vota non emittuntur præciſè, & ſimpliciter à profitente; ſed ſecùndum regulam; vnde materia voti eſt determinata ſecùndum menſuram regulę: & proinde extra illam non obligat. Vnde licet obligatio ſit ex voto, eſt tamen de materia determinata ſecùndum regulam, quæ ſe habet vt obiectum voti ipſum determinans, & veluti ſpecificans; non ſecus, ac in rebus phyſicis, obiectum determinat potentias: & in moralibus obiecta determinant virtutes; ergo cum deſinente materia deſinat etiam votum; ex natura rei deſinent vota in Epiſcopo, quia deſinit in ipſo materia.

14 Quod autem in Epiſcopo deſinat materia, conuincitur ex eo, quòd deſinit regula præfigens, & determinans materiam voti; vnde ſaltem deſinit materia ſecùndum hanc determinationem; ratione autem huius terminationis eſt obiectum voti, & determinat obligationem ipſius, non ſecus ac obiecta virtutum determinant, & ſpecificant virtutes: ſunt enim vota virtutes quædam obligatæ ad exercitium; vnde & obiecta ipſorum ſunt obiecta virtutum determinantia etiam obligationem ex vi menſuræ, quam habent, ergo ex ablatione regulæ, & conſequenter materiæ determinatæ, & propriæ voti, tollitur etiam obligatio voti: quia cum ſit talis determinata obligatio ab intrinſeco ſuo, non poteſt ſubſiſtere, niſi ſubſiſtat cum ſua determinatione.

15 Neque dici poteſt quòd Epiſcopus Regularis non ſit omnino extra regulam; quia cum tollatur obligatio ipſius ad Religionem, & Religionis reſpectu ipſius, deſiuit eſſe membrum ipſius; vnde cum non communicet cum corpore, nec etiam communicat cum regula, quæ non ſe extendit vltra corpus. Et proinde in Cap. *Statutum 18. quæſ.* 1. dicitur abſolui à iugo monaſticæ profeſſionis.

16 Ad rationem in oppoſitum *nu.* 1. allatam. Reſp. Quod eſt ſacrum, & dedicatum Deo, poſſe, quamdiù durat; deſinere eſſe ſacrum, ſi applicetur ad vſus prophanos: vt contingit etiam in noſtro caſu, quando Pontifex diſpenſat in voto ſolemni; ſuper quo poſſe diſpenſare iam magis communis opinio eſt. Ratio eſt, quia cum vota ſint formale conſecratiuum, ijs ablatis deſinit conſecratio: Et ſi arguatur: quòd non poteſt deſinere conſecratio: idem eſt ac ſi dicatur quòd non poſſunt deſinere vota,

17 quod eſt probandum. In caſu autem noſtro non deſinit conſecratio Regularis; ſed alia eminentiori, nempe Epiſcopali, ſuperueniente, deſinit prior. Imo ſicut deſinente forma rei conſecratæ, deſinit conſecratio, ita quia in Regulari facto Epiſcopo deſinit forma rei conſecratæ, nempe regula (nam ſecùndum ipſam conſecratur) ideo deſinit etiam prior conſecratio.

An etiam in Epiſcopis titularibus ceſſent vota, ſicut ceſſant in alijs.

Deciſio CCLXXI.

SVMMARIVM.

1 *Qui cenſeant Epiſcopum titularem teneri votis Religionis.*

2 *Epiſcopi titulares eodem pacto, ac reſidentes ſoluuntur votis.*

3 *Exemptio à votis ſequitur ſtatum Epiſcopalem.*

Status

3 *Status Epiſcopalis conſecrat Deo perſonam ſpeciali modo.*

4 *Epiſcopi titulares habent verum ſtatum Epiſcopalem.*

5 *Habere ſubiectas oues, & exercere munus Epiſcopale per accidens ſe habet ad ſtatum Epiſcopalem.*

1 NOn ceſſare; imò adhuc teneri obligatione obſeruantiarum Regularium docent nonnulli canoniſtæ. Io. Andreas *in Cap. Quod Dei timorem nu. 15. de Statu monachorum.* Cardinal. *ibid. numer.* 5. Hoſtienſ. *num.* 9. Quia exemptio non eſt conceſſa Epiſcopis præcisè ob dignitatem Epiſcopalem; ſed ob munera, & obligationes, quas ſecum trahit talis dignitas, ob exercitium officij paſtoralis; hoc autem non habet locum in Epiſcopis titularibus, quia cum nõ habeant ſubditos, nec etiam exercent officium paſtorale.

2 Hæc tamen opinio, & eſt contra praxim, & nullo pacto tenenda eſt; ſed dicendum cum Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 10. quæſt. 7. in fine* Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 6. num. 27.* Suarez *tom. 4. De Relig. tract. 8. lib. 3. De Religioſis mutantib. ſtatum cap. 17. num. 2. & 5.* Pal. *20 3. par. tractat. 16. diſp. 4. De voto obed. puncto 4. num.* 20. Eſſe eamdem rationem de Epiſcopis titularibus, ac de cæteris, & non ſolùm eximi ab obligatione obſeruantiarum Regularium; ſed ab obligatione votorum, ſicuti eximuntur Epiſcopi, qui habent Eccleſias.

3 Ratio eſt, quia exemptio à regula, & ab obligatione votorum oritur ex mutatione ſtatus; et quia perſona Deo conſecrata per vota, alio modo conſecratur Deo in Epiſcopatu; nam conſtituitur ſpecialis miniſter Chriſti in ordine Hierarchico Eccleſiæ, & communicat cum ſupremo capite in officio Paſtoris, qui modus conſecrationis eſt ſublimior; vnde cõſtituit etiam ſtatum ſublimiorem, & perfectiorem, qui habet annexas ſuas ſpeciales obligationes, & præcipuè ponendi animam pro ouibus. Hinc indecens eſſet, quòd qui eſt in ſtatu ſublimiori, & perfectiori, & eſt caput Eccleſiæ, ſubderetur inferioribus, & obligationibus ſtatus inferioris.

4 Hæc antè omnia militant etiam in Epiſcopo titulari, quia cum ſit verè Epiſcopus habens eamdem poteſtatem ordinis, habet etiam verum ſtatum Epiſcopalem, & verè in illo ſtatu conſecratur Deo, fit verus Paſtor: atque adeo ſpecialis Miniſter Chriſti, & poteſt exercere omnia Epiſcopalia. Vnde ſunt ipſi debita omnia quæ ſunt de integritate ſtatus Epiſcopalis, vt eſt exemptio ab obligatione votorum, & multo magis obſeruantiarum regularium.

5 Nec obſtat quòd non habeat oues ſubiectas: quia hoc per accidens eſt, nec tollit, quin Epiſcopus titularis habeat veram dignitatem, & ſtatum Epiſcopalem: ſi quidem habere oues ſubiectas non conſtituit ſtatum Epiſcopalem; ſed eſt quid conſequens tanquam materia, circa quam Epiſcopus poteſt exercere ſuum munus. Nec item quòd actu non exerceat munus Epiſcopale, cum tale exercitium conſequatur dignitatem, & ſtatum Epiſcopalem, non autem ipſum conſtituat, ſed per accidens ſe habeat.

An Religioſi Sanctæ Mariæ de Mercede aſſumpti ad Epiſcopatum obligentur voto de redimendis captiuis.

Deciſio CCLXXII.

SVMMARIVM.

1 *Votum de redemptione captiuorum videtur permanere in Epiſcopo ex ordine Mercedis.*

2 *Non tamen permanet.*

3 *In Epiſcopo ceſſat materia huius voti, & quænam illa ſit.*

4 *Hoc votum tendit immediatè in bonum Religionis.*

5 *Si tenderet immediatè in bonum Chriſtianitatis votum de redimendis captiuis Ordinis de Mercede, non obligaret Epiſcopos aſſumptos, ex Ordine.*

1 HAec materia de votis particularium Religionum magis in particulari expendenda eſt, conſiderando quædam ſpecialia vota, quale eſt illud Religioſorum Sanctæ Mariæ de Mercede, quod emittunt de incumbendo redemptioni captiuorum. Et videtur tale votum permanere in Epiſcopis aſſumptis ex illo ordine, nam non eſt votum, quod tendat ad bonum commune Religionis, quod ideo ceſſare debeat: quia ad Epiſcopum non pertinet amplius procurare bonum Religionis, cùm ab ipſa ſeparetur, & conſtituatur in alio ſtatu, ſed eſt votum ordinatum ad bonum totius Chriſtianitatis; & ideo videtur permanere etiam in Epiſcopo; quia non ceſſat in ipſo obligatio procurandi bonum Chriſtianitatis.

2 Tenendum tamen eſt quòd ceſſet huiuſmodi votum, vt notat Palaus *3. par. tract. 16. diſp. 4. De Voto obedient. punc. 24. num. 6.* & militant rationes, quibus in Superioribus diximus ceſſare ſpecialia vota Religioſorum.

3 Hoc enim votum eſt ordinatum ad confir-

maudam obligationem illius regulæ quæ ſimul cum tota regula aſſumitur ſeruanda à profitentibus; vnde habet pro obiecto obſeruationem regulæ, quò ad illam partem, qua obligat incumbere redemptioni captiuorum; in Epiſcopo autẽ ceſſat obligatio regulæ, quia iam eximitur ab ipſa; ergo etiam votum, quo confirmatur huiuſmodi obligatio, nam ceſſaute materia voti ceſſat etiam votũ; materia autem huius voti eſt obligatio incumbendi redemptioni captiuorum, non quomodocunque, ſed prout eſt pars obſeruantiæ regularis, quam iuxta ſpecialem regulam profitentur.

4 Ad id, quod *num.* 1. in oppoſitum affertur reſp. quòd huiuſmodi votum tendit immediatè in bonum Religionis, quia cum iuxta ſuã regulam præſcribat hoc exercitiũ virtutis, quod cedit in bonum Religionis, obligatio ſuſcepta de huiuſmodi exercitio firmatur voto, vt habeat maiorem ſtabiliatem; Votum ergo eſt propter bonum Religionis, quia eſt propter dandam ſtabilitatem ſpeciali regulæ, & immediata materia voti eſt etiam propter bonum Religionis, quia eſt virtutis exercitium; quod eſt pars quædam perfectionis ipſius: ſolum autem effectus, qui ſequitur ex hoc exercitio ordinatur in bonum Chriſtianitatia.

5 Deinde etiam ſi votum ordinaretur immediatè iu bonum Chriſtianitatis, non obligaret Epiſcopum, quia obligatio voti, eſſet ſpecialis obligatio, quam non ſibi Epiſcopus abſolutè compoſuit; ſed in ordine ad regulam, quam ſuſcepit ſeruandam, vt partem eiuſdem regulæ; & ideo ſequitur regulam, & ea ceſſante ceſſat etiam hæc obligatio; nam ceſſante principali, ceſſat etiam acceſſorium.

An Frattes Minimi S. Franciſci de Paula aſſumpti ad Epiſcopatum abſoluantur à voto quadtageſimalis vitæ, quod ipſis eſt ſolemne.

Deciſio CCLXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopi ex Fratribus Minimis non abſoluuntur à voto vita Quadrageſimalis.*
2 *Melius dicitur, quòd abſoluantur.*
3 *Votum vita Quadrageſimalis apud Minimos nõ eſt perſona ſed Regula.*
4 *Quæ nam ſit materia immediata huius voti.*
5 *In Epiſcopo ex Minimis ceſſat immediata materia voti vita Quadrageſimalis.*
6 *Ceſſante fine voti ceſſat etiam votum quando eſt medium ad finem acquirendum.*
7 *Quale ſit votum vita Quadrageſimalis apud Minimos, & quomodo perſonale.*

1 QVi negant abſolui à Regularibus obſeruantijs: negabunt etiam abſolui ab hoc voto. Similiter ij quoque, qui volunt à nullo voto eximi etiam particulari Religionis, vt inter alios Sotus *lib. vlt. De Iuſt. & Iure quæſt. vlt. art. vlt. ver. Sed contra.* & in ſpecie de hoc voto loquens Suarez *tom. 4. De Relig. tract. 8. lib. 4. De Religioſis mutantib. ſtatum. cap. 17. num.* 8. Qui tamen addit quòd ceſſat obligatio voti, quando ex ſpeciali conditione perſonæ huiuſmodi abſtinentia impedit Pontificalia munera. Quod autem alioquin non ceſſet, probat, quia votum eſt ſpeciale, & proprium, & obligatio voti eſt perſonalis, quæ ſequitur perſonam, quocuuque tendat.

2 Qui verò tenent, ceſſare omnia vota ſpecialia Religionum in Epiſcopo Regulari, docent etiam, Fratres Minimos eximi ab obligatione dicti voti, dùm fiunt Epiſcopi, & ſpecialiter Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 6. num.* 20. Cenedo *De Pauper. Relig. dub. 43. num.* 20. Sanctarel. *tract. De Apoſtaſia cap. 6. dub. 3. num.* 20. Barboſa *in collect. in Ius Canon. tom. 2. in cap. vlt. num. 4. De obſeruat. ieiunij, & tom. 5. cauſa.* 18. *quæſt. 1. num. 6.* Diana *par. 3. tract. 2. Reſol. 50. ver. Hinc infertur.* Palaus *par. 3. tract. 16. diſput. 4. De voto obed. punc. 24. num. 6.* Quæ ſententia tenenda eſt.

3 Huiuſmodi enim votum non eſt votum perſonæ ſed Regulæ, quam perſona profitetur; nam ordinatur per ſe primò ad conſeruationem Regulæ, quæ permittit tantum cibos Quadrageſimalea: vnde præſcriptio huiuſmodi ciborum per ſe primò, & directè habetur à Regula, quæ talea cibos tantum permittit; votum autem ſuper additur, vt det robur obligationi Regulæ; & ideo qui Regulam profitetur, non ſuſcipit per ſe primò votum, ſed illud ſuſcipit ratione Regulæ cui ſe obligat.

4 Ex hoc autem fit quòd materia voti immediata non ſit vſus ciborum tantùm Quadrageſimalium; ſed obſeruantia regulæ quò ad illam partem, quæ præſcribit de cibis; & cibi ſunt tantum materia mediata, quatenùs ſtant ſub obſeruantia regulæ.

5 Hinc cum in Epiſcopo aſſumpto ex his Minimis ceſſet obligatio ad regulam, quia conſtituitur in alio ſtatu ſuperiori, in quo ſecundum aliam regulam dirigi debet: ceſſat etiam obligatio regulæ, quò ad illam partem, quæ præſcribit de cibis; & ideo ceſſat etiam votũ, quia ceſſat materia immediata voti.

6 Quod etiam ex eo conſtat, quia quandò ceſſat finis, ceſſant etiã media, quatenùs ordinantur

tur ad executionem finis: nec qui ponit media intendit ponere, niſi quatenus ſunt neceſſaria pro aſſecutione finis. In caſu autem noſtro finis huius voti non eſt exercere actum illum abſtinentiæ, quia hic eſt finis regulæ; ſed eſt fidelis obſeruatio regulæ, quo ad hanc partem; vnde ſolùm cenſetur emitti pro fine fidelis obſeruantiæ regulæ: in Epiſcopo autem ceſſat totaliter hic finis, quia eximitur à regula, vt toties diximus; & ideo debet etiam ceſſare votum, vt medium ordinatum ad cuſtodiam regulæ.

7 Ad id, quod allatum eſt ex Suarez *num.* 1. dicitur quòd votum non eſt ſimplicirer perſonale; ſed perſonale Regulare. hoc eſt non eſt perſonæ quomodocunq; ſed perſonæ ſubiectæ tali regulæ; ſolùm enim emittitur à perſona, vt membro Religionis. Quando autem aſſumitur ad Epiſcopatum, deſinit hoc membrum Religionis, & perſona ſubiecta tali regulæ; & ideo votum non ſequitur perſonam, quia non eſt illius perſonæ quocunque modo; ſed vt ſubiectæ regulæ, & vt eſt membrum illius Religionis.

An votum ſolemne Patrum Societatis Ieſu, quo ſe obligant obedire Pontifici circa miſſiones, permaneat in Epiſcopis aſſumptis ex ipſis Patribus.

Deciſio CCLXXIV.

SVMMARIVM

1 *Votum in ordine ad miſſiones manet per Suarez in Epiſcopo ex Patribus Societatis Ieſu.*
2 *Non manet.*
3 *Cur tale votum ſit tantùm pro ſtatu Religionis.*
4 *Vnde colligatur, vouentes ſe voluiſſe obligare ſolùm, quatenus manent ſub inſtituto Religionis.*
5 *Finis talis voti, & quomodo ceſſet in Epiſcopo.*
6 *Quomodo ſolemnitas reddat votum immutabile.*
7 *Votum in ordine ad miſſiones non ceſſat in Epiſcopo è Societate Ieſu ex incapacitate ſubiecti, ſed ratione ſtatus Epiſcopalis.*

1 AFfirmat Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *de Religioſis mutantib. ſtat. cap.* 17. *num.* 8: Quia votum eſt immurabile, cum ſit ſolemne; & talis Epiſcopus eſt capax, vt poſſit à Pontifice obligari, vt tranſeat ad alium Epiſcopatum, etiam apud infidelrs. Neque impedimentum Epiſcopatus poteſt cenſeri iuſtum impedimentum ad non obediendum cum ipſum impedimentum ſit ſub diſpoſitione Pontificis.

2 Tenendum tamen eſt quòd ceſſet in Epiſcopo huiuſmodi votum cum ijs omnibus, qui tenent, quòd omnia vota ſpecialia Regularium ceſſent in Epiſcopo, quos ſupra Deciſion. 180. *num.* 3. citauimus. Et præter rationes generales, quæ probant ceſſare omnia hæc vota particularia Religionum, militat alia ſpecialis.

3 Quandò enim Patres Societatis emittunt hunc votum, reſpiciunt ad inſtitutum Religionis, quæ iuxta ſuam regulam habet incumbere huiuſmodi miſſionibus; & in tantùm vouent talem obedientiam, in quantùm ſuſcipiunt ſeruandum inſtitutum Religionis; & proinde non ſe immediatè ſubijciunt voto; ſed mediante inſtituto Religionis: atque adeo non ſe intendunt obligare voto, niſi in quantùm ſe obligant inſtituto Religionis. Ceſſante ergo obligatione inſtituti, ceſſat etiam obligatio voti, vt pote, quia ceſſat eius fundamentum.

4 Et hic habet locum interpretatio, qua ſolemus interpretari etiam obligationem aliorum votorum; cum enim obligatio ſit menſuranda ex intentione ſe obligantis, & quandò intentio non eſt tota explicita colligatur ex circumſtantijs, & præcipuè ex motiuo, quod habuit vouens, eodem pacto hic procedendo colligimus, non habuiſſe intentionem ſe obligandi; niſi quandiù permaneret ſub inſtituto talis Religionis. Motiuum enim talis voti non fuit immediatè exercitium virtutis, quæ in miſſionibus exercetur; ſed fuit ſeruire Deo ſub tali regula: & quia regula præcipit emitti hoc votum; ideo emiſit; vnde cum votum ſit emiſſum, ex intentione ſe obligandi regulæ; non fuit cum intentione ſe obligandi, niſi in quantùm ſe obligaret regulæ; & ideo adfuit intentio virtualis, aut ſaltem interpretatiua, quòd noluerit ſe obligare, niſi quatenùs duraret obligatio regulæ; quia cum obligatio ad regulam ſit motiuum ſuſcipiendi etiam obligationem voti, & etiam menſura ipſius; itant non plus obliget, quàm obliget regula.

5 Prætèrea finis huius voti non eſt alius, quàm reddere Religioſum promptum, & firmum ad ſeruandam illam partem regulæ, quę præſcribit circa miſſiones: regula enim inſtituens miſſiones habet pro fine profectum, & ſalutem animarum; additio autem voti ſupra obligationem regulæ non habet alium finem, niſi promptitudinem, & firmitatem in exequenda regula. Hic autem finis ceſſat in Epiſcopo, quia eximitur à regula; vnde ceſſat etiam votum, quia eſt medium ad hunc finem obtinendum.

6 Ad id quod in oppoſitum allatum eſt *num.* 1.

Reſp.

Reſp. Solemnitatem reddere votum immutabile ſecundum capacitatem ſuæ naturæ: vnde quando votum eſt tantùm pro aliquo ſtatu, reddit tantùm immutabile pro illo ſtatu: non autem ſuccedente alio ſtatu; quia variatio ſtatus eſt eſſentialis; & ideo excludit ea, quæ ſunt facta in ordine ad obligationem prioris ſtatus; & ceſſant obligationes aſſumptæ in ordine ad ipſum. In caſu autem noſtro votum eſt factum pro ſtatu Religionis.

7 Nec ſufficit, quòd Epiſcopus ſit capax, aut quòd impedimentum ſit ſub diſpoſitione Pontificis, quia ſpecialis exigentia obedientiæ exigit etiam ſpecialem obligationem: vnde non ſufficit capacitas, & potentia ad auferendum impedimentum, vt poſſit Pontifex imponere miſſiones, quia hoc totum militat etiam in cæteris Epiſcopis, ſed requireretur quòd permaneret ſpecialis obligatio voti; quæ tamen non permanet. Vnde ex hoc tantùm fit, quod votum non ceſſet ex incapacitate ſubiecti, non autem, quod non ceſſet ex mutatione ſtatus.

An votum ſimplex Societatis Ieſu de non laxanda paupertate, ſed potiùs reſtringenda, maneat in Epiſcopo aſſumpto ex tali Societate.

Deciſio CCLXXV.

SVMMARIVM.

1 *Votum de non laxanda paupertate permanet ſecundum aliquos in Epiſcopis Societatis Ieſu.*

2 *Quomodo reſpectu ipſorum habeat locum materia huius voti.*

3 *Probabilius eſt non permanere in Epiſcopis hoc votum.*

4 *Quinam ſit finis huius voti de non laxanda paupertate apud Patres Societatis.*

5 *Votum obligat ſolum ſecundum exigentiam finis.*

6 *Vt votum obliget, non ſufficit, quod permaneat materia, ſed debet etiam durare obligatio.*

1 VIdetur Reſpõdendum quòd permaneat; quia permanet materia, & capacitas: quia poteſt Epiſcopus perſuadere Patres Societatis, vt domus profeſſæ habeant annuos redditus, ſaltem pro fabrica, aut pro Sacriſtia.

2 Et quamuis, vt notat Palaus citandus, obligatio huius voti declaretur in ipſorum Conſtitutionibus *par. 6. cap. 2. litera A.* Quòd in eo conſiſtat, quòd quis nec poſſit in proprium vſum, nec in commune admittere redditus: aut in conuentu totius Societatis congregatæ ſuffragijs, & diligentijs curare, vt admittantur: quod, vt ait Palaus, non habet locum in Epiſcopo: quia tamen fieri poteſt, quòd Epiſcopus conſtituatur à Pontifice præſes illius Congregationis; tunc poſſet hoc pacto paupertatem laxare, atq. adeo habere materiam prohibitam per votum, ſi illo obligatur. Vnde obligari hoc voto, etiam Epiſcopum, docet Suarez *tom. 4. De Relig. tract. 8. lib. 3. De Religioſis mutant. Statum cap. 17. num. 8.* Dum ait, Omnia ſimplicia vota obligare Epiſcopos, quatenus ijs occurrere poteſt materia voti.

3 At huiuſmodi votum non permanere in Epiſcopo docent Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 6. num. 15.* Palaus *par. 3. tract. 17. diſp. 4. De voto obed. punc. 24. num. 6.* Quæ ſententia, vt longè probabilior tenenda eſt.

4 Ratio eſt, Quia huiuſmodi votum habet pro fine conſeruationem Religionis, quatenùs dependet à conſeruatione paupertatis: conſeruatio enim paupertatis eſt materia voti, & hæc ordinatur ad conſeruationem Religionis; & ideo non obligat niſi eos, qui tenentur conſeruare Religionem mediante conſeruatione paupertatis.

5 Quia enim finis voti eſt menſura obligationis (quia tantùm debet obligare, quantum exigit finis, cum eligatur vt medium ad hunc finem aſſequendum) debet etiam eos ſolùm obligare, qui debent eidem fini incumbere; vnde prædictum votum, cum ſit inſtitutum ob conſeruandam paupertatem, & Religionem, cenſeri debet inſtitutum etiam pro ijs ſolùm, qui tenentur ad conſeruandam Religionem, & paupertatem; ſolùm autem ij, qui ſunt membra Religionis, tenétur ad hanc conſeruationem, non autem Epiſcopi ex ea aſſumpti, cum deſinant eſſe membra.

6 Neque ſufficit quòd ijs poſſit occurrere materia voti; quia votum non ſolùm ceſſat ex ceſſatione materiæ, ſed etiam ex limitatione intentionis ipſius vouentis, quæ dat voto efficaciam; vnde ſi ex hoc capite ceſſat: etiam ſi occurrat materia, non adeſt obligatio. In caſu autem noſtro ceſſat in Epiſcopo ex intentione vouentis, qui emittit votum iuxta intentionem Religionis, & ſecùndum menſuram huius intentionis ſe obligat. Religio autem non intendit obligare niſi membra, quatenùs tenentur ad conſeruationem corporis.

An

An votum de non procuranda, & ambienda dignitate, quod emittunt Patres Societatis, obliget Epiſcopos aſſumptos ex ipſis.

Deciſio CCLXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus ex Patribus Societatis non tenetur voto de non procurandis dignitatibus intra Religionem.*

2 *Nec etiam voto de non procuranda dignitate extra Religionem.*

3 *Finis voti, Patrum Societatis de non procuranda dignitate ceſſat in Epiſcopo.*

4 *Vouens tantum vouet, quantum exigit finis voti.*

5 *Quanam ſit materia voti de non procuranda dignitate extra Religionem apud Patres Societatis.*

1 PAtres Societatis Ieſu emittunt votum de non procuranda, & ambienda dignitate tàm intra, quàm extra Religionem. Manifeſtum eſt autem Epiſcopum aſſumptum ex ipſis non obligari hoc voto, quatenus reſpicit dignitates intra Religionem, defectu materiæ, vt notat etiam Palaus citandus; cum enim non ſit capax huiuſmodi dignitatum, nec etiam ipſas poteſt procurare: & proinde nec etiam obligari per votum ad non procurandas. Nec etiam ita permanet obligatio, vt ſi poſſet occurrere materia ſaltem ex aliqua mutatione, obligaretur: quia votum vt actio moralis etiam morali modo fit: atque adeo iuxta capacitatem ſtatus, quem res habent de præſenti: quia ad ipſum reſpicit intentio vouentis, itaut intendat ſe obligare, quamdiù durat materia voti, ſecùndum præſentem ſtatum; & ideo cum ſecùndum præſentem ſtatum ceſſet materia voti, quando fit Epiſcopus, ceſſat etiam votum.

2 Quò ad dignitates extra Religionem. Videtur votum permanere, quia Epiſcopus eſt capax aliarum dignitatum huiuſmodi; vnde videtur votum permanere in ordine ad ipſas. Sed reſpondendum eſt cum Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 6. de Profeſ. Societ. cap. 9. num. 13.* Palao *3. par. tract. 17. diſp. 4. de Voto obedient. punct. 24. num. 7.* extingui votum huiuſmodi, nec obligari Epiſcopum ad non procurandam aliam dignitatem.

3 Quòd autem ceſſet, colligitur primò ex fine; quia ceſſat finis, ob quem eſt ſuſcepta obligatio voti, finis enim talis voti eſt conſeruare Religioſos in ſua humilitate, & perſeuerantes in ſeruitio Religionis, vt notat Suarez *citatus*. Vnde votum ceſſat in eo, qui iam conſtitutus eſt in dignitate extra Religionem: quia non habet ampliùs locum in ipſo; vnde ceſſat etiam votum, cum ſit emiſſum iuxta exigentiam finis.

4 Hinc etiam ex intentione vouentis colligitur ceſſatio voti, quia ſemper intentio vouentis eſt ſecùndum menſuram finis, quia ab ipſo mouetur ad vouendum; vnde tantùm vouet, quantùm exigit finis; & proinde etiam pro illo tantùm tempore, pro quo habet locum finis: in Epiſcopo autem non habet locum finis huius voti.

5 Præterea, ex ceſſatione quoque materiæ colligitur ceſſatio voti. Materia enim voti non eſt dignitas; ſed egreſſus à Religione mediante dignitate, quem vouet Religioſus ſe non procuraturum quocumque pacto: vnde cum Epiſcopus ſit iam mediante dignitate extractus Religione, non habet locum amplius extractio reſpectu ipſius; & procurando alias dignitates non procurat egreſſum à Religione, qui ſolus eſt materia prohibita in virtute voti.

An votum de denunciandis ambientibus dignitates, quod emittunt Patres Societatis, maneat in Epiſcopis aſſumptis ex ipſis.

Deciſio CCLXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Votum de denunciandis ambiẽtibus videtur obligare Epiſcopos aſſumptos ex Patribus Societatis.*

2 *Non tamen obligat.*

3 *Finis huius voti coarctat votum ad ſola membra Societatis.*

4 *Materia huius voti qua nam ſit, & quomodo ceſſet in Epiſcopo aſſumpto ex Patribus Societatis.*

1 VIdetur affirmatiuè reſpondendum cum Suarez *tom. 4. De Relig. tract. 8. lib. 3. De Religioſis mutantib. ſtatum cap. 17. num. 8.* Quia materia huius voti habet locum, reſpectu quoque Epiſcoporum: nam ſcire poſſunt, quinam ambiant, & eos denunciando prodeſſe Religioni.

2 At Dicendum eſt non permanere in Epiſcopo

po ex ipſis Patribus aſſumpto, cum Palao *par. 3. tract. 17. diſp. 4. de Voto Religioſæ obed. punc. 24. num.* 8. & cœteris, qui negant hæc vota particularia permanere in Epiſcopis.

3 Primò quidem, Quia hoc votum eſt inſtitutum à Religione, vt medium pro obtinendo certo fine, qui eſt propulſatio ambitionis: & proinde pro ijs tantùm, qui tenentur cooperari aſſecutioni huius finis; ſolùm autem qui ſunt de corpore Societatis tenentur, qualis non eſt Epiſcopus; & ideo Epiſcopus non tenetur hoc voto: quia ipſum emiſit, ſecùndum intentionem Religionis, & ex intentione ſe obligandi, vt membrum eiuſdem Societatis: vnde cum deſinat eſſe membrum, deſinit etiam in ipſo obligatio voti.

4 Deinde ceſſat etiam materia voti in Epiſcopo: materia enim eſt denunciatio ambientium facienda Superiori; vnde eſt onus impoſitum à regula exequendum à ſubdito (quia ſolis ſubditis onera regulæ imponuntur) pro cuius executione, is, cui imponitur, voto ſe obligat; Qui autem aſſumitur ad Epiſcopatum eximitur ab oneribus Regulæ iuxta Cap. *Statuimus* 18. *quæſ.* 1. Vnde cum materia voti ſit denunciatio ambientium, vt onus à Regula impoſitum, ceſſat reſpectu Epiſcopi, ſicut ceſſant omnia alia onera Regulæ.

An votum de non acceptãda dignitate extra Religionem, niſi ex præcepto obedientiæ, obliget Epiſcopos, qui ſemel ex obedientia aſſumpti ſunt ad Epiſcopatum ex Societate Ieſu ad non acceptandas alias dignitates, niſi accedat ſimile præceptum.

Deciſio CCLXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſuadeat, votum de non acceptanda dignitate abſque præcepto extra Religionem, durare in Epiſcopo.*
2 *Huiuſmodi votum non durat in Epiſcopo.*
3 *Ex intentione vouentis eſt tantùm pro ſtatu Religionis.*
4 *Quæ ſit materia huius voti.*
5 *Quinam finis, & quomodo in Epiſcopo ceſſet.*

1 VIdentur Epiſcopi aſſumpti ex PP. Societatis obligari huiuſmodi voto; finis enim voti eſt prouidere ſaluti animarum fugiendo, quantùm licet, pericula, quæ ſecum trahunt dignitates, præſertim ſi habeant annexam curam animarum. Huiuſmodi autem finis habet locum etiam in Epiſcopo.

2 Sed dicendum eſt cum ijs, qui tenent, huiuſmodi vota ſpecialia ceſſare vniuerſaliter in Epiſcopo, nullo pacto Epiſcopum huiuſmodi voto obligari, & proinde, abſque alio præcepto poſſe quancunque aliam dignitatem acceptare.

3 Ratio eſt, quia huiuſmodi votum emittitur tantùm pro ſtatu Religionis; ita ut vouens intendat ſe ipſum tamdiù obligare, quamdiù permanſerit intra ſtatum eiuſdem Religionis: emittit enim illud votum, ſecùndum præſcriptionem regulæ, quam ſuſcipit ſeruandam; atque adeo ſecùndum intentionem Religionis. Intentio autem Religionis eſt prouidere proprio corpori, & proprijs membris, non autem ijs, qui non ſunt de corpore, cum non ſubſint eiuſdem regimini; & ideo præſcribens tale votum, pręſcribit ſolùm pro ſuis membris: quo mediante ijs prouidet, vt non niſi maturè, & cum diligenti examine aſſumant dignitates extra Religionem; quod obtinetur, dum non poſſunt accipere, niſi mediante præcepto obedientiæ.

4 Hinc materia huius voti non eſt quæcunque acceptatio dignitatis; ſed dignitatis extra Religionem, per quam fit mutatio ſtatus: quod ex eo colligitur, quia regula cenſenda eſt tantùm præſcribere in ordine ad ſuos ſubditos: atque adeo votum ab ipſa præſcriptum debet eſſe de materia, quatenus conuenit proprijs ſubditis; acceptatio autem, quæ conuenit proprijs ſubditis eſt ſola acceptatio primæ dignitatis, de qua vt de periculoſiore, vt pote quæ affert mutationem ſtatus, conueniens fuit quòd aliquid per votum præſcriberetur: hæc autem materia ceſſat in eo, qui eſt iam Epiſcopus.

5 Ceſſat etiam finis voti, qui non eſt, non ſe exponere periculis annexis dignitatibus, abſque præcepto obedientiæ: ſed non tranſire à ſtatu Religionis ad alium ſtatum abſque præcepto Superiorum; ob vitanda pericula annexa tantæ mutationi. & ſimul etiam intendit Societas ſibi prouidere, ne facilè priuetur bonis operarijs, vt etiam notat Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 6. de Profeſ. Societ. cap. 8. num.* 22.

An

An votum quod emittunt Patres Societatis, de audiendis conſilijs P. Generalis, ſi eligantur in præſidem alicuius Eccleſiæ, verè obliget Epiſcopos ex ipſis aſſumptos.

Deciſio CCLXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Qui teneant Epiſcopos aſſumptos ex P.P. Societatis obligari voto audiendi conſilia Generalis.*

2 *Non obligantur huiuſmodi voto.*

3 *Votum P. P. Societatis de audiendis conſilijs Generalis, ſi fiant Epiſcopi, non eſt validum, & quid requiratur, vt votum ſit validum.*

4 *Hoc votum P. P. Societatis eſt de eo, quod non licet voventi.*

5 *Ponit hoc votum in Epiſcopo obligationem, & ſubiectionem ad Generalem.*

6 *Inſuper etiam obligationem obediendi.*

7 *Hoc votum ponit in Epiſcopo obligationem ſimilem obligationi Religioſorum.*

8 *Hoc votum dat Generali Societatis non ſolùm ſupra Epiſcopum, ſed etiam ſupra Eccleſiam auctoritatem.*

9 *Hoc votum non relinquit Epiſcòpo liberam adminiſtrationem Eccleſiæ.*

10 *Princeps ſæcularis non poteſt exigere à ſubditis iuramentum de aliquo oneroſo ſtatu clericali, ſi eos contingat fieri clericos.*

11 *Votum audiendi conſilia Generalis eſt præiudiciale ſtatui Epiſcopali.*

12 *Non poteſt Regularis renunciare alicui exemptioni à ſuis Prælatis in caſu, in quo fiat Epiſcopus.*

1 OBligari hoc voto Epiſcopos aſſumptos ex Patribus Societatis docent Vaſquez 1. 2. *diſp.* 165. *cap.* 8. *num.* 89. *in fine.* Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 6. *num.* 15. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *de Religioſ. mutantib. ſtatum cap.* 17. *nu.* 8. Palaus *par.* 3. *tract.* 17. *diſp.* 4. *de Voto Relig. obedient. puncto* 24. *num.* 8. *in fine.* Quia tale votum eſt de maiori bono, & fit pro eo tempore, quo quis erit Epiſcopus; alioquin fruſtratorium eſſet, quia nunquam obligaret.

2 Exiſtimo tamen huiuſmodi votum ex ſua natura non obligare Epiſcopos aſſumptos ex Patribus Societatis; ſed eodem pacto ſe habere, ac ſi nunquam illud emiſiſſent.

3 Moueor, quia tale votum ex natura ſua non habet validitatem: vt enim votum ex natura ſua fiat validè, debet eſſe de eo, quòd licitum eſt ipſi vouenti: vnde ſi priuata perſona voueret ſe occiſurum omnes, qui digni ſunt morte, non validè voueret, quia non licet ipſi malefactores occidere. Rurſus debent eſſe de eo, quod non eſt in præiudicium alterius, alioquim votum, vt præiudiciale non teneret.

4 Huiuſmodi autem votum Patrum Societatis eſt de eo, quod non licet vouenti: quia habet pro obiecto ſubiectionem Epiſcopi ad Generalem Societatis: non licet autem vouenti ponere talem ſubiectionem, etiam ſi ipſe ſit Epiſcopus, qui ſubijcitur: quia non eſt dominus gradus Epiſcopalis, quem tenet, & cum ipſi ſe addicat, non poteſt de ipſo aliter diſponere, ac exigat gradus. Rurſus eſt in præiudicium ſtatus Epiſcopalis, cui ipſe non poteſt præiudicare: Et inuertit debitum ordinem, quia facit quòd ſuperius ſubijciatur inferiori.

5 Reſpondet Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 6. *de Profeſ. quæ fit in Societ. cap.* 9. *num.* 3. Per hoc votum non obligari Epiſcopum obedire Generali vt Superiori; imò nec ad ſequendum conſilium; nam hoc eſſet quædam virtualis obedientia; ſed ſolùm teneri conſilium ſequi, quandò iudicat eſſe melius. Hæc tamen reſponſio non euacuat difficultatem; nam obligatur ex voto ad audienda conſilia Generalis; vnde conſurgit in ipſo obligatio ad Generalem in ordine ad regimen Eccleſiæ; in cuius virtute poteſt Generalis vocare ad audienda conſilia, & hoc poteſt ab ipſo exigere, & Epiſcopus in virtute voti teneretur obedire; vnde votum daret ius Generali ad exigendam hanc obedientiam: vbi autem eſt obligatio obediendi, ibi eſt ſubiectio.

6 Deinde, poſita conditione quòd Epiſcopus iudicet meliora conſilia Generalis, quàm quæ ipſi ſubueniunt, tenetur obedire, iuxta id, quod exprimitur in forma voti allata à Suarez *num.* 1. loci proximè citati, quæ talis eſt *Conſilijs verò huiuſmodi ita me pariturum ſemper eſſe promitto, ſi ea meliora eſſe, quam quæ mihi in mentem venerint, iudicabo.* Ergo per huiuſmodi votum aſſumit Epiſcopus obligationem obediendi, & ſe ſubijcit Generali in ordine ad regimen propriæ Eccleſiæ.

7 Atq; hæc ſubiectio eſt eiuſdem rationis cum ea, quam habet Religioſus; nam in virtute voti obedientiæ non ſubijcitur Prælato, niſi ſecùndum præſcriptionem regulæ, & ſolùm tenetur obedire, quandò Prælatus præcipit ſecundum regulam. Sed in caſu noſtro Generalis aſſumit ſibi regulam ad regendum Epiſcopum, quæ continet quicquid melius eſt in ordine ad regendam Eccleſiam: & Epiſcopus promittit ſe pariturum omnibus, quæ conſtabit ſibi eſſe ſecùndum hanc regulam: ergo emittit votum obedientiæ, & ſubiectionis.

8 Rurſus

8 Rurſus, per hoc votum Generalis Societatis acquirit ius aſſiſtendi, aut deputandi aſſiſtentes Epiſcopo aſſumpto ex Societate: & hæc aſſiſtentia eſt aſſiſtentia directiua in ordine ad regimen Eccleſiæ ſecùndum formam conſiliorum, quæ cenſebuntur meliora. aſſiſtenria autem directiua importat ſuperioritatem, quandò is, cui aſſiſtitur, tenetur ſequi regimen & directionem: Atq; per huiuſmodi aſſiſtentiam indirectè trahitur regimen Eccleſiæ ad Patres Societatis: quia poſſunt ſemper proponere alia, & alia conſilia; quouſq; Epiſcopus cenſeat, eſſe meliora: atque adeo teneatur ea ſequi.

9 Præterea hoc votum non relinquit liberam adminiſtrationem Eccleſiæ ipſi Epiſcopo; ſed fit dependens à Generali Societatis: quia iudicium intellectus non eſt liberũ, ſed neceſſarium; vnde ſtante iudicio Epiſcopi, quo iudicet meliora conſilia Generalis, non eſt in poteſtate ipſius regere Eccleſiam vt voluerit; ſed debet regere dependenter à præſcriptione Generalis: vnde cum nec etiam in iudicio ſit liber, nullo pacto habebit liberam adminiſtrationem Eccleſiæ.

10. Et hoc totum poteſt exemplo Principis ſæcularis declarari. Si enim à ſuis ſubditis exigeret iuramẽtum quòd ſi tranſeant ad ſtatum Eccleſiaſticum, parebunt legibus ſuis tanquam conſilijs, quando cognoſcent eſſe meliores, quam quæ ipſis occurrent. in ordine ad regendam Eccleſiam; aut quòd ſequentur conſilia principis, quandò erunt meliora: faceret contra immunitatem Eccleſiaſticam, quia in virtute iuramenti retineret ſibi ſubiectas perſonas Eccleſiaſticas contra ſtatum ipſarum, qui exigit omnimodam exemptionem perſonarum. Nec iuramentum eſſet validum, quia eſſet præiudiciale ſtatui Eccleſiaſtico.

11 Idem contingit in hoc voto, quod eſt præiudiciale ſtatui Epiſcopali: quia in virtute illius Generalis retinet ſibi obligatos, & ſubiectos Epiſcopos; quia in virtute talis voti adhuc ſubſunt regulæ, quò ad illam partem, quæ præcipit, Epiſcopos aſſumptos ex Societate teneri audire conſilia Generalis, & quod ad obligationem ſe ſubmittendi directioni ipſius.

12 Et ſicuti Clericus non poteſt renunciare priuilegio fori, quia nõ eſt priuilegium perſonæ, ſed ſtatus Clericalis; nec laicus poſſet iurare in manu Principis ſæcularis, quod ſi fiat Clericus renunciabit priuilegio fori, aut totaliter, aut ex parte: & ſi iuraret, iuramentum eſſet inualidum, ita nec quis poteſt renunciare totali exemptioni, aut ex parte, quam Regularis Epiſcopus habet à ſuis Prælatis, iuxta Cap. *Statuimus* 18. *quæſt.* 1. nec poteſt Regularis vouere, quòd ſi fiat Epiſcopus, renunciabit, ex aliqua parte, quia hoc eſt priuilegium ſtatus Epiſcopalis. Vouere autem dependentiam in regimine Eccleſiæ à Prælatis Regularibus, & ſe obligare ad audienda conſilia, & ſequenda, ſi meliora fuerint, eſt vouere renunciationem alicuius exemptionis à Prælatis Regularibus.

An ſi huiuſmodi votum haberet ſuam validitatem obligaret Epiſcopos aſſumptos ex eadem Societate.

Deciſio CCLXXX.

SVMMARIVM.

1 *Votum de audiendis conſilijs Generalis, quandò Patres Societatis fiunt Epiſcopi ſi eſſet validum, neque adhuc obligaret Epiſcopos.*

2 *Hoc votum eſt votum Regulæ, ideo ceſſat in Epiſcopo.*

3 *Hoc votum ſequitur Regulam, nec trahitur, niſi ipſa trahatur.*

4. *Intentio emittentis hoc votum eſt conformis intentioni Religionis, vt menſura ſecundum rectam rationem, & ideo non poteſt extendi ad obligandos Epiſcopos.*

5 *Si hoc votum obligaret Epiſcopos, Societas imponeret onus non ſubditis.*

6 *Hoc onus, quia eſſet ex voto, eſſet à Religione.*

7 *Hoc votum imponeret obligationem perſonæ publicæ, quæ neque à Religione, neque à ſeipſo ſibi imponi poteſt.*

8 *Gradus Epiſcopalis extinguit obligationem huius voti.*

1 RESp. Etiã ſi aliàs votum haberet ſuam validitatem, non permanere, quandò quis creatur Epiſcopus; ſed ceſſare, ſicuti ceſſat tota obligatio Regulæ.

2 Ratio eſt, quia hoc votum eſt votum Regulæ; quæ præſcribit quòd Epiſcopi aſſumpti ex ipſis teneantur audire conſilia Generalis, & vt hæc pars Regulæ ſortiatur ſuum effectũ, & habeat robur, firmatur hoc ſpeciali voto; obligatio autem Regulæ ceſſat in Epiſcopo, cum omnino ab ipſa eximatur; vnde etiam ceſſet votum, quod eſt inſtitutum pro danda firmitate tali parti Regulæ: quia non poteſt permanere votum, niſi permaneat id, pro quo eſt factum votum, cum ſit propter ipſum.

3 Nec obſtat quòd votum ſit factum pro tempore Epiſcopatus; quia etiam Regula, quò ad illam partem, quæ præſcribit obligationem ad huiuſmodi conſilia, eſt facta pro tempore

Epiſco-

Epiſcopatus, & ramen ceſſat, quia ceſſat tota regula; huiuſmodi autem votum ſequitur regulam, vt factum in fauorem ipſius, & pro eiuſdem firmitate; vnde non trahitur ad aliquod tempus, niſi ad ipſum trahatur regula. Vndè erit votum fruſtratorium, quia cum non poſſit regula ſortiri ſuum effectum pro illo tempore, pro quo fit, nec etiam poteſt ſortiri votum.

4 Et hoc etiam colligitur ex intentione vouentis, quia cum votum emittat ex intentione ſuſcipiendi regulam Societatis ſeruandam, accommodat ſaltem virtualiter ſuam intentionem intentioni Religionis; ita vt intendat ſe obligare per vota eo modo, quo Religio intendit inducere obligationem per illa vota. Intentio autem Religionis debet attendi ſecùndum menſuram rationis; ita ut quamuis alia ſit, ac exigat ratio, corrigenda tamen ſit ſecùndum exigentiam rationis. Ratio autem exigit, vt non intendat extendere obligationem aliquam ad tempus Epiſcopatus, quia exigit, vt tantùm intendat obligare ſua membra, quamdiù pendent à regimine ipſius; non autem vt extendat obligationem ad eos, qui non ſunt membra, quales ſunt Epiſcopi; cum non poſſit ea obligare; & ideo ex intentione menſurata ſecùndum rationem, non extenderetur obligatio huius voti ad Epiſcopos, nec etiam ex priuata intentione vouentis, quia habet totam ſuam intentionem commenſuratam intentioni Religionis.

5 Quod etiam declaratur ex eo, quòd non poteſt quis onus alteri non ſibi ſubdito imponere, nec etiam ſubdito pro tempore, in quo ceſſat ſubiectio, præſertim ſi tunc onus debeat de nouo incipere: nam ſi imponat, ſicut deſinit ſubiectio, ita etiam deſinit ius ſuperioris: atque adeo ceſſat obligatio ſubeundi onus impoſitum, aut ipſum continuandi: quia continuatur ſolùm in virtute obligationis, quam habet ſubditus, & iuris, quod habet ſuperior. Obligatio autem audiendi conſilia Generalis, & parendi, ſi meliora ſint &c. eſt graue onus, quia, ſi eſt onus dare hæc conſilia (vt notat Suarez. *tom. 4. De Relig. tract.* 10. *lib. 6. De profeſ. quæ fit in Societ. cap. 9. num.* 10. *ſecundum declarationem Conſtit. eiuſdem Societ.*) grauius erit teneri ad audienda conſilia &c. vndè non poteſt hoc onus imponi Epiſcopis à Societate, ita ut incipiant ſubire, quandò deſinunt eſſe ſubditi Societatis.

6 Dices. Non imponi onus à Religione; ſed eſſe onus voti, quod transfertur in illud tempus in virtute eiuſdem voti. Verum non per hoc tollitur, quin ſit onus impoſitum à Religione, pro illo tempore: quia votum, in cuius virtute habetur, onus eſt ex præſcripto Religionis, & qui vouet, adſtringit ſe voto ſolùm ſequens intentionem Religionis; vndè totum onus eſt ex impoſitione Religionis, quæ etiam imponit votum ad firmandum tale onus.

7 Præterea. Huiuſmodi obligatio audiendi conſilia Generalis non eſſet obligatio perſonæ priuatæ, ſed perſonæ publicæ; quia eſſet obligatio Epiſcopi, quatenus Epiſcopus eſt, cum ſit obligatio de audiendis conſilijs in ordine ad regimen Eccleſiæ, in quo Epiſcopus non ſe gerit, vt perſona priuata, ſed vt publica repræſentans Epiſcopalem gradum, & ſtatum: ergo non poteſt talis obligatio manere in Epiſcopo; quia neque Societas, neque ipſe Epiſcopus vt perſona priuata, qualis eſt quãdo vouet, poteſt imponere obligationem aliquam gradui Epiſcopali; neque etiam ſibi, quæ ſit oneroſa gradui Epiſcopali: ſicut nec etiam Clericus poteſt ſibi vt Clerico imponere onus, à quo ſit exemptus Clericalis ſtatus.

8 Quod inſuper conſtat, quia gradus Epiſcopalis, quem ſuſcipit, non affert ſecum hanc obligationem; ergo ſi eſſet in perſona aſſumpta eam extingueret; quia gradus extinguit omnes obligationes in ordine ad Superiores Regulares, nec admittit onera, quæ ratione gradus conueniant perſonæ, niſi ab eo, qui poteſt imponere: Societas autem non poteſt imponere, nec priuata perſona, quæ fit Epiſcopus; hæc autem obligatio conueniret Epiſcopo, ratione gradus, quia vt paſtor teneretur audire hæc conſilia.

An Epiſcopus Regularis deponens Epiſcopatum maneat à votis exemptus ſicut antea.

Deciſio CCLXXXI.

SVMMARIVM.

1. *Qui teneant, Epiſcopum depoſito Epiſcopatu non eſſe amplius exemptum.*
2. *Varij rationes pro hoc inutiles.*
3. *Epiſcopus ſoluitur voto obedientiæ.*
4. *Diſpenſatio cum Epiſcopo, ſi eſſet diſpenſatio, non eſſet ratione curæ animarum, ſed ratione dignitatis.*
5. *Talis diſpenſatio non haberet tractum ſucceſſiuum.*
6. *Epiſcopus depoſito Epiſcopatu retinet eandem exemptionem.*
7. *Exemptio Epiſcopi Regularis à regula, & votis ſequitur ſtatum, & dignitatem.*

Z 8 *Epi-*

8 *Epiſcopus depoſitus ob demeritum adhuc retinet exemptionem quò ad regulam, & vota, quam antea habebat.*

1 LOquimur non ſolùm de exemptione a regula, ſed etiam à votis, eo pacto, quo erat,
dùm adminiſtraret Epiſcopatum: Quod autē
non maneat exemptus; ſed teneatur redire ad
clauſtra docent Abulenſ. *quæſt.* 109. *in cap.* 30.
Num. Maiol. *lib.* 3. *De irregul. cap.* 6. *num.* 7. Arragon. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 11. *in explicat.* 2. *concluſ. ver. Tertio eſt aduertendum in reſp. ad* 3. *in
fine.* Azot. *parte* 1. *Inſtitut. mor. lib.* 2. *capit.* 7. *in
fine.* Et in caſu, in quo redeat ad Clauſtra, teneri ad regulam, & obedientiam docent Palud. *in* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 4. *artic.* 3. *concluſ.* 11. *num.*
49. Supplem. *Gabr. ibid. quæſt.* 1. *art. vlt. circa finem:* non tamen explicant, an teneatur redire.

2 Solent multa congeri pro hac ſententia: ſed
quæ nullam habent vim. Vt quòd aliqui redierint ad monaſterium; quod tamen nihil
probat, quia non licet arguere ab exemplo ad
ponendam neceſſitatem, quando exemplum
non eſt de re neceſſaria. Quòd redire ad monaſterium non dedeceat Epiſcopum; & quòd
teneatur ad ea, quæ non dedecent: Quod non
eſt verum, quia nec tenetur ad ea, quæ non
dedecent, cum omnino eximatur à regula; nec
decens eſt, quòd ſtante dignitate Epiſcopali,
quam adhuc retinet, ſubijciatur Prælatis Regularibus. Quod monachus, ſi præficiatur alieno monaſterio redire tenetur, ſi præfecturam
dimittat. Sed in hoc eſt diſpar ratio: quia non
3 mutat ſtatum, ſed adhuc remanet monachus;
Quòd ſoluto matrimonio, tenetur quis caſtitatem ſeruare, ſi prius fuerat voto caſtitatis
adſtrictus. Sed neque in hoc eſt ſimilis ratio,
quia hic nunquam fuit ſolutus voto caſtitatis, ſicut Epiſcopus ſoluitur voto obedientiæ,
ſaltem reſpectu Prælatorum Regularium: vndè non eſt per accidens quòd non teneatur obedire, ſicut contingit in Generali, ſed per ſe;
nempe ratione ſtatus, & dignitatis Epiſcopalis.

4 Quod magis fauet huic opinioni eſt, quòd
quando diſpenſatio habet tractum ſucceſſiuum, ceſſante cauſa, ceſſat etiam diſpenſatio, diſpenſatio autem cum Epiſcopo, vt ſit
exemptus à Prælatis Regularibus, eſt ob curam animarum; vnde hac ceſſante, ceſſat etiam exemptio. At neque hoc aliquid conuincit, quia dato quòd fieret diſpenſatio cum
Epiſcopo, non tamen cauſa diſpenſationis eſt
cura animarum; ſed dignitas Epiſcopalis, &
cura animarum ſe habet ſolùm vt quid annexum cauſæ diſpenſationis. Rurſus neque diſpenſatio haberet tractum ſucceſſiuum, quia
eſt in ordine ad alium ſtatum, & ad ponendam habilitatem, & congruentiam pro illo
ſtatu; ideo non requirit continuationem cau-
5 ſæ. Quod etiam ex eo patet, quia diſpenſatio,
quæ habet tractum ſucceſſiuum, diſpenſat in
actibus, non autem in obligatione; in caſu
autem noſtro eſt diſpenſatio ab obligatione
habituali, quia fit cum mutatione ſtatus, &
ſucceſſione alterius ſtatus: vnde iuxta Cap.
Statuimus 18. *quæſt.* 1. Religioſus liberatur à
iugo, non autem diſpenſatur in ſolis actibus
debitis, ratione ſtatus Religioſi.

6 Itaque tenendum eſt, cum Imol. *Clement.* 1.
num. 50. *de Elect.* Bonif. *Clement.* 1. *num.* 83.
& 84. *de Regularib.* Feder. *conſil.* 38. *num.* 2.
Nauar. *lib.* 3. *Conſil. conſil.* 15. *de Regular. nu.*
11. *& ſequent.* & *conſil.* 6. *de Donation. nu.* 11.
& ſequent. Henriquez *lib.* 10 *de Sacram. ordin.
cap.* 32. *num.* 4. Rodriquez *in Quæſt. Regular.
tom.* 3. *quæſ.* 52. *ar.* 26. *Sū Verbo* Epiſcopus *nu.*
11. Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 6. *num.* 29. Palao *par.* 3. *tract.* 17. *diſp.* 4. *de Voto Relig. obed.
punct.* 24. *num.* 21. Layman. *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.*
1. *num.* 9. Barboſa *de Poteſt. Epiſcopi tit.* 1. *cap.*
4. *num.* 18. Manere Epiſcopum exemptum
eodem prorſus pacto, ac erat antea, quando
dimittit Epiſcopatum, non ſolùm reſpectu regulæ, ſed etiam reſpectu votorum.

7 Ratio eſt, quia talis exemptio affertur à dignitate, & gradu Epiſcopali; cum enim ſit
nouus ſtatus perfectior ſtatu religioſo, & ſublimior, eleuat Regularem à ſtatu Religioſi:
& proinde etiam ab obligationibus ipſius: vnde permanente ſtatu Epiſcopali, permanet
etiam exemptio, quæ conſequitur ad ſtatum:
tota autem exemptio in Epiſcopia conſequitur ad ſtatum: quia alioquin qui ſunt in ſtatu
ſublimiori ſubijcerentur ijs, qui ſunt in ſtatu
inferiori; quod eſſet quid inordinatum. Vnde
cum in eo, qui deponit Epiſcopatum, remaneat ſtatus, & dignitas Epiſcopalis, remanebit etiam eadem exemptio.

8 Et hoc habet locum etiam in Epiſcopo, qui
ob demeritum deponitur, vt notant Sanchez,
& Palaus *citati*; nam depoſitio priuat tantùm
adminiſtratione, non autem dignitate, & gradu: & ideo remanent in ipſo quæ ſunt dignitatis, & gradus, qualis eſt huiuſmodi exemptio.

An

An Epiſcopus degradatus remaneat cum eadem exemptione à votis, quam antea habebat.

Deciſio CCLXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus Regularis degradatus ſecùndum aliquos non remanet exemptus à votis.*
2 *Degradatio non tollit conſecrationem, nec ſtatum Epiſcopalem.*
3 *Exemptio à regula eſt intrinſeca ſtatui Epiſcopali.*
4 *Semel liberatus à iugo regulæ non poteſt amplius ligari, niſi ipſe ſe liget.*
5 *Vota in Epiſcopo Regulari extincta non redeunt, niſi ipſe de nouo voueat.*

1 NEgatiuè reſp. Henriquez *lib.* 10. *de Sacram. ordin. cap.* 32. *num.* 4. Sanchez *lib.* 6. *Sum. in Decal. cap.* 6. *num.* 30. Palaus *par.* 3. *tract.* 17. *diſp.* 4. *de Voto Relig. obed. punct.* 24. *num.* 21. Layman. *lib.* 4. *Theol. Moral. tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 9. Barboſa *de Poteſt. Epiſcopi tit.* 1. *cap.* 4. *num.* 18. Quia per degradationem exuitur priuilegijs, ratione dignitatis conceſſis, vnde auferetur etiam huiuſmodi exemptio.

2 Quia tamen degradatio non tollit conſecrationem, nec ſtatum Epiſcopalem: atque adeo nec dignitatem ſtatus; ſed tantùm eſt quædam canonica inhabilitatio prohibens vſum Epiſcopalium; atque adeo auferens vſum priuilegiorum, quę concernunt ſtatum Epiſcopalem, & ad ipſum conſequuntur, & cœtera quæ extrinſeca ſunt, & pertinent ad dignitatem externam; ideo cenſendum eſt, quòd maneant ea, quæ ſunt intrinſeca ſtatui.

3 Vnde cum exemptio à regula ſit intrinſeca ſtatui, quia ſtatus ipſe liberat monachum à regula (vnde in Cap. *Statutum* 18. *q.* 1. habetur *Quem canonica electio à iugo regulæ monaſticæ profeſſionis abſoluit.*) nõ eſt opus aliqua ſpeciali liberatione; ſed ipſamet electio liberat, quia cõſtituit in ſtatu, qui in ſe dicit talem liberationem: & manente ſtatu manet etiam exemptio. Epiſcopus autem degradatus retinet ſtatum Epiſcopalem.

4 Atque cum ſemel ſit liberatus, non poteſt amplius ligari, niſi ſuperueniat cauſa potens ligare: ſola autem propria voluntate mediante voto obedientiæ ligari poteſt, cum non aliunde talis obligatio prouenire poſſit: Atque ſi Epiſcopus depoſitus, etiam ob demeritum, indiget nouo voto obedientiæ, vt teneatur obedire Prælato Regulari, aut quòd Pontifex illum ſubijciat Prælato Regulari, vt tradit ipſemet Sanchez *lib.* 6. *Decal. cap.* 6. *num.* 31. iam Epiſcopus non retinet votum obedientiæ, ſaltem reſpectu Prælatorum Regularium, ſed extinguitur. Quomodo ergo Epiſcopus degradatus non erit exemptus à regula, cum iam non habeat votum, quo ad illam obligetur? aut quomodo habebit votum, & non erit exemptus ab ipſo, ſi iam eſt extinctum?

5 Deniq; Vota in Epiſcopo extinguuntur ratione mutationis ſtatus: ergo etiam ſi degradetur, remanet exemptus ab ipſis, quia cum de ratione obligationis voti ſit, vt ſit voluntaria, ſi ſemel eſt extincta, non poteſt redire, niſi ex voluntate ſe obligantis: per id autem quod Epiſcopus Regularis degradetur, non ſe obligat de nouo ad vota.

Quo tempore Epiſcopus Regularis eximatur à votis.

Deciſio CCLXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus Regularis ſecùndum aliquos eximitur à votis, quando capit corporalem poſſeſſionem Eccleſiæ.*
2 *Secùndum alios, quando conſecratur.*
3 *Eximitur quando primò à Pontifice confirmatur.*
4 *Quando Epiſcopus acquirat dignitatem, & ſtatum Epiſcopalem.*
5 *Quid nomine Ordinationis intelligatur in Cap.* Statutum 18. quæſt. 1.

1 VIdetur tunc ſolùm eximi ab obligatione votorum, & obedientia Prælatorum Regularium, quando accipit corporalem poſſeſſionem Eccleſiæ, vt tradunt Gloſ. *Cap. Ne pro cuiaslibet* 16. *quæſ.* 1. & 18. *quæſ.* 1. *in fine*, *Verbo* Certum eſt. Ancharan. *Cap. Cum olim* 4. *num.* 7. *de Priuil.* Tapia *Authen. Ingreſſi Verbo* Sua, *cap.* 6. *num.* 83. *C. de Sacroſanc. Eccleſ.* Beroius *quæſt.* 83. *num.* 1. quatenus docent tũc ſolùm Regularem Epiſcopum deſinere acquirere monaſterio, quando accipit poſſeſſionem Eccleſiæ.

2 Aut ad ſummum quando conſecratur: vt in eadem materia docent Alciat. *conſil.* 1. *num.* 22. *lib.* 1. Hoſtienſ. *Cap. Cum olim* 2. *num.* 10. *de Priuil.* Portel. *in Dub. Regular. Verbo* Epiſcopus *num.* 12.

3 At tenendum eſt, Quando primò à Pontifice confirmatur, tunc eximi ab obedientia ſuorum Prælatorum, & obligatione votorum, vt in terminis docent Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.*

 6. *num.*

6. *num.* 32. Leſſius *lib.* 2. *de Iuſt. & Iure, cap.* 40. *dub.* 14. *num.* 113. Palaus *par.* 3. *tract.* 17. *diſp.* 4. *de Voto Relig. obed. punct.* 24. *num.* 22.

4 Ratio autem eſt, Quia quando confirmatur, incipit eſſe verè Epiſcopus acquirens dignitatem, atque adeo ſtatum Epiſcopalem; tunc enim completur contractus, quo conſtituitur ſponſus Eccleſiæ, & Paſtor animarum; qui in tribus actibus conſiſtit; nempe electione, conſenſu ipſius electi, & confirmatione; completo autem contractu habetur completa mutatio vnius ſtatus in alium: atq; adeo extinctio prioris ſtatus.

5 Nec obſtat quòd dicitur in Cap. *Statutum* 18. *quæſ.* 1. quem *Sacra ordinatio de monacho Epiſcopum facit*. quaſi ſignificetur quòd conſecratio conferat gradum Epiſcopalem. Nam nomine *Ordinationis* non intelligitur ſola conſecratio, ſed totus proceſſus, quo quis eleuatur ad ſtatum Epiſcopalem: in quo conſecratio eſt vltimum complementum conferens ea, quæ ſunt ordinis, & ſupponens ſtatum Epiſcopalem, atque iuriſdictionem.

De operibus ſeruilibus quatenus licitis in die Feſto.

Quæ, & quanta debeat eſſe neceſſitas, vt reddat licitum opus ſeruile.

Deciſio CCLXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Neceſſitas reddit licitum opus ſeruile in die Feſto.*
2 *Cur qualibet neceſſitas reddat licitum opus ſeruile in die Feſto.*
3 *Quid præcipiatur, quando præcipitur ſanctificatio Feſtorum, & quomodo prohibeatur opus ſeruile.*
4 *Audire Miſſam ſufficit pro operibus exercendis in cultum Dei pro ſanctificatione Feſtorum.*
5 *Minus requiritur, vt poſſit quis exercere ſeruilia in die Feſto, quàm vt excuſetur ab audienda Miſſa.*
6 *Cur ſeruilia opera prohibita in die Feſto.*
7 *Quæ neceſſitas reddat licitum opus ſeruile.*
8 *Exercere opus ſeruile non eſt contra ſubſtantiam, ſed contra integritatem ſanctificationis Feſtorum.*
9 *Quid ſubtrahatur Deo exercendo ſeruilia in die Feſto.*
10 *Praxis confirmat traditam regulam.*
11 *Quod non eſt de ſe licitum, non fit licitum ex tolerantia ſuperiorum.*
12 *Quomodo conſuetudo interpretetur legem de non exercendis operibus ſeruilibus in die Feſto.*

1 Communiter docent omnes Doctores ratione neceſſitatis reddi licitum opus ſeruile in die Feſto; at quanta debeat eſſe hæc neceſſitas non explicant, niſi in caſibus particularibus; & licet difficile ſit tradere regulam generalem, cum poſſit melius explicari in quolibet caſu particulari: conabimur tamen id præſtare.

2 Primò autem certum eſt, quòd quælibet neceſſitas ſiue publica, ſiue priuata, ſiue propria, ſiue etiam aliena reddit licitum opus ſeruile; quia opus ſeruile prohibetur in die Feſto intuitu diuini cultus, atque adeo in vtilitatem noſtram ſpiritualem: non autem in præiudicium, etiam corporale, & temporale; & ideo quando ex ceſſatione ab opere ſeruili ſequitur præiudicium (quod tunc ſemper ſequitur, quando neceſſitas exigit opus ſeruile ſiue noſtra, ſiue aliena) tunc intelligitur ceſſare prohibitio.

3 Præterea aduertere oportet. Præceptum ſanctificandi Feſta non habere pro obiecto ceſſationem ab opere ſeruili; ſed dedicationem diei cultui Diuino; ceſſatio autem ab opere ſeruili conſequitur ex ſanctificatione. Illa enim ſanctificari dicuntur, vt notat D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 122. *art.* 4. *ad* 3. quæ Diuino cultui applicantur: & ideo præceptum de ſanctificando die eſt de ipſo die applicando Diuino cultui: ſecundario autem ſequitur, quòd ſit de ceſſatione ab opere ſeruili; quia hæc ſunt prohibita, vt notat idem D. Thom. *in eadem reſp. ad* 3. quatenus impediunt applicationem hominis ad Diuina.

4 Quia autem vſus obtinuit, vt quilibet cenſeatur ſatisfacere præcepto ſanctificandi Feſta, ſi Miſſam audiat: ita vt non teneatur exercere alia opera in cultum Dei; quia audiendo Miſſam exercet principalem actum cultus externi; & oſtendit per ipſum quòd Deo vacat, & applicat illum diem cultui Diuino; ideo ceſſatio ab opere ſeruili pro reliquo tẽpore diei non eſt neceſſaria ſimpliciter ad ſanctificandum diem: quia iam cenſetur ſanctificatus per cultum exhibitum Deo; ſed ſolùm ad oſtendendam integritatem ſanctificationis diei. Vnde exerceri, audita Miſſa, opera ſeruilia non eſt contra ſubſtantiam ſanctificationis diei, ſed ſolum contra quamdam integritatem.

5 Hinc autem fit, quòd minus requiratur, vt opus ſeruile licitum ſit in die Feſto, audita Miſſa, quam vt quis excuſetur ab audienda Miſſa; quia in hoc tollitur ſubſtantia ſanctificationis

titionis diei: in illo autē ſolùm quædam integritas. Et proinde nō multū requiritur, vt quis excuſetur, ſi, audita Miſſa, exerceat opera ſeruilia. Quia ſicut ceſſare ab opere ſeruili in oſtenſionem, quod dies ſit applicatus cultui Diuino non eſt valde magni ponderis in comparatione oſtenſionis, quæ ſit per exhibitionem cultus; ita nec eſt valde magni ponderis contra ipſam ſanctificationem exercere opera ſeruilia: & conſequenter ex cauſa facilè redditur licitum opus ſeruile.

6 Rurſus ſcire oportet, quòd ideo opera ſeruilia, & non alia, etiam ſi non pertineant ad cultum Dei, ſunt prohibita; quia ſunt ſpeciali modo contra oſtenſionem, qua oſtenditur dies eſſe applicatus cultui Diuino. Illa enim ſunt opera ſeruilia, quæ propriè pertinent ad ſeruos, & quia per hæc homo proprio modo ſeruit homini; atque adeo oſtendunt diem applicari homini, & ſubtrahi Deo; ideo ſunt ſpeciali modo contra ſantificationem Feſtorum, atque adeo prohibita.

7 Ex his ergo conſtitui poteſt regula vniuerſalis, Quòd illa neceſſitas ſufficiat, vt opus ſeruile euadat licitum, quæ eſt ob congruentem ſtatum perſonæ propriæ, vel alienæ, ſiue quò ad animam, ſiue quò ad corpus: ſeu rei familiaris, & bonorū cœterorum tam propriorum, quam alienorum, & cœterarum rerum, quæ ad perſonam quocunque modo pertineāt; tum etiam ob congruentem ſtatum communitatis quò ad ea omnia, quę ad ipſam ſpectant: Ita vt abſque exercitio operis ſeruilis non poſſit ſtare congruens ſtatus perſonæ, vel Reipublicæ, ſeu communitatis, etiam quò ad ea extrinſeca, quæ ad ipſas pertinent.

8 Ratio fundamentalis huius regulæ eſt, quia per exercitium operum ſeruilium ſubtrahitur Deo tantùm quædam integritas, & externa apparentia ſanctificationis, dummodo audiatur Miſſa; & ideo concurrente damno quò ad congruum ſtatum, quod ſequatur ex ceſſatione ab opere ſeruili, ceſſat præceptum obligare quò ad huiuſmodi integritatem, quia præcepta poſitiua quo ad ſubſtantiam non obligant cum detrimento notabili, & poſita ſubſtantia adimpletionis præcepti quò ad aliquam integritatem non obligant cum detrimento minus notabili, quod licet non ſit de aliquo ſubſtantiali, ſit tamen de aliquo pertinente ad congruitatem ſtatus. Vnde neceſſitas fundata in aliqua re de congruitate ſtatus, licet non ſit de ſubſtantia, erit ſufficiens, vt reddat licitum opus ſeruile.

9 Deinde, per exercitium operis ſeruilis, audita Miſſa, non ſubtrahitur Deo aliqua veneratio, ſed tantùm apparentia venerationis; & ideirco non concurrit præceptum ſecùndum aliquid, quod ſit de ſubſtantia venerationis, ſed ſolùm ſecùndum aliquid accidentale, qualis eſt huiuſmodi apparentia venerationis. E contra verò quando adeſt neceſſitas congrui ſtatus concurrit ius proprium manutenendi congruum ſtatum tàm quò ad ſe, quàm quo ad alios, & tàm quò ad propria, quàm quò ad aliena: hoc autem ius non eſt de aliquo accidentali, nec de aliqua apparentia, ſed de eo, quod pertinet ad ſubſtantiam congruitatis ſtatus; & ideo præualet, quia ex genere ſuo pluris ſunt facienda ſubſtantialia, quàm accidentalia, & apparentia.

10. Atque habet regula fundamentum etiam in praxi. Nam in feſtis licet coquere cibos, coquere panes, quamuis hæc omnia fieri poſſent die antecedenti, & ſolùm parantur hæc in die feſto non ob neceſſitatem ſubſtentationis, ſed ſolùm ob maiorem delectationem comeſtionis, quæ pertinet ad congruentem ſtatum reſtaurandi corpus per cibum. Similiter etiam ob eamdem cauſam colliguntur fructus in die feſto non ob abſolutam neceſſitatem, ſed ſolùm vt guſtui gratiores ſint. Et inſuper venduntur ea, quæ ad cibum, & potum pertinent ob eamdem cauſam. Ex quibus patet, quod neceſſitas ſolius congruentis ſtatus in qualibet re, etiam quæ non multum intereſt, vt eſt cibus, & potus, ſufficit, vt opus ſeruile fiat licitum.

11 Dices. Hæc ideo eſſe licita, quia adeſt conſuetudo videntibus, & tolerantibus Paſtoribus; non autem quia ex natura ſua ceſſet præceptum obligare. Sed hoc dici non poteſt; quia quando aliquid de ſe non eſt licitum, ex eo quod videant, & tolerent Superiores, non ſequitur, quòd fiat licitè abſque peccato, vt patet in fornicatione: ſed ſolùm quòd ſit permiſſum: huiuſmodi autem actiones exercentur in feſtis abſque peccato, & ideo dicendum eſt, quòd de ſe licitæ ſint.

12 Si rurſus dicas, quod conſuetudo derogat legi. Reſp. Quod non poteſt dici, quòd deroget legi, quia lex manet in ſuo robore: quod non contingit, quando conſuetudo ipſi derogat. Sed ſolùm dici poteſt, quòd legem interpretetur, quod concurrente tali neceſſitate lex non obliget. Et quia vt rectè conſuetudo interpretetur legem, debet rationabiliter procedere, ita vt non ſit contra finem legis, ideo dicendum eſt, quod attendendo finem legis, vrgente tali neceſſitate non cenſeantur prohibita opera ſeruilia.

An ceſſatio magni lucri tranſitorij, & extraordinarij ſit cauſa ſufficiens, vt poſſint abſque peccato exerceri in die Feſto opera ſeruilia.

Deciſio CCLXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Ceſſatio magni lucri extraordinarij non facit licitum opus ſeruile in die Feſto, ex aliquorum opinione.*
2 *Facit lititum ex aliorum ſententia.*
3 *Extenſio Cap.* Licet de Fetijs *ad alia opera ſernilia.*
4 *Quod concedit Pontiſex in* dicto Cap. *Quò ad piſcationem non poteſt extendi ad alia opera ſeruilia.*
5 *Prohibitio operum ſeruilium in die Feſto non obligat cum diſpendio magni lucri extraordinarij.*
6 *Plus incommodi eſt ex amiſſione magni lucri extraordinarij, quam ex comeſtione ciborum coctorum pracedenti die.*

1 NEgatiuam ſentent. tradunt Margarit. *praecept.3.* Abulenſ.*quaſt.23.in capit.12. Exod.*Sylueſt.*Verbo Dominica quaſtio.4.part.3.* Reginald.*tom.2.lib.19.cap.3.num.51.* Filiucius *tract.27.cap.11.num.123.* Suarez *tom.1. De Relig.lib.2.capit.33.num.9.* Caſtr. Palaus *par.2.tract.3.De Feſtor.obſeruat.diſput.vnica puncto 10.num.3.in cauſa allata 10.loco.excuſante à ceſſatione ſeruilis operis.* Quia ſi lucrum non eſt neceſſarium ad vitæ ſubſtentationem, non adeſt cauſa ipſum honeſtans.

2 Affirmatiuam tamen ſentent. plures tradunt, Caietan.*in Sum.Verbo Feſtorum violatio* Angelus *verbo Feriæ num.34.* Roſella *ibid.* Armilla *verbo Feſtum num.20.* Bonacina *diſput.5. De 3.pracept.Decal.quaſt.vnica puncto 3.num. 15.* Palacius *Verbo Feſtum* Alcocer.*capit.17. Sum.* Quem citat, & ſequitur Sanchez *tom.2. Opuſ.lib.5.capit.2.dub.19.num.2.* Fernandez *par.1.Examin.Theol.cap.7.§.1.num.6.* Diana *par.2.tractat.15.& 1.Miſcel.Reſol.34.in fine* dicens tunc amplectendam huiuſmodi opinionem, quando amiſſio lucri eſſet non mediocre nocumentum.

3 Arguunt autem ex Cap. *Licet.De Ferijs.*vbi Pontifex diſpenſat, vt poſſint piſcari in diebus Feſtis alecias, quæ certo anni tempore ſolent tranſire, ne illud lucrum tranſitorium amittatur. Quod extendunt ad quodlibet lucrum tranſitorium, cum militet eadem ratio.

4 Reſp. tamen auctores prioris ſententiæ, non eſſe eamdem rationem; tum quia in illa piſcatione agitur non ſolum de priuata vtilitate, ſed etiam de publica, quam Pontifex conſiderauit: tum quia agitur de lucro, quod vna tantũ vice ſingulis annis percipi poterat, quia haleciæ vno tantum anni tempore tranſibant. Addi etiam poteſt, quod ibi Pontifex diſpenſat, non autem declarat legem, & ideo non debet extendi ad ſimiles caſus: quia diſpenſatio reſpicit priuatas perſonas, in quarum fauorem fit.

5 Ratio eſt ergo, quia præceptum abſtinendi ab opere ſeruili non obligat cum tanto diſpendio, qualis eſt amiſſio magni lucri; nam pertinet ad congruentem ſtatum cuiuſcunque, vt ſit expeditus ad percipienda ea emolumenta, quibus poteſt rem ſuam augere: & non eſſe expeditum ad ea percipienda eſt grauamen valde notabile, quia priuat facultate aliqua, quæ plurimi fit ſecundum prudentum æſtimationem. Et ideo licet præceptum ſanctificandi Feſta prohibeat exercitium operum ſeruilium, non tamen priuat facultate ad percipienda emolumenta, neque illam impedit, & conſequenter non prohibet tale exercitium, quotieſcunque eſt medium neceſſarium ad percipiendum extraordinarium emolumentum lucri: alioquin indirectè prohiberet facultate percipiendi.

6 Deinde plus incommodi percipitur ex amiſſione talis lucri, quam ex comeſtione ciborum coctorum antecedenter ad Feſtum; ergo ſi ad vitandum hoc incommodum eſt licitum coquere cibos in die Feſto, erit etiam licitum exercere opera ſeruilia ob vitandum incommodum ex amiſſione lucri extraordinarij. Ex quibus patet, quomodo exercitium operum ſeruilium honeſtetur; quod negabat prima ſententia.

An ratione pietatis ſint licita opera ſeruilia in die Feſto, vt ſi exerceantur in fauorem Eccleſię, vel ob pauperes alendos.

Deciſio CCLXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Opera ſeruilia ratione pietatis ſunt licita in die Feſto ex aliquorum ſententia.*
3 *Iudicialia prohibita in Feſtis licita ſunt ratione neceſſitatis, aut pietatis.*

3 Ser-

3. *Seruilia non ſunt licita in Feſto ratione pietatis.*
4. *Cur finis pietatis non poſſit honeſtare ſeruilia in die Feſto.*
5. *Opus Religionis debet præualere operi pietatis.*
6 *Non licet arguere ex eo, quod ratione pietatis ſint licita iudicialia in Feſtis, ſint etiam licita ſeruilia.*

1 AFfirmant Palacius *in ſum. verb. Feſtor. violat.* Angel. *Verbo Feria num.* 9. 28. & 32. Tabiena *num.* 18. 37. & 41. Syluester *Verbo Dominica quaſt.* 5. Margarit. *pracept.* 3. Alcozer. *in ſum. capit.* 17. Perez. *lib.* 2. *ordin. tit.* 1. *l.* 5. Gloſ. *in Cap. Conqueſtus De Ferijs Verbo Pietas.* Ioan. à Cruce *in Direct. Conſcien. pracep.* 3. *art.* 1. *num.* 4.

2 Prob. ex Cap. dicto *Conqueſtus de Ferijs.* Vbi habetur quod iudicialia prohibita in Feſtis, licita ſunt, neceſſitatis, aut pietatis cauſa; ergo etiam ſeruilia, quamuis prohibita, erunt licita pietatis cauſa, ſicuti etiam ſunt vrgente neceſſitate.

3 At oppoſita ſentent. vera eſt, quam tradunt Caietan. 2. 2. *quaſt.* 22. & in ſum. *Verbo Feſtor. violatio.* Armill. *verbo Feſtum. num.* 20. Sotus *lib.* 2. *de Iuſt. & Iure quaſt.* 4. *art.* 4. *ad* 3. Nauar. *in ſum. cap.* 13. *num.* 4. 10. & 11. Abulenſ. *quaſt.* 4 *in cap.* 12. *Exod.* Lopez *lib.* 1. *Inſtruct. capit.* 52 Turrecrem. *in Cap. Peruenit De conſecrat. diſtin.* 3. *num.* 7. Suarez *tom.* 1. *De Relig. lib.* 2. *capit.* 21. *num.* 12. Reginald. *in Praxi lib.* 19. *num.* 48. Facundez *lib.* 1. *in Quinque pracepta. cap.* 14. *num.* 6. Azor. 2. *par. cap.* 28. *quaſt.* 4. Rodriquez *in ſum. cap.* 121. *num.* 1. & 2. Bonacina *diſp.* 5. *De* 3. *pracept. Decal. quaſt. vnica par.* 3. *num.* 6. Sanchez *tom.* 2. *opuſ. lib.* 5. *capit.* 2. *dub.* 23. *num.* 3. Caſtr. Palaus *tom.* 2. *tract. De obſeruat. Feſt. diſp. vnica punc.* 10. *numer.* 1. Filiuccius *tract.* 27. *capit.* 9. *num.* 157.

4 Ratio huius ſent. eſt, quia finis pietatis non eſt finis operis, cum pietas non exerceatur in ipſomet opere, ſed eſt finis operantis, atque adeo extrinſecus, qui non poteſt honeſtare opus alias illicitum. Et habet locum illa regula, quòd *Non ſunt facienda mala, vt eueniant bona,* & non licet furari, vt des eleemoſynam; vnde nec licet exercere opus prohibitum, vt facias opus pietatis; quia ſicut in illis finis operantis non honeſtat opus, ita neque in hoc.

5 Deinde in caſu noſtro concurrit opus Religionis præceptum cum opere pietatis; ergo ſeclusa neceſſitate debet prævalere opus Religionis, non ſolùm quia eſt ſuperioris ordinis, ſed etiam quia eſt præceptum.

6 Ad rationem oppoſitæ ſentent. reſp. Caput illud *Conqueſtus* loqui tantùm de iudicialibus; vnde non debet extendi ad ſeruilia, quia illa non ſunt ſeruilia, ſed de ſe licita in Feſtis, & ſolum ſpecialiter à Canone prohibentur, niſi forte exerceantur pietatis cauſa; quia tunc non intendit prohibere; & ideo non licet extendere exceptionem ad ſeruilia, non ſolùm quia non eſt eadem ratio, ſed etiam quia Canon ea relinquit in ſuo ſtatu, & in ſua abſoluta prohibitione, nec vllo pacto intendit corrigere legem prohibentem.

An ſint licita opera ſeruilia pertinentia ad ornatum, & cultum Eccleſiarum, vt ornare templa, mundare &c.

Deciſio CCLXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Opera ſeruilia concernentia ornatum Eccleſiæ ſunt licita ex cauſa in die Feſto.*
2 *Secus, ſi potuerunt anticipari, tunc enim ſiunt cum peccato veniali.*
3 *Aut ſiunt cum peccato mortali, aut cum nullo peccato.*
4 *Aut totam rationem ſeruitutis amittunt aut nullam.*
5 *Sunt licita abſolutè, quia ſunt pars diuini cultus.*
6 *Etiam exercitium horum operum eſt aliquis cultus diuinus.*
7 *Aedificatio templi non continet diuinum cultum.*
8 *A fortiori ſunt licita opera ſeruilia, quæ ſiunt cum diuino cultu, vt pulſare campanas.*

1 ESſe licita ex rationabili cauſa docent Caietan. *in ſum. Verbo Feſtorum violatio,* & 2. 2. *quaſt.* 122. *art.* 4. §. *Ad hoc dicitur.* Sotus *quaſt.* 2. *De Iuſt. & iure quaſt.* 4 *art.* 4. *ad* 3. Nauarr. *in ſum. cap.* 13. *num.* 4. Lopez *lib.* 1. *Inſtruc. cap.* 52. Azor. *par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 28. *quaſt.* 5. Suarez *tom.* 1. *De Relig. lib.* 2. *cap* 21. *num.* 11. Facundez *lib.* 1. *De quinq. Eccleſ. Pracept. cap.* 4. *num.* 4. Bonacin. *diſp.* 5. *De* 3. *Pracep. Decal. quaſt. vnica punc* 3 *num.* 6. Sanchez *tom.* 2. *opuſ. lib.* 5. *capit.* 2. *dub.* 22. *num.* 4. Caſtr. Palaus *par.* 2. *tract. De Feſtor. obſeruat. diſp. vnica puncto* 10. *num.* 1. Fernandez *in Exam. Theol. moral. par.* 1. *cap.* 7. §. 1. *num.* 6. Gordon. *lib.* 6. *Theol moral. capit.* 7. *quaſt.* 7. *ver. Sexta cauſa.* Filiucius *tract.* 27. *cap.* 9. *num.* 156.

2 Si tamen non adſit cauſa rationabilis, ita vt potuerint anticipari, non eſſe licita; quia de ſe ſunt opera ſeruilia. Addunt tamen ferè

omnes

omnes, non eſſe peccatum mortale, ſed ſolum veniale, ſi abſque rationabili cauſa fiant in die Feſto.

3 Verum ſi non ſunt licita, non video, quomodo ſolum peccetur venialiter: nam materia ex genere ſuo eſt prohibita, & eſt grauis, & notabilis, vt ſupponitur: vnde vel honeſtatur ex eo, quod ſunt in ordine ad cultum Diuinum, & tunc abſolute ſunt licita, neque peccatum veniale continetur in eorumdem exercitio; vel non honeſtatur, & tunc ſunt obiectum peccati mortalis, quia cum non honeſtentur, retinent ſuam turpitudinem, & remanent in natura ſua.

4 Dices amittere maxima ex parte rationem ſeruitutis ex coniunctione cum Diuino cultu, & ideo facere, vt peccatum ſit tantum veniale. Cōtra, De ſe ſunt materia peccari mortalis, & coniunctio diuini cultus non facit, quod non ſint prohibita; ergo relinquit in eo, quòd ſint materia peccati mortalis, quia ſunt talia ex prohibitione, & ex quantitate materiæ ſeu temporis, quod in ipſis inſumitur.

5 Itaque abſolutè exiſtimo, eſſe licita, & nullum committi peccatum veniale in eorum exercitio, etiam ſi nulla adſit rationabilis cauſa ea protrahendi in diem Feſtum. Moueor, quia communicant in cultu diuino, vt pars illius, ſunt enim aliquid, quod reddat cultum diuinum nobilem, & ſplendidum, ſicut etiam redditur ex eo, quòd Sacerdotes vtantur ſplendidis veſtibus. Tum quia ſunt ſigna declarantia cultum internum propenſiori modo in illa die Deo exhiberi, vnde vt coniuncta cum cultu ſunt quædam pars cultus externi; tum etiam quia ſunt concinnatio quædam externi honoris diuini.

6 Dices id eſſe verum de eo, quod relinquitur factum per huiuſmodi opera ſeruilia; non autem de ipſo exercitio operis ſeruilis. Verum, ſi quod relinquitur factum eſt quidam externus cultus diuinus, effectio ipſius erit effectio cultus diuini: efficere autem cultum diuinum non eſt ſeruile, quia ſeruitur Deo, & non homini.

7 Quod ſi vrgeas, quod ob hanc rationem erit licitum ædificare templa, conficere veſtes, &c. quæ inſeruiunt cultui diuino. Reſp. hoc non ſequi, quia in ipſis non continetur cultus diuinus, ſicut continetur in mundiria, & ornatu Eccleſiæ, ſed ſunt tantùm ordinanda ad diuinum cultum: munditia enim, & ornatus Eccleſiæ fit circa rem ſacram, qualis eſt Eccleſia, & ex fine exhibendi Deo nobiliorem cultum; vnde iam communicant cum ipſo cultu.

8 Et hoc à fortiori habet locum in ijs operibus ſeruilibus, quæ ſunt coniuncta cum diuino cultu, vt pulſare campanas, de quibus nullus dubitat, & traditur à ſupracitatis auctoribus. Quia hæc quoque communicant in cultu diuino. Et hoc magis euidens eſt, ſi in ipſis cultus diuinus ſacer exerceatur, vt contingit in delatione, in pulſatione inſtrumentorum muſicalium, & alijs huiuſmòdi; cum enim ingrediantur cultum diuinum, qui eſt finis obſeruationis Feſtorum, non ſolum per ipſa violantur Feſta; ſed etiam ſanctificantur.

An liceat in die Feſto lauare Vaſa ſacra, Purificatoria, & alia huiuſmodi pro notabili tempore alias ſufficienti ad peccatum mortale.

Deciſio CCLXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Licet in die feſto lauare Vaſa ſacra, corporalia &c.*

1 DE hoc nihil ſcriptum inuenio apud Doctores, ideo breuiter reſpondetur, eſſe abſolutè licitum etiam per totum diem. Ratio eſt, quia licet lauare de ſe ſit opus ſeruile, dum tamen verſatur circa materiam ſacram, deſinit eſſe ſeruile. Quod ex eo patet, quia pertinet ad munus perſonæ ſacræ quatenus talis eſt, nempe Subdiaconi; perſona autem ſacra, quatenus talis, non eſt deſtinata operi ſeruili.

An liceat barbitonſoribus tondere in die feſto accedentes ad barbam vel capillos tondendos.

Deciſio CCLXXXIX.

SVMMARIVM

1 *Barbitonſores tondendo in die feſto non peccant mortaliter ſtante paruitate materiæ.*
2 *Secluſa paruitate materiæ non excuſari ratione conſuetudinis, qui doceant.*
3 *Excuſantur, ſi adſit vera conſuetudo.*
4 *Quomodo etiam ratione damni poſſint excuſari.*
5 *Non poſſunt excuſari ratione ceſſationis lucri, niſi ex hoc ſequatur damnum.*
6 *Qui ad tonſuram accedunt in die feſto præſumuntur*

muntur impediti in alijs diebus; ideo excuſantur barbitonſores.

7 *In quibus non habet locum impedimentum, habet locum ad excuſandum paruitas materiæ.*

8 *Ex materia prohibita, & ea in qua ceſſat prohibitio, non fit vna materia.*

9 *Conſuetudo quod barbitonſor accedat ad tondendum in die feſto ad locum, in quo non reſidet, eſt tolerabilis.*

10 *Qui petit tonſuram in die feſto à barbitonſore non peccat mortaliter.*

11 *An, qui ſcit barbitonſorem exceſſurum paruitatem materiæ, poſſit tonſuram petere.*

1 NOn peccare mortaliter, ſi adſit paruitas materiæ certum eſt, & ita docent communiter, præſertim Nauar. *in Sum. cap.* 13. *nu.* 9. Lopez *lib.* 1. *Inſtruct. cap.* 52. Caiet. 2. 2. *quæſ.* 122. *ar.* 4. Graſ. *par.* 1. *Deciſ. aur. lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 17. Sayr. *in Claui Reg. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 11. Vega *tom.* 1. *cap.* 114. *caſ.* 2. Azot. *lib.* 1. *cap.* 28. *quæſ.* 5. Rodriquez *tom.* 1. *Sum. cap.* 121. *num.* 4. Molfeſ. *in Sum. tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 17. *num.* 68. Sanchez *tom.* 2. *Opuſ. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 21. *num.* 1. Diana *par.* 2. *tract.* 15. *Qui eſt primus Miſcell. reſol.* 34. *ver. Quò ad ſecundum.*

2 Quòd ſi non adſit paruitas materiæ, Non excuſari ratione conſuetudinis docent Lopez, Caiet. Nauar. Sanchez modo *citati*, quia talis conſuetudo non eſt tolerata, & recepta, cum ſemper id agentes reprehendantur à Prelatis. Quod quidem verum eſt, ſi conſuetudo non toleretur, quia tunc non eſt conſuetudo, ſed abuſus.

3 At ſi adſit vera conſuetudo, & non abuſus, vt benè poteſt adeſſe, tunc excuſantur à conſuetudine, vt docent Filiucius *tract.* 27. *cap.* 11. *num.* 228. Sayr. *in Claui Regia lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 11. Reginal. *tom.* 2. *lib.* 19. *cap.* 3. *num.* 51. qui etiam alios afferunt, & cum his Diana *loco citato* idem tenet. Conſuetudo enim contraria poteſt derogare legi. Atque talem conſuetudinem poſſe reperiri apud ruſticos, quæ ſufficiat ad excuſandum à peccato, exiſtimo; quia cum tota die verſentur in agris, poteſt ex tali occupatione aliquo pacto honeſtari, vt tolerari poſſit.

4 Præterea excuſari etiam poſſe ratione damni, quod ſubirent, ſi videlicet ex eo, quod nollent tondere, fieret vt ab accedentibus desererentur, atque adeo notabile damnum paterentur in lucro, docet Sanchez *tom.* 2. *opuſ. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 21. *num.* 2. aſſerens, ita ſentire etiam doctos iuniores. Quod quidem verum exiſtimo, quia præceptum ceſſandi ab opere ſeruili in die Feſto non obligat cum tanto damno, vt conſtat ex alijs caſibus, in quibus certum eſt non obligare. Et eo ipſo quòd quis exercet talem artem, præſupponi debet quod indigeat lucro ad ſui ſuſtentationem, atque adeo, quod non poſſit ipſum amittere.

5 Atque hoc tantum voluiſſe Fernandez *par.* 1. *Exam. Theol. cap.* 7. §. 1. *num.* 6 exiſtimo, cum dicit, ſe alia ratione illos excuſare, nempe ratione ceſſantis lucri; quod ſubdit deduci ex Cap. *Licet de Ferijs*, vbi Pontifex indulget piſcationem in die Feſto piſcium, qui certo anni tempore tranſeunt, ne illud lucrum amittatur. Niſi enim ceſſatio lucri vergat in damnum, non poteſt hæc doctrina habere locum, quia cum ſit lucrum ordinarium, iam omiſſio ipſius eſt preuiſa à lege vt communis omni operi ſeruili prohibito. Neque fauet citatum Cap. *De Ferijs* quia ibi habetur ratio non de lucro ordinario, ſed extraordinario; quia agitur de piſcatione, quæ tantum certo anni tempore fieri poteſt; & de publica vtilitate; quæ ex tali piſcatione conſurgit.

6 Addi poteſt aliud caput, vnde excuſari poſſunt à peccato, nimirum, quia cum non ſoleant homines regulariter accedere in die Feſto ad tondendam barbam, & capillos, ſed pauci, & raro, rationabiliter præſumi poteſt, quòd cæteris diebus ita occupati ſint, vt non poſſint ſine notabili incommodo accedere; vnde ſtante hac neceſſitate præſumpta poſſunt tonſores ſuam operam exhibere.

7 Quia tamen poteſt contingere, quòd in aliquo ratione circumſtantiarum non poſſit præſumi huiuſmodi neceſſitas, adhuc poterit barbitonſor ipſi ſuam operam præſtare, quia in illo habet locum paruitas materiæ. Quòd ſi dicas eſſe paruam materiam ſeorſim, non au-
8 tem coniunctam cum alijs tonſionibus. Reſp. non conficere vnam materiam cum alijs, ſed diuerſam; quia aliæ ratione neceſſitatis, quæ præſumitur, non ſunt materia prohibita, iſta vero eſt materia prohibita; ex materia autem prohibita, & non prohibita non fit vna materia; & ideo ſi prohibita eſt parua, adhuc remanet in ſua paruitate. Sic qui tollit ab alio, eo inuito, quod ſibi debetur, & etiam aliquid paruum quod ſibi non debetur, non committit furtum graue, quia materia iniuſtè accepta eſt leuis.

9 Ex his colligitur, quòd ſi barbitonſor non reſideat in aliquo oppido, & ſoleat diebus Feſtis venire ad tondendos agricolas, tolerabilis eſt conſuetudo, vt etiam docet Sanchez *lib.* 5. *opuſ. cap.* 2. *dub.* 21. *num.* 6. Quia præſumitur, quòd cæteris diebus venire non poſſit eo, quòd debeat artem exercere in loco vbi reſidet. Deinde agitur de vtilitate publica illius oppidi, & ideo ceſſat obligatio ceſſandi à tali opere ſeruili. Nec tenetur barbitonſor

alijs

Digitized by Google

alijs diebus accedere, quia fieret id cum notabili damno ipſius.

10 Secundo colligitur, Non peccare mortaliter eum, qui petit tonſionem in die Feſto à barbitonſore, vt notant Caietan. Nauarr. *ſupracit.* & Sanchez *num.* 5. *eiuſdem dub. ſupracit.* Quia videlicet petit opus ſeruile cum paruitate materiæ: vnde ad ſummum peccat venialiter; quòd ſi adſit aliqua cauſa rationabilis, quamuis non ſit grauis, excuſatur etiam à peccato veniali.

11 Sed quæret aliquis, an poſſit quis id petere, quando ſcit barbitonſorē exceſſurum paruitatem materiæ abſque cauſa excuſante. Reſpon. poſſe petere, quia, quod præcisè petitur, eſt parua materia, quæ excuſat à peccato: pertinet autem ad barbitonſorem, conſiderare, an ſibi liceat. Et ſicut poſſunt peti Sacramenta ab eo, qui eſt expoſitus, quantumuis ſciamus indignè miniſtrare, quia quod petimus eſt bonum: ita etiam in caſu noſtro: quia quod petimus, non eſt materia peccati mortalis. Eſt tamen aduertendum, quod ſi reſponderet barbitonſor, quod non poſſet tondere, quia excederet paruitatem materiæ, eo quod ſuam operam alijs exhibuerit, non poſſumus ipſum aliquo modo inducere ad tondendum, quia eſſet inducere ad peccandum.

An liceat in die Feſto ſartoribus perficere veſtes, & alijs artificibus ſua opera, quæ in eodem die Feſto inſeruire debent.

Deciſio CCXC.

SVMMARIVM.

1 *Artifices non excuſantur conſuetudine, ſi in die Feſto perficiant opera pro illa die inſeruientia.*

2 *Excuſantur, ſi veſtes eſſent neceſſaria pro congruenti ſtatu in illa die.*

3 *Aut ſi ſint neceſſaria ad decentiam ſtatus.*

4 *Excuſantur etiam, ſi timeant notabile incommodum.*

5 *Item ſi timeant acerbas reprahenſiones, & iniurias.*

6 *Artifices non ſunt præſumendi, quod perficiant opera in die feſto, niſi ex vrgenti motiuo.*

1 NOn licere ratione conſuetudinis, atque adeo non excuſari, docent Lopez *lib.* 1. *Inſtruct. Conſcien.* Nauarr. *in ſum. cap.* 13. *num.* 9. Caietan. 2.2. *quæſt.* 122. *artic.* 4. Sanchez *lib.* 5. *opuſ. cap.* 2. *dub.* 21. *num.* 1. & alij: niſi tamen interueniat paruitas materiæ; quia conſuetudo iſta non eſt tolerata, ſed reprehenſa à Paſtoribus, quamuis valde frequens ſit.

2 Exiſtimo tamen, excuſari in pluribus caſibus à peccato. Et primò, ſi veſtes inſeruire debeant pro illa die, & eſſent neceſſariæ pro ſtatu congruenti, vt eſſent veſtes ſponſi, & ſponſæ, ſi in eadem die celebrandæ eſſent nuptiæ, & veſtes lugubres. Eſſet enim contra decentiam ſtatus ijs non vti. Vnde ſicut adeſt moralis quędam neceſſitas talium veſtium pro ſeruanda decentia ſtatus, ita etiam ratione neceſſitatis excuſantur ſartores eas perficientes.

3 Quod etiam extendi debet ad veſtes illorum omnium, qui ijs indigent ad ſeruandam decentiam ſtatus, ob eamdem rationem; vt ſi quis aduena accedat ad vrbem abſque veſtibus vrbanis, tunc poſſunt ſartores eas perficere in die feſto, ne ille cogatur domi ſe continere, conterendo tempus abſque eo, quod poſſit ſuis negocijs vacare. quod ſimiliter locum habet, quotieſcunq; quis non poteſt ſeruata decentia ſtatus domo exire abſque talibus veſtibus; nam plus incommodi percipitur, ſi quis cogatur domi ſe continere, quam ſi comederet cibos die antecedenti coctos; vnde ſicut, vt vitetur hoc incommodum, facit, vt liceat coquere cibos in die feſto, ita etiam illud incommodum faciet, vt liceat perficere veſtes; & ſi in coquendis cibis habet locum conſuetudo, debet habere etiam locum, & tolerari in perficiendis veſtibus.

4 Prætere a excuſantur ſartores perficientes veſtes in die feſto, ſi timeant aliquod notabile incommodum ex eo, quod non perficerint ante feſtum. qualis eſſet amiſſio continuati lucri, quod percipiunt ex eo, quod inſeruiunt alicui familiæ, aut etiam alicui perſonæ, quam timerent non vſuram amplius eorumdem opera; damnum namque, quod timetur, vniuerſaliter excuſat ab obſeruatione huius præcepti, vt etiam de barbitonſoribus diximus Deciſ. *præcedenti num.* 4.

5 Hinc etiam ſequitur, quòd excuſentur, ſi timeant acerbas reprehenſiones, & iniurias ex eo quod non perfecerint; hoc enim eſt damnum altioris ordinis, quam ſit damnum lucri, quia pertinet ad æſtimationem perſonæ, quæ eſt bonum maius, quam ſit pecunia; vnde ob ipſum vitandum poteſt in die feſto perficere veſtes.

6 Ex quibus patet, quòd hi artifices, vt plurimum, excuſantur, ſi in die feſto perficiant opera ſua, quia ferè ſemper aliqua ex his cauſis concurrit. Nec præſumendum eſt, quod ita facilè tranſgrediantur præceptum cum eo

labore,

labore, quem ægre ſuſtinent in diebus prophanis, niſi habeant vrgens motiuum ad id faciendum; hoc autem vrgens motiuum ſufficiens eſt, vt excuſet à peccato.

An liceat in die feſto laborare in opere ſeruili circa veſtes, tabulata, & alia id genus, quæ inſeruiunt pro publica lætitia, aut pro aliquo Principe publicè honorando.

Deciſio CCXCI.

SVMMARIVM.

1 *Licet in die feſto laborare in ijs, quæ inſeruiunt publicæ lætitiæ, aut pro aliquo Principe honorando.*

2 *Talia opera quomodo ſint neceſſaria pro congruenti ſtatu Reipublicæ.*

3 *Etiam ſi ſpectacula poſſent differri, licet in ijs laborare in die feſto.*

4 *Et in ordine ad comœdias etiam priuatas licet laborare &c.*

5 *Quomodo cenſenda ſit licita protractio horum operum in diem feſtum.*

1 RESp. affirmatiuè cum Soto *lib. 2. de Iuſt. & Iure quæſt. 4. ar. 4. ad 3.* Filiuc. *tract. 27. cap. 11. num. 213.* Azor. *tom. 2. lib. 1. cap. 28. quæſ. 4. & 5.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 32. num. 4. & 5.* Facundez *lib. 1. in 5. præcep. Eccleſ. cap. 14. nu. 23.* Sanchez *lib. 5. Opuſc. cap. 2. dub. 18. num. 24.* Reginal. *lib. 19. num. 49.* Bonacina *diſp. 5. de 3. Præcep. Decal. quæſ. vnica punct. 3. num. 12.* Caſtro Palao *par. 2. tr. de Obſeruat. Feſt. diſp. vnica punct. 10. num. 3. ver. Ex hoc ergo &c.* circa Nonum cap. neceſſitatis, Fernandez *par. 1. Exam. Theol. Mor. cap. 7. §. 1. num. 6.* Gordon. *in Theol. Mor. lib. 6. quæſ. 7. cap. 7. ver. At quid.* & alij.

2 Fundamentum huius doctrinæ eſt, quia huiuſmodi opera ſeruilia ſunt neceſſaria ob congruentem ſtatum Reipublicæ. Siue enim agatur de oſtenſione publicæ lætitiæ, ſiue de honorando aliquo Principe, ſiue etiam de ſpectaculis, & torneamentis, ſemper exercet Reſpublica aliquam virtutem, ad quam exercendam ſaltem ex ciuili obligatione tenetur; quia Reſpublica quoque habet ſuas peculiares virtutes, quas tenetur exercere, ita exigente bono communitatis. Vnde ſicuti hæc neceſſaria ſunt, ita etiam quando exercenda ſunt in die feſto, neceſſarium eſt exercere opera ſeruilia, vt perficiantur, quæ neceſſaria ſunt.

3 Quod etiam verum eſt, quando hæc ſpectacula, ſiue quæcunque alia poſſent differri in alium diem; quia cum ſit deſignatus dies feſtus, debet præſumi id eſſe factum ob aliquod notabile commodum; vnde ſi differrentur, conſurgeret notabile incommodum; & ideo ob ipſum euitandum licet perficere, quæ neceſſaria ſunt.

4 Quod ſimiliter debet extendi ad comœdias, & repræſentationes cuiuſcunque generis, etiam ſi fiant à priuatis perſonis, quia habent eumdem finem, nempe publicam recreationem; & proinde militat eadem ratio, quæ neceſſaria eſt in Republica; etiamſi fiat in die feſto, propter eos, qui cæteris diebus ita occupati ſunt, vt ſine notabili incommodo non poſſint ipſi vacare.

5 Et quia opera iſta non poſſunt præueniri regulariter, vt fiant ante feſtum diem, quia ferè ſemper plus temporis inſumitur, quàm præuiſum fuerit, ideo non eſt nimis ſcrupuloſè procedendum: quia ex regulari neceſſitate protrahendi, quæ ſolet intercedere, cenſenda eſt licita protractio in diem feſtum, tanquam eorum, quæ moraliter non poſſunt non protrahi.

An Muliones poſſint cum beſtijs, & rhedis onuſtis iter facere in die feſto.

Deciſio CCXCII.

SVMMARIVM.

1 *Muliones poſſunt cum beſtijs onuſtis, & rhedis iter facere in die feſto.*

2 *Id ſit licitum ob damnum quod ſequeretur, ſi non iter facerent.*

3 *Qui negant poſſe incipere iter.*

4 *Excuſantur, qui id ex officio præſtant.*

5 *Eadem eſt ratio de his, ac de cæteris.*

6 *Quomodo P. Diana excuſet Muliones incipientes iter in feſto.*

7 *Ducere beſtias eſt opus ſeruile.*

8 *Excuſantur Muliones deferentes neceſſaria pro illa, aut ſequenti die.*

9 *Item qui habent beſtias, & currus deuehendis mercibus deſtinatos.*

10 *Quomodo etiam poſſint omnes excuſari.*

11 *Licet in die feſto ducere beſtias non onuſtas.*

1 RESp. affirmatiuè cum Caietan. *2. 2. quæſt. 122. art. 4. § His igitur expeditis.* Reginal. *tom. 1. lib. 19. cap. 4. num. 50.* Margarita *Verbo*

Feſtum

Feſtum Sylueſtro *Verbo Dominica quæſt.5. concluſ.4.* Nauarr. *in ſum. capit. 13. numer. 6. & 15.* Suarez *tom. 1. De Relig. lib. 2. capit. 27. num. 3.* Azor. *par. 2. lib. 1. cap. 27. quæſt. 2.* Rodriquez *in ſum. cap. 121. num. 2.* Sà *Verbo*, Feſtum *numer. 5.* Caſtro Palao *par. 2. tract. De Feſtor. Obſeruat. diſp. vnica, puncto 5. num. 2.* Filiuccio *tract. 27. cap. 11. num. 28.* Sanchez *lib. 5. opuſ. cap. 2. dub. 7. num. 8.* Diana *par. 2. tract. 15. qui eſt 1. Miſcel. Reſolut. 36. ver. Reſp. Suarez.* & alijs.

2 Et hoc optima ratione fundatur, Quia ſi deberent in diebus Feſtis interrumpere iter, eſſet huiuſmodi exercitium nimis diſpendioſum, quòd redundaret in maximum damnum communitatis, quia longe maiores eſſent expenſæ in deuehendis rebus; vnde etiam merces multò pluris venderentur. Deinde plura loca priuarentur rebus, quibus alia abundant: quia in ijs conuehendis non eſſet tolerabilis expenſa; quod ſimiliter eſſet notabile incommodum vtrarumque communitatum, quia alteræ priuarentur illis rebus, alteræ verò priuarentur commodo, quod percipiunt ex ipſarum diſpenſatione.

3 Quod autem ſpectat ad inceptionem itineris, non licere, neque etiam ratione conſuetudinis, quia non eſt conſuetudo, ſed abuſus, docent *Caietan. Reginald. Margar. Sylueſt. Nauar. locis num. 1. citat.* & Inſuper D. Antonin. 2. *par. tit. 9. capit. 7. §. vltimo* Roſel. *Verbo* Feriæ *num. 22.* Filiuccius *tract. 27. cap. 11. num. 128.*

4 Sanchez verò *in num. 9. dub. ſupracit. num. 1.* docet, Excuſari muliones, qui ex officio id faciunt, quia videntur concurrere aliqua neceſſitas, & vtilitas Reipub. vt deferantur varia onera in varias partes. Secus autem in vectura particularis hominis. Quam doctrinam ipſe approbat, & ait eſſe doctorum iuniorum.

5 Verùm non video, quomodo regulariter excuſentur muliones, qui ex officio id faciunt, & non muliones in vectura particularis hominis: quia neceſſitas, & vtilitas publica non eſt talis, vt plurimùm, quòd exigat, vt illa determinata die muliones perueniant ad locum deſtinatum; quod ex eo patet, quia multotiès non perueniunt, aut quia tardiùs incedunt, aut quia itinera ſunt difficilia, & tamen non hinc ſequitur incommodum, quòd ſit alicuius conſiderationis: vnde ſi excuſantur, debent aliunde excuſari; atque adeo erit eadem ratio de omnibus.

6 Diana *Reſolut. ſupracit. ver. Sed ego.* exiſtimat, quod ſi audiant Miſſam, tarò contingat, muliones peccare mortaliter incipiendo iter; quia nihil aliud faciunt, quam itinerari; & opus ſeruile, quod eſt adiunctum, nempe leuare onera, & imponere, eſt parua materia, quia nõ conſumitur in hoc notabile tempus.

7 Ego verò exiſtimo hoc opus eſſe omnino ſeruile de ſe, & non ratione circumſtantiæ adiunctæ imponendi & leuandi onera; nam non eſt tantum iter habere, ſed in itinere ducere beſtias, aut currus non in commodum proprium, ſed in ſeruitutem alterius; quod ſanè eſt opus ſeruile, & exercitium vile; vnde non, ſolùm perſonæ ingenuæ, ſed etiam cæteri, qui non ſunt perſonæ viles, recuſant huiuſmodi exercitium; non ſolùm quia laborioſum, ſed etiam quia valde vile reputatur; vnde vt licitè exerceatur, debet honeſtari ex aliquo alio capite.

8 Et ideo quando res, quæ deferuntur, ſunt neceſſariæ aut pro illa die, aut pro ſequenti, tunc honeſtatur ratione neceſſitatis. Hæc autem neceſſitas ſufficit, ſi ſit talis, vt ſine ipſis rebus non poſſit ſeruari congruens ſtatus ciuitatis: ita vt ſi priuaretur ijs rebus, priuaretur aliqua notabili commoditate. Vnde deferri poſſunt res omnes, quæ pertinent ad victum, & quæ diu conſeruari non poſſunt; vt piſces, olera, fructus qui non diu durant, vt ficus, pepones, vua, & alia huiuſmodi.

9 Præterea. Excuſari poſſunt quia habent beſtias, & currus deuehendis ſarcinis & oneribus deſtinatos; quia, niſi poſſent incipere iter in die Feſto, nec etiam poſſent continuare; cum ſit eadem ratio, & idem ſit opus. vnde ars eſſet nimis diſpendioſa; & proinde aut eſſet abſque lucro eam exercentium, aut nimis onerosa ratione expenſarum ijs, quis faciunt onera deferri de vno in alium locum.

10 Deinde; Quia cura huiuſmodi beſtiarum neceſſaria eſt pro ſingulis diebus, ideo ex hoc quoque capite excuſari poſſunt muliones, qui in die Feſto beſtias onuſtas ducunt, ſiue continuando, ſiue incipiendo iter; quia eas ducere in itinere, eſt curam illarum habere; vnde non eſt nouum opus ſeruile diuerſum ab eo, quod exerceretur, ſi cura illarum domi haberetur. illud autem leuare, & imponere onera eſt parua materia; quia non requirit multum temporis. Vt rectè notauit Pater *Diana*.

11 Ex quibus fit, quòd ob eamdem rationem, & à fortiori liceat in die ſeſto ducere beſtias non onuſtas ad aliquem determinatum locum, vt promptæ ſint in die ſequenti deuehendis oneribus; quia non eſt aliud, quam habere curam ipſarum in itinere. Et in hoc, quamuis non ob eamdem rationem, conueniunt plures, & inter alios Caiet. 1. 2. *quæſt. 122. art. 4 §. His igitur.* Nauarr. *cap. 13. ſum. num. 6.* Sanchez *lib. 5 opuſ. cap. 2. dub. 7. num. 11.*

An

An excuſentur Piſtores, & Furnarij facientes, & coquentes panes in die feſto.

Deciſio CCXCIII.

SVMMARIVM.

1 *Qui negant Piſtores excuſari, qui abſque graui neceſſitate luborant iu ſua arte.*
2 *Conſuetudo contrariu huic doctrina.*
3 *Conſuetudo interpretatur legem: vnde prædicti Piſtores excuſantur.*
4 *Excuſantur etiam in locis, vbi non eſſet talis conſuetudo, & quomodo.*

1 NOn excuſari, niſi tantus ſit feſtiuitatum concurſus, vt ante commodè præparari non potuerit, aut niſi ſuperueniat aliqua neceſſitas, docent Azor. 2. *par. lib.* 1. *capit.* 27. *quæſt.* 2. Caiet. *in ſum. verbo Feſtorum violatio.* Sanchez *tom.* 2. *opuſ. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 18. *num.* 4. Caſtr. Palaus *tract. De Feſtor. Obſeru. diſp. vnicu puncto* 10. *num.* 3. Bonacina *tom.* 2. *diſput.* 5. *de* 3. *præcep. Decal. quæſt. vnicu punc.* 3. *num.* 8. *ver. Item non excuſantur.* qui addit hanc eſſe communem ſententiam Doctorum.

2 Verum contra hanc doctrinam adeſt conſuetudo in plurimis locis, præſertim Romæ, quæ ſaltem tacitè approbata eſt à Superioribus; quæ ſtante tali tacito conſenſu Superiorum, videtur interpretari legem, quòd non prohibeat huiuſmodi opus ſeruile ratione neceſſitatis: ſed ipſum permittat, ſicut, & alia ſeruilia permittit intuitu neceſſitatis; vnde non video, quomodo poſſint damnari, qui ſingulis diebus feſtis panes conficiunt, & coquunt.

3 Atque hæc interpretatio legis fundatur in eadem ratione, in qua fundatur interpretatio, quòd cætera ſeruilia permittantur. Si enim coquere carnes, & alios cibos, facere paſtillos, verrere domum, & alia huiuſmodi cenſentur permitti, quia non ita hæc congruenter ſe habent, ſi anticipentur: eadem eſt ratio etiam de pane; quia ſi anticipatè fiat, non ita congruenter ſe habebit, ac ſe fiat in eadem die; imò maior ratio militat de pane: quia ipſe eſt cibus principalis ſaltem reſpectu plurimorum, quibus non licet ſaltem multo obſonio vti. Vnde idem exiſtimo dicendum de pane, quod dicitur de alijs cibis. Vnde Sà *verbo* Feſtum *num.* 5. abſolutè docet, Piſtores excuſari ratione neceſſitatis.

4 Atque hinc infertur, quòd ſi in aliquo loco non adſit conſuetudo faciendi, & coquendi panes in die feſto, ſi quis faciat, & coquat non peccabit. Ratio eſt, quia vbi adeſt conſuetudo, id non eſt permiſſum ratione conſuetudinis, ſed ratione neceſſitatis; & ſolùm conſuetudo interpretatur legem, quod non prohibeat, ſed permittat, ſtante tali neceſſitate; hæc autem neceſſitas valet in quocunq; loco: & ideo facit quòd in quocunque loco adſit eadem permiſſio.

An liceat in die feſto molere triticum.

Deciſio CCXCIV.

SVMMARIVM.

1 *Licet molere iu die feſto, ſi molendinum aqua aut vento agitetur.*
2 *Secus ſi operu beſtiarum moueatur.*
3 *Qui doceant, id abſolutè non licere.*
4 *Qui vero id abſolutè concedant, ratione conſuetudinis.*
5 *Conſuetudo non poteſt iu hoc excuſare.*
6 *Excuſat neceſſitas: & quantu debeat eſſe.*
7 *Licet in feſto molere, quando molendina vento, aut aqua voluuntur.*
8 *Quando id liceut etiam cum molendina voluuntur opera beſtiarum.*

1 NOn eſſe licitum, niſi molendinum agitetur aqua, vel vento: quia tunc aut nullus, aut exiguus labor interuenit, docent Rodriquez *in Sum. cap.* 121. *num.* 4. Bonacina *diſp.* 5. *de* 3. *Præcep Decal. quæſ. vnica punc.* 3. *num.* 9. *ver. Rurſus limita.* Caſtr. Palaus *par.* 2. *tract. de Obſeruat. Feſt. diſp. vnicu dub.* 10. *num.* 3. Fernandez *par.* 1. *Exam. Theol. cap.* 7. *de* 3. *Præcep. Decal.* §. 1. *num.* 7. Nauar. *in Sum cap.* 13. *num.* 6. Roſella *Verbo* Feriæ *num.* 6. Lopez *lib.* 1. *Inſtruct. cap.* 52. Sanchez *lib.* 5. *Conſil. Moral. cap.* 2. *dub.* 13.

2 Secus autem in molendinis, quæ molunt opera beſtiarum, quia in his requiritur magnus labor; vnde opus ſeruile, quod interuenit, eſt notabilis conſiderationis, atque adeo prohibitum ſub mortali. Ita auctores citati.

3 At abſolutè non licere, niſi vrgeat aliqua grauis neceſſitas molendi, cui aliter ſuppleri non poſſit, docent Clauis Regia *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 6. Piſanel. *Verbo* Feriæ §. *Sed quid de Molendinis.* Caiet. *Verbo* Feſtum. Syluester *Verbo* Dominica *quæſ.* 5. Io. Benedict. *Sum. de Peccat. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 3. Philiar. *de Offic. Sacer. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 23. & alij. Et videtur hæc ſent. habere fundamentum in eo, quòd molendina, dum actu molunt, requirunt aſſiſtentiam molitoris, quæ quidem eſt quid ſer-

uile ſecùndum ſe; vnde etiam ſi non interueniat labor, adhuc tamen interuenit aliquid ſeruile.

4 Abſolutè verò licere, excuſante conſuetudine, tenent Sà *Verbo* Feſtum *num.* 5. & Io. à Cruce *in Direct. Conſcien. par.* 1. *praecep.* 3. *ar.* 1. *concluſ.* 4.

5 Ego verò exiſtimo, quòd præciſa conſuetudo non poſſit excuſare; quia vt excuſet, debet eſſe rationabilis: non poteſt autem eſſe rationabilis, niſi interueniat aliqua neceſſitas; & tunc excuſat neceſſitas, non conſuetudo;

6 Quòd autem neceſſitas excuſet, nulli dubium eſſe poteſt. Quanta autem debeat eſſe hæc neceſſitas dubitari poteſt. Puto tamen, quod non debeat eſſe valde vrgens; ſed ſufficiat incommoditas communitatis; quod tunc contingere facilè poteſt, quando rara ſunt molendina: quia in hoc quoq; debet habere locum, quod in alijs operibus ſeruilibus conſideratur; vnde ſicut in alijs incommoditas excuſat, ita in hoc quoque debet excuſare.

7 Denique primam ſententiam veram cenſeo: quia, licet quando molendina vento, aut aqua agitantur, neceſſaria ſit aſſiſtentia, non tamen eſt neceſſe, quòd ſit continua, vt experientia conſtat: ſed ſufficit repetita quædam aduertentia, in qua inſumitur modicum tempus. Deinde, huiuſmodi aduertentia, & aſſiſtentia non eſt ſecùndum ſe ſeruilis, ſed ſolùm quatenus exit in aliquod opus externum: quod tamen contingit eſſe modicum, quia ſecùndum ſe eſt purè mentalis.

8 Atque ex eadem ratione hoc locum habet etiam in molendinis, quæ molunt beſtiarum opera, ſi contingat modicum tempus conſumi: eo quòd beſtiæ ita aſſuetæ ſint, vt ex ſe abſque alicuius continua aſſiſtentia ducant molendinum, vt frequenter contingit; quia tunc ſufficit imponere triticum, & extrahere farinam: in quo non multum temporis ſolet inſumi.

An excuſentur coquentes vitrum, calcem, lateres, ollas, & alia huiuſmodi in die feſto.

Deciſio CCXCV.

SVMMARIVM.

1 *Coctio calcis, laterum &c. continuari poteſt in die feſto.*
2 *Solam coctionem vitri poſſe continuari ſecùndum alios.*
3 *Qualibet ex his coctionibus poteſt incohari, & continuari.*
4 *Damnum, quod emergeret, reddit licitam continuationem.*
5 *Item facit licitum etiam inceptionem.*
6 *Quid faciendum, quando neceſſitas coquendi non eſt euidens.*

1 POſſe continuari coctionem, ſi incœpta ſit, non autem incipi, docet Caietan. *in ſum. verbo* Feſtor. *violatio*, quem ſequuntur Docti Iuniores, vt ait Sanchez *citandus*, & de ſola continuatione loquitur Filinccius *tractat.* 27. *cap.* 11. *num.* 211.

2 Non poſſe continuaei, nec incohari coctionem laterum, calcis, & ollarum, ſed tantum vitri: quæ etiam incohari poteſt, docent Sotus *lib.* 2. *De Iuſt. & Iure quaſt.* 4. *artic.* 4. *ad* 3. Sanchez *lib.* 5. *conſil. moral. cap.* 2. *dub.* 18. *num.* 23. Quia horum coctio non requirit continuationem tot dierum, quin poſſit fieri diebus profeſtis, ſicut requirit coctio vitri. Excuſant tamen, quando interuenit aliqua neceſſitas vel publica, vel priuata.

3 At non ſolùm poſſe continuari, ſi coctio incœpta ſit, ſed poſſe etiam incohari, ſiue ſit vitri, ſiue calcis, laterum, & aliorum huiuſmodi, tradunt Nauarr. *in ſum. capit.* 13. *num.* 6. Syluest. *verbo* Dominica *quaſt.* 5. Angelus *verbo* Feriæ *numer.* 19. Caietan. 2. 2. *quaſt.* 122. *ar.* 4. §. *In tertio caſu &c.* circa finem Pedrazza *Praecep.* 3. Facundez *lib.* 2. *in quinque praecept. Eccleſ. cap.* 14. *num.* 15. Suarez *tom.* 1. *De Relig. lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 3. *&c.* Bonacina *diſp.* 5. *de* 3. *praecep. Decal. quaſt. vnica puncto* 3. *num.* 13. Caſtr. Palaus *par.* 2. *tract. De obſeruat. Feſtor. diſput. vnica punct.* 10. *num.* 3. *in* 8. *cap. excuſat.* & alij.

4 Ratio autem eſt, non quia hæc opera tranſeant in ordinem eorum, quæ communia ſint ſeruis, & liberis, aut ordinem ipſorum imitentur; quia reuera remanent in ſuo eſſe ſeruili: cum non adſit, per quid ab ipſo extrahantur; ſed quia abſque notabili damno non poſſunt intermitti. Præceptum autem non obligat cum damno.

5 Quæ ratio valet etiam de incohatione coctionis; quia ſi differretur in ſequentem diem, licet poſſet compleri ante alterum diem Feſtum ſubſequentem, attamen aut non eſſet completa, quando altera materia eſſet coquenda, aut fornax frigeſieret, aut continuandus eſſet ignis; quæ omnia damnoſa eſſent, quia exigerent maiores expenſas.

6 Quæres, quid ſit faciendum, quando neceſſitas coquendi non eſt adeo euidens. Reſp. eſſe petendam diſpenſationem; quòd ſi diſpenſatio non poteſt commodè peti, aut propter diſtantiam loci, aut ex alio capite: tunc debet

bet ponderari neceſſitas, & conſiderari, an verè adſit, & deponi dubium: ita ut intellectus affirmet adeſſe neceſſitatem propter aliquod damnum euitandum, quod ſit alicuius conſiderationis. Quòd ſi non deponatur huiuſmodi dubium, non poteſt exerceri huiuſmodi opus ſeruile; quia operans cum dubio voluntariè ſe exponeret periculo peccandi.

An excuſentur exercentes opera ſeruilia in die feſto ob neceſſitatem ſuſtentandi ſe ipſos, & familiam.

Deciſio CCXCVI.

SVMMARIVM.

1 *Neceſſitas ſuſtentandi ſeipſum, & familiam reddit licita ſeruilia in Feſto.*
2 *Lex non obligat contra neceſſitatem.*
3 *Quando notabiliter læderetur ſtatus, neceſſitas facit licita ſeruilia.*
4 *Notabile damnum cenſetur, quando deeſſent quæ concernunt ſtatum.*
5 *Pater poteſt laborare in Feſto, vt ſeponat dotem filiæ.*
6 *Item etiam filiafamilias pro acquirenda dotali ſuppellectile.*
7 *Quando ſeruæ poſſint in Feſto reficere proprias veſtes.*
8 *Seruæ debent relinquere, longas orationes diebus profeſtis, ne cogantur in Feſto reficere proprias veſtes.*

1 EXcuſari à peccato, docent communiter Doctores, dummodo tamen audiant Miſſam, & vitent ſcandalum, & eorum exercitium eo vſque protrahant, quouſque ſufficiat ad ſubleuandam neceſſitatem. Ita Azor. *part. 2. lib. 1. capit. 1. quæſt. 4. ver. Quarto neceſſitatis etiam, &c.* Tolet. *lib. 4. ſum. cap. 25. num. 3.* Suarez *tom. 1. De Relig. lib. 2. cap. 32. num. 2.* Facundez *in quinque Præcep. Eccleſ. lib. 1. capit. 14. num. 7.* Bonacina *diſput. 5. de 3. Præcep. Decal. quæſt. vnica puncto 3. num. 13.* Caſtr. Palaus *par. 2. tract. de obſer. Feſt. diſp. vnica punc. 10. num. 3. circa ſextum caput.* Filiuccius *tract. 27. cap. 11. num. 211.* Pedrazza *in ſum. præcept. 3.* Caietan. *Verbo* Feſtor. *violatio* Syluester *verbo* Dominica *quæſt. 5.* Lopez *lib. 1. Inſtruct. cap. 52.* Fernandez *par. 1. Exam. Theol. capit. 7. §. 1. num. 6.* Sanchez *lib. 5. conſil. moral. cap. 2. dub. 18. num. 15.* Ioann. à Cruce *par. 1. direct. præcept. 3. art. 1. num. 4.*

2 Ratio autem eſt, Quia cum lex reſpiciat bonum, non obligat contra neceſſitatem, ſed ſubditur exigentiæ neceſſitatis; vnde eſt illud, quòd neceſſitas non habet legem, ex Cap. *Remiſſionem §. Finali 1. quæſ. 1.* & proinde vrgente neceſſitate ceſſat obligatio legis.

3 Quanta autem debeat eſſe huiuſmodi neceſſitas non explicant Doctores; & ideo in praxi dubitari poteſt, quænam ſufficiat ad excuſandum ab obſeruatione legis. Debet autem in hoc conſiderari ſtatus perſonæ pauperis, ſeu familiæ, quatenus conſeruatur per exercitium operis ſeruilis: quia, ſi notabiliter læditur ex eo, quòd abſtineatur ab opere ſeruili in die feſto, tunc lex abſtinendi non obligat, quia non obligat cum detrimento notabili proprij ſtatus; imò ſi ceſſat obligatio ex alijs capitibus, quæ ſunt minoris conſiderationis, vt conſtat ex *ſupradictis*, à fortiori debet in præſenti ceſſare.

4 Quia autem ſtatus eorum, qui ſibi victum acquirunt per exercitium operis ſeruilis, conſiſtit in victu, & veſtitu, & congruenti ſuppellectili domus: ideo quotieſcunque in his notabile detrimentum pateretur ſiue quò ad ſe, ſiue quò ad familiam, non tenetur ceſſare ab opere ſeruili. Tunc autem cenſetur pati notabile detrimentum quando non habet ea quæ congruunt illi ſtatui. Vnde, ſi ipſi deeſſet moderatum obſonium, aut veſtitus haud decens, aut neceſſaria ſuppellex, cenſeretur pati notabile detrimentum.

5 Ex his autem fit, quòd poſſit pater laborare in die feſto pro ſeponenda dote pro ſuis filiabus, quando aliter ſeponere non poteſt, niſi ſubtrahat familiæ neceſſaria, intra ſtatum proprium; Quia non tenetur ea ſubtrahere; nam ſubtrahendo pateretur notabile detrimentum; & alioquin dos pro filiabus eſt neceſſaria; & ideo ratione neceſſitatis excuſatur, ſi exerceat opus ſeruile.

6 Secundò colligitur. Filiamfamilias, quæ diebus profeſtis laborare debet ad victum quærendum, ita vt de lucro nihil, aut ſolùm parum aliquid ſuperſit detractis impenſis pro victu congruenti, poſſe in diebus feſtis laborare circa ſuppellectilem, quæ ſolet pro dote dari; quia in tali caſu excuſatur ratione neceſſitatis. Huiuſmodi namque ſuppellex eſt neceſſaria, & aliunde haberi non poteſt, & lucrum dierum profeſtorum expendi debet pro victu; & ſi quid ſupereſt, pro dote ſeponi poteſt; vnde reſtat ſolùm, vt laborando in diebus feſtis, illam modicam ſuppellectilem ſibi paret.

7 Tertiò. Sequitur poſſe ſeruas, à quibus dominæ in diebus profeſtis exigunt totale ſeruitium, ita vt nihil temporis liberi ipſis relinquant, in diebus feſtis laborare in proprijs

Digitized by Google

veſtibus reſarciendis. Hoc enim eſt ex neceſſitate factum: quia eas reſarcire neceſſarium eſt, & proinde neceſſitas excuſat: cum ſit eorum, quæ pertinent ad proprium ſtatum congruentem. Neque tenentur tempus ſomno ſubtrahere, ſi tantùm moderatum concedatur: quia ſi ſomnus moderatus ſit, eſt neceſſarius pro conſeruanda ſalute. Secus autem ſi excedat exigentiam boni ſtatus naturalis. An autem peccent dominæ non permittendo ſeruis tempus debitum pro reſarciendis veſtibus eſt alterius loci. Quod autem dictum eſt, etiam ad ſeruos extendi debet in ordine ad ea ſeruitia, quæ circa propriam perſonam neceſſaria ſunt.

8 Hic autem eſt aduertendum, quòd ſi ſeruæ conſueuerint diebus profeſtis recitare longas orationes, debent potiùs eas omittere, vt proprias veſtes reficiant, quàm reducere tale opus in diem feſtum. Quia debet præceptum præponi operi voluntario quantumuis bono. Quod ſi non præponant, non excuſantur ratione neceſſitatis, vt poſſint laborare in die feſto.

An excuſentur Agricolæ exercentes in diebus feſtis opera ſeruilia.

Decíſio CCXCVII.

SVMMARIVM.

1 *Agricolæ ratione neceſſitatis laborare poſſunt in feſto.*
2 *Extra neceſſitatem ex conſuetudine quadam minuta ſeruilia ſunt licita agricolis.*
3 *Quid faciendum agricolis, quando neceſſitas eſt dubia.*
4 *Quando cenſendum ſit, adeſſe neceſſitatem laborandi in feſto.*
5 *Quæ conſideranda ſint in expendenda hac neceſſitate. Tempore ſementis adeſt vt plurimum neceſſitas laborandi in feſto.*

1 Communiter Doctores reſpondent, excuſari, quando adeſt neceſſitas; vt cum deferunt fœnum in locum tutum, ne pluuia marceſcat, quando ſeminant, metuentes ne poſtea impediantur, quando metunt, metuentes, ne grana à tempeſtatibus lędantur, quando purgant granum, timentes, ne poſtea vento deſtituantur, & alia huiuſmodi præſtant, in quibus apparet neceſſitas ob vitandum aliquod notabile damnum. Quod deſumunt ex D. Th. 2. 2. *quæſ.* 122. *ar.* 4. *ad* 3. vbi docet, licitum eſſe laborare in die feſto ad vitandum proprium damnum imminens. Specialiter autem id tradunt, Caiet. *ibid.* §. *In tertio caſu.* Syluest. *Verbo* Dominica *quæſ.* 5. Sotus 2. *de Iuſt. & Iure quæſ.* 4. *ar.* 4. *ad* 3. *circa quartam cauſam excuſantem.* Tolet. *lib.* 4. *Sum. cap.* 25. *num.* 3. Filiuccius *tract.* 27. *cap.* 11. *num.* 211. Nauarr. *in ſum. cap.* 13. *num.* 7. Suarez *tom.* 1. *De Religione lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 3. Clauis Regia, *lib.* 7. *cap.* 2. *nu.* 6. Bonacina *diſp.* 5. *de* 3. *Præcept. Decal. quæſt. vnica punct.* 3. *num.* 13. Sanchez *lib.* 5. *conſil. Moral. cap.* 2. *dub.* 18. *num.* 10. Caſtr. Palaus *par.* 2. *tract. de obſeruat. Feſt. diſp. vnica puncto* 10. *num.* 3. *circa quintam cauſam excuſantem.* Facundez *lib.* 1. *in quinque Præcep. Eccleſ. capit.* 14. *num.* 11. Ioan. à Cruce *par.* 1. *direct. Præcep.* 3. *art.* 1. *num.* 4. Fernandez *par.* 1. *Exam. Theol. cap.* 7. §. 1. *num.* 6. & alij. Addunt autem, quod ſi neceſſitas non ſit certa, ſed dubia, debeat peti licentia, aut ab Epiſcopo, aut à Parocho.

2 Addit Sanchez *num. ſequenti*, quòd etiam ceſſante neceſſitate, ex conſuetudine antiquiſſima ſunt licita quædam minuta, quæ ſolent facere agricolæ: vt extendere ſegetes, dum ſunt in area, trituratam vertere, rigare, & alia huiuſmodi; quod ſimiliter doceri à doctis Recentioribus affirmat.

3 Sed inquiret aliquis; quid faciendum, quando neceſſitas eſt dubia: & inſuper is, ad quem ſpectat concedere licentiam, rudis eſt, aut nimis ſcrupuloſus: ita vt probabiliter cenſeatur, quod non ſit conceſſurus. Reſp. quòd in tali caſu poteſt conſulere viros prudentes ſuper ipſa neceſſitate, an ſit ſufficiens ad laborandum, & ſtare iudicio ipſorum, præſertim ſi ſint timoratæ conſcientiæ; tunc enim prudenter operabitur, quia operabitur ſecùndum iudicium prudentum, atque adeo tuta conſcientia. Quòd ſi neque adſint prudentes, quos poſſit conſulere, poteſt ipſe rem benè examinare, & iuxta id, quód ſibi magis probabile videtur, operari.

4 Verum rurſus dubitari poteſt, quando cenſendum ſit, adeſſe neceſſitatem laborandi in die feſto. Cui dubitationi reſpondet Caſtr. palaus *citat.* quòd regulariter tempore meſſis, & vindemiarum datur ſufficiens cauſa laborandi in die feſto, ſaltem cum diſpenſatione; quia regulariter adeſt periculum aduerſi temporis, & grauis damni.

5 Hæc tamen doctrina ſic abſolutè non placet: quia dat occaſionem laborandi abſque etiam neceſſitate. Vnde exiſtimo tempore meſſis, ſiue vindemiæ conſiderandam eſſe non ſolùm regionem, ſed etiam qualitatem temporis, quæ tunc currit: rurſus etiam commoditatem, vel incommoditatem recondendi fructus: quantitatem quoque meſſis, & vindemiæ, & alias circumſtantias, quæ poſſunt vel præſeruare à damno, vel ipſum augere: & ha-

bita

bita ratione omnium, conſiderare, an probabiliter contineat aliquod damnum; quia ſi nō imminebit, non aderit neceſſitas laborandi in die feſto. Non enim ſi regio eſſet regulariter illo tempore exempta à pluuijs, & regnaret ſerenitas, & meſſis eſſet paucorum dierum, adeſſet neceſſitas laborandi in die feſto. Tempore etiam vindemiæ licet ſoleant pluuiæ eſſe frequentiores, quia tamen faciliùs reconditur vna quam granum, nec à pluuia tantum patitur, quantum patiuntur grana, ideo cenſeo non adeſſe regulariter neceſſitatem laborandi in die feſto: ſed ſolùm, ſi pluuiæ ſint frequentiores ſolito, aut vindemia requirat multos dies: ita vt prudenter timeri poſſit damnum ex aduerſo tempore.

6 Tempore verò ſementis, quia vt plurimum tempus ſerendo parum inſeruit, ideo quando neceſſarij ſunt plurimi dies pro ſerendis agris, eo quòd multi ſunt; ideo tunc exiſtimo adeſſe ferè regulariter neceſſitatem laborandi in diebus feſtis: niſi ſerenitas adeo frequēs, & firmata ſit, vt prudenter cenſeatur ſufficere pro ſemente dies profeſtos.

An excuſentur ſubiecti, vt ſerui, filij, vxores, & alij, ſi exerceant ſeruilia opera in die Feſto, cogentibus ijs, quibus ſubijciuntur.

Deciſio CCXCVIII.

SVMMARIVM

1 *Nemo excuſatur, ſi in Feſto exerceat ſeruilia in contemptum fidei.*
2 *Excuſantur ſubiecti exercentes ſeruilia in Feſto, ne incurrant damnum.*
3 *An, qui ſingulis diebus conducuntur, excuſentur, ſi ex imperio conducentium exerceant ſeruilia.*
4 *An ad euitandam indignationem Superiorum poſſint ſubiecti exercere ſeruilia in feſto.*
5 *An famuli debeant deſerere dominos cogentes laborare in feſto die.*
6 *An ſaltem quando poſſint reperire alium dominum.*
7 *An quando famuli barbitonſorum coguntur laborare in feſto, debeant deſerere dominos.*
8 *An, ſi non excuſentur domini, excuſentur famuli barbitonſorum.*

1 NOn excuſari, ſi cogantur exercere opera ſeruilia in die feſto in contemptum Fidei, & Religionis, docent communiter Doctores, præſertim citandi: quia potiùs deberent mortem ſubire, quàm facere aliquid in contemptum Religionis. Verùm ex hoc fit, quòd ſi damnum notabile in rebus excuſat, ſi non abſtineatur ab opere ſeruili, multò magis debeat excuſare damnum notabile in perſona; & proinde in tali caſu ceſſat præceptum abſtinendi ab opere ſeruili, & ſolùm peccatur contra præceptum confeſſionis Fidei.

2 Excuſari, autem, quando, ſi non obedirent, incurrerent in aliquod damnum, docent Nauar. *in ſum. cap. 13. num. 7.* Azor. *2. par. cap. 27. quæſt. 4.* Clauis Regia *lib. 7. cap. 2. num. 8.* Tabiena *Verbo* Feriæ *num. 28.* Angel. *num. 9.* Caietan. *Verbo* Feſtum. *verſ. Tertiò ex neceſſitate* Philiar. *par. 2. de Officio Sacer. lib. 3. cap. 23.* Archidiac. *in Cap. Sacris De his, quæ vi, met. cauſa fiunt* Ioan. Benedict. *ſum. de Peccat. lib. 1. cap. 10. num. 3. in fine,* Lopez *lib. 1. inſtruct. conſcient. cap. 52.* Margarita *Precept. 3.* D. Anton. *2. part. tit. 9. cap. 7. §. vltimo.* Filiuccius *tract. 27. capit. 11. num. 211.* Tolet. *in ſum. lib. 4. cap. 25. num. 3.* Sanchez *lib. 5. opuſ. Moral. cap. 2. dub. 18 numer. 16. & 17.* Suarez *tom. 1. De Religione lib. 2 cap. 33. num. 4.* Facundez *lib. 1. in quinque Pracep. Eccleſ. cap. 14. num. 7.* Caſtr. Palaus *par. 2. tract. De Feſtor. obſer. diſp. vnica puncto 10. num. 3. in 7. cap. neceſſitatis,* Bonacina *diſp. 5. de 3. Pracep. Decal. quæſt. vnica, puncto 3. num. 17.* Sà *Verbo* Feſtum. *num. 7.* Fernandez *par. 1. Exam. Theol. cap. 7. §. 1. num. 7.* Vnde opinio communis eſt, & tenenda; quia generalis ratio vitandi damnum excuſat etiam in hoc caſu. Oportet tamen alia magis in ſpeciali declarare.

3 Et primò dubitari poteſt, an præſens doctrina ſe extendat ad eos, qui pacta mercede pro ſingulis diebus conducuntur, aut quibus ſolùm datur ſtipendium magnum, aut paruum iuxta opus, quod faciunt. Et quidem extendi, ſi timeant aliquod damnum, ſi non laborent prout exiguntur, certum eſt ex tradita doctrina. Verùm exiſtimo adhuc extendi, etiam ſi non inde timeant damnum; quia adeſt præſumptio in fauorem exigentis ipſorum operam, quòd iuſta de cauſa exigat; vnde vt iuſtè petenti concedi poteſt. Cum enim ſoluant mercedem proportionatam operi, & nihil ipſi inde lucri habeant, præſumi debet, quòd ex neceſſitate exigant huiuſmodi operam ſeruilem: cum alioquin ſint bonæ famæ: & non quòd velint contrauenire præcepto ſanctificationis feſtorum.

4 Secundò dubitari poteſt. An indignatio dominorum, ſeu parentum cenſenda ſit graue damnum in præſenti materia. Reſp. affirmatiuè, quando eſt futura diuturna. Quod etiam notauit Caſt. Palaus *ſupracit.* ſecus au-

tem ſi ſtatim ſit tranſitura. Nam indignatio Superiorum lædit in animo; quia cauſat notabilem triſtitiam, & inquietudinem; ſicut autem animus præſtat corpori, ita etiam damnum animi maioris eſt ponderis, quàm damnum in bonis corporis; vnde quando indignatio eſt futura diuturna, damnum quoque cenſendum eſt graue ratione diuturnitatis.

5 Tertiò. An teneantur famuli deſerere dominos, à quibus coguntur laborare in die feſto. Reſpondet Sanchez *ſupracitatus numer. ſequenti* cum Nauar. Quòd ſi obligati ſint famulari vſque ad certum tempus, non tenentur deſerere, niſi finito illo tempore. Tunc autem, ſicut & alios qui ſunt liberi, teneri deſerere, niſi ex hoc incurrant graue damnum; quale eſſet, ſi non inuenirent alium dominum in alia ciuitate, vel fame premerentur. Verùm exiſtimo non ſolùm hoc cenſendum eſſe graue damnum, ſed etiam ſi in lucro notabiliter læderētur; quod præſertim habet locum, ſi toto illo lucro indigeāt ad ſe familiamq; ſubſtentandam iuxta proprium ſtatum. Similiter etiam ſi incurrerēt grauem indignationem domini, quem desererent: ex qua probabiliter aliquod damnum timerēt, aut aliquod ſimile incommodum ſentirent.

6 Sed quid dicendū, quando poteſt ſeruus quidē reperire alium dominū abſq; eo quòd percipiat aliquod damnum, ſed tamen cum difficultate? Reſp. Quòd licet ſit ſui iuris, non tenetur deſerere dominum, quouſque alium inueniat; quia ſi difficilè eſt inueniendus, pro toto illo tempore, in quo non inuenit, idem eſt, ac ſi non poſſit inueniri, & ſentit totum illud incommodum, quod ſentiret, ſi abſolutè non poſſet inueniri.

7 Quod verò docet Sanchez *eodem lib. 5. Conſil. Moral. cap. 2. dub.* 18. *num.* 19. Quòd famuli barbitonſorum, qui coguntur laborare in diebus feſtis, ſi ſint liberi, nec obligati ad ſeruiendum, tenentur relinquere dominum, ſi alium poſſunt in eadem ciuitate reperire, à quo non cogantur laborare in diebus feſtis; non placet; Quia, vt vidimus *in ſuperioribus*, barbitonſores, vt plurimum, excuſantur vel ratione conſuetudinis, vel ratione paruitatis materiæ, vel ex aliquo alio capite; vnde eadem ratione excuſari poſſunt famuli.

8 Cum autem famuli ob eandem rationem, & ex iiſdem capitibus excuſentur, quæ vt plurimum concurrunt, ſi aliquando contingit non excuſari dominos, famuli tamen adhuc excuſantur, quia non pertinet ad ipſos diſcernere, quando adſit legitima cauſa laborandi, & quando non: quia ſunt ſub directione dominorum, ad quos hoc ſpectat. Et cum vt plurimùm adſit cauſa excuſans, poſſunt præſumere quòd ſemper adſit, niſi oppoſitū ipſis conſtet.

An liceat laborare in die feſto advitandum ocium.

Deciſio CCXCIX.

SVMMARIVM.

1 *Puellas poſſe in die feſto laborare ad vitandum ocium ex quorumdam ſententia.*
2 *Quanam id ſuadeant.*
3 *Solùm habet locum hac doctrina, quando laborare eſt medium neceſſarium.*
4 *Raro poteſt eſſe medium neceſſarium.*
5 *Media mala non fiunt licita ex bono fine.*
6 *Quando intentio operantis ſit menſura operationis.*
7 *Bona fides poteſt excuſare laborantes in feſto ad vitandum ocium.*
8 *Non poteſt præſumi benigna permiſſio Eccleſiæ, quòd puellæ laborent in feſto ad vitandum ocium.*
9 *Opus ſeruile non deſinit eſſe ſeruile ex eo, quòd ordinetur ad vitandum peccatum.*

1 LIcere puellis laborare in die feſto ad vitandam ocioſitatem, docent Sylueſter *Verbo* Dominica *quæſt. 5. concluſ. 4.* Margarita *præcepta 3.* Sà *Verbo* Feſtum *num. 6.* Io. à Cruce *par. 1. Direct. Conſcien. præcept. 3. art. 1. dub. 1. concluſ. 4.* Villalob. *in Manuali cap. 22. num. 99.* & *par. 2. ſum. tract. 32. difficult. 4. num. 10.* Marchant. *in Reſol. Doct. ſuper Decal. cap. 3. quæſt. 2.* Ghilin. *in ſum. verbo* Feſtum *num. 2.* Ad vitandum autem occaſionem proximam peccati, ſiue hæc ſit otioſitas, ſiue quæcunque alia, tradit Naldus *in Sum. Verbo.* Feſtum *num. 7.* qui citat etiam Philiar. *De officio Sacerd. lib. 3. cap. 23. in fine par. 2.*

2 Prob. Quia cum intendatur ad euitandum peccatum, non videtur imputandum ad peccatum; quia quicquid agunt homines, intentio iudicat omnes. Secūdo, Quia hoc videtur fieri ex morali neceſſitate vitandi otium, ſiue peccatum; & ex benigna permiſſione matris Eccleſiæ. Tertio Quia idem opus poteſt eſſe ſeruile, & non ſeruile, variatis circumſtantijs; vnde non eſt cenſendum ſeruile, quando ordinatur ad vitandum peccatum, cum ordinetur ad ſalutem animæ.

3 Verùm hanc doctrinam habere locum tunc ſolùm exiſtimo, quando opus ſeruile eſt medium neceſſarium ad vitandum peccatum: ita vt non adſint alia media; quia tunc deſinit eſſe prohibitum; cum enim medium ſequatur naturam finis, cum finis, nempe vitare peccatum, ſit neceſſarius, medium quoque nempe

opus

opus ſeruile, euadet neceſſarium, atque adeo non prohibitum.

4 Rarò tamen poteſt eſſe medium neceſſarium ad vitandum peccatum: quia adſunt plura alia media non prohibita ad vitandam otioſitatem; quia ſemper adſunt honeſtæ recreationes non prohibitæ in die feſto, quibus otioſitas vitari poteſt. Et ideo refellunt allatam ſententiam Caſtr. Palaus *par. 2. tract. De Feſtor. obſer. diſp. vnica punct. 10. num. 3. in fine.* Sanchez *lib. 5. Conſil. Moral. cap. 2. dub. 18. num. 12.* Bonacina *diſp. 5. de 3. præcepto Decalog. quæſt. vnica punc. 3. num. 7. in fine* iunctis ijs, quæ tradit *puncto 2. num. 25. in fine.*

5 Ratio autem eſt, Quia media, quæ ſunt ex ſe mala, & prohibita, non euadunt bona, & licita ex eo, quòd ordinentur ad finem bonum: vnde quia furari eſt ex ſe malum: ex eo quod ordinetur ad eleemoſynam faciendam, aut ad fugiendum aliquod malum, vt eſſet homicidium, non fit licitum. Vnde eum exercere opus ſeruile in die feſto ſit de ſe malum non euadet licitum ex eo, quòd ordinetur ad fugiendam occaſionem proximam peccati.

6 Ad 1. Reſp. Intentionem iudicare omnes in ijs, quæ agunt, quando bonitas operationis, vel malitia dependet ab intentione ſola; tunc enim ex ipſa, atque adeo ex fine, iudicatur operatio: ſecus autẽ quando operatio de ſe eſt mala; quia non poteſt fieri bona ex quocunque bono appoſito, niſi præter finem concurrant aliæ circumſtantiæ per quas ab ipſa auferatur malitia: vnde mentiri nunquam deſinet eſſe malum, etiam ſi ordinetur ad bonum finem.

7 Solum contingere poteſt, quòd quis excuſetur ex bonâ fide; quia videlicet exiſtimet licita eſſe opera ſeruilia in die feſto ad vitandam occaſionem peccati, ſeu etiam otioſitatem: quia tunc eligit medium, quod putat non eſſe ampliùs malum ratione finis, ad quem ordinatur.

8 Ad 2. Non adeſſe moralem neceſſitatem; quia adſunt alia congrua media, quibus otiũ, & occaſio proxima peccandi vitetur; vnde neque præſupponi poteſt benigna permiſſio Eccleſiæ; quia nulla adeſt ratio, ob quam præſupponi poſſit; vndè irrationabiliter præſupponeretur.

9 Ad 3. Quicquid ſit, an idem opus poſſit eſſe ſeruile, vel non ſeruile iuxta diuerſitatem circumſtantiarum. Hoc certum eſt, quòd opus ſeruile non deſinit eſſe tale ex eo, quòd ordinetur ad vitandum peccatum; quia vitare peccatum non eſt circumſtantia operis, ſed finis extrinſecus: tunc autem ſolum poteſt opus ſeruile deſinere eſſe ſeruile ratione circumſtantiarum, (ſi modò poteſt) quando circumſtantiæ ipſum afficiunt, ita vt mutent naturam ipſius; quod non præſtat finis extrinſecus operantis.

Ad quantam temporis partem extendatur paruitas materiæ excuſans à mortali in exercitio operum ſeruilium in diebus Feſtis.

Deciſio CCC.

SVMMARIVM.

1 *In exercitio operis ſeruilis in die Feſto paruitas materiæ non pertingit ad integrum horam.*
2 *Integra hora ſecundum alios eſt paruitas materiæ.*
3 *Minus, quam duæ horæ conſtituit paruam materiam ex aliorum opinione.*
4 *Et duas horas eſſe paruam materiam tradunt alij.*
5 *Tres horæ quoque conſtituuntur paruitas materiæ.*
6 *Illa eſt parua materia; quæ non tollit, quia dies cenſeantur moraliter conſecratus Deo.*
7 *Tertia pars non tollit quin dies ſit moraliter conſecratus Deo.*
8 *Hæc tertia pars debet ſumi de eo tempore quod ſolet inſumi in opere ſeruili.*
9 *Non poteſt dies cenſeri moraliter conſecratur Deo niſi ſaltem per duas partes temporis deputati operi ſeruili ceſſetur ab ipſo.*

1 NOn extendi ad integram horam docet Bonacina *diſp. 5. De 3. Præcep. Decal. qu. vnica. punc. 3. num. 2.* Reginald. *tom. 2. praxis lib. 16. cap. 3. num. 53.* Ioann. à Cruce *par. 1. direct. Conſcient. Præcep. 3. art. 1. num. 4.* qui addit, hoc idem teneri à viris doctis. Verùm hæc opinio nimis ſtrictè procedit, cum integra hora non ſit notabilis pars diei.

2 Itaque alij communiter cenſent, integram horam eſſe materiam paruam, quæ excuſet à peccato mortali. Quantus autem debeat eſſe exceſſus ſupra integram horam, vt adhuc paruitas excuſet, non determinant: ſed aſſerunt id relinquendum iudicio prudentis viri. Ita Azor. *tom. 2. lib. 1. cap. 28. quæſt. 5.* Suarez *tom. 1. De Relig. lib. 2. cap. 31. num. 2.* Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 1. capit. 4. num. 18.* Facundez *lib. 1. in Præcep. Eccleſ. cap. 14. num. 2.* Palaus *par. 2. tract. de Obſer. Feſt. diſput. 2. punct. 3. num. 4.* & alij.

3 Sanchez autem *lib. 6. opuſ. capit. 2. dub. 31.* docet duas horas eſſe quantitatem ſufficientem

tem

tem ad mortale, minùs autem, quàm duas horas non ſufficere.

8 Rurſus alij volunt duas integras horas eſſe paruam quantitatem, atque adeo excuſare à mortali. Ita Granad. *in* 1.2. *controuer.* 6. *tract.* 2. *diſp.* 2. *ſect.* 6. *num.* 54. Filiucc *tom.* 2. *tract.* 27. *cap.* 11. *num.* 205. Ioan. Henriquez *cap.* 7. *Compend. Caſ moral. num.* 4. Diana *par.* 2. *tractat.* 15. *ſeu* 1. *Miſcellan. Reſol.* 36. *ver. Quænam verò*, & *par.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 9. *in fine*, & *par.* 5. *tract.* 5. *De paruit. materia Reſol.* 6. Lector Theologiæ Moral. in Congreg. Archiepiſ. Bononienſ. in deciſ. caſus 1. Menſis Ianuar. 1634. Quia nimirum paruitas materiæ, non ſecùndum ſe abſolutè conſideranda eſt, ſed reſpectiuè ad totam materiam præceptam, vt etiam notat Sanchez *tom.* 1. *ſum. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 18. duæ autem horæ ſunt parua quantitas reſpectu totius diei, cum ſint tantùm duodecima pars.

5 Adhuc autem ampliùs extenditur à Marchant. *in quaſt. Paſtoral. cap.* 3. *qu.* 2. vult enim, tres horas eſſe paruam materiam excuſantem à mortali. Quia ſimiliter octaua pars reſpectu totius diei cenſetur exigua pars.

6 Hæc autem in hac difficultate mihi videtur poſſe reſponderi, ſaluo meliori iudicio, nempe illam quantitatem cēſendam eſſe paruam, quæ inſumpta in opere ſeruili, non tollit, quin dies cenſeatur moraliter ſanctificatus quò ad ceſſationem ab opere ſeruili. Moueor, quia præceptum ſanctificandi Feſta per ceſſationem ab opere ſeruili, non reſpicit aliquid indiuiſibile, quod non admittat ſecum aliquod exercitium operis ſeruilis, ſed aliquid diuiſibile, quod poteſt ſtare cum tali exercitio. Ex quo fit, quòd præceptum reſpiciat talem ſanctificationem quò ad ſubſtantiam, non quò ad omnimodam integritatem; & ideo ſi dies adhuc cenſetur moraliter ſanctificatus, non violatur grauiter præceptum: quia manet ſecùndum ſubſtantiam quod præcipitur.

7 Si autem tertia pars diei inſumatur in opere ſeruili, adhuc dies cenſebitur moraliter ſanctificatus, quia ſi per medietatem ceſſeretur, & per alteram medietatem non ceſſaretur, non eſſet magis ſanctificatus, quam non ſanctificatus; ſi ergo fiat ceſſatio per duas partes cenſebitur moraliter ſanctificatus: quia vnumquodque æſtimari debet, & determinari ſecùndum id, quod præponderat. Sic etiam quis cenſetur audire Miſſam, & ſatisfacere præcepto ſecùndum probabilem opinionem multorum ſi ſolùm ad Euangelio incipiat audire, & tamen tunc omittitur ferè tertia pars.

8 Aduertendum tamen eſt, quòd iſta tertia pars, quæ cenſetur parua quantitas, non eſt accipienda reſpectu totius integri diei, vt nonnulli voluerunt, quorum ſententia communiter reijcitur; ſed reſpectu illius temporis, quod commodè, & regulariter ſolet inſumi in opere ſeruili. Vnde ex viginti quattuor horis detrahendum eſt totum illud tempus, quod in dormiendo, comedendo, ſeu alio modo inſumi ſolet, & reliquum diuidendum in tres partes. Ratio eſt, quia ſi ſumeretur tertia pars reſpectu totius diei, plus temporis inſumeretur in opere ſeruili, quam in ceſſatione poſitiua ordinata ad ſanctificationem diei, & propria feſti diei; nam ceſſatio, quando quis dormit, aut comedit, non eſt propria diei feſti.

9 Neque in hoc habet locum, quod ait Suarez *tom.* 1. *De Relig. lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 2. Nimirum poſſe aliquem inuincibiliter decipi, & putare, quòd pars grauis non ſit talis. Nam ipſo lumine naturali conſtat, quòd non poteſt dies moraliter cenſeri ſantificatus, niſi ceſſatio ab opere ſeruili ſpecialiter inſtituta prò ſanctificatione excedat, & exceſſus ſit notabilis: quod fieri non poteſt, niſi ceſſatio pertingat ad duas partes. Verùm hæc relinquo alieno iudicio perpendenda, nec aliquid decerno.

An, ſi quis efficiat, ut multi in die Feſto exerceant opera ſeruilia pro eo tempore, pro quo ſinguli ſeorſim non peccent mortaliter, peccet ipſe mortaliter.

Deciſio CCCI.

SVMMARIVM.

1 *Facientes exercere ſeruilia à pluribus pro eo tempore tantum, pro quo non peccant, nec ipſi peccant.*

2 *Preceptum ſanctificandi Feſta ſolùm proprio opere ſeruili violatur.*

3 *Quomodo opus ſeruile ſit contra preceptum ſanctificandi Feſta.*

4 *Furta leuia non faciunt vnum graue, ad niſi aliquo modo continuentur.*

1 RESP. non peccare mortaliter, cum Sanchez *tom.* 1. *ſum. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 12. Bonacina *diſp.* 2. *De peccatis quaſt.* 3. *punct.* 5. *num.* 26. *ver. Ob eandem*, & *precep.* 3. *Eccleſ. diſput.* 5. *quaſt. vnica punct.* 3. *numer.* 4. Ratio autem eſt, Quia non peccat mortaliter quia ipſe faciat contra preceptum ſanctificandi feſta, vt per ſe patet: nec quia inducat alios ad tranſgrediendum,

diendum, & peccandum; quia ex eo præciſè, quòd quis inducat ad peccandum, non plus peccant, quàm peccent illi, qui inducuntur; illi autem qui laborant modico tempore in die feſto, non peccant mortaliter.

2 Dices, Peccare, quia tota illa materia continuatur, atque adeo opus ſeruile eſt quid magnum. Contra. Quia præceptum ſanctificandi feſtū eſt perſonale: & ſicut impletur propria ceſſatione ab opere ſeruili, ita etiam ſolùm proprio opere ſeruili violatur. Hinc autem fit, quòd quilibet habeat propriam obligationē, quæ non communicat cum obligatione alterius; vnde impleri, & violari poteſt omnino independenter ab alterius obligatione; & ideo nec tota illa materia continuari poteſt: quia eſt contra diuerſas obligationes perſonales, quæ non continuantur.

3 Rurſus dices. Quòd licet illa materia non continuetur reſpectu laborantium, continuatur tamen reſpectu imperantis; quia tota cadit ſub intentionem ipſius. Sed neque hoc obſtat; quia, vt materia aliqua ſit obiectum peccati mortalis, non ſufficit vt quomodocunque continuetur, ſed debet continuari, vt eſt contra præceptum; nam quæcunque alia continuatio per accidens ſe habet; opus autem ſeruile non eſt contra præceptum ſanctificandi feſta, vt eſt intentum: ſed vt eſt exercitum; hoc autē exercitum non continuatur, quia eſt opus diuerſorum, & contra diuerſas obligationes perſonales. Imò intendens illud opus, intendit abſque continuatione: quia intendit vt exercendum à pluribus: atque adeo non intendit vnam materiam, ſed plures leues.

4 Contra prædicta vrget difficultas. Quia ſi quis inducat plures ſingulos ad aliquid leue furandum, peccabit mortaliter, ſicut peccat mortaliter, qui à pluribus ſingulis aliquid leue furatur; peccabit ergo mortaliter etiam qui inducit plures ſingulos ad exercendum leue opus ſeruile in die feſto. Reſp. Quòd neque in furto conſurgit peccatum mortale ex pluribus leuibus furtis, niſi illa continuentur, & aliquo modo in vnicum furtum coaleſcant. Hinc ſi quis induceret plures, vt ſinguli à pluribus aliquid leue furarentur non peccaret mortaliter: quia tunc illa furta non continuarentur: quia eſſent volita vt diſtincta, & vt ſingula in ſe leuia. Vnde eadem ratione in caſu noſtro, cum non continuentur illa paruæ opera ſeruilia, non fundabunt peccatum mortale reſpectu imperantis.

An, ſi quis efficiat, vt plures, ſed ſinguli aliquid modicum laborent in die feſto, ita vt non pertingat ſeorſim ad mortale, ob lucrum quod inde percipit, peccet mortaliter.

Deciſio CCCII.

SVMMARIVM.

1 *Facere laborare plures in die feſto modico tempore ob lucrum videtur mortale.*

2 *Reuera non eſt mortale: quia lucrum non facit mortale quod ex ſe non eſt tale.*

3 *Violatio Feſti ratione operis ſeruilis non eſt grauis in præcipiente, niſi ſit grauis in exequentibus.*

4 *Opera ſeruilia à pluribus exercita non continuantur, quia ordinentur ad idem lucrum.*

1 HVnc caſum in particulari non reperio apud Doctores; ex dictis tamen facilè ſolui poteſt. Et videtur reſpondendum, quòd peccet mortaliter; quia vult illa opera ſeruilia, quæ ſeorſim non eſſent peccatum mortale, per modum vnius; quia vult vt vnicam adæquatam cauſam talis lucri; vnde videntur continuari, & efficere vnicum opus ſeruile pertingens ad peccatum mortale.

2 Dicendum tamen eſt; Non peccare mortaliter; Quia intentio lucri non eſt mala, niſi lucrum dependeat à medio malo ſecùndum ſe; illa autem opera ſeruilia, quæ aſſumuntur vt medium ad lucrum, non ſunt peccatum mortale ſecùndum ſe: & ideo nec fiunt mortale ex intentione lucri. Non ſunt autem peccatum mortale ſecùndum ſe, quia ſinguli, qui ea exercent, in leui materia tranſgrediuntur præceptum, & qui imperat, ſolùm peccat quatenus eſt cauſa transgreſſionis præcepti; vnde tantùm venialiter peccat, ſicut tranſgreſſio, cuius eſt cauſa, eſt venialis.

3 Si autem dicas. Eſſe cauſam tranſgreſſionis grauis: quia leuis tranſgreſſio eſt in pluribus. Reſp. Non poſſe eſſe grauem reſpectu ipſius, niſi etiam ſit grauis in ijs, in quibus eſt; quia ipſe non violat præceptum, ſed tantùm facit violare; vnde niſi violatio ſit grauis in ijs, à quibus fit, nec ipſe quoque erit cauſa grauis tranſgreſſionis. Non eſt autem grauis in ijs, à quibus fit: quia ſinguli violant in materia leui, nec violatio vnius continuatur cum violatione alterius; quia eſt contra diuerſas obligationes perſonales; vnde diſparatè ſe habent: ſicut ſi plures in eodem die leuiter frangerent ieiunium.

4 Ad

4 Ad rationẽ in oppoſitũ Reſp. illa opera ſeruilia continuari reſpectu lucri, quatenus fiunt vna cauſa ipſius: non autem in ratione tranſgreſſionis, ſeu materię prohibitę; quia vt talia, conſiſtunt in ipſo exercitio, & dicunt ordinem ad exercentẽ; vnde non ſunt materia grauis, niſi ſint talis reſpectu exercentis.

An, ſi opus ſit continuum per totum diem, & plures ſucceſſiuè circa ipſum laborent, ſed ſinguli pro ſolo tempore, quod ratione paruitatis excuſat à mortali, peccent ipſi mortaliter, & ille quoque, qui facit eos laborare.

Deciſio CCCIII.

SVMMARIVM.

1 *Plures ſinguli pro modico tempore, ſi laborent in eodem opere continuo, toto die feſto, videntur peccare mortaliter, ſicut & qui eos facit laborare.*

2 *Reuera non peccant, qui laborant.*

3 *Si plures laborent ſimul in eodem opere ſeruili pro modico tempore, non peccant mortaliter.*

4 *Nec qui facit eos laborare ſiue ſimul, ſiue ſucceſſiuè.*

5 *In hoc caſu non interuenit notabilis contrarietas ad præceptum.*

6 *Exercitium operis ſeruilis vnius non eſt contra præceptum vt obligat alterum, ſed tantùm vt obligat exercentem.*

1 MAiorem difficultatem continet propoſitus caſus, Quia adeſt continuatio operis: quod licet ſit à diuerſis, eſt tamen vnum; & ideo materia grauis contra ſanctificationem feſtorum.

2 Exiſtimo tamen, eos, qui laborant in tali opere pro illo tantùm tempore, quod eſt materia parua, non peccare mortaliter, quia nullus illorum magis violat ſanctificationem feſtorum, quàm violaret, ſi cœteri non laborarent in eodem opere; nam cum quilibet habeat propriam obligationem perſonalem, quę non communicat cum obligatione alterius: & hæc obligatio non reſpiciat opus ſeruile alterius, ſequitur quòd quilibet violet præceptum ſolùm per proprium opus ſeruile, & non per opus ſeruile alterius: præſertim, quia non ita illi prohibetur opus ſeruile, vt ſi exerceat, prohibeatur etiam coniungere cum opere ſeruili alterius; & ideo ſi opus ſeruile ipſius eſt modicum, non peccat mortaliter, quamuis coniungatur cum opere ſeruili alterius; quia per hoc, opus ſeruile alterius non fit opus ſeruile ipſius.

3 Quod etiam ex eo conſtat, quòd ſi plures laborarent ſimul pro modico tempore in eodem opere, ita tamen vt opus eſſet magnum, & exigeret laborem vnius per integrum diem: tunc illi non peccarent mortaliter; quia præceptum præcipit ſanctificationem in ordine ad tempus; & ideo parùm refert, quod opus ſecùndum ſe ſit magnum, vel exiguum, dummodo tempus non ſit notabile ita vt faciat tranſgreſſionem grauem.

4 Deinde neq; eum, qui facit plures pro modico tempore laborare in eodem opere, puto peccare mortaliter. Non enim peccat mortaliter, quia alios inducat ad peccandum mortaliter; cum ipſi, vt dictum eſt, non peccent mortaliter; nec quia faciat contra præceptum ſanctificationis: ſi quidem ipſe non laborat ſeruiliter. Quapropter ex nullo capite videtur poſſe peccare.

5 Non enim poteſt dici quòd peccet, quia ſit cauſa operis ſeruilis notabilis; quia in præcepto ſanctificationis feſtorum, non eſt attendenda notabilitas operis, cum hæc materialiter ſe habeat; ſed notabilitas contrarietatis ad præceptum: quæ in hoc caſu non interuenit, quia opus ſeruile non contrariatur præcepto, niſi prout exercitum ab eo, qui tenetur ſanctificare feſtum; in hoc autem exercitio non adeſt notabilitas: quia à nemine in notabili quantitate exercetur; & ideo non eſt cauſa notabilis contrarietatis ad præceptum.

6 Et quamuis opus continuetur, hæc tamen continuatio materialiter tantùm ſe habet, non autem eſt in contrarietate ad pręceptum; quia exercitium operis ſeruilis eſt tantùm contra obligationem, quam quiſque habet, non autem contra obligationem alterius; & ideo illæ paruæ materiæ non continuantur in ordine ad violationem præcepti, quia ſunt contra diſtinctas obligationes, quæ ſicuti non continuantur, ita nec faciunt, quòd plures leues transgreſſiones ſint vna tranſgreſſio. Quam doctrinam generalem tradit etiam Sanchez *tom.* 1. *Sum. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 12. vt referemus Deciſ. *ſequenti*.

An

An, ſi quis habeat intentionem exercendi opus ſeruile ſingulis diebus feſtis, ſed pro modico tempore, excuſetur à mortali.

Deciſio CCCIV.

SVMMARIVM.

1 *Habens intentionem exercendi ſeruilia pro modico tempore ſingulis Feſtis, non excuſatur à mortali.*

2 *Rectiùs dicitur excuſari; quia illa modica non faciunt vnam notabilem materiam probibitam.*

3 *Probibitio ſeruilium eſt affixa ſingulis diebus feſtis, & in nono die adeſt noua probibitio.*

1 NOn excuſari à mortali tradunt Tolet. *lib.4.ſum. cap.25.num.1.* Facundez *lib.1. de quinque præcep. Eccleſ. cap.14. num.3.* quia licet detur diſcontinuatio in diebus, datur tamen continuatio in materia. Deinde cum præceptum abſtinendi ab opere ſeruili ſit negatiuum, præcipitur ne extendatur opus ſeruile in diuerſis diebus.

2 At non peccare mortaliter tenendum eſt cum Sanchez *tom.1. ſum. cap.4. num.12.* & *lib.5. conſil. moral. cap.2. dub.31. num.5.* Bonacina *diſp.5. de 3. præcep. Decal. quæſt. vnica puncto 3. num.3. ver. Ego vero.* Nam illa modica opera ſeruilia ſingulis diebus feſtis exercita non continuantur in tempore, vt per ſe patet, nec in materia; quia licet ſimul cadant ſub intentionem, non tamen euadunt vnica materia grauis prohibita. Quæro enim contra quã obligationem exiſtant, prout faciunt vnam materiam notabilem? Non contra obligationem huius, vel illius diei feſti determinatè; quia illud tantùm opus ſeruile eſt contra ipſam, quod in ipſa exercetur; non contra obligationem omnium; quia non eſt vna omnium obligatio, ſed peculiaris cuiuſcunque diei, quæ cum ipſa die extinguitur, nec tranſit ad aliam: vnde opus vnius diei feſti non eſt contra obligationem alterius; & ſicut obligationes non continuantur, ita nec opus ſeruile, quatenus contrariatur præcepto. Hinc patet ad primam rationem oppoſitæ ſententiæ.

3 Ad ſecundam, Opus ſeruile prohiberi in die feſto per præceptum negatiuum ſecundarium. Quia autem hoc præceptum eſt affixum diei, ideo ſolùm prohibetur opus ſeruile in illo die, nec prohibitio extenditur ad alium diem feſtum, ſed in ipſo conſurgit noua obligatio affixa eidem diei; & ideo non prohibetur opus ſeruile, cum continuatione, ſed diſiunctim pro quolibet die.

An excuſetur à mortali, ſi quis pluribus vicibus, ſed ſingulis modico tempore laboret circa opus ſeruile in die feſto.

Deciſio CCCV.

SVMMARIVM.

1 *Exercens ſeruilia pluribus vicibus in eodem feſto, licet ſingulis modico tempore, peccat mortaliter.*

2 *Modica exercitia ſeruilia in eodem die continuantur in contrarietate ad præceptum licet tempore diſiuncta.*

3 *Si excuſaretur à mortali, finis præcepti fruſtraretur.*

1 REſpon. non excuſari. Ita Santhez *tom.1. ſum. lib.1. cap.4. num.12.* Quod ſimiliter docet Vaſquez *1.2. diſp.158. cap.6. num.6.* quo ad ieiunium, aſſerens violari, ſi quis in eodem die ſæpius aliquid modicum comedat.

2 Ratio eſt, Quia illa modica opera ſeruilia, quamuis diſiuncta ſint quò ad tempus, continuantur tamen in contrarietate ad præceptum, & conſtituunt aliquid notabile contra ipſum; nam obligatio abſtinendi ab opere ſeruili eſt vna, & eadem, quæ durat toto die; vnde quodlibet opus ſeruile eſt contra ipſam, & ideo omnia communicant in eadem contrarietate; & fiunt vnum quid notabile contra præceptum.

3 Quòd etiam ex eo conſtat, quia ſi excuſaretur à peccato mortali, fruſtraretur finis legis, qui eſt ſanctificatio Feſtorum; poſſet enim quis per duas, aut etiam tres partes diei exercere opus ſeruile, ipſum frequenter interrumpendo, ita vt quælibet portio eſſet ſemper modica quantitas.

An

Digitized by Google

An peccet mortaliter, qui exercet opus ſeruile in die feſto putans ſe habere legitimam cauſam, licet reuera non habeat.

Deciſio CCCVI.

SVMMARIVM.

1 *Non peccat, qui putans habere legitimam cauſam, exercet ſeruilia, licet non habeat.*
2 *In tali caſu bona fides tollit intentionem contrariam præcepto etiam indirectam.*
3 *Putans ſe habere ſufficientem cauſam, non tenetur inquirere, an ſit ſufficiens.*

1 RESp. cum Caietan. in *ſum. verbo* Feſtorum *violatio* Sanchez *lib. 5. conſil. moral. cap. 2. dub. 31. num. 2.* Non peccare. Quod generaliter in omnibus præceptis docent Nauar. *cap. 23. ſum. num. 43.* vt idem Sanchez *tom. 1. ſum. c. 17. num. 18. & ſequent.*
2 Ratio autem eſt, Et quia adeſt bona fides, & opus appreheuditur vt licitum ratione talis cauſæ; vnde non adeſt aliqua intentio ſiue directa, ſiue indirecta contra præceptum. Quod ex eo patet, quia ſi putaret illam cauſam non excuſare, abſtineret à tali opere.
3 Quod ſi dicas: poſſe peccare ratione negligentiæ, quia non inquirit an cauſa ſit ſufficiēs. Reſp. eo ipſo, quòd putat ſufficientem, non teneri inquirere; quia ſolùm ratione dubij eſt debita inquiſitio; quando autem cauſa cenſetur ſufficiens, non adeſt dubium, ſed opinio probabilis, quam quiſque poteſt ſequi: vt ſuo loco diximus.

An ſi quis è loco, in quo celebratur Feſtum, ſe conferat ad alium, in quo non celebratur, poſſit ibi exercere opus ſeruile.

Deciſio CCCVII.

SVMMARIVM.

1 *Conferens ſe de loco, vbi celebratur feſtum, ad locum, vbi non celebratur, poteſt exercere ſeruilia.*
2 *Obligatio coarctata ad locum non obligat per ſe primò perſonas, ſed ratione loci.*
3 *Lex localis non obligat ſubditum extra locum.*

1 REſp. poſſe abſque peccato exercere; Quia non tenetur ibi celebrare feſtum loci, quem reliquit. Ita Nauarr. *cap. 13. ſum num. 5.* Suarez *tom. 1. De Relig. tractat. 2. lib. 2. cap. 11. numer. 12.* Sanchez *lib. 1. ſum. cap. 12. num. 19.* Clauis Regia *lib. 7. cap. 3. num. 12.* Filiuccius *tract. 27. cap. 7. num. 103.* Graf. *part. 1. deciſ. lib. 2. cap. 34. num. 25.* Rodriquez 1. *par. ſum. capit. 122. num. 1.* *Sà Verbo* Feſtum *num. 8.* Bonacina *diſp. 5. de 3. præcep. Decal. quæſt. vnica puncto 3. num. 17.* Et hoc communiter traditur circa leges; quòd non obligent leges proprij domicilij in loco, vbi quis pro tempore reperitur, vt tradunt Sanchez *lib. 3. De Matrim. diſput. 18. num. 18 & ſequent.* Salas *diſp. 14. de Legib. ſec. 5.* qui alios plures referunt.
2 Ratio autem eſt, quia, quando obligatio non eſt vniuerſalis, ſed coarctata ad certum locum, non obligat perſonas per ſe primò, ſed vt determinatas ad talem locum, ſeu vt exiſtentes in tali loco: quia non ſe extendit extra illum locum; vnde qui non ſunt in eodem loco non ligantur: ſed ſtatim ceſſant obligari, quando fiunt extra locum, in quo viget obligatio, & ideo ceſſat etiam obligatio ſanctificandi feſta propria alicuius loci reſpectu
3 illorum, qui diſcedunt ab illo loco. Hinc quando lex eſt pœnalis, & ſimul *localis*, is, qui eam extra locum non ſeruat, non ſubijcitur pœnæ *l. fin. ff. De iuris om. iud* Quod etiam habetur Cap. *Vt animarum de Conſtit. in 6.*

An, qui è loco, in quo celebratur dies feſtus, ſe transfert ad alium, in quo non celebratur, vt ibi exerceat opus ſeruile, peccet mortaliter.

Deciſio CCCVIII.

SVMMARIVM.

1 *Qui ſe transfert de loco, in quo eſt dies feſtus, ad locum, in quo non eſt, vt ibi laboret, videtur peccare.*
2 *Tenendum tamen, quod non peccet.*
3 *Obligatio ſanctificandi feſta, non obligat ad permanendum in loco, in quo debent ſanctificari.*
4 *Qua intentio ſit contraria præcepto.*
5 *Obligatio faciendi aliquid in tali loco non tollit ius ſe transferendi ad alium locum.*

1 RAtio dubitandi eſt, quia habet intentionem contrariam præcepto, nempe exer-

cendi

cendi opus ſeruile, antequam ſe ſubtrahat eidem obligationi. Deinde; eum ſe in hunc finẽ transferat in aliũ locum, vt non ſeruet feſtum, videtur defraudare legem; quod præſertim verum eſt, ſi eodem die feſto ſe transferat; quia iam ligabatur obligatione.

2 Dicendum tamen eſt; Non peccare, etiam ſi non adſit aliqua alia cauſa, niſi illa; vt poſſit exercere opus ſeruile. Ita Sanchez *tom. 1. ſum. lib. 1. cap. 12. num. 35.* & in alia ſimili materia idem tradit *lib. 3. De Matrim. diſput. 18. num. 19.* Suarez *tom. 1. De Relig. lib. 2. cap. 13. nu. penul. Sà. Verbo* Feſtum. *num. 9.* Leſſius *De Iuſt. & Iure lib. 4. cap. 2. dub. 4. num. 59.* Bonacina *diſput. 5. De Tertio pracep. Decal. quæſt. vnica punc. 3. num. 18. ver. An vero peccet.* Contra Rebel. *de Iuſt. & Iure par. 2. lib. 2. quæſt. 7. ſect. 3. numer. 16.* Clauem Reg. *lib. 7. cap. 3. num. 12.*

3 Ratio eſt. Quia cum obligatio ſanctificandi Feſtum obliget tantum exiſtentes in illo loco, non autem obliget ad permanendum in ipſo; eo ipſo quod quis ſe ſubtrahit loco, ſe ſubtrahit etiam obligationi; & ſe ſubtrahendo non facit contra præceptum, cum ad oppoſitum non obliget.

4 Ad primum reſp. non habere intentionem contrariam præcepto; quia non poteſt eſſe contraria, niſi ſit de faciendo contra obligationem præcepti, qualis non eſt in caſu noſtro; cum ſit tantùm de ſe ſubtrahendo obligationi.

5 Ad ſecundùm. Non vti aliqua fraude contra legem, ſed vti iure ſuo, quod habet ſtandi in eodem loco, vel abeundi. Nec valet, quòd iam ligetur obligatione, ſi ſe transferat in die feſto; quia ſicut ratione obligationis non deperdit ius ſuum ſtandi, vel abeundi, ita nec obligatur, vt ſi incœpit dies feſtus debeat ibi permanere donec compleatur; quia obligatio tantùm exigit, vt ſanctificetur dies ab iis, qui ſunt in illo loco, quamdiu ibi permanent.

An liceat imponere amentibus opera ſeruilia diebus feſtis exercenda.

Deciſio CCCIX.

SVMMARIVM.

1 *Licet imponere amentibus opera ſeruilia in diebus feſtis.*
2 *Amentes non obligantur legibus, nec faciunt contra leges.*
3 *Imponens amentibus in diebus feſtis opera ſeruilia non facit exerceri prohibita.*
4 *Non eſt neceſſe, vt ſint perpetuò amentes, ſed ſufficit, ſi ſint pro illo tempore, pro quo exercent.*

1 Reſpondetur affirmatiuè cum Layman *lib. 1. Theol. mor. tract. 4. cap. 10. num. 3.* Diana *par. 5. tract. 14. Reſol. 7. ver. Verùm ego.* Quod ego indubitatum puto.

2 Non enim obligantur legibus, qui leges obſeruare non poſſunt, nec ſunt capaces vt obſeruent; & qui legibus non obligantur, nec etiam transgrediuntur ſi faciant, quod prohibitum eſt. Amentes autem non ſunt capaces legis: lex enim humano modo exequenda eſt, hoc eſt, ſecundum liberum ductum rationis; vnde cũ amentes ratione careant, non ſunt capaces, vt leges obſeruent; & ideo pro ipſis leges non ſunt poſitæ: vnde nec contrauenitur.

3 Nec qui facit eos exercere opera prohibita in die feſto facit contra legem; quia non facit exerceri aliquid contra legem, quia opera ſeruilia exercita ab amentibus non ſunt prohibita; cum ſint prohibita hominibus ſanæ mentis.

4 Ex quibus colligitur. Non eſſe neceſſarium, vt ſint perpetuò amentes (vt vult Layman) vt poſſimus ipſis imponere opera ſeruilia pro diebus feſtis, ſed ſufficere quòd careant vſu rationis pro illo tempore, pro quo imponuntur; cum enim pro illo tempore non ſint capaces legis, nec etiam tenet prohibitio pro illo tempore; & ideo non imponimus aliquid prohibitum à lege.

An liceat imponere ſeruo infideli opera ſeruilia in die feſto exercenda.

Deciſio CCCX.

SVMMARIVM.

1 *Qui negent*
2 *Licet imponere infideli opera ſeruilia in die feſto exercenda.*
3 *Poteſt Dominus peccare nõ peccante ſeruo exercente quod imponitur à Domino.*
4 *Præceptum ſanctificandi feſta quatenus prohibeat opera ſeruilia.*
5 *Cur opera ſeruilia inmentorum ſint prohibita in die feſto.*

1 Negat Antonius Fernandez *par. 3. Inſtruc. confeſſar. precepto 3. num. 16.* quia licet in ordine ad ſeipſos non obligentur abſtinere ab opere ſeruili, obligantur tamen in or-

 dine

dine ad dominos: qui non poſſunt præcipere; vt exerceant opera ſeruilia: ſicut nec poſſunt facere, vt exerceantur à iumentis.

2 Oppoſitum tamen tenendum eſt cum Diana *par. 5. tractat. 14. Reſolut. 7. ver. Verum ego.* quia, ait ipſe, cum ſeruus non peccet, quia non tenetur legibus Eccleſiæ, vt omnes docent, nec etiam peccabit dominus.

3 Hoc tamen non ſufficit; Quia fieri poteſt, quòd non peccante ſeruo peccet dominus, ſicut peccaret ſi faceret quòd ſeruus ebrius occideret: quia fieri poteſt quòd ſeruus non peccet ex incapacitate legis, dominus verò peccet, quia eſt capax.

4 At neque dominus peccat; quia virtute præcepti ſanctificandi feſta non eſt ipſi prohibitum imponere infideli opera ſeruilia; ſolùm enim prohibentur opera ſeruilia, quatenus impediunt ſanctificationem feſtorum; vnde ſolùm prohibentur ijs, qui debent ſanctificare; & ideo cum non ſint prohibita infideli, & dominus ea ſeruo infideli imponendo non exerceat opus ſeruile, quod impediat ſanctificationem feſti ab ipſo perſoluendam, nec faciat, quòd opera ſeruilia in alio impediant, non facit aliquid prohibitum à præcepto.

5 Vnde non eſt eadem ratio de iumẽtis; nam iumenta non poſſunt exercere opera ſeruilia ſine regimine hominum, atque adeo ſine opere ſeruili hominum: & ideo eſt prohibitum ratione operis ſeruilis hominum eadem iumentis imponere. Quod ſi poſſint exerceri ſine opere ſeruili hominum, non eſſent prohibita.

De Ieiunio neceſſario pro Euchariſtiæ ſumptione.

An in nocte Natalis Domini Cardinalis celebrans primã Miſſam poſt Matutinum coram Pontifice, celebret abſque ieiunio, ex diſpenſatione.

Deciſio CCCXI.

SVMMARIVM.

1 *Cardinalis celebrans nocte Natiuitatis Domini coram Pontifice non eſt ieiunus.*
2 *Quomodo* Io. de Lugo *ſaluet eſſe ieiunium.*
3 *Vnde hoc colligat.*
4 *Pontifex quotannis diſpenſat cum dicto Cardinali, vt celebret licet non ieiunus.*
5 *Non poteſt dici, quòd in illa nocte dies ſubſequens anticipet in illo loco.*
6 *Si adeſſet talis anticipatio, poſſet alius in eodem loco celebrare.*
7 *An audiens Miſſam in nocte Natalis celebratam coram Pontifice ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam in die Natalis.*
8 *An obligatio audiendi Miſſam coarctetur ad tempus præſcriptum pro celebratione. & an audiens Miſſam celebratam extra tempus præſcriptum ſatisfaciat.*
9 *Cardinalis celebrans coram Pontifice nocte Natalis poteſt manè in vigilia Natalis celebrare.*
10 *An Cardinalis dictus poſſit adhuc in die Natali ter celebrare, cum primam Miſſam celebrauerit ante inceptionem illius diei.*
11 *Dictus Cardinalis poſt celebratam dictam Miſſam coram Pontifice poteſt comedere, & ſequenti die celebrare.*
12 *Poteſt etiam poſt primam Miſſam ablutionem accipere, nec eſt contra rubricas Miſſalis.*

1 Ratio dubitandi eſt, quia Miſſa complotur ante mediam noctem diei, in qua celebrans non eſt ieiunus.

2 Adhuc tamen celebrare, & aſſumere ieiunum contendit Io. de Lugo *diſp. 15. de Sacram. Euchar. ſect. 2. num. 56.* Quia cum Eccleſia computet dies à media nocte vſq; ad mediam noctem, pro illo loco, & pro illa nocte anticipat diem ſequentem, cum pendeat ab hominum placito, quando incipiat dies; vnde etiam Eccleſia poteſt pro illa vice anticipare diem ſequentem per aliquot horas.

3 Quòd autem hæc ſit mens Pontificis, probat ex pluribus inconuenientibus, quæ ſequerentur, niſi ponatur talis anticipatio. Nam primò ſequeretur non ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam in die Natalis, qui illam Miſſam auditet, ſi non incideret in die Natalis; quod eſt contra mentem Pontificis, qui facit celebrare illam Miſſam pro feſtiuitate Natalis. Secundò, Si vigilia ſit in Dominica, poſſet quis nolle audire Miſſam, ſed expectare illam Miſſam noctis. Tertiò, Non poſſet celebrans mane præcedenti conficere, ne bis in eadem die celebraret. Quartò, Poſſet die Natalis ſequentis tres alias Miſſas celebrare; quia de iure conceditur omnibus in illa die ter celebrare: ipſe autem primum ſacrum non confecit intra illam diem. Quintò, Poſſet poſt Miſſam celebratam cęnare ante mediam noctem, & die ſequenti ſecundam, & tertiam Miſſam celebrare: vt quando vigilia Natiuitatis contingit in die dominico. Sextò, Deberet, poſt primam Miſſam ablutionem accipere poſt communionem: quia non impediret ieiunium pro celebratione in die ſequenti.

Quod

Quod tamen eſt contra rubricam illius Miſſæ, & contra praxim, ſi Cardinalis vult celebrare alias Miſſas.

4 Sed licet hoc acutiſſimè excogitatum ſit, non eſt tamen verum, ſed contra praxim; Quia Pontifex quotannis diſpenſat cum Cardinali celebraturo, vt poſſit non ieiunus celebrare, expediens ſuper hoc ſpeciale breue. Et proinde ſupponitur quòd ſit celebraturus intra

5 diem præcedentem diem Natiuitatis. Neque talis anticipatio diei præcedentis habet aliquod fundamentum; quia quòd celebretur Miſſa ante mediam noctē nō magis facit quòd anticipetur dies, quàm quòd Pontifex cenſeatur tacitè diſpenſare cum celebrante; imò hoc potius colligitur: quia diſpenſatio cadere poteſt ſupra ſpecialem perſonam, & ſpecialem locum, & eſſe ex ſpeciali occaſione; quia eſt priuilegium, quod reſpicit priuatam perſonam, & anticipatio diei ex natura ſua eſt vniuerſalis: quia debet eſſe ſecùndum naturam temporis, quod eſt omnibus commune. Et proinde ſi admitteretur tacita diſpenſatio in caſu, in quo non eſſet expreſſa, eſſet iuxta naturam diſpenſationis; ſi autem admittatur anticipatio diei eſſet contra naturam temporis: & ideo non poſſet admitti, niſi de hoc expreſsè conſtaret.

6 Deinde ſi adeſſet anticipatio diei pro illo loco, poſſet aliquis alius in eodem loco celebrare ante mediam noctem; quia iam eſſet inceptus dies; quod tamen non cenſetur licitum.

7 Ad primum ex iјs, quibus ſuadebatur hæc anticipatio diei. Reſp. concedendo non ſatiſfacere præcepto audiendi Miſſam in die Natiuitatis Domini, qui illam audiret; quia licet ſit Miſſa diei, non eſt tamen in die: neque præceptum obligat ad audiendam Miſſam diei, ſed Miſſam in die. Vnde ſi in die feſto celebraretur Miſſa, quæ non eſſet miſſa diei (vt contingere poteſt, ſi celebretur Miſſa ſolemnis votiua) qui illam audiret, ſatisfaceret præcepto. Neque hoc eſt contra intentionem Pontificis; quia aliud eſt, quod velit celebrari illam Miſſam pro feſtiuitate Natiuitatis: & aliud, quòd velit celebrari in ordine ad ſatiſfaciendum præcepto; non enim hoc intendit, ſed tantùm primum.

8 Ad 2. Qui expectaret illam Miſſam, verè audiret Miſſam in die Dominica, in qua vrget præceptum; atque adeo ſatisfaceret præcepto, dummodo præceptum non obliget ad audiendam Miſſam infra illud tempus diei, intra quod conceditur de iure communi poſſe celebrari. Quia autem audire Miſſam ſubordinatur celebrationi: ideo etiam præceptum audiendi Miſſam videtur ſubordinatum præcepto non celebrandi tranſacta tali hora diei: atque adeo videtur obligare ad audiendam Miſſam intra illud tempus, intra quod de iure communi poteſt celebrari, atque adeo niſi audiatur, non ſatisfit præcepto.

9 Ad 3. Negatur non poſſe celebrantem eodē die mane celebrare, quia nocte ſequenti celebrat ex ſpeciali conceſſione; ſpecialis autem conceſſio non tollit, quæ ius commune concedit. Quod autem non poſſit quis bis in die celebrare procedit ſecùndum ius commune: at ex ſpeciali conceſſione poteſt. Hæc autem ſpecialis conceſſio habetur, dum Pontifex diſpenſat, vt poſſit celebrans anticipare Miſſam diei ſequentis, & celebrare non ieiunus.

10 Ad 4. Neg. Sequel. quia ius non cōcedit ſimpliciter ter celebrare, ſed celebrare ter ſecūdum præſcriptum Miſſalis; vnde cum celebrans die antecedenti ſemel celebrauerit, ſecundum præſcriptum Miſſalis poteſt tantùm bis celebrare iuxta alias duas Miſſas, quæ præſcribuntur. Hinc quando Pontifex diſpenſat, vt poſſit anticipari à non ieiuno Miſſa diei ſequentis, transfert in diem antecedentem parum de eo, quod ius commune concedit pro die ſequenti; & ideo ratione huius translationis non remanet conceſſum pro die ſequenti, quod eſt translatum in diem antecedentem. Vnde ſpecialis conceſſio non tollit quod eſt conceſſum ſecùndum ius commune, ſed dat anticipato modo.

11 Ad 5. conceditur Sequel. quia pro celebratione diei ſequentis requiritur tantùm ieiunium ſequentis diei; & ideo poſt celebratam Miſſam poteſt celebrans comedere non ſecus ac ſi non celebraſſet, ant eſſet celebraturus. Et hoc eſſet ſecùndum praxim Venetiarum, vbi Primicerius Eccleſiæ Sancti Marci, qui in Vigilia Natiuitatis perſeuerat ieiunus quoadusque prima nocte celebrauerit, poſtea cœnat, & die ſequenti alias duas Miſſas celebrat.

12 Ad 6. Non eſſe contra rubricam Miſſalis ablutionem accipere poſt primam Miſſam, quia Miſſale dicit, quòd non accipiatur: quia ſupponit quòd celebretur poſt mediam noctem; vnde etiam dicit quòd prima Miſſa celebretur poſt mediam noctem. Quòd ſi ſupponeret non celebrari poſt mediam noctem, hoc non præciperet.

An ſi deglutiatur aliquid non comeſtibile ex natura ſua, vt parum papyri, impediat ſumptionem Euchariſtiæ ſoluendo ieiunium neceſſarium.

Deciſio CCCXII.

SVMMARIVM

1 *Si deglutiatur aliquid non comeſtibile, ſecùndum aliquos ſoluit ieiunium naturale.*
2 *Quæ ſit mens D. Thom. pro hac opinione allati.*
3 *Deglutire aliquid non comeſtibile non ſoluit ieiunium in ordine ad Euchariſtiam.*
4 *Papyrus deglutitus non ſoluit ieiunium in ordine ad Euchariſtiam.*
5 *Ieiunium naturale non ſoluitur niſi per verum cibum, aut potum.*
6 *Cur quod in magna quantitate non ſoluit ieiunium Eccleſiaſticum, non ſoluat in parua naturale.*
7 *Si deglutiatur dedita opera, quod non eſt cibus aut potus, non ſoluit ieiunium naturale.*
8 *Nec etiam ſi in magna quantitate ſumatur.*

1 IMpedire ſumptionem Euchariſtiæ, & ſoluere neceſſarium ieiunium docent Henriquez *lib.* 8. *cap.* 49. *num.* 2. Scortia *De Sacrif. Miſſæ lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 1. Reginald. *tom.* 2. *Praxis Fori Pœnit. lib.* 29. *num.* 118. Layman. *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 6. *num.* 18. Naldus *in ſum. verbo* Euchariſ. *num.* 10. Bonacina *diſput.* 4. *De Sacrum quæſt.* 11. *punct.* 2. *num.* 10. Perſicus *lib.* 1. *de Officio Sacerd. cap.* 3. *dub.* 5. *num.* 43. Villalobos *par.* 1. *ſum. trac.* 7. *difficul.* 39. *num.* 1. Palud. *in* 4. *diſt.* 9. *quæſt.* 2. *art.* 2 *concluſ.* 3. Syluester *Euchariſt.* 3. *quæſt.* 3. *num.* 8. Facundez *in præcep. Eccleſ. par.* 3. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 5. Io. Præpoſit. 3. *par. quæſt.* 80. *art.* 8. *dub.* 1. *ver. Ex dictis etiam.* Nugnus 3. *par. quæſt.* 80. *artic.* 8. Quod etiam videtur ſentire D. Thom. *ibid. ad* 4. dum ait, quòd non refert, an quod aſſumitur nutriat, an non, dummodo aſſumatur per modum cibi; quia ſemper ſiue nutriat, ſiue non, ſoluit naturale ieiunium. Videntur enim hæc habere rationem cibi.

2 Verùm D. Thom. non loquitur de ijs, quæ ex natura ſua nutritiua non ſunt, ſed tantùm de ijs, quæ per accidens non ſunt nutritiua ratione paruitatis materiæ; & hæc ait ſoluere ieiunium, quia habent rationem cibi.

3 Tenenda eſt ergo oppoſita ſententia, Quòd nimirum non ſoluat ieiunium pro ſumptione Euchariſtiæ neceſſarium, cum Summa Corona *par.* 4. *cap* 4. *num.* 65. Vega *in ſpeculo Curat. to.* 1. *cap.* 10. §. 17. *num.* 161. Ledeſma 1. *par. ſum. cap.* 13. *De Euchariſt. concluſ.* 4. Ludouico de S. Ioan. *par.* 1. *ſum. tract. De Euchar. quæſt.* 7. *ar.* 10. Ioan. à Cruce *in Direct. Conſcient. par.* 2. *quæſt.* 5. *De Euchariſt. concluſ.* 2. Ioan. Sanctio *in diſp. ſelect. De Sacram. diſp.* 42. *num.* 23. Diana *par.* 2. *tract.* 14. *Reſol.* 52. *ver. Sed hac.* & *par.* 3. *tract.* 4. *Reſol.* 38. & *par.* 5. *tract.* 13. *Reſol.* 1. Ioann. de Lugo *diſp.* 15. *De Sacram. Euchariſt. ſect.* 2. *num.* 30. Qui tamen *n.* 32. dubitat de papyro; quia non ita difficile alteratur, cum conficiatur ex tela, quæ tandem eſt herba tenuiſſima.

4 Verùm nec de papyro ego dubito: Quia etiam ſi eſſet alterabilis, & per accidens nutriret, ſufficit, quòd ex natura ſua non ordinetur in cibum præſertim hominis; vnde non poteſt dici ſumi per modum cibi; Nec obſtat quòd ſit ex herba: tum quia non eſt in ſubſtantia herbæ, aut ſaltem non cenſetur herba, atque adeo nec cibus, qualis eſſet illa herba: tum quia nec herba, ex qua conficitur tela, eſt cibus humanus.

5 Ratio à priori eſt, Quia ieiunio naturali opponitur tantùm cibus, & potus tanquam id, per quod ſoluitur; vnde quidquid tranſglutiatur, & deſcendat ad ſtomachum, quod ex natura ſua non ſit cibus, aut potus, non contrariatur ieiunio nec illud ſoluit. Sic papyrus ex natura ſua non eſt cibus: ideo non ſoluit ieiunium.

6 Ex hoc autem fit, quòd valeat arguere, quòd illud, quod in magna quantitate ſumptum non ſoluit ieiunium Eccleſiaſticum, nec in parua quantitate ſoluat naturale; ideo enim non ſoluit ieiunium Eccleſiaſticum, quia ex natura ſua non eſt cibus: & ob eamdem rationem nec in parua quantitate ſoluit naturale.

7 Inſuper, Sequitur, quòd etiam ſi aliquid tale deglutiatur, non inaduertenter, ſed dedita opera, adhuc non ſoluit ieiunium; quia in ieiunio naturali attenditur ſumptio *ipſa* materialis cibi, vel potius, ſiue fiat ex intentione, ſiue non; quia non intentio opponitur ieiunio naturali, ſed ipſa ſumptio cibi, vel potus; vnde quando ipſa non concurrit, non ſoluitur ieiunium; non concurrit autem quando ſumitur quod ex natura ſua non eſt cibus, aut potus, etiam ſi dedita opera ſumatur.

8 Denique. Etiã ſi in magna quantitate *ſumatur*, quod ex natura ſua non eſt cibus, aut potus, non ſoluit ieiunium neceſſarium pro ſumptione Euchariſtiæ; Quia reſpectu ieiunij naturalis non conſideratur, quantitas, ſed *ipſa* ſumptio cibatiua, aut potatiua, quæ eſt id, ſecundùm quod cibus, & potus opponitur ieiunio naturali. Quæcunque autem ſit quantitas, quæ ſumitur, ſi non ſit illius, quod ex natura ſua eſt cibus, aut potus, nunquam eſt ſumptio cibatiua, aut potatiua.

Quid

Digitized by Google

Quid nomine cibi, & potus ſoluentis ieiunium naturale intelligatur.

Deciſio CCCXIII.

SVMMARIVM.

1 *Duplex acceptio cibi, & potus.*
2 *Cibus, & potus debet eſſe aptus conuerti in ſubſtantiam viuentis.*
3 *Inſuper debet ordinari ex natura ſua in cibum humanum.*
4 *Qualis debeat eſſe actio, vt ſit comeſtio, & potatio.*
5 *Quomodo extrinſeca ſubſtantia debeat ordinari ad ſtomachum, vt illa actio ſit comeſtio, & potatio.*

1 CIbus, & potus dupliciter conſideratur: vel ſecùndum materiam, vel ſecùndum formam; Materia eſt id, quod aſſumitur ad manducandum, vel bibendum. Forma verò eſt illa actio comeſtiua, & potatiua; quæ dicitur forma, quia facit quòd materia ſit in actu exercito cibus, & potus. Requiritur autem tam materia, quam forma, vt aliquid dicatur ſumi per modum cibi, aut potus: vt inter alios notat Lugo *diſp. 15. De Sacram. Euchariſt. ſect. 2. num.* 28. quia ſi altera deficiat, non erit nec cibus, nec potus. Dubitatur autem, quomodo vtraque accipi debeat.

2 Conueniunt omnes, quòd vt aliquid ſit cibus, aut potus, debeat eſſe aptus ita alterari in ſtomacho, vt conuerti poſſit in ſubſtantiam viuentis; quia enim ſumitur in ordine ad conſeruationem, & augmentum viuentis, ideo debet eſſe aptum vt conuertatur in eiuſdem ſubſtantiam; vnde quod caret hac conditione non poteſt defectu materiæ ſoluere ieiunium naturale.

3 Exiſtimo tamen hoc non ſufficere: ſed inſuper requiri quòd ſit tale, vt ex natura ſua ordinetur in cibum humanum: ita vt moraliter cenſeatur cibus humanus. Si enim non ſit cibus aptus ad nutriendum hominem, abſolutè non poteſt dici cibus illius; quia cibus conſtituitur per aptitudinem ad nutriendum. Dum autem non eſt cibus, nec etiam opponitur cum ieiunio, quod eſt eſſentialiter abſtinentia à cibo; Vnde qui illud ſumet, non ſoluet ieiunium: quia adhuc erit verum, quòd abſtinuerit à cibo.

4 Actio autem comeſtionis, & potationis, quæ eſt forma, qua cibus, & potus fiunt in actu exercito, importat quòd id, quod eſt aptum vt ſit cibus, & potus, ab extrinſeco adueniens ingrediatur in ſtomachum. Quia tamen hoc poteſt diuerſimodè contingere, idcirco, vt ſit vera comeſtio, & potatio, debet humano modo fieri; fit autem modo humano, quando res apta ad comedendum, aut potandum ordinatur ad ingreſſum in ſtomachum; quia cum hoc pacto ſit ſubſtantia extrinſecùs accepta apta conuerti in ſubſtantiam viuentis, & conſtituatur in ſtatu, vt poſſit conuerti, iam adeſt actio, quæ ſit comeſtio, & potatio; nam talis actio non eſt aliud, quàm conſtitutio ſubſtantiæ extrinſecùs acceptæ, in ſtatu proximo, vt poſſit nutrire.

5 Vt autem extrinſeca ſubſtantia ordinetur ad nutriendum, non eſt neceſſe quòd adſit intentio ordinandi in eo, qui comedit; nam etiã ſi ab alio, etiam per vim, & contra intentionem comedentis ordinetur, vt contingere poteſt in infantibus, aut ægrotis, adhuc tamen habet rationem cibi. Sufficit ergo quòd ordinetur quocunque modo, via tamen à natura inſtituta ad comeſtionem; vnde debet ingredi per os, & motu oris tranſmitti in ſtomachum: alioquin non erit comeſtio vera: quia non fiet actione comeſtiua à natura inſtituta.

An ſit regula vniuerſalis, quòd illud non frangat ieiunium naturale, quod integrum in excrementis emittitur, nec à ſtomacho alteratur.

Deciſio CCCXIV.

SVMMARIVM.

1 *Eſſe regulam vniuerſalem, quòd quæ non alterantur in ſtomacho, non ſoluant ieiunium naturale.*
2 *Non tamen omne quod alteratur in ſtomacho ſoluit ieiunium.*
3 *Solùm frangit ieiunium naturale, quod moraliter habetur pro cibo humano.*
4 *Qui oppoſitum ſentiant.*
5 *Quale ieiunium prærequirat reuerentia Euchariſtiæ.*

1 AFfirmatiuè reſp. Io: de Lugo *diſp. 15. de Euchariſtia ſect. 2. num. 32.* Addit tamen hoc eſſe intelligendum de eo, quod ex natura ſua non eſt alterabile à ſtomacho humano: nam ſi per accidens non poſſit alterari, ſi ſumatur, violabit ieiunium naturale.

2 Verùm licet quicquid à ſtomacho humano ex natura ſua alterari non poteſt, non violet ieiunium naturale: quia dum non poteſt alte-

Digitized by Google

rari, nec etiam poteſt conuerti in ſubſtantiam: vnde non habet rationem cibi; cum ſit de ratione cibi, vt poſſit conuerti in ſubſtantiam viuentis: non tamen cenſeo debere includi intra terminos cibi quicquid quocunq; modo eſt alterabile. Aliqua enim poſſunt alterari, nec tamen habentur pro cibo; vt ſunt aliqua venena, quæ non ſortiuntur ſuum effectum, niſi in ſtomacho alterentur, & alterata tranſmittantur ad alias partes corporis, & præcipuè ad cor; Quis autem dicat, quod cum cibus ordinetur ad conſeruandum hominem, & venenum ad interimendum, habeat venenum rationem cibi?

3 Itaque exiſtimo hoc totum metiendum eſſe ſecundum moralem exiſtimationem: vt id ſolùm frangat ieiunium naturale, quod moraliter habetur pro cibo humano. Ieiunium enim, vt etiam *in Superioribus* dictum eſt, eſſentialiter eſt abſtinentia à cibo; vnde quamdiu ſaluatur totaliter hæc abſtinentia, ſaluatur etiam naturale ieiunium; quando autem quod aſſumitur, ſecundum moralem æſtimationem non eſt cibus humanus, poteſt intellectus formare prudens iudicium, quòd adſit abſtinentia à cibo; nam tale iudicium habet firmum fundamentum, nempe moralem æſtimationem.

4 Contra traditam doctrinam ſentiunt omnes, qui putant etiam per non comeſtibilia ſolui naturale ieiunium, & præſertim Palud. *in 4. diſt. 9. quæſt. 2. art. 2. concluſ. 2.* Perſicus *lib. 1. De Officio Sacerdotis cap. 3. dub. 5. numer. 43.* quia ob reuerentiam Euchariſtiæ attenditur quòd nihil prius ingrediatur in ſtomachum.

5 Quod tamen non rectè procedit; quia reuerentia in eo conſiſtit, quòd non ingrediatur aliquid per modum cibi: quia cum Euchariſtia ſit cibus ſpiritualis, debet in illa die vt dignior præcedere omnem alium cibum, atque adeo reperire ſtomachum ieiunium: quod bene ſaluatur, ſi non reperiat aliquid ex natura ſua ordinatum ad nutritionem.

An ſumere terram, & traijcere in ſtomachum, vel ob delectationem, vel ob minuendum colorem, vt faciunt fœminæ, ſoluat naturale ieiunium neceſſariũ pro ſuméda Euchariſtia.

Deciſio CCCXV.

SVMMARIVM.

1 *Terram ſoluere ieiunium, quando ſumitur ob delectationem, vel ob minuendum colorem qui doceant.*

2 *Quando terra ſumitur ob delectationem non ſoluit ieiunium.*

3 *Ex eo quod ſumitur cum delectatione, non arguitur quòd ſit cibus.*

4 *Nec quando ſumitur ob minuendum colorem ſoluit ieiunium.*

1 AFfirmatiuè reſpondet, quando ſit ob delectationem, vel ob minuendum colorem Ioan. à Cruce *par. 2. Direct. Conſcient. quæſt. 5. De Euchariſt. concluſ. 2.* cui videtur conſentire Diana *par. 2. tract. 14. Reſol. 52. ver. Sed hæc opinio* Ioan. autem de Lugo *diſp. 15. de Euchariſt. ſect. 2. num. 32.* ait ſe de hoc dubitare.

2 Quod ſpectat ad ſumptionem terræ, quando ſit etiam cum delectatione, nullam habeo difficultatem, quòd non frangat ieiunium; quia cum nullo modo ſit cibus ex natura ſua, nec etiam eiuſdem ſumptio opponi poteſt cũ ieiunio naturali, cum quo ſolùm quod habet rationem cibi opponitur. Nec obſtat, quòd fiat cum delectatione; quia delectatio non facit, quòd ſit cibus: quia cibus primò & per ſe dicitur quòd ordinetur ad conuerſionem in ſubſtantiam viuentis, ſine quo non poteſt aliquid habere rationem cibi.

3 Dices, Ex eo, quòd ſumitur cum delectatione argui quòd habeat rationem cibi; quia cum ſit delectatio pertinens ad guſtum, eſt proprietas cibi. Sed hoc non rectè procedit; quia non omnia quæ ſapida ſunt, habent rationem cibi, vt patet in ſulphure; guſtus enim habet vim perceptiuam ſaporis, vt ſciat diſcernere quæ noxia, & quæ non noxia ſint; vnde non ſtatim quòd aliquid eſt ſapidum, eſt etiam cibus, præſertim ſi ſit ſapidum ex mala affectione palati; vt puto contingere, quando terra ipſa eſt ſapida.

4 Maiorem difficultatem habet, quando ſumitur terra ob minuendum colorem; quia tũc videtur ſe habere per modum medicinæ: & idcirco ſoluere ieiunium. Sed neque tunc ſoluit ieiunium; quia nec eſt cibus, nec propriè medicina; ſemper enim eſt elementum primũ; quod non eſt alterabile à ſtomacho, quamuis ſecùndum aliquas tenues particulas diffundatur cum ſanguine per totum corpus. Medicina enim ſemper cõtinet aliquas partes, quæ ex natura ſua poſſunt habere rationem cibi, & conuerti in ſubſtantiam viuentis: & ideo ſoluit naturale ieiunium.

An ſi quis non aduertenti mittat in os aliquid cibi, & caſu transglutiatur, ſoluat ieiunium neceſſarium pro ſumptione Euchariſtię.

Deciſio CCCXVI.

SVMMARIVM.

1 *Cibus, aut potus ab alio in os immiſſus non volenti, & caſu traiectus in ſtomachum impedit ſumptionem Euchariſtiæ.*
2 *Etiam ſi deglutiatur ratione reſpirationis.*

1 RESp. ſoluere ieiunium naturale, & impedire ſumptionem Euchariſtiæ. Ita etiam tenet Ioan. de Lugo *diſp. 15. de Euchariſ. ſect. 2. num. 35*. Et ratio eſt, quia ſupponitur eſſe verus cibus, & eadem intentio illius, qui ipſum mittit in os, quòd deſcendat ad ſtomachum; vnde interuenit aſſumptio externę ſubſtantię, & actio deductiua ipſius in ſtomachum: & proinde licet ſit contra intentionem traijcientis, eſt tamen manducatio, aut potatio: quia nimirum cibus, aut potus traijcitatur in ſtomachum motu ordinato ad hoc ipſum. Et ſicuti ſolueretur ieiunium Eccleſiaſticum ſi in magna quãtitate ita traijceretur, ita ſoluitur naturale dum traijcitur in parua quantitate.

2 Quod etiam eſt verum, ſi huiuſmodi traiectio fiat ratione reſpirationis; quia reſpiratio non eſt totalis cauſa traiectionis, cum ſupponat motum per ſe ordinatum ad immittendum in ſtomachum, & ipſa ſit veluti completiua talis motus, & tanquam quid acceſſorium ſe habeat adiuuans priorem motum; cum autem acceſſorium ſequatur naturam principalis, & prior principalis motus ſit ordinatus ad comeſtionem, aut potationem, etiam poſterior acceſſorius ordinabitur.

An, ſi quis reſpirando traijciat aliquid, quod poſſit eſſe cibus, vt culicem, ſoluatur naturale ieiunium, & impediatur à ſumptione Euchariſtiæ.

Deciſio CCCXVII.

SVMMARIVM.

1 *Si quid reſpirando attrahatur in ſtomachum, non ſoluitur naturale ieiunium.*
2 *Attractio per reſpirationem non eſt comeſtio, aut potatio.*
3 *Quid doceat* Tabiena, *quando ex intentione attrahitur.*
4 *Si quid dedita opera attrahatur per os, ſoluit ieiunium.*
5 *Secus autem, ſi per nares.*

1 RESp. Non ſoluere naturale ieiunium, nec impedire Euchariſtiæ ſumptionem, ſiue attrahatur per os, ſiue per nares. Ita communiter Palud. *in 4. diſt. 8. quæſ. 2. ar. 2. concluſ. 6.* Henriquez *lib. 8. de Euchariſ. cap. 50. num. 4.* Nauar. *cap. 21. Manual. num. 53.* Angelus *Verbo Miſſa nu. 5.* Tabiena *Verbo* Communicare *quæſ. 45. num. 51.* Sà *Verbo* Euchariſ. *num. 27.* Reginal. *lib. 29. Praxis Fori Pœnit. cap. 6. num. 139. notab. 6.* Suarez *3. par. tom. 3. diſp. 68. ſect. 4. ver. Quæres rurſus.* Facundez *in Præcep. Eccleſ. par. 3. lib. 3. de 3. Præcep. cap. 5. num. 14.* Pitigian. *in 4. tom. 2. diſp. 8. quæſ. 3. ar. 2.* Villalob. *tom. 1. Sum. tract. 7. difficult. 39. num. 1.* Bonacina *diſp. 4. de Sacram. quæſ. 6. punct. 2. num. 6.* Diana *par. 3. tract. 4. de Sacram. reſol. 37. ver. Notandum eſt, & par. 5. tract. 13. qui eſt 1. Miſcellan. reſol. 1. ver. Hoc ſuppoſito.* Lugo *diſp. 15. de Euchariſ. ſect. 2 nu. 34.* Trouſet. *in Theſauro Euchariſ. par. 2 ſect. 27. ver. Minima etiam.* Perſicus *lib. 1. de Offic. Sacerd. cap. 3. dub. 6. num. 84.* Io. Præpoſitus *3. par. quæſ. 80. ar. 8. dub. 1. num 40. ver. Ex dictis.* Gaſpar Hurtad. *diſp. 9. de Euchar. difficul. 25. ver. Obſeruandum.*

2 Ratio eſt, Quia ad ſoluendum ieiunium naturale requiritur comeſtio, aut potatio; vt autem interueniat comeſtio, aut potatio, debet interuenire ne dum materia comeſtibilis, aut potabilis, ſed etiam actio comeſtiua, aut potatiua. Quando autem attrahitur aliquid per reſpirationem, ſiue per os, ſiue per nares, non interuenit actio comeſtiua, aut potatiua, ſed reſpiratiua; & ideo non ſoluitur ieiunium, quia non adeſt comeſtio, aut potatio.

3 Sed maior difficultas eſt, ſi non caſu, ſed ex intentione aliquid attrahatur per reſpirationem. Tabiena *loco citato* videtur ſentire, quòd neque adhuc ſoluatur ieiunium; & ita videtur dicendum, quia neque adhuc illa actio eſt comeſtiua.

4 Exiſtimo autẽ diuerſam eſſe rationem ſi attrahatur per os, vel per nares. Si enim attrahitur per os, violat ieiunium naturale; quia licet actio; & motus reſpirationis non ſit actio manducatiua, aut potatiua (quia non eſt ordinata à natura ad tranſmittendum cibum, aut potum in ſtomachum) ordinatur tamen in hunc finem ab ipſo reſpirante; & ideo vt ſtat ſub intentione ipſius induit rationem talis actionis;

actionis; vnde moraliter cenſetur actio manducatiua, vel potatiua; & ideo cum materia interueniat, & actio debita, interuenit etiam manducatio, aut potatio.

5 Si verò attrahatur per nares, puto non violare ieiunium; quia nares non ordinantur ad tranſmittendum aliquid in ſtomachum ſicut ordinatur os, ſed per accidens eſt, ſi quid per ipſas ingreſſum deſcendat ad ſtomachum: vnde neque intentio, quæ facit vt aliquid attrahatur per nares, poteſt eſſe intentio per ſe aliquid tranſmittendi in ſtomachum; quia intentio per ſe eligit media per ſe ordinata ad finem; vnde ſi talis intentio eſſet per ſe, eligeret os, & non nares. Dum autem intentio non eſt per ſe, nec actio eſt ex natura ſuâ manducatiua, aut potatiua, non interueniet comeſtio, aut potatio, atque adeo nec violatio ieiunij.

ſumere abſque vllo ſcrupulo Euchariſtiam; ſiquidem non per hoc cenſetur aliquid potus ſumpſiſſe.

4 Hoc tamen limitandum eſt, niſi fortè aſſuetus ſit per nares attrahere, & in ſtomachum traijcere liquores; quia tunc, ſi dedita opera id faciat, ſoluet ieiunium. Licet enim illa actio non ſit ex natura ſua potatiua, eſt tamen talis ex inſtitutione, & conſuetudine attrahentis; nam naribus vtitur loco oris: & ideo cenſetur moraliter potum ſumere.

5 Quòd ſi aqua per nares attracta in os priùs deſcendat, & ibi aliquantulum commoretur, & poſtea in ſtomachum deſcendat, neque adhuc ſoluit naturale ieiunium: quia non deſcendit in ſtomachum per modum potus, ſed per modum diſtillationis, quæ fiat à capite, & per modum pituitæ, quæ non ſoluit naturale ieiunium in quacunq; quantitate deſcendat.

An aqua hauſta per nares ſoluat ieiunium naturale, & impediat ſumptionem Euchariſtiç.

Deciſio CCCXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Aqua hauſta per nares non ſoluit naturale ieiunium.*
2 *Aqua hauſta per nares non eſt potus.*
3 *Si quis faciem lauans attrahat aquam per nares, poteſt adhuc ſumere Euchariſtiam.*
4 *Niſi aſſuetus ſit attrahere, & vti naribus loco oris.*

1 RESP. negatiuè, etiam ſi ad ſtomachum deſcendat: cum Suarez 3. *par. tom. 3. diſp. 68. ſect. 4. ver. Quares rurſus.* Facundez *in Pracep. Eccleſ. par. 3 lib. 3. de 3. Pracep. cap. 5. nu.* 14. Bartholom. à S. Fauſto *lib 1. de Euchar. quaſ.* 382. Cœleſtin. *in Compend. Theol. Moral. tract. 8. cap. 3. dub.* 5. quod videtur approbari etiam à Diana noſtro *par. 5. tract. 13. reſol. 1. ver. Hoc ſuppoſito.* Bonacina *diſp. 4. de Sacram. quaſ 6. punct. 2. num. 6.*

2 Ratio eadem eſt, ac ſuperioris præcedentis Deciſ. Nam quod attrahitur per nares, etiam ſi dedita opera fiat, non attrahitur actione comeſtiua, aut potatiua: & ideo aqua illa non habet rationem potus, atq; per accidens deſcendit ad ſtomachum.

3 Vnde ſi quis, dum faciem lauat, hauriat per nares aliquid aquæ, etiam ſi deſcendat ad ſtomachum, poterit, hoc non obſtante, illa die

---

An odor, & ſuffitus carnium frangat ieiunium tam naturale, quàm Eccleſiaſticum.

Deciſio CCCXIX.

SVMMARIVM.

1 *Quidam putant odorem, & ſuffitum ſoluere ieiunium naturale.*
2 *Odor, & ſuffitus reſtaurat corpus.*
3 *Odor, & ſuffitus deferunt ſecum tenuiſſimas partes ſubſtantiæ, quo ſe nobis communicant.*
4 *Odor, & ſuffitus cuiuſcunque rei, etiam carnis, non ſoluit naturale ieiunium.*
5 *Ieiunium ſoluitur ſolùm per cibum, aut potum; Odor autem, & ſuffitus nec eſt cibus, nec potus.*
6 *Qualis ſit finis ieiunij.*
7 *Finis intenditur à lege, vt ſtat ſub materia proxima legis.*
8 *In ieiunio prohibetur effectus cibi non quomodocunque ſed vt prouenien s à cibo.*

1 QVidam plus æquo ſcrupuloſi arbitrati ſunt odorem ipſum carnium frangere ieiunium Eccleſiaſticum; & quorumcunque ciborum frangere ieiunium naturale; vnde fugiebant quotieſcunque in huiuſmodi odores inciderent, antequam celebraſſent Miſſam.

2 Quòd autem talis odor, aut ſuffitus dedita opera adhibitus ad refocillationem frangat ieiunium, videtur ſuaderi poſſe; quia in ieiunio prohibentur carnes ob macerationem

tionem corporis, huiuſmodi autem odor & ſuffitus valde reſtaurat corpus: vt patet etiam in alijs odoribus; vnde Medici ad reſtaurandam naturam, & ad retundendam vim morbi ſolent ſuffitus, & odores congeuos adhibere.

3 Præterea, Odor, & præſertim ſuffitus ſecum defert tenuiſſimas, & ſpirituoſas partes ſubſtantiæ, quæ noſtro corpori ſeſe incorporant, & ipſum reſtaurant, vnde videtur præſtare eumdem effectum, quem præſtat cibus; quia in tantùm nutrimur ex cibo, in quantum aliquæ partes ipſius noſtro corpori ſeſe commiſcent, & in eiuſdem ſubſtantiam tranſeunt. Et ideo quòd ſoluat ieiunium naturale tenet Antonius de Leone *in quæſt. Moralib. de Corbolate pat. 2. §. 4. num. 10. & ſequentib.*

4 Dicendum tamen eſt; odorem, ſiue ſuffitum carnium, ſiue alterius rei nullo modo frangere ieiunium, etiam ſi in hunc finem adhibeatur, vt reſtauretur natura contra macerationem, quæ prouenit à ieiunio. Ita Granad. loquens de fumo *3. par. Controuer. 6. de Sacram. tract. 10. diſp. 3. num. 4.*

5 Ratio, reſolutionis eſt, Quia in ieiunio per ſe primò prohibetur cibus carnium; reſtauratio autem corporis ex carnibus non eſt per ſe primò prohibita, ſed tantùm vt conſequens ex cibo carnium: ille autem ſuffitus, quamuis reſtauret corpus, & ex parte compenſet macerationem ex ieiunio, non eſt tamen cibus; & ideo in virtute ieiunij non eſt prohibitus. Item alij odores, & ſuffitus non ſunt cibus, aut potus, & ideo non ſoluunt ieiunium etiam naturale.

6 Sed dices. In lege attendendum eſſe finem, & ideo cēſendum eſt prohiberi omne id, quod eſt contra finem; vnde cum lex præcipiens ieiunium, intendat macerationem corporis, & ideo prohibeat carnes, quatenus reſtaurant corpus, cenſendum eſt prohiberi omnem reſtaurationem ex carnibus, quocunque modo fiat.

7 Verùm quando dicitur, in lege attendendum eſſe finem, debet intelligi de fine, pro vt ſtat ſub materia proxima legis: alioquin ſi attenderetur, prout quocunque modo haberi poteſt, nimis ampla eſſet prohibitio legis, & præceptum. Materia autem proxima legis prohibentis carnes in ieiunio eſt cibus ipſarum; quia lex ieiunij reſpicit exercitium temperantiæ circa cibum; & ideo ſola reſtauratio ex carnibus, prout habent rationem cibi, eſt prohibita.

8 Et per hæc patet ad ea, quæ in oppoſitum afferebantur *num. 2. & 3.* Nam in ieiunio prohibetur quomodocunque effectus cibi, ſed ſolùm vt prouenienſ ab ipſo cibo; quia non ratione ſui prohibetur, ſed ratione cibi.

An, ſi quis caſu deglutiat, & traijciat in ſtomachum notabilem quantitatem aquæ, vt ſi cadat in flumen, cenſeatur ieiunus, ita vt poſſit ſumere Euchariſtiam.

Deciſio CCCXX.

SVMMARIVM.

1 *Qui cenſeant ieiunum deglutientem præter intentionem bonam quantitatem aquæ.*
2 *Communis ſententia, quòd non ſit ieiunus.*
3 *Talis deglutio non poteſt eſſe alia actio quam potatio.*
4 *Si liquor præter voluntatem hauſtus ſtatim ejicitur, totaliter ſeruatur ieiunium.*
5 *Quomodo in hoc caſu in praxi procedendum.*

1 Affirmatiuè reſpondet Tabiena. *Verbo* Communicare *quæſt. 45. num. 51.* dummodo id contingat præter voluntatem. Quod etiam intelligendum eſt de cœteris liquoribus: vt ſi quis caderet in dolium vini, aut olei: cum ſit eadem ratio. Fundatur in eo, quòd, vt aliquid ſumatur per modum cibi, ſumi debet ex intentione, & non caſu.

2 Communis tamen ſententia oppoſitum ſentit Sylueſtre *Verbo* Euchariſt. *5. quæſt. 6. num. 8.* Angelus *Verbo* Miſſa *num. 5.* Sotus *in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 8. ad 4.* Durand. *diſt. 8. quæſt. 4. num. 14.* Victoria *quæſt. 83. de Euchariſt.* Nauar. *cap. 21. Manual. num. 53.* Henriquez *lib. 8. de Euchariſt. cap. 50. num. 4. & in Gloſ. littera X.* Tolet. *lib. 2. cap. 1. num. 3.* Sà *Verbo* Euchariſtia *num. 27.* Valent. *tom. 4. diſp. 6. quæſt. 8. punc. 3. §. Secundo aſſeruit* Suarez *3. par. tom. 3. diſput. 68. ſect. 4. §. Tertio infertur.* Reginald. *lib. 29. praxis Fori Pœnit. cap. 6. num. 119.* Vaſquez *3. par. tom. 3. diſp. 211. cap. 3. num. 29.* Perſicus *lib. 1. De Offic. Sacer. cap. 3. dub. 55.*

3 Et hæc opinio proculdubio tenenda eſt; quia cum magna quantitas deglutiatur, non poteſt illa actio induere rationem alterius actionis, quàm potationis: quantumuis violentæ, & præter intentionem: eſt enim motus, quo per ſe primò aqua, vel alius liquor traijcitur in ſtomachum. Nec poteſt dici, quòd ſit reſpiratio, aut deglutio ſaliuæ; quia in his actionibus quod per ſe primò deſcendit ad ſtomachum non eſt materia potabilis, ſed aut aer, aut ſaliua. Cum igitur interueniat actio potatiua, meritò ſoluitur ieiunium.

4 Dubium tamen eſt, quid dicendum, ſi aqua, aut alius liquor ſic hauſtus eijciatur è ſtomacho, an cenſendum ſit ſeruari ieiunium naturale.

rale. Reſp. ſi probabiliter iudicetur eſſe eiectum totaliter illum liquorem, poſſe cenſeri adeſſe naturale ieiunium: ſiquidem non violatur, niſi per cibum, & potum; tunc autem ille liquor cum ingrediatur in ſtomachum præter intentionem, & ab ipſo eijciatur. non habet rationem potus, ſed potius cuiuſdam lauationis, qua ſtomachus lauetur; in tantum enim hauſtio illa facta præter intentionem haberet rationem potationis, in quantum cõiungeretur cum termino potationis; omnis enim motus eſt talis per coniunctionem cum ſuo termino: in tali autem caſu non coniungeretur cum termino potationis; terminus enim potationis eſt permanentia liquoris in ſtomacho, vt poſſit alterari, & digeri.

5 In hoc tamen cautè procedendum eſt, & conſiderandæ circumſtantiæ, vt poſſit indicari, an totus liquor ſit eiectus; ſi enim aliquo tempore permanſerit in ſtomacho, aut ſit facilè alterabilis, non poterit cenſeri totus eiectus; ſed ſemper aliquam particulam alteratam fuiſſe. Deinde etiam ſi probabiliter cenſeatur totum fuiſſe eiectum, ſatis tamen erit abſtinere aſſumptione Euchariſtiæ.

An ſi aliquid cibi, vel potus intret in conductum reſpirationis, & eijciatur, ſoluat ieiunium naturale.

Deciſio CCCXXI.

SVMMARIVM.

1 *Quod exiſtat in canali reſpirationis non ſoluit naturale ieiunium.*

2 *Etiam ſi intret ex vi actionis manducatiuæ, aut potatiuæ.*

3 *Si quid intret in ſtomachum, dum quis conatur eijcere, quod ingreßum eſt canalem reſpirationis, non ſoluit ieiunium naturale.*

1 RESp. negatiuè, cum Palud. *in 4. diſtin. 8. quæſt. 2. artic. 2. concluſ. 3. in fine*. Perſicus *lib. 1. De officio Sacerd. capit. 3. dub. 6. num. 53.* Quia illa deglutio non pertinet ad manducationem: cum nõ ordinetur ad nutritionem; ſed potiùs ad ſuffocationem.

2 Atque hoc etiam verum eſt, vt notant iidem Doctores, ſi hoc fiet per actionem manducatiuam, & ex animo manducandi, aut potandi; quia dum deſcendit non in ſtomachum, ſed in canalem reſpirationis, non completur manducatio, aut potatio; quia nõ eſt in termino, niſi fiat tranſmiſſio in ſtomachum: vnde deſcenſus cibi, aut potus in ſtomachum eſt pars manducationis, qua ſublata, non frangitur ieiunium, cum ſoluatur ſolùm per completam manducationem, aut potationem.

3 Addo etiam, quòd ſi, dum quis conatur eijcere, quod in canalem tranſpirationis eſt ingreſſum, aliquid modicũ de ipſo in ſtomachũ tranſglutiat, non ſoluitur naturale ieiunium; quod enim intrat in ſtomachum eſt præter intentionem, & ex vi actionis egeſtiuæ, quæ opponitur manducatiuæ, aut potatiuæ; & ideo non poteſt ingredi per modum manducationis, aut potationis; & ideo non ſoluit ieiunium naturale.

An reliquię cibi pręcedentis diei, quę remanent inter dentes, ſoluant ieiunium naturale, ſi deglutiantur, & impediant ſumptionem Euchariſtię.

Deciſio CCCXXII.

SVMMARIVM.

1 *Reliquiæ cibi diei præcedentis non ſoluunt naturale ieiunium, ſi caſu deglutiantur.*

2 *Soluunt verò ſecùndum aliquos, ſi ex propoſito deglutiantur.*

3 *Secùndum alios non frangunt.*

4 *Hæc poſterior ſententia amplecti poteſt ſine ſcrupulo, & an hæ reliquiæ faciant nouam comeſtionem.*

5 *Quid dicendum, ſi hæ reliquiæ ſint alicuius conſiderabilis quantitatis.*

1 COnueniunt communiter, quod non impediant, quando caſu deglutiuntur; quia deſcendunt in ſtomachum non per modum cibi, ſed per modum ſaliuæ. D. Th. 3. *par. quæſ.* 8. *ar.* 8. *ad* 4. Durand. *in* 4. *diſt.* 8. *quæſ.* 4. *nu.* 14. Palud. *quæſ.* 2. *ar.* 2. *concluſ.* 2. Riccar. *ar.* 2. *quæſ.* 3. Sotus *diſt.* 12. *quæſ.* 1. *ar.* 8. *ad* 4. D. Antoninus 3. *par. tit.* 13. *cap.* 6. §. 8. Angelus *Verbo* Miſſa *num.* 4. Syluester *Verbo* Euchar. 3. *quæſ.* 3. *nu.* 8. Victoria *quæſ.* 83. *de Euchar.* Nauar. *cap.* 21. *Manual. num.* 53. Rodriquez *par.* 1. *Sum. cap.* 66. *concluſ.* 3. Henriquez *lib.* 8. *de Euchar. cap.* 50. *num.* 4. Reginal. *lib.* 29. *Praxis Fori Pœnit. cap.* 6. *num.* 129. *not.* 2. Suarez 3. *par. tom.* 3. *diſp.* 68. *ſect.* 4. *ver. Dices ergo*. Vaſquez *tom.* 3. *diſp.* 211. *cap.* 3. *nu.* 30. & 31. Nugnus *quæſ.* 8. *ar.* 8. Io: Præpoſ. *ibid. dub* 1. *num.* 40. *ver. Idem dicendum.* Filicuius *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 236. Molfeſ. *tom.* 1. *Sum. tract.*

tract. 3. cap. 10. num. 13. Pitigian. *in 4. tom. 1. diſt. 18. queſ. 3. ar. 3.* Chamerota *tract. 4. de Sacram. cap. 10. dub. 9.* Coninch. *3. par. quæſ. 80. ar. 8. dub. 1. nu. 47.* Layman. *lib. 5. Theol. Mor. tr. 4. cap. 6. num. 18.* Facundez *in Præcep. Eccleſ. par. 3. lib. 3. de 3. Præcep. cap. 5. num. 14.* Bartholomæus ab Angelis *in Exam. confeſ. dial. 4. §. 214.* Muttinus *in Theol. Mor. quæſ. 10. de Euchar.* Diana *par. 3. tract. 4 reſol. 37.* Trouſſet. *par. 2. Theſauri ſacram. Euchar. ſect. 27. ver. Idem etiam dicitur.* Perſicus *lib. 1. de Offic. Sacer. cap. 3. dub. 6. num. 57.* Lugo *diſp. 15. de Euchar. ſect. 2. num. 36.* Chelliſon. *3. par. quæſ. 80. ar. 8. ver. Notandum eſt.* Bonacina *diſp. 4. de Sacram. quæſ. 6. punct. 2. num. 6.* Ledeſma *par. 1. Sum. cap. 13. de Euchar. concluſ. 4.* Gaſpar Hurtad. *diſp. 9. de Euchar. difficul. 15. vers. Obſeruandum.*

2 Difficultas eſt, an ſi ex propoſito deglutiatur, ſoluat ieiunium naturale. Plures ex ſupracitatis Doctoribus docent, quòd non ſoluunt, ſi deglutiantur caſualiter, & inter alios D. Th. non tamen dicunt quòd ſoluant, ſi ex propoſito deglutiantur. Quod autem ſoluant ieiunium ſi ex propoſito deglutiantur, docent Palud. Vaſquez, Nugnus, Præpoſitus, Filiucius, Layman. Reginal. Perſicus, & alij his videntur adhærere, quamuis non ita clarè. Quibus adde Gauantum *in Rubr. par. 3. tit. 9.*

3 Alij autem inferunt, quòd etiam ſi ex propoſito deglutiantur, non ſoluunt ieiunium. Ita Tabiena, Henriquez *lib. 8 de Euchar. cap. 50. num. 4. in Gloſ. Littera V.* & probabile putat Io: à Cruce *par. 2. Direct. Conſcient. quæſ. 5. de Euchar. dub. 4. concluſ. 2.* Diana, Suarez, Rodriquez *citati.* Quibus adde Matthæum de Rubeis *cap. 9. Ad not. in Rubr. Miſſalis nu. 3.* Alphon. de Leone *quæſ. 8 de Offic. Capel. ſect. 17. num. 144.* Lugo verò *citat. num. præced.* aſſerit, quòd tunc ſolùm ſoluunt ieiunium, quando haberentur ſenſibiliter in lingua, & ex induſtria deglutirentur: poſſe tamen nos permittere, vt cum ſalina, vel reſpiratione deglutiantur.

4 Hanc poſteriorem ſententiam abſque vlla reſtrictione cenſeo poſſe amplecti abſque vllo ſcrupulo. Non enim deglutiuntur actione manducatiua: quia non aſſumuntur ab extrinſeco, ſed vt immixtæ ſalinæ; & ideo non ſe habent per modum cibi: quod verum eſt etiam ſi in lingua ſenſibiliter ſentiantur; quia ſalina quoque ſenſibiliter ſentitur, & tamen non tenemur expuere; ſenſibiliter enim ſentiri non conſtituit rationem cibi, aut manducationis. Accedit etiam, quòd illæ reliquiæ habentur vt cibus iam manducatus: quia ſunt ille cibus, qui pridie fuit ori impoſitus, dentibus contuſus, & per accidens eſt, quòd ſimul cum alio cibo non fuerint tranſmiſſæ in ſtomachum; ſi quidem aderat intentio tranſmittendi, & actio etiam ordinata ad tranſmittendum; & proinde habent moralem connexionem cum cibo præcedentis diei; & ideo tranſmiſſio ipſarum in ſtomachum non eſt noua comeſtio.

5 Sed quid, ſi huiuſmodi reliquiæ ſint aliqua notabilis quantitas? Reſp. non poſſe ex cibo præcedenti remanere inter dentes, niſi exiguas particulas: hæ autem ſemper ſunt reliquiæ comeſtionis præcedentis: & ideo ſunt connexæ cum ipſa; vnde adhuc habent rationem cibi iam manducati, & ſi transglutiantur, non inſtituunt nouam comeſtionem, quæ ſoluat ieiunium naturale. Et ſicuti Sacerdos poſt ſumptam ablutionem, ſi reperiet in patena, aut corporali aliquas reliquias, ſeu fragmenta, poteſt eas ſumere licet non iejunus: quia moraliter non ſumitur nouum Sacramentum, ſed reliquiæ Sacramenti iam ſumpti; ita in caſu noſtro reliquiæ huiuſmodi non ſunt nouus cibus, ſed ipſemet cibus pridie ſumptus; & ideo non ſoluunt naturale ieiunium, quia nõ important nouam manducationem: ſed moraliter dicunt manducationem præteritam.

An, ſi quis lauando os, aliquas reliquias aquæ, vel vini traijceret, ſolueret ieiunium naturale, & impediretur à ſumptione Euchariſtiæ.

Deciſio CCCXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Si aliquæ reliquiæ ex ablutione oris deſcendant ad ſtomachum non ſoluunt ieiunium.*

2 *Hæc traiectio non fit per actionem manducatiuam, aut potatiuam.*

3 *Nec etiam ſi hoc contingat in ablutione dentium.*

4 *Non requiritur, quòd hæ reliquiæ ſint inſeparabiles à ſalina.*

5 *Nec etiam ſoluit ieiunium naturale, ſi dum os abluitur deſcendat in ſtomachum aliqua gutta.*

1 RESp. negatiuè cum communi ſententia, quam tradunt D.Thom. *3. par. quæſt. 80. artic. 8. ad 4.* Præpoſit. *ibid. dub. 1. num. 40. ver. Ex eo vero* Coninch. *numer. 48.* Suarez *tomo 3. diſp. 68 ſect. 4. ver. Tertio infertur* Vaſquez *tomo 3. diſp. 211. cap. 3. num. 29.* Durand. *in 4. diſt. 8. quæſt. 4. num. 14.* Palud. *quæſt. 2. art. 2. concluſ. 2.* Riccar.

2. Riccar. *art.* 2. *quæſt.* 3. Sotus *diſtin.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 8. *ad* 4. Caietan. *in ſum. Verbo* Sacramentalis Communio *cap.* 1. Sylueſt. *Verbo Euchariſ.* 3. *quæſt.* 6. *num.* 8. Tabiena *Verbo* Communicare *quæſt.* 44. § 50. Angelus *Verbo* Miſſa *quæſt.* 5. D. Antonin. 3. *par. tit.* 13. *cap.* 6. § 8. Sã *Verbo* Euchariſt. *num.* 27. Victoria *quæſt.* 83. *de Euchariſt.* Nauar. *cap.* 21. *Manual. num.* 53. Rodriquez 1. *par. ſum. cap.* 66. *concluſ.* 3. Bellarm. *lib.* 2. *de Miſſa cap.* 14. *tit. vlt.* § 2. Tolet. *lib.* 2. *ſum. cap.* 1. *num.* 2. Henriquez *lib.* 8. *de Euchariſ. cap.* 50. *num.* 4. & *in Gloſ. littera X.* Valent. *tom.* 4. *diſput.* 6. *quæſt.* 8. *punc.* 3. *ver. Secundò aſſerunt* Azor. *par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 30. *quæſt.* 2. *ver. Quæres etiam.* Reginald. *lib.* 29. *Praxis Fori Pœnit. cap.* 6. *quæſt.* 8. *num.* 119. *not.* 1. Lugo *diſput.* 15. *de Euchariſt. ſect.* 2. *num.* 23. Trouſſet. *par.* 2. *Theſauri Euchar. ſect.* 27. *ver. Non frangitur* Bonacina *diſput.* 4. *de Sacram. quæſt.* 6. *punc.* 2. *num.* 6. *ver. Dixi per modum cibi.* Villalob. *par.* 1. *ſum. tract.* 7. *difficul.* 30. *num.* 1. Gaſpar Hortad. *diſpu.* 9. *de Euchar. difficul.* 15. *ver. Obſeruandum* Perſicus *lib.* 1. *de Offic. Sacer. capit.* 3. *dub.* 6. *num.* 50. Ledeſma *par.* 1. *ſum. capit.* 13. *de Euchariſt. concluſ.* 4.

2 Ratio eſt, Quia reliquiæ illæ immiſcentur ſaliuæ, & ſimul cum ipſa deſcendunt in ſtomachum: vnde non interuenit actio manducatiua; aut potatiua: & ideo nec ſoluitur ieiunium. Sumus enim in rebus moralibus, quæ morali modo menſurandæ ſunt.

3 Hoc etiam extendendum eſt cum *ſupracitatis Doctorib.* ad reliquias, quæ poſſunt cum ſaliua deſcendere in ſtomachum, quando quis lauat dentes ſale, & aceto, aut aliqua alia latione: eſt enim eadem ratio; quia non interuenit actio potatiua, aut comeſtiua, nec ex intentione, nec materialiter, cum deſcendant ſimul cum ſaliua.

4 Quod autem aliqui addunt, quòd huiuſmodi reliquiç debent eſſe tam minimæ quantitatis, vt non poſſint ſeparari à ſaliua, eſt nimis ſcrupuloſum; vt enim non deſcendant in ſtomachum per modum potus, ſufficit ſi debita diligentia adhibeatur ad expuendam lauationem, & deſcendant in ſtomachum per actionem, qua degluriatur ſaliua.

5 Rurſus. Si quis lauans os, aut dentes aliquid modicum caſu traijceret, non ſolueret naturale ieiunium, vt notant nonnulli ex citatis auctoribus, præſertim *D. Antonin. Palud. Syluesſt.* & *Azor.* Adhuc enim, quod traijcitur non habet rationem potus, aut cibi; quia deſcendit in ſtomachum præter intentionem, & ex vi actionis, quæ non ordinatur, ad tranſmittendum cibum, vel potum.

An, ſi dum prægustatur vinum, cibus aliquis, aut aliquid aliud ad percipiendum ſaporem, & expuitur, ſi remaneat aliquid ſaliuæ permixtum, & deſcendat in ſtomachum, ſoluatur naturale ieiunium, & impediatur ſumptio Euchariſt.

Deciſio CCCXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Quando aliquid prægustatur, quæ remanent reliquia non ſoluunt ieiunium naturale, ſi deſcendant in ſtomachum.*

2 *In hac prægustatione, & deſcenſu reliquiarum ad ſtomachum non interuenit comeſtio, aut potatio.*

3 *Nec etiam ſoluitur ieiunium, ſi quid exiguum deſcendat ad ſtomachum, dum ſit prægustatio.*

1 EOdem modo Reſpondendum eſt etiam in hoc caſu, cum ſit eadem ratio: nimirum. Non ſolui ieiunium naturale nec impediri ſumptionem Euchariſtiæ. Cum D. Tho. 3. *par. quæſt.* 80. *art.* 8. *ad* 4. Palud. *in* 4. *diſt.* 8. *quæſt.* 2. *art.* 3. *concluſ.* 3. Henriquez *lib.* 8. *de Euchar. cap.* 50. *num.* 4. Nauarr. *cap.* 21. *Manual. num.* 53. *ver. Octauò peccat* Tabiena *Verbo* Communicare *quæſt.* 45. *num.* 51. Syluest. Verbo Euchariſt. 3. *quæſt.* 6. *num.* 8. *in fine* D. Antonin. 3. *part. tit.* 13. *tit.* 5. § 8. *in fine* Rodriquez 1. *par. ſum. cap.* 66. *concluſ.* 3. Ledeſma *par.* 1. *ſum. capit.* 13. *de Euchariſt. concluſ.* 4. Trouſſet *par.* 2. *Theſauri Euchariſt. ſect.* 27. *ver. Idem dicitur.* Regĩnald. *lib.* 29 *Praxis For. Pœnit. cap.* 6. *num.* 119. *not.* 1. Villal. *part.* 1. *ſum. tract.* 2. *difficul.* 39. *nu.* 1. Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 4. *de Sacram. q.* 6. *pun.* 2. *n.* 6. *ver. Dixi per modum.* Conineh. 3. *par. q.* 8. *art.* 8. *num.* 48. Ioan. Præpoſit. *ibid. dub.* 1. *num.* 40. *ver. Ex eo verò.* Suarez *tom.* 3. *diſp.* 68. *ſect.* 4. § *Tertio infertur poſt concluſ.* 2. Vaſquez *tom.* 3. *diſp.* 211. *cap.* 3. *num.* 29. Perſico *lib.* 1. *de Offic. Sacer. cap.* 3. *dub.* 6. *num.* 51.

2 In hoc enim ſimiliter caſu non interuenit nec comeſtio, nec potatio, ad comeſtionem enim, & potationem requiritur, quod cibus, & potus traijciatur in ſtomachum. vnde in prægustatione fit quoddam experimentum ſaporis: quod autem aliquæ reliquiæ rei prægustatæ deſcendant in ſtomachum, id eſt per accidens, nec deſcendunt per modum cibi, aut potus, ſed per modum reſpirationis, aut ſaliuæ: cum deſcendant per actiones, aut reſpiratiuam

uam, aut tranſmiſſiuam ſaliuæ ad ſtomachum.
3 Atque hoc ſimiliter extendi debet etiam ſi quando fit prægustatio, aliquid exiguum caſu & præter intentionem deſcendat in ſtomachum, quia nec adeſt materialiter actio comeſtiua, aut potatiua, nec etiam intentio, quæ illud ad cibum, vel potum ordinetur.

An reliquiæ ablutionis, & prægustationis debeant priùs conuerti in ſaliuam, quàm traijciantur in ſtomachum, ne ſoluant ieiunium naturale.

Deciſio CCCXXV.

SVMMARIVM.

1 *Quòd reliquiæ ablutionis debeant praconuerti in ſaliuam, ne ſoluatur ieiunium.*
2 *Non eſt recedendum à communi ſententia, quòd non debeant praconuerti.*
3 *Cur talis praconuerſio non ſit neceſſaria, & quomodo ex ſe non poſſit tollere rationem cibi, & potus.*
4 *Etiam ſi in ſaliua percipiatur ſapor reliquiarum, adhuc ſine offenſa ieiunij poteſt transglutiri.*

1 Affirmatiua opinio tribuitur à Suarez *Durando in 4. diſt.* 8. & Gabrieli *lect.* 10. *in Canonem Miſſa*. Quod tamen apud ipſos non reperi: & ſolus Durandus ait, reliquias iſtas debere eſſe quaſi conuerſas in ſaliuam, nimirum ratione miſtionis.
2 Reſp. ergo cum communi ſententia, non eſſe neceſſe quòd huiuſmodi reliquiæ præconuertantur in ſaliuam, ſed etiam ſi maneant in ſua ſubſtantia, non ſoluere ieiunium naturale. Ita Palud. *in 4. diſt.* 8. *quaſ.* 2. *ar.* 2. *concluſ.* 2. Syluester *Verbo* Euchariſ. 3. *quaſ.* 6. *num.* 8. *in fine.* D. Antoninus 3. *par. tit.* 13. *cap.* 6. §. 8. Azot. *par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 30. *quaſ.* 2. *ver. Quæres etiam.* Suarez 3. *par. tom.* 3. *diſp.* 68. *ſect.* 4. *ver. Tertio infertur.* Vaſquez *tom. item* 3. *diſp.* 211. *cap.* 3. *num.* 30. Reginal. *lib.* 29. *Praxis Fori Pænit. cap.* 6. *nu.* 119. *not.* 1. Perſieus *lib.* 1. *de Offic. Sacer. cap.* 3. *dub.* 6. *num.* 52. Gaſpar Hurtad. *diſp.* 9. *de Euchar. difficul.* 5. *ver. Obſeruandum.*
3 Quod autem non ſit neceſſaria talis præconuerſio ex eo conſtat, quia non eſt neceſſaria, vt tollatur ratio manducationis, aut potationis; quia hæc ſufficienter tollitur, per id, quod non adſit actio manducatiua, aut potatiua; & ideo non adeſt, quia ſit tranſmiſſio in ſtomachum per actionem tranſmiſſiuam ſaliuæ. Vnde ſolùm eſſet neceſſaria hæc præconuerſio, vt fieret mutatio ſubſtantiæ; quæ tamen mutatio non eſt neceſſaria; quia dato quòd fieret; & ſi alioquin interueniret actio manducatiua, aut potatiua, ſolueretur ieiunium naturale, ſicut ſolueretur, ſi quis alienam ſaliuam ori imponeret, & deglutiret.
4 Addo, quòd ſi quis, poſtquam lauit os, aut aliquid prægustauit, & expuit, percipiat palato ſaliuam ſuam admixtam aliqua reliquia, & illam transglutiat, neque adhuc ſoluere ieiunium naturale: quia adhuc reliquiæ illæ deſcendunt per modum ſaliuæ, cum ſint ita ipſi permixtæ, vt moraliter cenſeantur ſaliua: neque adhuc interueniat actio manducatiua, aut potatiua.

An, ſi quis, quando it cubitum, aſſumat aliquid in ore liquefaciendum, vt eſſet ſaccharum, & duret poſt mediam noctem, poſſit die ſubſequenti ſumere Euchariſtiam.

Deciſio CCCXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Poſſe ſumi Euchariſtiam, etiam ſi quod ponitur in ore liquefaciendum duret poſt mediam noctem.*
2 *Certa tamen ſententia eſt, non poſſe ſumi, ſed ſolui ieiunium.*
3 *Quando aliquid in ore liquefaciendum ponitur, durat comeſtio toto illo tempore, quo durat liquefactio.*

1 Affirmatiuam ſententiam docet Tabiena *Verbo* Communicare *quaſ.* 43. *num.* 49. *in fine.* Bartholomæus ab Angelo *in Exam. Confeſ. dialogo* 4. §. 214. *Littera A.* Et fundantur in illa regula, quam tradit D. Th. *in* 4. *diſt.* 8. *quaſ.* 1. *ar.* 4. *quaſ.* 2. *ad* 3. Quòd nimirum illud ſolùm ſoluat ieiunium, quod ſumitur ab extra: in tali autem caſu poſt mediam noctem nihil ſumitur ab extra.
2 Oppoſita tamen ſententia mihi certa videtur; Vt nimirum, ſoluatur ieiunium naturale, & impediatur ſumptio Euchariſtiæ. Quam tradunt Palud. *in* 4. *diſt.* 8. *quaſ.* 2. *ar.* 2. *concluſ.* 2. Facundez *in Pracep. Eccleſ. par.* 3. *lib.* 3. *pracep.* 3. *cap.* 5. *num.* 16. Suarez 3. *par. tom.* 3. *diſp.* 68. *ſect.* 4. *ver. Dices ergo.* Vaſquez *tom. itē* 3. *diſp.* 211. *cap.* 3. *num.* 31. Coninch. *quaſ.* 80. *ar.* 8.

ar. 8. *num.* 49. Præpoſ. *dub.* 1. *num.* 39. *ver. Ex dictis.* Syluius *eodem ar.* 8. Molfeſ. *tom.* 1. *Sum. tract.* 3. *cap.* 10. *num.* 13. Reginal. *lib.* 29. *Praxis Fori Pœnit. cap.* 6. *num.* 119. Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 4. *de Sacram. quæſ.* 6. *punct.* 2. *numer.* 7. Diana *par.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 51. Sanctius *in Selectis Diſp. de Sacram. diſp.* 42. *num.* 21. Perſicus *lib.* 1. *de Offic. Sacer. cap.* 3. *dub.* 6. *num.* 60. Lugo *diſp.* 15. *de Euchar. ſect.* 2. *num.* 37. Gaſpar Hurtad. *diſp.* 9 *de Euchar. difficul.* 15. Filiucius *tract.* 4. *nu.* 236. Matthæus de Rubeis *in Rubr. Mißal. cap.* 9. *num.* 3. Alphon. de Leone *quæſ.* 8. *de Offic. Capel. ſect.* 17. *caſu* 2. *num.* 146.

3 Ratio autem eſt; quia in tali caſu poſt mediam noctem continuatur comeſtio, quæ prima nocte incœpit; dum enim imponitur ori tale quid liquefaciendum, ita vt debeat deſcendere in ſtomachum iuxta liquefactionem, incipit quædam comeſtio continuata, & proportionata liquefactioni; vnde tamdiù durat, quamdiù durat liquefactio: quæ cum duret poſt mediam noctem, durat etiam comeſtio. completur comeſtio. In caſu autem noſtro, quod poſitum eſt in os ad manducandum, durat poſt mediam noctem, & poſt ipſam traijcitur in ſtomachum, & non remanet vt reliquia præteritæ manducationis, ſed vt materia ſufficiens ad continuãdam inceptam manducationem.

3 Sed quid dicendum, ſi poſt mediam noctem reperiat quis, ſe habere adhuc in ore, quod prima nocte ſumpſit, & ſtatim illud expuat? Reſp. In tali caſu eſſe conſiderandum, an ſit materia, quæ liquefieri poſſit, an non. Si enim non poteſt liquefieri, poterit expuendo ſumere Euchariſtiam; quia non erit ieiunium naturale ſolutum. Si verò liquefieri poteſt, tunc eſt conſiderandum, an probabile ſit, quòd poſt mediam noctem aliquid in ſtomachum deſcenderit, an non. Si enim probabile ſit quòd nihil deſcenderit, poterit ſumere Euchariſtiam: quia cenſendus erit ieiunus: ſecus autem, ſi putet quòd aliquid in ſtomachum deſcenderit.

An, quando quis mittit in os aliquid ante mediam noctem conſumendum, ſed non conſumitur ratione ſomni, ſed durat poſt mediam noctem, & deinde traijcitur in ſtomachum, poſſit Euchariſtiam ſumere.

Deciſio CCCXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Si per accidens maneat in ore poſt mediam noctem, quod mittitur in os conſumendum ante mediam noctem, ſoluitur ieiunium naturale.*
2 *In tali caſu per totum illud tempus continuatur comeſtio.*
3 *Quid ſi ſtatim ac euigilat, illud expuat.*

1 Reſp. In tali caſu ſolui ieiunium, atq; adeo impediri ſumptionem Euchariſtiæ. Ita docent Palud. *in* 4. *diſt.* 8. *quæſ.* 2. *ar.* 2. *concluſ.* 2. Vaſquez 3. *par. tom.* 3. *diſp.* 211. *cap.* 3. *num.* 31. Perſicus *lib.* 1. *de Offic. Sacerd. cap.* 3. *dub.* 6. *num.* 61. Gaſpar Hurtad. *diſp.* 9. *de Sacram. Euchar. difficul.* 15. *ver. Obſeruandum.*

2 Ratio eſt, Quia adhuc in tali caſu continuatur manducatio etiam poſt mediam noctem; tandiù enim durat manducatio, quandiù durat materia, quæ ponitur intra os ad manducandum: dummodo non ſit aliqua reliquia, quæ per accidens remaneat intra os, quando

An, ſi quis cum it cubitum, aliquid in ore ſumat conſumẽdum antequam dormiat, ſed ſomno oppreſſus non conſumat, & poſt mediam noctem euigilet, atque totum reperiat conſumptum, poſſit ſequenti die ſumere Euchariſtiam.

Deciſio CCCXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Si probabile ſit, totum conſumptum ante mediam noctem, quod fuit immiſſum in os, poteſt ſumi Euchariſtia. & vnde id iudicandum.*
2 *Secus autem, ſi non ſit probabile.*
3 *Quid dicendum, ſi adſit probabilitas pro vtraque parte.*

1 Reſp. In tali caſu debere conſiderare, an probabile ſit, quòd materia illa ſit conſumpta, & tranſmiſſa in ſtomachum ante mediam noctem. Quod indagare poterit conſiderando qualitatem materiæ, an facilè ſolui poſſit, & alias circumſtantias, nempe quantitatem, tempus, quod præceſſit ante mediam noctem, quomodo, quando euigilat, experiatur proprium os: an nimirum ſit recens à tranſmiſſione illius rei in ſtomachum: quantũ temporis, quando expergiſcitur, à media nocte effluxerit; atque ſi his omnibus penſatis probabile

babile

babile putat, totum tranſglutiſſe ante mediam noctem, poterit Euchariſtiam ſumere.

2 At ſi iiſdem penſatis, probabile putat non tranſglutiſſe totum ante mediam noctem, non poterit Euchariſtiam ſumere; quia faceret contra præceptum non ſumendi poſt ſolutum ieiunium; nec, ſtante illo iudicio probabili, debet ſe gerere ac ſi non eſſet ieiunus, ſicut, ſtante iudicio probabili oppoſito, poteſt ſe gerere ac ſi eſſet ieiunus.

3 Dubitari tamen poteſt, quid illi faciendum, quando habet probabilitatem pro vtraque parte: quia videlicet ex vno motiuo poteſt iudicare quòd tota illa materia conſumpta ſit ante mediam noctem, ex alio verò, quòd non ſit conſumpta: an nimirum ſe debeat gerere vt dubius. Reſp. Non eſſe neceſſe, quòd ſe gerat vt dubium, ſed poſſe ſequi vtramque partem; poſſumus enim ſequi quancunque opinionem probabilem: & ſtante motiuo pro vtraque parte, poteſt formare iudicium quòd adſit opinio probabilis pro vtraq; parte, & ſequi quam voluerit.

An ante ſumptionem Euchariſtiæ liceat aromata ori imponere, & dentibus conterere ad confortandum caput, vel in alium finem.

Deciſio CCCXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Licet ante ſumptionem Euchariſtiæ aromata dentibus conterere ad confortandum caput, &c.*
2 *Quid requiratur ad complendam comeſtionem, quæ ſoluat ieiunium.*

1 RESp. affirmatiuè, dummodo non deglutiantur. Ita tenent Coninch. *3. par. de Sacram. quæſ.* 80. *ar.* 8. *num.* 48. *ver. Licet item.* Mercerus *ibid. notab.* 1. Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 4. *de Sacram. quæſ.* 6. *punc.* 2. *num.* 9. Petrus Matthæus *in Rubricas Miſſalis cap.* 9. *num.* 3. & alij Deciſ. *ſubſequente* citandi.

2 Ratio autem eſt, Quia etiam ſi dentibus conteratur non habetur completa comeſtio, ſed tantùm incohatio quædam: tunc enim ſolùm comeſtio completur, quando cibus tranſmittitur in ſtomachum; nam comeſtio eſt actio ordinata ad communicandum ſubſtantiam nutritiuam viuenti, vt poſſit nutriri; & ideo debet conſtituere cibum in ſtatu proximo, vt poſſit conuerti in ſubſtantiam viuentis: quòd non fit, niſi traducatur in ſtomachum. Vnde cum non interueniat in caſu propoſito comeſtio completa, nec etiam ſoluitur ieiunium: cum ſoluatur per ſolam comeſtionem proximè 1
ordinatam ad nutriendum, atque adeo completam.

An, ſi aliquid de his aromatibus præter intentionem deſcendat cum ſaliua in ſtomachum, liceat adhuc ſumere Euchariſtiam.

Deciſio CCCXXX.

SVMMARIVM.

1 *Si quid ex aromatibus dentibus contuſi ſaliuæ immixtum deſcendat in ſtomachum, licet adhuc Euchariſtiam ſumere.*
2 *Cur in tali caſu non violetur ieiunium.*

1 RESp. affirmatiuè Fauſtus *lib.* 1. *de Sacram. Euchariſ. quæſ.* 381. Tannerus *tom.* 4. *diſp.* 5. *quæſ.* 8. *dub.* 4. *num.* 79. Et ita etiam tenere debent ij, qui hoc ipſum docent de reliquiis deſcendentibus in ſtomachum, quando aliquid prægustamus: cum ſit eadem ratio.

2 In vtroque enim caſu quod deſcendit in ſtomachum non deſcendit per modum cibi, ſed per modum ſaliuæ; tum quia eſt ipſi immixtum, & veluti ab ipſa abſorbetur, atq; adeo moraliter cenſetur ſaliua; tum quia non ſtat ſub actione manducatiua, ſed tranſmiſſiua ſaliuæ in ſtomachum.

An, ſi quis aſſumat aliquod granum aromaticum dentibus conterẽdum ad confortandum caput, & caſu in ſtomachum deſcendat, poſſit adhuc Euchariſtiam ſumere.

Deciſio CCCXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Granum aſſumptum dentibus conterendum, ſi caſu traijciatur in ſtomachum, non impedit ſumptionem Euchariſtiæ.*
2 *Granum licet exiguum poteſt ſoluere ieiunium.*
3 *Si caſu deſcendat in ſtomachum, quia non deſcen-*

dit per actionem manducatiuam, eſt probabile, quòd non ſoluat.

1 ADhuc licere Euchariſtiam ſumere inquit Lorichius *in Theſauro Verbo* Miſſa *num.* 21. §. 3. quia non videtur interuenire violatio ieiunij.

2 Verum quòd ipſa materia grani, quamuis exigui, ſit ſufficiens materia ad violandum ieiunium naturale, ex eo conſtat, quòd ſi quis dedita opera illud manducaret, non cenſeretur ieiunus; quia iam exercuiſſet completam actionem manducationis, per quam aliquid cibi intraſſet in ſtomachum: vnde ſolùm hæc opinio ſuſtineri poſſe videtur ex eo, quòd non tranſglutiatur per modum cibi.

3 Quod ſuaderi poteſt: Quia non interuenit actio manducatiua, nec ab aliquo ordinatur in cibum, vt quando infantes, & ægroti degluttiunt cibum ab alio ipſorum ori immiſſum; quia licet hoc ſit contra intentionem ipſorum, non tamen contra aliorum intentionem: & proinde adeſt actio ordinans cibum ad deſcenſum in ſtomachum; quod ſufficit, vt interueniat manducatio; in caſu autem noſtro nulla actio interuenit, quæ ordinet illud granum ad deſcenſum in ſtomachum; nam ſolùm eſt intenta contuſio facienda per dentes: in eum finem, vt caput confortetur eo; & quòd deſcēdat in ſtomachum eſt per accidens, per actionem ad aliud ordinatam ex natura ſua; vnde cum non interueniat actio manducatiua; quæ ex natura ſua ordinatur ad tranſmittendum cibum in ſtomachum, ſtante paruitate materiæ, deſcendet aut per modum ſaliuæ, quia erit ipſi immixtus: aut per modum reſpirationis, quia deſcendet cum aere ordinato ad reſpirationem.

An, ſi ex capite, aut gengiuis deſcendat ſanguis, aut alius humor in ſtomachum, impediatur ſumptio Euchariſtiæ.

Deciſio CCCXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Sanguis, aut alius humor deſcendens à capite non ſoluit ieiunium naturale.*
2 *Quod non prouenit ab extrinſeco non ſoluit ieiunium.*
3 *Sanguis defluens à capite ſe habet ac ſubſtantia extranea.*
4 *Sanguis defluens à capite in ſtomachum non ſoluit ieiunium, quando non ordinatur, vt nutriat.*
5 *Secus ſi ordinetur.*
6 *Idem dicendum etiam, quando eſt in magna quantitate.*

1 NOn ſolui ieiunium, nec impediri ſumptionem Euchariſtiæ reſpondent communiter D. Thom. *in 4. diſtin. 8. quæſt. 1. artic. 4. quæſtiun. 2. ad 3.* Durand. *quæſt. 4. num. 14.* Riccar. *art. 1. quæſt. 3.* Palud. *quæſt. 2. art. 1. concluſ. 2.* Sotus *diſt. 12. quæſt. 1. art. 8. ad 4.* Angelus *Verbo* Miſſa *num. 4.* Syluester *Euchariſt. 3. quæſt. 6. num. 6.* Caiet. *Verbo* Sacramentalis Communio *cap. 1.* D. Antonin. *3. par. tit. 13. tit. 6. §. 8. in fine* Tabiena *Verbo* Communicare *quæſt. 43. numer. 49.* Armilla *Verbo* Communio *nume. 2.* Nauarr. *capit. 21. Manual. num. 53. ver. Octauo peccat* Tolet *lib. 2. ſum. cap. 1. num. 2.* Rodriquez *3. par. ſum. cap. 73. concluſ. 3.* Naldus *Verbo* Euchariſt. *num. 10.* Victoria *quæſt. 83. de Euchariſ.* Bellarm. *lib. 2. de Miſſa cap. 14. tit. vlt. §. 2.* Valent. *tom. 4. diſp. 6. quæſt. 8. punc. 3. ver. Secundo aſſerunt* Henriquez *lib. 8. de Euchariſt. capit. 50. num. 4. & in Glo. litter. V.* Azor. *par. 1. lib. 10. cap. 30. quæſt. 2. ver. Quæres etiam* Suarez *3. par. tom. 3. diſput. 68. ſect. 4. ver. Quæres rurſus* Vaſquez *tom. item 3. diſput. 211. cap. 3. num. 29.* Coninch. *quæſt. 80. de Sacram. art. 8. num. 47. ver. Difficultas autem* Chelliſon. *ibid. ver. Notandum eſt* Præpoſit. *dub. 1. num. 40. ver. Ex eo* Reginald. *lib. 29. Praxis Fori Pœnit. cap. 6 num. 119.* Facundez *in Præcep. Eccleſ. par. 3. lib. 3. de 3. præcept. cap. 5. num. 15.* Bonacina *tom. 1. diſp. 4. de Sacram. quæſt. 6. punc. 2. num. 6. ver. Dixi per modum cibi* Trouſſet *par. 2. Theſauri Euchariſt. ſect. 27. ver. Non frangitur.* Perſicus *l. b. 1. de Offic. Sacer. cap. 3. dub. 5. num. 44.* Gaſpar Hurtad. *diſput. 9. de Euchariſt. difficult. 15. ver. Obſeruandum.*

2 Fundatur autem hæc deciſio in ea regula, quam tradit D. Thom. citatus, quòd de ratione cibi eſt, quod proueniat ab extrinſeco: cuius rei ratio eſſe videtur; quod cibus debeat eſſe extranea ſubſtantia; quia ordinatur, vt conuertatur in ſubſtantiam viuentis; quod fieri non poſſit, niſi ab extrinſeco accederet.

3 Quæ regula, licet vera ſit, non videtur tamen in præſenti noſtro caſui rectè applicari; quia ſanguis defluens à capite, & à gingiuis ſit extraneus homini, quamuis non ſit extra hominem: & poteſt habere ratione cibi, quia poteſt nutrire, & poſſet quis illo vti ad nutritionem, & cibum; & proinde videtur habere rationem cibi, & ſoluere ieiunium.

4 Dicendum eſt tamen, quòd non ſoluat ieiunium, quando deſcendit per illam actionem, qua defluit; quia tunc deſcendit, vt fluxio quædam cauſata à natura, aut ab aliqua vi ex-

vi extetna, quæ non ordinatur ad manducationem; vnde non interuenit nec manducatio nec potatio. Sicut nec cum deſcendit ſequens motum alicuius actionis à natura in alium finem iuſtitutæ, vt eſſet reſpiratio, ob eandem rationem non ſoluit ieiunium.

5 Si verò quis dedita opera ipſum traijceret in ſtomachum ea intentione, vt hauriret ſanguinem, exiſtimo quòd ſolueret naturale ieiunium; quia deſcenſus ſanguinis in ſtomachum ex intentione traijcientis, & ex motu cauſato ab hac intentione, ordinaretur ad potationem. Nec obſtat quòd non accederet ab extrinſeco: quia æquiualeret ſubſtantiæ extraneæ; quia quando ſanguis eſt extra proprium locum, habetur pro ſubſtantia extranea.

6 Et hoc ipſum dicendum eſt, etiam ſi ſanguis, aut alius humor deſcendat ad ſtomachum in notabili quantitate; qui ſe deſcendit præter intentionem, & actione, quæ non ſit ordinata ad manducationem, non ſoluit ieiunium, ſicut nec ſoluunt fluxiones capitis, quæ nocte præſertim fiunt, ad ſtomachum; etiam ſi in magna quantitate fiant; nemo enim cenſebit eum ſoluiſſe ieiunium, cui nocte aliqua magna fluxio catharri facta eſt ad ſtomachum. Si verò, dedita opera; actione ad hoc ordinata tranſmittatur in ſtomachum, à fortiori ſoluet ieiunium.

An ſumptio tabachi in folio, vel puluere Euchariſtiæ ſumptionem impediat, ſoluendo ieiunium.

Deciſio CCCXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Sumptio tabachi in puluere, aut in folio ſoluit ieiunium ſecùndum aliquos.*

2 *Non ſoluitur ieiunium, niſi vera comeſtione, aut potatione.*

3 *Sumptio tabachi in folio, aut puluere non ſoluit ieiunium.*

4 *In tali ſumptione non interuenit comeſtio, etiam ſi per accidens aliquid in ſtomachum deſcendat.*

5 *Quid dicendum, ſi ſumatur per os.*

1 Affirmatiuè reſp. Antonius de Leone in *quæſt. moral. de Cocbolate par* 2. §. 4. *nu.* 10. *& ſequentib.* & affert duo Cócilia Prouincialia id prohibentia, nimirum Limenſe 111. *art.* 3. *cap*, 10. & Mexicanum 111. *lib.* 3. *tit.* 15. §. 13. Quæ tamen apud nos nihil valent; quia faciunt quòd vſus tabachi ſit illicitus tantùm apud eos, qui tenentur obedire illis Concilijs. Deinde neque etiam explicant quòd prohibeant, quia ſoluat ieiunium, imò ſi cenſuiſſent ſoluere, non prohibuiſſent: quia iam ſupponerent prohibitum; ſed ſolum declararent eſſe prohibitum, quia ſoluit ieiunium.

2 Mouetur, Quia ad ſoluendum ieiunium naturale non requiritur quod ſumatur aliquid verè comeſtibile, aut potabile; ſed ſufficit, quòd aliquid mittatur in ſtomachum; ſemper autem aliquid tabachi deſcendit in ſtomachũ. Quod tamen non eſt verum, vt conſtat ex ſupra dictis; quia ieiunium naturale non ſoluitur, niſi per ſui oppoſitum; non opponitur autem niſi cum comeſtione, & potatione, quæ requirunt cibum, aut potum, & actionem comeſtiuam, aut potatiuam, vt docent quàm plures Doctores ex ijs, quos *in ſuperioribus deciſionibus* citauimus: & eſt communis omnium doctrina, quòd vt aliquid frangat ieiunium naturale, debet ſumi per modum cibi, & potus, hoc eſt, per actionem comeſtiuam, aut potatiuam.

3 Itaque tenendum eſt cum Alphonſo de Leone *quæſt.* 8. *de Offic Capel. ſect.* 17. *caſu* 2. *nu.* 114. Diana *par.* 5. *tract.* 13. *Reſol.* 1. vbi late de hoc agit, quod non ſoluat. Et ita videtur eſſe communis ſenſus: cum nemo de hoc ſcrupulum ſibi faciat, neque etiam cæteri, qui non vtuntur, alijs ſcrupulum inijciant.

4 Ratio eſt, Quia ſiue ſumatur in folio, ſiue in puluere, ſẽper per nares attrahitur, & ordinatur ad caput. Vnde nec interuenit actio comeſtiua, nec quicquam ordinatum ad ſtomachum. Et ſi quid in ſtomachum deſcendit, id eſt per accidens, & non deſcendit per modum cibi; cum deſcendat aut ratione reſpirationis, aut ratione alterius rationis, quæ non eſt comeſtio: & ideo non ſoluit ieiunium.

5 Si autem ſumatur in folio per os, & aliquid in ſtomachum deſcendat, certum eſt, quod ſoluat ieiunium: vt docent Præpoſit. 3. *parte quæſt.* 80. *art.* 8. *dub.* 1. *num.* 39. Alphonſus de Leone, & Diana citati. Deſcendit enim in ſtomachum per modum cibi. Si verò ſumatur, vt tantùm aut dentibus conteratur, aut vt permaneat per aliquod tempus in ore, non ſoluit ieiunium, vt ijdem docent. Si autem quid minimum in ſtomachum deſcendat ex caſu, & præter intentionum, eadem eſt ratio, & idem dicendum, quod diximus de aromatibus, dum dentibus conteruntur.

Digitized by Google

actionis; vnde moraliter cenſetur actio manducatiua, vel potatiua; & ideo cum materia interueniat, & actio debita, interuenit etiam manducatio, aut potatio.

5 Si verò attrahatur per nares, puto non violare ieiunium; quia nares non ordinantur ad tranſmittendum aliquid in ſtomachum ſicut ordinatur os, ſed per accidens eſt, ſi quid per ipſas ingreſſum deſcendat ad ſtomachum: vnde neque intentio, quæ facit vt aliquid attrahatur per nares, poteſt eſſe intentio per ſe aliquid tranſmittendi in ſtomachum; quia intentio per ſe eligit media per ſe ordinata ad finem; vnde ſi talis intentio eſſet per ſe, eligeret os, & non nares. Dum autem intentio non eſt per ſe, nec actio eſt ex natura ſua manducatiua, aut potatiua, non interueniet comeſtio, aut potatio, atque adeo nec violatio ieiunij.

An aqua hauſta per nares ſoluat ieiunium naturale, & impediat ſumptionem Euchariſtię.

Deciſio CCCXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Aqua hauſta per nares non ſoluit naturale ieiunium.*
2 *Aqua hauſta per nares non eſt potus.*
3 *Si quis faciem lauans attrahat aquam per nares, poteſt adhuc ſumere Euchariſtiam.*
4 *Niſi aſſuetus ſit attrahere, & vti naribus loco oris.*

1 Reſp. negatiuè, etiam ſi ad ſtomachum deſcendat: cum Suarez 3. *par. tom.* 3. *diſp.* 68. *ſect.* 4. *ver. Quæres rurſus.* Facundez *in Præcep. Eccleſ. par.* 3 *lib.* 3. *de* 3. *Præcep. cap.* 5. *nu.* 14. Bartholom. à S. Fauſto *lib.* 1. *de Euchar. quæſ.* 382. Cœleſtin. *in Compend. Theol. Moral. tract.* 8. *cap.* 3. *dub.* 5. quod videtur approbari etiam à Diana noſtro *par.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 1. *ver. Hoc ſuppoſito.* Bonacina *diſp.* 4. *de Sacram. quæſ.* 6. *punct.* 2. *num.* 6.

2 Ratio eadem eſt, ac ſuperioris præcedentis Deciſ. Nam quod attrahitur per nares, etiam ſi dedita opera fiat, non attrahitur actione comeſtiua, aut potatiua: & ideo aqua illa non habet rationem potus, atq; per accidens deſcendit ad ſtomachum.

3 Vnde ſi quis, dum faciem lauat, hauriat per nares aliquid aquæ, etiam ſi deſcendat ad ſtomachum, poterit, hoc non obſtante, illa die ſumere abſque vllo ſcrupulo Euchariſtiam; ſiquidem non per hoc cenſetur aliquid potus ſumpſiſſe.

4 Hoc tamen limitandum eſt, niſi forte aſſuetus ſit per nares attrahere, & in ſtomachum traijcere liquores; quia tunc, ſi dedita opera id faciat, ſoluet ieiunium. Licet enim illa actio non ſit ex natura ſua potatiua, eſt tamen talis ex inſtitutione, & conſuetudine attrahentis; nam naribus vtitur loco oris: & ideo cenſetur moraliter potum ſumere.

5 Quòd ſi aqua per nares attracta in os priùs deſcendat, & ibi aliquantulum commoretur, & poſtea in ſtomachum deſcendat, neque adhuc ſoluit naturale ieiunium: quia non deſcendit in ſtomachum per modum potus, ſed per modum diſtillationis, quæ fiat à capite, & per modum pituitæ, quæ non ſoluit naturale ieiunium in quacunq; quantitate deſcendat.

An odor, & ſuffitus carnium frangat ieiunium tam naturale, quàm Eccleſiaſticum.

Deciſio CCCXIX.

SVMMARIVM.

1 *Quidam putant odorem, & ſuffitum ſoluere ieiunium naturale.*
2 *Odor, & ſuffitus reſtaurat corpus.*
3 *Odor, & ſuffitus deferunt ſecum tenuiſſimas partes ſubſtantiæ, quo ſe nobis communicant.*
4 *Odor, & ſuffitus cuiuſcunque rei, etiam carnis, non ſoluit naturale ieiunium.*
5 *Ieiunium ſoluitur ſolùm per cibum, aut potum; Odor autem, & ſuffitus nec eſt cibus, nec potus.*
6 *Qualis ſit finis ieiunij.*
7 *Finis intenditur à lege, vt ſtat ſub materia proxima legis.*
8 *In ieiunio prohibetur effectus cibi non quomodocunque ſed vt proueniens à cibo.*

1 Qvidam plus æquo ſcrupuloſi arbitrati ſunt odorem ipſum carnium frangere ieiunium Eccleſiaſticum; & quorumcunque ciborum frangere ieiunium naturale; vnde fugiebant quotieſcunque in huiuſmodi odores inciderent, antequam celebraſſent Miſſam.

2 Quòd autem talis odor, aut ſuffitus dedita opera adhibitus ad refocillationem frangat ieiunium, videtur ſuaderi poſſe; quia in ieiunio prohibentur carnes ob macera-

tionem

tionem corporis, huiuſmodi autem odor & ſuffitus valde reſtaurat corpus: vt patet etiam in alijs odoribus; vnde Medici ad reſtaurandam naturam, & ad retundendam vim morbi ſolent ſuffitus, & odores congruos adhibere.

3 Præterea, Odor, & præſertim ſuffitus ſecum defert tenuiſſimas, & ſpirituoſas partes ſubſtantiæ, quæ noſtro corpori ſeſe incorporant, & ipſum reſtaurant, vnde videtur præſtare eumdem effectum, quem præſtat cibus; quia in tantùm nutrimur ex cibo, in quantum aliquę partes ipſius noſtro corpori ſeſe commiſcent, & in eiuſdem ſubſtantiam tranſeunt. Et ideo quòd ſoluat ieiunium naturale tenet Antonius de Leone *in quæſt. Moralib. de Corbolate par. 2. §. 4. num. 10. & ſequentib.*

4 Dicendum tamen eſt; odorem, ſiue ſuffitum carnium, ſiue alterius rei nullo modo frangere ieiunium, etiam ſi in hunc finem adhibeatur, vt reſtauretur natura contra macerationem, quæ prouenit à ieiunio. Ita Granad. loquens de fumo *3. par. Controuer. 6. de Sacram. tract. 10. diſp. 3. num. 4.*

5 Ratio reſolutionis eſt, Quia in ieiunio per ſe primò prohibetur cibus carnium; reſtauratio autem corporis ex carnibus non eſt per ſe primò prohibita, ſed tantùm vt conſequens ex cibo carnium: ille autem ſuffitus, quamuis reſtauret corpus, & ex parte compenſet macerationem ex ieiunio, non eſt tamen cibus; & ideo in virtute ieiunij non eſt prohibitus. Item alij odores, & ſuffitus non ſunt cibus, aut potus, & ideo non ſoluunt ieiunium etiam naturale.

6 Sed dices. In lege attendendum eſſe finem, & ideo cēſendum eſt prohiberi omne id, quod eſt contra finem; vnde cum lex præcipiens ieiunium, intendat macerationem corporis, & ideo prohibeat carnes, quatenus reſtaurant corpus, cenſendum eſt prohiberi omnem reſtaurationem ex carnibus, quocunque modo fiat.

7 Verùm quando dicitur, in lege attendendum eſſe finem, debet intelligi de fine, pro vt ſtat ſub materia proxima legis: alioquin ſi attenderetur, prout quocunque modo haberi poteſt, nimis ampla eſſet prohibitio legis, & præceptum. Materia autem proxima legis prohibentis carnes in ieiunio eſt cibus ipſarum; quia lex ieiunij reſpicit exercitium temperantiæ circa cibum; & ideo ſola reſtauratio ex carnibus, prout habent rationem cibi, eſt prohibita.

8 Et per hæc patet ad ea, quæ in oppoſitum afferebantur *num. 2. & 3.* Nam in ieiunio prohibetur quomodocunque effectus cibi, ſed ſolùm vt proueniens ab ipſo cibo; quia non ratione ſui prohibetur, ſed ratione cibi.

An, ſi quis caſù deglutiat, & traijciat in ſtomachum notabilem quantitatem aquæ, vt ſi cadat in flumen, cenſeatur ieiunus, ita vt poſſit ſumere Euchariſtiam.

Deciſio CCCXX.

SVMMARIVM.

1 *Qui cenſeant ieiunum deglutientem præter intentionem bonam quantitatem aquæ.*
2 *Communis ſententia, quòd non ſit ieiunus.*
3 *Talis deglutio non poteſt eſſe alia actio quam potatio.*
4 *Si liquor præter voluntatem hauſtus ſtatim eijcitur, totaliter ſeruatur ieiunium.*
5 *Quomodo in hoc caſu in praxi procedendum.*

1 AFfirmatiuè reſpondet Tabiena. *Verbo* Communicare *quæſt. 45. num. 51.* dummodo id contingat præter voluntatem. Quod etiam intelligendum eſt de cœteris liquoribus: vt ſi quis caderet in dolium vini, aut olei: cum ſit eadem ratio. Fundatur in eo, quòd, vt aliquid ſumatur per modum cibi, ſumi debet ex intentione, & non caſu.

2 Communis tamen ſententia oppoſitum ſentit Syluester *Verbo* Euchariſt. 3. *quæſt. 6. num.* 8. Angelus *Verbo* Miſſa *num. 5.* Sotus *in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 8. ad 4.* Durand. *diſt. 8. quæſt. 4. num. 14.* Victoria *quæſt. 83. de Euchariſt.* Nauar. *cap. 21. Manual. num. 53.* Henriquez *lib. 8. de Euchariſt. cap. 50. num. 4. & in Gloſ. littera X.* Tolet. *lib. 2. cap. 1. num. 3.* Sà *Verbo* Euchariſtia *num. 27.* Valent. *tom. 4. diſp. 6. quæſt. 8. punc. 3. §. Secundo aſſerunt* Suarez *3. par. tom. 3. diſput. 68. ſect. 4. §. Tertio infertur.* Reginald. *lib. 29. praxis Fori Pœnit. cap. 6 num. 119.* Vaſquez *3. par. tom. 3. diſp. 211. cap. 3. num. 29.* Perſicus *lib. 1. De Offic. Sacer. cap. 3. dub. 55.*

3 Et hæc opinio proculdubio tenenda eſt; quia cum magna quantitas deglutiatur, non poteſt illa actio induere rationem alterius actionis, quàm potationis: quantumuis violentæ, & præter intentionem: eſt enim motus, quo per ſe primo aqua, vel alius liquor traijcitur in ſtomachum. Nec poteſt dici, quòd ſit reſpiratio, aut deglutio ſaliuæ; quia in his actionibus quod per ſe primò deſcendit ad ſtomachum non eſt materia potabilis, ſed aut aer, aut ſaliua. Cum igitur interueniat actio potatiua, meritò ſoluitur ieiunium.

4 Dubium tamen eſt, quid dicendum, ſi aqua, aut alius liquor ſic hauſtus eijciatur è ſtomacho, an cenſendum ſit ſeruari ieiunium naturale.

Digitized by Google

rale. Reſp. ſi probabiliter iudicetur eſſe eiectum totaliter illum liquorem, poſſe cenſeri adeſſe naturale ieiunium: ſiquidem non violatur, niſi per cibum, & potum; tunc autem ille liquor cum ingrediatur in ſtomachum præter intentionem, & ab ipſo eijciatur, non habet rationem potus, ſed potius cuiuſdam lauationis, qua ſtomachus lauetur; in tantum enim hauſtio illa facta præter intentionem haberet rationem potationis, in quantum cõiungeretur cum termino potationis; omnis enim motus eſt talis per coniunctionem cum ſuo termino: in tali autem caſu non coniungeretur cum termino potationis; terminus enim potationis eſt permanentia liquoris in ſtomacho, vt poſſit alterari, & digeri.

5 In hoc tamen cautè procedendum eſt, & conſiderandæ circumſtantiæ, vt poſſit indicari, an totus liquor ſit eiectus; ſi enim aliquo tempore permanſerit in ſtomacho, aut ſit facilè alterabilis, non poterit cenſeri totus eiectus; ſed ſemper aliquam particulam alteratam fuiſſe. Deinde etiam ſi probabiliter cenſeatur totum fuiſſe eiectum, ſatis tamen erit abſtinere aſſumptione Euchariſtiæ.

An ſi aliquid cibi, vel potus intret in conductum reſpirationis, & eijciatur, ſoluat ieiunium naturale.

Deciſio CCCXXI.

SVMMARIVM.

1 *Quod exiſtat in canali reſpirationis non ſoluit naturale ieiunium.*

2 *Etiam ſi intret ex vi actionis manducatiua, aut potatiua.*

3 *Si quid intret in ſtomachum, dum quis conatur eijcere, quod ingreſſum eſt canalem reſpirationis, non ſoluit ieiunium naturale.*

1 RESP. negatiuè, cum Palud. *in 4. diſtin. 8. quæſt. 2. artic. 2. concluſ. 3. in fine*. Perſicus *lib. 1. De officio Sacerd. capit. 3. dub. 6. num. 53.* Quia illa deglutio non pertinet ad manducationem: cum nõ ordinetur ad nutritionem, ſed potiùs ad ſuffocationem.

2 Atque hoc etiam verum eſt, vt notant ijdem Doctores, ſi hoc fiet per actionem manducatiuam, & ex animo manducandi, aut potandi; quia dum deſcendit non in ſtomachum, ſed in canalem reſpirationis, non completur manducatio, aut potatio; quia non eſt in termino, niſi fiat tranſmiſſio in ſtomachum: vnde deſcenſus cibi, aut potus in ſtomachum eſt pars manducationis, qua ſublata, non frangitur ieiunium, cum ſoluatur solùm per completam manducationem, aut potationem.

3 Addo etiam, quòd ſi, dum quis conatur eijcere, quod in canalem tranſpirationis eſt ingreſſum, aliquid modicũ de ipſo in ſtomachũ transglutiat, non ſoluitur naturale ieiunium; quod enim intrat in ſtomachum eſt præter intentionem, & ex vi actionis egeſtiuæ, quæ opponitur manducatiuæ, aut potatiuæ; & ideo non poteſt ingredi per modum manducationis, aut potationis; & ideo non ſoluit ieiunium naturale.

An reliquię cibi pręcedentis diei, quę remanent inter dentes, ſoluant ieiunium naturale, ſi deglutiantur, & impediant ſumptionem Euchariſtię.

Deciſio CCCXXII.

SVMMARIVM.

1 *Reliquiæ cibi diei præcedentis non ſoluunt naturale ieiunium, ſi caſu deglutiantur.*

2 *Soluunt verò ſecùndum aliquos, ſi ex propoſito deglutiantur.*

3 *Secùndum alios non frangunt.*

4 *Hæc poſterior ſententia amplecti poteſt ſine ſcrupulo, & an hæ reliquiæ faciant nouam comeſtionem.*

5 *Quid dicendum, ſi hæ reliquiæ ſint alicuius conſiderabilis quantitatis.*

1 CONVENIVNT communiter, quod non impediant, quando caſu deglutiuntur; quia deſcendunt in ſtomachum non per modum cibi, ſed per modum ſaliuæ. D. Th. *3. par. quæſ. 8. ar. 8. ad 4.* Durand. *in 4. diſt. 8. quæſ. 4. nu. 14.* Palud. *quæſ. 2. ar. 2. concluſ. 2.* Riccar. *ar. 2. quæſ. 3.* Sotus *diſt. 12. quæſ. 1. ar. 8. ad 4.* D. Antoninus *3. par. tit. 13. cap. 6. §. 8.* Angelus *Verbo* Miſſa *num. 4.* Syluester *Verbo* Euchar. *3. quæſ. 3. nu. 8.* Victoria *quæſ. 83. de Euchar.* Nauar. *cap. 21. Manual. num. 53.* Rodriquez *par. 1. Sum. cap. 66. concluſ. 3.* Henriquez *lib. 8. de Euchar. cap. 50. num. 4.* Reginal. *lib. 29. Praxis Fori Pœnit. cap. 6. num. 119. not. 2.* Suarez *3. par. tom. 3. diſp. 68. ſect. 4. ver. Dices ergo.* Vaſquez *tom. 3 diſp. 211. cap. 3. nu. 30. & 31.* Nugnus *quæſ. 8. ar. 8.* Io: Præpoſ. *ibid. dub 1. num. 40. ver. Idem dicendum.* Filicuius *tom. 1. tract. 4. cap. 8. num. 236.* Molfeſ. *tom. 1. Sum. tract.*

tract. 3. *cap.* 10. *num.* 13. Pitigian. *in* 4. *tom.* 1. *diſt.* 18. *quæſ.* 3. *ar.* 3. Chamerota *tract* 4. *de Sacram. cap.* 10. *dub.* 9. Cnninch. 3. *par. quæſ.* 80. *ar.* 8. *dub.* 1. *nu.* 47. Layman. *lib.* 5. *Theol. Mor. tr.* 4. *cap.* 6. *num.* 18. Facundez *in Præcep. Eccleſ. par.* 3. *lib.* 3. *de* 3. *Præcep. cap.* 5. *num.* 14. Bartholomæus ab Angelis *in Exam. confeſ. dial.* 4. §. 214. Muttinus *in Theol. Mor. quæſ.* 10. *de Euchar.* Diana *par.* 3. *tract.* 4 *reſol.* 37. Trouſſet. *par.* 2. *Theſauri ſacram. Euchar. ſect.* 27. *ver. Idem etiam dicitur.* Perſicus *lib.* 1. *de Offic. Sacer. cap.* 3. *dub.* 6. *num.* 57. Lugo *diſp.* 15. *de Euchar. ſect.* 2. *num.* 36. Chelliſon. 3. *par. quæſ.* 80. *ar.* 8. *ver. Notandum eſt.* Bonacina *diſp.* 4. *de Sacram. quæſ.* 6. *punct.* 2. *num.* 6. Ledeſma *par.* 1. *Sum. cap.* 13. *de Euchar. concluſ.* 4. Gaſpar Hurtad. *diſp.* 9. *de Euchar. difficul.* 15. *ver. Obſeruandum.*

2 Difficultas eſt, an ſi ex propoſito deglutiatur, ſoluat ieiunium naturale. Plures ex ſupracitatis Doctoribus docent, quòd non ſoluunt, ſi deglutiantur caſualiter, & inter alios D. Th. non tamen dicunt quòd ſoluant, ſi ex propoſito deglutiantur. Quod autem ſoluant ieiunium ſi ex propoſito deglutiantur, docent Palud. Vaſquez, Nugnus, Præpoſitus, Filiucius, Layman. Reginal. Perſicus, & alij his videntur adhærere, quamuis non ita clarè. Quibus adde Gauantum *in Rubr. par.* 3. *tit.* 9.

3 Alij autem inferunt, quòd etiam ſi ex propoſito deglutiantur, non ſoluunt ieiunium. Ita Tabiena, Henriquez *lib.* 8 *de Euchar. cap.* 50. *num.* 4. *in Gloſ. Littera V.* & probabile putat Io: à Cruce *par.* 2. *Direct. Conſcient. quæſ.* 5. *de Euchar. dub.* 4. *concluſ.* 2. Diana, Suarez, Rodriquez *citati.* Quibus adde Mathæum de Rubeis *cap.* 9. *Ad not. in Rubr. Miſſalis nu.* 3. Alphon. de Leone *quæſ.* 8 *de Offic. Capel. ſect.* 17. *num.* 144. Lugo verò *citat. num. præced.* aſſerit, quòd tunc ſolùm ſoluunt ieiunium, quando haberentur ſenſibiliter in lingua, & ex induſtria deglutirentur; poſſe tamen nos permittere, vt cum ſaliua, vel reſpiratione deglutiantur.

4 Hanc poſteriorem ſententiam abſque vlla reſtrictione cenſeo poſſe amplecti abſque vllo ſcrupulo. Non enim deglutiuntur actione manducatiua: quia non aſſumuntur ab extrinſeco, ſed vt immixtæ ſaliuæ; & ideo non ſe habent per modum cibi: quod verum eſt etiam ſi in lingua ſenſibiliter ſentiantur; quia ſaliua quoque ſenſibiliter ſentitur, & tamen non tenemur expuere; ſenſibiliter enim ſentiri non conſtituit rationem cibi, aut manducationis. Accedit etiam, quòd illæ reliquiæ habentur vt cibus iam manducatus: quia ſunt ille cibus, qui pridie fuit ori impoſitus, dentibus contuſus, & per accidens eſt, quòd ſimul cum alio cibo non fuerint tranſmiſſæ in ſtomachum; ſi quidem aderat intentio tranſmittendi, & actio etiam ordinata ad tranſmittendum; & proinde habent moralem connexionem cum cibo præcedentis diei; & ideo tranſmiſſio ipſarum in ſtomachum non eſt noua comeſtio.

5 Sed quid, ſi huiuſmodi reliquiæ ſint aliqua notabilis quantitas? Reſp. non poſſe ex cibo præcedenti remanere inter dentes, niſi exiguas particulas: hæ autem ſemper ſunt reliquiæ comeſtionis præcedentis: & ideo ſunt connexæ cum ipſa; vnde adhuc habent rationem cibi iam manducati, & ſi transglutiantur, non inſtituunt nouam comeſtionem, quæ ſoluat ieiunium naturale. Et ſicuti Sacerdos poſt ſumptam ablutionem, ſi reperiet in patena, aut corporali aliquas reliquias, ſeu fragmenta, poteſt eas ſumere licet non ieiunus: quia moraliter non ſumitur nouum Sacramentum, ſed reliquiæ Sacramenti iam ſumpti; ita in caſu noſtro reliquiæ huiuſmodi non ſunt nouus cibus, ſed ipſemet cibus pridie ſumptus; & ideo non ſoluunt naturale ieiunium, quia nõ important nouam manducationem: ſed moraliter dicunt manducationem præteritam.

An, ſi quis lauando os, aliquas reliquias aquæ, vel vini traijceret, ſolueret ieiunium naturale, & impeditur à ſumptione Euchariſtiæ.

Deciſio CCCXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Si aliqua reliquia ex ablutione oris deſcendant ad ſtomachum non ſoluunt ieiunium.*

2 *Hæc traiectio non fit per actionem manducatiuam, aut potatiuam.*

3 *Nec etiam ſi hoc contingat in ablutione dentium.*

4 *Non requiritur, quòd hæ reliquiæ ſint inſeparabiles à ſaliua.*

5 *Nec etiam ſoluit ieiunium naturale, ſi dum os abluitur deſcendat in ſtomachum aliqua gutta.*

1 RESP. negatiuè cum communi ſententia, quam tradunt D. Thom. 3. *par. quæſt.* 80. *artic.* 8. *ad* 4. Præpoſit. *ibid. dub.* 1. *num.* 40. *ver. Ex eo vero* Coninch. *numer.* 48. Suarez *tomo* 3. *diſp.* 68 *ſect.* 4. *ver. Tertio infertur* Vaſquez *tomo* 3. *diſp.* 211. *cap.* 3. *num.* 29. Durand. *in* 4. *diſt.* 8. *quæſt.* 4. *num.* 14. Palud. *quæſt.* 2. *art.* 2. *concluſ.* 2. Riccar.

2.Riccar.art.2.quæſt.3.Sotus diſtin. 22.quæſt.1. art.8. ad 4. Caietan. in ſum. Verbo Sacramentalis Communio cap.1. Syluest. Verbo Eucharis.3. quæſt.6. num.8. Tabiena Verbo Communicare quæſt. 44. §. 50. Angelus Verbo Miſſa quæſt.5. D.Antonin.3. par.tit.13. cap.6. §.8. Sã Verbo Euchariſt. num. 27. Victoria quæſt.83. de Euchariſt. Nauar.cap.21. Manual.num.53. Rodriquez 1. par.ſum. cap.66. conclus.3. Bellarm. lib.2. de Miſſa cap.14.tit. vlt. §.2. Tolet. lib.2. ſum.cap.1.num.2. Henriquez lib.8. de Eucharis. cap.50 num.4.& in Gloſ.littera X. Valent. tom. 4. diſput.6. quæſt.8.punc.3.ver. Secundò aſſerunt Azor.par.1. lib.10.cap.30. quæſt.2.ver. Quæres etiam. Reginald. lib.29. Praxis Fori Pœnit. cap. 6.quæſt.8.num.129.not.1. Lugo diſput.15. de Euchariſt.ſect.2. num.23. Trouſſet. par.2. Theſauri Euchar.ſect.27.ver. Non frangitur Bonacina diſput.4. de Sacram. quæſt.6. punc.2 num.6.ver. Dixi per modum cibi. Villalob.par. 1. ſum. tractat.7. difficul.39 num.1. Gaſpar Hortad. diſpu. 9. de Euchar. difficul. 15. ver. Obſeruandum Perſicus lib.1. de Offic.Sacer. capit.3. dub.6. num. 50. Ledeſma par.1. ſum.capit.13. de Euchariſt. concluſ.4.

2 Ratio eſt, Quia reliquiæ illæ immiſcentur ſaliuæ, & ſimul cum ipſa deſcendunt in ſtomachum: vnde non interuenit actio manducatiua; aut potatiua: & ideo nec ſoluitur ieiunium. Sumus enim in rebus moralibus, quæ morali modo menſurandæ ſunt.

3 Hoc etiam extendendum eſt cum ſupracitatis Doctor.b. ad reliquias, quæ poſſunt cum ſaliua deſcendere in ſtomachum, quando quis lauat dentes ſale, & aceto, aut aliqua alia lauatione: eſt enim eadem ratio; quia non interuenit actio potatiua, aut comeſtiua, nec ex intentione, nec materialiter, cum deſcendant ſimul cum ſaliua.

4 Quod autem aliqui addunt, quòd huiuſmodi reliquię debent eſſe tam minimæ quantitatis, vt non poſſint ſeparari à ſaliua, eſt nimis ſcrupuloſum; vt enim non deſcendant in ſtomachum per modum potus, ſufficit ſi debita diligentia adhibeatur ad expuendam lauationem, & deſcendant in ſtomachum per actionem, qua deglutiatur ſaliua.

5 Rurſus. Si quis lauans os, aut dentes aliquid modicum caſu traijceret, non ſolueret naturale ieiunium, vt notant nonnulli ex citatis auctoribus, præſertim D.Antonin. Palud. Syluest. & Azor. Adhuc enim, quod traijcitur non habet rationem potus, aut cibi: quia deſcendit in ſtomachum præter intentionem, & ex vi actionis, quæ non ordinatur, ad tranſmittendum cibum, vel potum.

An, ſi dum prægustatur vinum, cibus aliquis, aut aliquid aliud ad percipiendum ſaporem, & expuitur, ſi remaneat aliquid ſaliuæ permixtum, & deſcendat in ſtomachum, ſoluatur naturale ieiunium, & impediatur ſumptio Euchariſt.

Deciſio CCCXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Quando aliquid prægustatur, quæ remanent reliquiæ non ſoluunt ieiunium naturale, ſi deſcendant in ſtomachum.*

2 *In hac prægustatione, & deſcenſu reliquiarum ad ſtomachum non interuenit comeſtio, aut potatio.*

3 *Nec etiam ſoluitur ieiunium, ſi quid exiguum deſcendat ad ſtomachum, dum fit prægustatio.*

1 EOdem modo Reſpondendum eſt etiam in hoc caſu, cum ſit eadem ratio: nimirum. Non ſolui ieiunium naturale nec impediri ſumptionem Euchariſtiæ. Cum D.Tho.3. par. quæſt.80. art.8. ad 4. Palud. in 4. diſt.8. quæſt.2. art.3. concluſ.3. Henriquez lib.8. de Euchar. cap. 50. num.4. Nauarr. cap.21. Manual. num.53. ver. Octauò peccat Tabiena Verbo Communicare quæſt.45. num.51. Syluest. Verbo Euchariſt.3. quæſt.6. num.8. in fine D. Antonin. 3. part. tit. 13. tit.5. §.8. in fine Rodriquez 1. par. ſum.cap. 66. concluſ.3. Ledeſma par.1. ſum.capit.13. de Euchariſt. concluſ. 4. Trouſſet par.2. Theſauri Euchariſt. ſect. 27. ver. Idem dicitur. Reginald. lib.29 Praxis For. Pœnit. cap.6. num.119. not. 1. Villal. part.1. ſum.tract.2. difficul.39. nu.1. Bonacina tom.1. diſp.4. de Sacram. q.6. pun.2. n.6. ver. Dixi per modum. Coninch.3. par. q.8. art.8. num.48. Ioan. Præpoſit. ibid. dub.1. num.40. ver. Ex eo verò. Suarez tom.3. diſp.68. ſect.4 §. Tertio infertur poſt concluſ. 2 Vaſquez tom.3. diſp. 111. cap.3. num.29. Perſico lib.1. de Offic. Sacer. cap.3. dub.6. num.51.

2 In hoc enim ſimiliter caſu non interuenit nec comeſtio, nec potatio, ad comeſtionem enim, & potationem requiritur, quod cibus, & potus traijciatur in ſtomachum. vnde in prægustatione fit quoddam experimentum ſaporis: quod autem aliquæ reliquiæ rei prægustatæ deſcendant in ſtomachum, id eſt per accidens, nec deſcendunt per modum cibi, aut potus, ſed per modum reſpirationis, aut ſaliuæ: cum deſcendant per actiones, aut reſpiratiuam

uam, aut tranſmiſſiuam ſaliuæ ad ſtomachum.

3 Atque hoc ſimiliter extendi debet etiam ſi quando fit prægustatio, aliquid exiguum caſu & præter intentionem deſcendat in ſtomachum, quia nec adeſt materialiter actio comeſtiua, aut potatiua, nec etiam intentio, qua illud ad cibum, vel potum ordinetur.

An reliquiæ ablutionis, & prægustationis debeant priùs conuerti in ſaliuam, quàm traijciantur in ſtomachum, ne ſoluant ieiunium naturale.

Deciſio CCCXXV.

SVMMARIVM.

1 *Quòd reliquiæ ablutionis debeant præconuerti in ſaliuam, ne ſoluatur ieiunium.*

2 *Non eſt recedendum à communi ſententia, quòd non debeant præconuerti.*

3 *Cur talis præconuerſio non ſit neceſſaria, & quomodo ex ſe non poſſit tollere rationem cibi, & potus.*

4 *Etiam ſi in ſaliua percipiatur ſapor reliquiarum, adhuc ſine offenſa ieiunij poteſt tranſglutiri.*

1 Affirmatiua opinio tribuitur à Suarez *Durando in 4. diſt. 8.* & Gabrieli *lect. 10. in Canonem Miſſæ.* Quod tamen apud ipſos non reperi: & ſolus Durandus ait, reliquias iſtas debere eſſe quaſi conuerſas in ſaliuam, nimirum ratione miſtionis.

2 Reſp. ergo cum communi ſententia, non eſſe neceſſe quòd huiuſmodi reliquiæ præconuertantur in ſaliuam, ſed etiam ſi maneant in ſua ſubſtantia, non ſoluere ieiunium naturale. Ita Palud. *in 4. diſt. 8. quæſ. 2. ar. 2. concluſ. 2.* Syluester *Verbo* Eucharis. *3. quæſ. 6. num. 8. in fine.* D. Antoninus *3. par. tit. 13. cap. 6.* §. 8. Azor. *par. 1. lib. 10. cap. 30. quæſ. 2. ver. Quæres etiam.* Suarez *3. par. tom. 3. diſp. 68. ſect. 4. ver. Tertio infertur.* Vaſquez *tom. item 3. diſp. 211. cap. 3. num. 30.* Reginal. *lib. 29. Praxis Fori Pœnit. cap. 6. nu. 119. not. 1.* Perſicus *lib. 1. de Offic. Sacer. cap. 3. dub. 6. num. 52.* Gaſpar Hurtad. *diſp. 9. de Euchar. difficul. 5. ver. Obſeruandum.*

3 Quod autem non ſit neceſſaria talis præconuerſio ex eo conſtat, quia non eſt neceſſaria, vt tollatur ratio manducationis, aut potationis; quia hæc ſufficienter tollitur, per id, quod non adſit actio manducatiua, aut potatiua; & ideo non adeſt, quia ſit tranſmiſſio in ſtomachum per actionem tranſmiſſiuam ſaliuæ. Vnde ſolùm eſſet neceſſaria hæc præconuerſio, vt fieret mutatio ſubſtantiæ; quæ tamen mutatio non eſt neceſſaria; quia dato quòd fieret; & ſi alioquin interueniret actio manducatiua, aut potatiua, ſolueretur ieiunium naturale, ſicut ſolueretur, ſi quis alienam ſaliuam ori imponeret, & deglutiret.

4 Addo, quòd ſi quis, poſtquam lauit os, aut aliquid prægustauit, & expuit, percipiat palato ſaliuam ſuam admixtam aliqua reliquia, & illam tranſglutiat, neque adhuc ſoluere ieiunium naturale: quia adhuc reliquiæ illæ deſcendunt per modum ſaliuæ, cum ſint ita ipſi permixtæ, vt moraliter cenſeantur ſaliua: neque adhuc interueniat actio manducatiua, aut potatiua.

An, ſi quis, quando it cubitum, aſſumat aliquid in ore liquefaciendum, vt eſſet ſaccharum, & duret poſt mediam noctem, poſſit die ſubſequenti ſumere Euchariſtiam.

Deciſio CCCXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Poſſe ſumi Euchariſtiam, etiam ſi quod ponitur in ore liquefaciendum duret poſt mediam noctem.*

2 *Certa tamen ſententia eſt, non poſſe ſumi, ſed ſolui ieiunium.*

3 *Quando aliquid in ore liquefaciendum ponitur, durat comeſtio toto illo tempore, quo durat liquefactio.*

1 Affirmatiuam ſententiam docet Tabiena *Verbo* Communicare *quæſ. 43. num. 49. in fine.* Bartholomæus ab Angelo *in Exam. Confeſ. dialogo 4.* §. 214. *Littera A.* Et fundantur in illa regula, quam tradit D. Th. *in 4. diſt. 8. quæſ. 1. ar. 4. quæſ. 2. ad 3.* Quòd nimirum illud ſolùm ſoluat ieiunium, quod ſumitur ab extra: in tali autem caſu poſt mediam noctem nihil ſumitur ab extra.

2 Oppoſita tamen ſententia mihi certa videtur; Vt nimirum, ſoluatur ieiunium naturale, & impediatur ſumptio Euchariſtiæ. Quam tradunt Palud. *in 4. diſt. 8. quæſ. 2. ar. 2. concluſ. 2.* Facundez *in Præcep. Eccleſ. par. 3. lib. 3. præcep. 3. cap. 5. num. 16.* Suarez *3. par. tom. 3. diſp. 68. ſect. 4. ver. Dices ergo.* Vaſquez *tom. item 3. diſp. 211. cap. 3. num. 31.* Coninch. *quæſ. 80.*

ar. 8. *num.* 49. Præpoſ. *dub.* 1. *num.* 39. *ver. Ex dictis.* Syluius *eodem ar.* 8. Molfeſ. *tom.* 1. *Sum. tract.* 3. *cap.* 10. *num.* 13. Reginal. *lib.* 29. *Praxis Fori Pœnit. cap.* 6. *num.* 119. Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 4. *de Sacram. quæſ.* 6. *punct.* 2. *numer.* 7. Diana *par.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 51. Sanctius *in Selectis Diſp. de Sacram. diſp.* 42. *num.* 21. Perſicus *lib.* 1. *de Offic. Sacer. cap.* 3. *dub.* 6. *num.* 60. Lugo *diſp.* 15. *de Euchar. ſect.* 2. *num.* 37. Gaſpar Hurtad. *diſp.* 9 *de Euchar. difficul.* 15. Filiucius *tract.* 4. *nu.* 236. Matthæus de Rubeis *in Rubr. Miſſal. cap.* 9. *num.* 3. Alphon. de Leone *quæſ.* 8. *de Offic. Capel. ſect.* 17. *caſu* 2. *num.* 146.

3 Ratio autem eſt; quia in tali caſu poſt mediam noctem continuatur comeſtio, quæ prima nocte incœpit; dum enim imponitur ori tale quid liquefaciendum, ita vt debeat deſcendere in ſtomachum iuxta liquefactionem, incipit quædam comeſtio continuata, & proportionata liquefactioni; vnde tamdiù durat, quamdiù durat liquefactio: quæ cum duret poſt mediam noctem, durat etiam comeſtio, completur comeſtio. In caſu autem noſtro, quod poſitum eſt in os ad manducandum, durat poſt mediam noctem, & poſt ipſam traijcitur in ſtomachum, & non remanet vt reliquia præteritæ manducationis, ſed vt materia ſufficiens ad continuãdam inceptam manducationem.

3 Sed quid dicendum, ſi poſt mediam noctem reperiat quis, ſe habere adhuc in ore, quod prima nocte ſumpſit, & ſtatim illud expuat? Reſp. In tali caſu eſſe conſiderandum, an ſit materia, quæ liquefieri poſſit, an non. Si enim non poteſt liquefieri, poterit expuendo ſumere Euchariſtiam; quia non erit ieiunium naturale ſolutum. Si verò liquefieri poteſt, tunc eſt conſiderandum, an probabile ſit, quòd poſt mediam noctem aliquid in ſtomachum deſcenderit, an non. Si enim probabile ſit quòd nihil deſcenderit, poterit ſumere Euchariſtiam; quia cenſendus erit ieiunus: ſecus autem, ſi putet quòd aliquid in ſtomachum deſcenderit.

An, quando quis mittit in os aliquid ante mediam noctem conſumendum, ſed non conſumitur ratione ſomni, ſed durat poſt mediam noctem, & deinde traijcitur in ſtomachum, poſſit Euchariſtiam ſumere.

Deciſio CCCXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Si per accidens maneat in ore poſt mediam noctem, quod mittitur in os conſumendum ante mediam noctem, ſoluitur ieiunium naturale.*

2 *In tali caſu per totum illud tempus continuatur comeſtio.*

3 *Quid ſi ſtatim ac euigilat, illud expuat.*

1 Reſp. in tali caſu ſolui ieiunium, atq; adeo impediri ſumptionem Euchariſtiæ. Ita docent Palud. *in* 4. *diſt.* 8. *quæſ.* 2. *ar.* 2. *concluſ.* 2. Vaſquez 3. *par. tom.* 3. *diſp.* 211. *cap.* 3. *num.* 31. Perſicus *lib.* 1. *de Offic. Sacerd. cap.* 3. *dub.* 6. *num.* 61. Gaſpar Hurtad. *diſp.* 9. *de Sacram. Euchar. difficul.* 15. *ver. Obſeruandum.*

2 Ratio eſt, Quia adhuc in tali caſu continuatur manducatio etiam poſt mediam noctem; tandiù enim durat manducatio, quandiù durat materia, quæ ponitur intra os ad manducandum: dummodo non ſit aliqua reliquia, quæ per accidens remaneat intra os, quando

---

An, ſi quis cum it cubitum, aliquid in ore ſumat conſumẽdum antequam dormiat, ſed ſomno oppreſſus non conſumat, & poſt mediam noctem euigilet, atque totum reperiat conſumptum, poſſit ſequenti die ſumere Euchariſtiam.

Deciſio CCCXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Si probabile ſit, totum conſumptum ante mediam noctem, quod fuit immiſſum in os, poteſt ſumi Euchariſtia. & vnde id iudicandum.*

2 *Secus autem, ſi non ſit probabile.*

3 *Quid dicendum, ſi adſit probabilitas pro vtraque parte.*

1 Reſp. In tali caſu debere conſiderare, an probabile ſit, quòd materia illa ſit conſumpta, & tranſmiſſa in ſtomachum ante mediam noctem. Quod indagare poterit conſiderando qualitatem materiæ, an facilè ſolui poſſit, & alias circumſtantias, nempe quantitatem, tempus, quod præceſſit ante mediam noctem, quomodo, quando euigilat, experiatur proprium os: an nimirum ſit recens à tranſmiſſione illius rei in ſtomachum: quantũ temporis, quando expergiſcitur, à media nocte effluxerit; atque ſi his omnibus penſatis pro-

babile

babile putat, totum tranſglutiſſe ante mediam noctem, poterit Euchariſtiam ſumere.

2 At ſi ijſdem penſatis, probabile putat non tranſglutiſſe totum ante mediam noctem, non poterit Euchariſtiam ſumere; quia faceret contra præceptum non ſumendi poſt ſolutum ieiunium; nec, ſtante illo iudicio probabili, debet ſe gerere ac ſi non eſſet ieiunus, ſicut, ſtante iudicio probabili oppoſito, poteſt ſe gerere ac ſi eſſet ieiunus.

3 Dubitari tamen poteſt, quid illi faciendum, quando habet probabilitatem pro vtraque parte: quia videlicet ex vno motiuo poteſt iudicare quòd tota illa materia conſumpta ſit ante mediam noctem, ex alio verò, quòd non ſit conſumpta: an nimirum ſe debeat gerere vt dubius. Reſp. Non eſſe neceſſe, quòd ſe gerat vt dubium, ſed poſſe ſequi vtramque partem; poſſumus enim ſequi quancunque opinionem probabilem: & ſtante motiuo pro vtraque parte, poteſt formare iudicium quòd adſit opinio probabilis pro vtraq; parte, & ſequi quam voluerit.

An ante ſumptionem Euchariſtiæ liceat aromata ori imponere, & dentibus conterere ad confortandum caput, vel in alium finem.

Deciſio CCCXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Licet ante ſumptionem Euchariſtiæ aromata dentibus conterere ad confortandam caput, &c.*
2 *Quid requiratur ad complendam comeſtionem, quæ ſoluat ieiunium.*

1 Reſp. affirmatiuè, dummodo non deglutiantur. Ita tenent Coninch. 3. *par. de Sacram. quaſ.* 80. *ar.* 8. *num.* 48. *ver. Licet item.* Mercerus *ibid. notab.* 1. Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 4. *de Sacram. quaſ.* 6. *punc.* 2. *num.* 9. Petrus Matthæus *in Rubricas Miſſalis cap.* 9. *num.* 3. & alij Deciſ. *ſubſequentis* citandi.

2 Ratio autem eſt, Quia etiam ſi dentibus conteratur non habetur completa comeſtio, ſed tantùm incohatio quædam: tunc enim ſolùm comeſtio completur, quando cibus tranſmittitur in ſtomachum; nam comeſtio eſt actio ordinata ad communicandum ſubſtantiam nutritiuam viuenti, vt poſſit nutriri; & ideo debet conſtituere cibum in ſtatu proximo, vt poſſit conuerti in ſubſtantiam viuentis: quòd non fit, niſi traducatur in ſtomachum. Vnde cum non interueniat in caſu propoſito comeſtio completa, nec etiam ſoluitur ieiunium: cum ſoluatur per ſolam comeſtionem proximè ordinatam ad nutriendum; atque adeo completam.

An, ſi aliquid de his aromatibus præter intentionem deſcendat cum ſaliua in ſtomachum, liceat adhuc ſumere Euchariſtiam.

Deciſio CCCXXX.

SVMMARIVM.

1 *Si quid ex aromatibus dentibus contuſi ſaliuæ immixtum deſcendat in ſtomachum, licet adhuc Euchariſtiam ſumere.*
2 *Cur in tali caſu non violetur ieiunium.*

1 Reſp. affirmatiuè Fauſtus *lib.* 1. *de Sacram. Euchariſ. quæſ.* 381. Tannerus *tom.* 4. *diſp.* 5. *quæſ.* 8. *dub.* 4. *num.* 79. Et ita etiam tenere debent ij, qui hoc ipſum docent de reliquijs deſcendentibus in ſtomachum, quando aliquid prægnſtamus: cum ſit eadem ratio.

2 In vtroque enim caſu quod deſcendit in ſtomachum non deſcendit per modum cibi, ſed per modum ſaliuæ; tum quia eſt ipſi immixtum, & veluti ab ipſa abſorbetur, atq; adeo moraliter cenſetur ſaliua; tum quia non ſtat ſub actione manducatiua, ſed tranſmiſſiua ſaliuæ in ſtomachum.

An, ſi quis aſſumat aliquod granum aromaticum dentibus conterẽdum ad confortandum caput, & caſu in ſtomachum deſcendat, poſſit adhuc Euchariſtiam ſumere.

Deciſio CCCXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Granum aſſumptum dentibus conterendum, ſi caſu trajciatur in ſtomachum, non impedit ſumptionem Euchariſtiæ.*
2 *Granum licet exiguum poteſt ſoluere ieiunium.*
3 *Si caſu deſcendat in ſtomachum, quia non deſcen-*

dit per actionem manducatiuam, eſt probabile, quòd non ſoluat.

1 ADhuc licere Euchariſtiam ſumere inquit Lorichius *in Theſauro Verbo* Miſſa *num.* 21. §. 3. quia non videtur interuenire violatio ieiunij.

2 Verum quòd ipſa materia grani, quamuis exigui, ſit ſufficiens materia ad violandum ieiunium naturale, ex eo conſtat, quòd ſi quis dedita opera illud manducaret, non cenſeretur ieiunus; quia iam exercuiſſet completam actionem manducationis, per quam aliquid cibi intraſſet in ſtomachum: vnde ſolùm hæc opinio ſuſtineri poſſe videtur ex eo, quòd non transglutiatur per modum cibi.

3 Quod ſuaderi poteſt: Quia non interuenit actio manducatiua, nec ab aliquo ordinatur in cibum, vt quando infantes, & ægroti deglutiunt cibum ab alio ipſorum ori immiſſum; quia licet hoc ſit contra intentionem ipſorum, non tamen contra aliorum intentionem: & proinde adeſt actio ordinans cibum ad deſcenſum in ſtomachum: quod ſufficit, vt interueniat manducatio; in caſu autem noſtro nulla actio interuenit, quæ ordinet illud granum ad deſcenſum in ſtomachum; nam ſolùm eſt intenta contuſio facienda per dentes: in eum finem, vt caput confortetur eo; & quòd deſcendat in ſtomachum eſt per accidens, per actionem ad aliud ordinatam ex natura ſua; vnde cum non interueniat actio manducatiua; quæ ex natura ſua ordinatur ad tranſmittendum cibum in ſtomachum, ſtante paruitate materiæ, deſcendet aut per modum ſaliuæ, quia erit ipſi immixtus: aut per modum reſpirationis, quia deſcendet cum aere ordinato ad reſpirationem.

An, ſi ex capite, aut gengiuis deſcendat ſanguis, aut alius humor in ſtomachum, impediatur ſumptio Euchariſtiæ.

Deciſio CCCXXXII.

SVMMARIVM:

1 *Sanguis, aut alius humor deſcendens à capite non ſoluit ieiunium naturale.*
2 *Quod non prouenit ab extrinſeco non ſoluit ieiunium.*
3 *Sanguis defluens à capite ſe habet ac ſubſtantia extranea.*
4 *Sanguis defluens à capite in ſtomachum non ſoluit ieiunium, quando non ordinatur, vt nutriat.*
5 *Secus ſi ordinetur.*
6 *Idem dicendum etiam, quando eſt in magna quantitate.*

1 NOn ſolui ieiunium, nec impediri ſumptionem Euchariſtiæ reſpondent communiter D. Thom. *in 4. diſtin. 8. quæſt. 1. artic. 4. quæſtiun. 2. ad 3.* Durand. *quæſt. 4. num. 14.* Ricc*ar. art. 2. quæſt. 3.* Palud. *quæſt. 2. art. 2. concluſ. 2.* Sotus *diſt. 12. quæſt. 1. art. 8. ad 4.* Angelus *Verbo* Miſſa *num. 4.* Syluester *Euchariſt. 3. quæſt. 6. num. 6.* Caiet. *Verbo* Sacramentalis Communio *cap. 1.* D. Antonin. *3. par. tit. 13. tit. 6. §. 8. in fine* Tabiena *Verbo* Communicare *quæſt. 43. numer. 49.* Armilla *Verbo* Communio *nume. 2.* Nauarr. *capit. 21. Manual. num. 53. ver. Octauo peccat* Tolet *lib. 2. ſum. cap. 1. num. 2.* Rodriquez *3. par. ſum. cap. 73. concluſ. 3.* Naldus *Verbo* Euchariſt. *num. 10.* Victoria *quæſt. 83. de Euchariſ.* Bellarm. *lib. 2. de Miſſa cap. 14. tit. vlt. §. 2.* Valent. *tom. 4. diſp. 6. quæſt. 8. punc. 3. ver. Secundo aſſerunt* Henriquez *lib. 8. de Euchariſt. capit. 50. num. 4. & in Glo. litter. V.* Azor. *par. 1. lib. 10. cap. 30. quæſt. 2. ver. Quares etiam* Suarez *3. par. tom. 3. diſput. 68. ſect. 4. ver. Quares rurſus* Vaſquez *tom. item 3. diſput. at 1. cap. 3. num. 29.* Coninch. *quæſt. 80. de Sacram. art. 8. num. 47. ver. Difficultas autem* Chelliſon. *ibid. ver. Notandum eſt* Præpoſit. *dub. 3. num. 40. ver. Ex eo* Reginald. *lib. 29. Praxis Fori Pœnit. cap. 6 num. 119.* Facundez *in Precep. Eccleſ. par. 3. lib. 3. de 3. præcept. cap. 5. num. 15.* Bonacina *tom. 1. diſp. 4. de Sacram. quæſt. 6. punc. 2. num. 6. ver. Dixi per modum cibi* Trouſſet *par. 2. Theſauri Euchariſt. ſect. 27. ver. Non frangitur.* Perſicus *l. b. 1. de Offic. Sacer. cap. 3. dub. 5. num. 44.* Gaſpar Hurtad. *diſput. 9. de Euchariſt. difficult. 15. ver. Obſeruandum.*

2 Fundatur autem hæc deciſio in ea regula, quam tradit D. Thom. citatus, quòd de ratione cibi eſt, quod proueniat ab extrinſeco: cuius rei ratio eſſe videtur; quod cibus debeat eſſe extranea ſubſtantia; quia ordinatur, vt conuertatur in ſubſtantiam viuentis; quod fieri non poſſit, niſi ab extrinſeco accederet.

3 Quæ regula, licet vera ſit, non videtur tamen in præſenti noſtro cauſui rectè applicari; quia ſanguis defluens à capite, & à gingiuis ſit extraneus homini, quamuis non ſit extra hominem: & poteſt habere ratione cibi, quia poteſt nutrire, & poſſet quis illo vti ad nutritionem, & cibum: & proinde videtur habere rationem cibi, & ſoluere ieiunium.

4 Dicendum eſt tamen, quòd non ſoluat ieiunium, quando deſcendit per illam actionem, qua defluit; quia tunc deſcendit, vt fluxio quædam cauſata à natura, aut ab aliqua vi ex-

vi externa, quæ non ordinatur ad manducationem; vnde non interuenit nec manducatio nec potatio. Sicut nec cum deſcendit ſequens motum alicuius actionis à natura in alium finem inſtitutæ, vt eſſet reſpiratio, ob eandem rationem non ſoluit ieiunium.

5 Si verò quis dedita opera ipſum traijceret in ſtomachum ea intentione, vt hauriret ſanguinem, exiſtimo quòd ſolueret naturale ieiunium; quia deſcenſus ſanguinis in ſtomachum ex intentione traijcientis, & ex motu cauſato ab hac intentione, ordinaretur ad potationem. Nec obſtat quòd non accederet ab extrinſeco: quia æquiualeret ſubſtantiæ extraneæ: quia quando ſanguis eſt extra proprium locum, habetur pro ſubſtantia extranea.

6 Et hoc ipſum dicendum eſt, etiam ſi ſanguis, aut alius humor deſcendat ad ſtomachum in notabili quantitate; qui ſe deſcendit præter intentionem, & actione, quæ non ſit ordinata ad manducationem, non ſoluit ieiunium, ſicut nec ſoluunt fluxiones capitis, quæ nocte præſertim fiunt, ad ſtomachum; etiam ſi in magna quantitate fiant; nemo enim cenſebit eum ſoluiſſe ieiunium, cui nocte aliqua magna fluxio catharri facta eſt ad ſtomachum. Si verò, dedita opera; actione ad hoc ordinata tranſmittatur in ſtomachum, à fortiori ſoluet ieiunium.

An ſumptio tabachi in folio, vel puluere Euchariſtiæ ſumptionem impediat, ſoluendo ieiunium.

Deciſio CCCXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Sumptio tabachi in puluere, aut in folio ſoluit ieiunium ſecùndum aliquos.*

2 *Non ſoluitur ieiunium, niſi vera comeſtione, aut potatione.*

3 *Sumptio tabachi in folio, aut puluere non ſoluit ieiunium.*

4 *In tali ſumptione non interuenit comeſtio, etiam ſi per accidens aliquid in ſtomachum deſcendat.*

5 *Quid dicendum, ſi ſumatur per os.*

1 Affirmatiuè reſp. Antonius de Leone *in quæſt. moral. de Cocholate par 2. §.4. nu. 10. & ſequentib.* & affert duo Cõcilia Prouincialia id prohibentia, nimirum Limenſe 111. *art. 3. cap. 10.* & Mexicanum 111. *lib. 3. tit. 15. §. 13.* Quæ tamen apud nos nihil valent; quia faciunt quòd vſus tabachi ſit illicitus tantùm apud eos, qui tenentur obedire illis Concilijs. Deinde neque etiam explicant quòd prohibeant, quia ſoluat ieiunium, imò ſi cenſuiſſent ſoluere, non prohibuiſſent: quia iam ſupponerent prohibitum; ſed ſolum declararent eſſe prohibitum, quia ſoluit ieiunium.

2 Mouetur, Quia ad ſoluendum ieiunium naturale non requiritur quod ſumatur aliquid verè comeſtibile, aut potabile; ſed ſufficit, quòd aliquid mittatur in ſtomachum; ſemper autem aliquid tabachi deſcendit in ſtomachũ. Quod tamen non eſt verum, vt conſtat ex ſupra dictis; quia ieiunium naturale non ſoluitur, niſi per ſui oppoſitum; non opponitur autem niſi cum comeſtione, & potatione, quæ requirunt cibum, aut potum, & actionem comeſtiuam, aut potatiuam, vt docent quàm plures Doctores ex ijs, quos *in ſuperioribus deciſionibus* citauimus: & eſt communis omnium doctrina, quòd vt aliquid frangat ieiunium naturale, debet ſumi per modum cibi, & potus, hoc eſt, per actionem comeſtiuam, aut potatiuam.

3 Itaque tenendum eſt cum Alphonſo de Leone *quæſt. 8. de Offic Capel. ſect. 17. caſu 2. nu. 114.* Diana *par. 5. tract. 13. Reſol. 1.* vbi latè de hoc agit, quod non ſoluat. Et ita videtur eſſe communis ſenſus; cum nemo de hoc ſcrupulum ſibi faciat, neque etiam cœteri, qui non vtuntur, alijs ſcrupulum inijciant.

4 Ratio eſt, Quia ſiue ſumatur in folio, ſiue in puluere, ſẽper per nares attrahitur, & ordinatur ad caput. Vnde nec interuenit actio comeſtiua, nec quicquam ordinatum ad ſtomachum. Et ſi quid in ſtomachum deſcendit, id eſt per accidens, & non deſcendit per modum cibi; cum deſcendat aut ratione reſpirationis, aut ratione alterius rationis, quæ non eſt comeſtio: & ideo non ſoluit ieiunium.

5 Si autem ſumatur in folio per os, & aliquid in ſtomachum deſcendat, certum eſt, quod ſoluat ieiunium: vt docent Præpoſit. *3. parte quæſt. 80. art. 8. dub. 1. num. 39.* Alphonſus de Leone, & Diana citati. Deſcendit enim in ſtomachum per modum cibi. Si verò ſumatur, vt tantùm aut dentibus conteratur, aut vt permaneat per aliquod tempus in ore, non ſoluit ieiunium, vt ijdem docent. Si autem quid minimum in ſtomachum deſcendat ex caſu, & præter intentionem, eadem eſt ratio, & idem dicendum, quod diximus de aromatibus, dum dentibus conteruntur.

Digitized by Google

An ſumptio tabachi in fumo ſoluat ieiunium naturale, & impediat ſumptionem Euchariſtiæ.

Deciſio CCCXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Cur tabachus in fumo ſoluat ieiunium naturale ſecundum aliquos.*
2 *Fumus licet nutriret, non ſoluit ieiunium.*
3 *Tabachus in fumo non ſoluit ieiunium naturale.*
4 *Fumus non poteſt ſumi per modum cibi, aut potus.*
5 *Fumus dedita opera attractus in ſtomachum non ſoluit ieiunium.*

1 AFfirmatiuè ſimiliter reſp. Anton. de Leone *in cit. quæſt. moral. de Cocholate par.* 2. §. 4. *num.* 10. *& ſequentib.* Quia ſemper aliquid fumi deſcendit in ſtomachum: & fumus poteſt nutrire, & multi per ſolùm fumum nutriti per multos dies vixerunt.

2 Verùm dato quòd fumus nutriret, quatenus curſus in ſtomacho condenſari poteſt, & ſe reducere ad materiam nutritiuam, non tamen ex hoc licet inferre, quòd ſoluat ieiunium; quia etiam humores, qui è capite deſcendunt in ſtomachum, nutrire poſſunt, nec tamen ſoluunt ieiunium; quia non deſcendunt in ſtomachum per actionem ordinatam ad comeſtionem.

3 Vnde reſpondendum eſt cum citatis Alphonſo de Leone *De Offic. Capel. quæſt.* 8. *ſect.* 17. *caſu* 2. *num.* 134. Diana *par.* 5. *tract.* 13. *Reſol.* 1. non ſoluere ieiunium, nec impedire ſumptionem Euchariſtiæ.

4 Ratio eſt, Quia fumus non eſt cibus, nec potus; vnde nec actione comeſtiua, aut potatiua aſſumi poteſt, ſed tantùm per attractionem reſpirationis; vnde etiam ſi aliquid de ipſo deſcendat in ſtomachum, deſcendit per modum reſpirationis, & non per modum cibi: & proinde non frangit ieiunium.

5 Imò addo, quòd ſi quis dedita opera attraheret fumum cuiuſcunque rei eo fine, vt deſcenderet in ſtomachum, neque adhuc ſolueret ieiunium. Sicut enim apud moralem, & prudentem æſtimatorem fumus non habet rationem cibi, aut potus: ita nec per attractionem ipſius in ſtomachum prudenter dicetur quis comediſſe, aut bibiſſe: & proinde prudenter quoque iudicabitur ieiunus, & conſequenter poſſe ſumere Euchariſtiam.

An paruitas cibi, aut potus ſumpti ante Euchariſtiam excuſet à mortali ratione paruitatis.

Deciſio CCCXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Ex præcepto Eccleſiaſtico tenemur accedere ieiuni ad Euchariſtiam.*
2 *Paruitas materiæ in cibo, aut potu ante Euchariſtiam non excuſat à mortali.*
3 *Fundamenta huius opinionis.*
4 *Quomodo, quando conſuetudo interpretatur legem, debeat accipi interpretatio.*
5 *Quando interpretatio legis inducat grauem obligationem.*
6 *Quid in quacunque lege cenſeatur directè prohibitum. Et quid prohibeat lex de ieiunio ſeruando ante Euchariſtiam.*
7 *Quomodo ſe habeat irreuerentia in ſumptione Euchariſtiæ poſt cibum, aut potum.*
8 *An abſtinere à cibo ante Euchariſtiam habeat ſignificationem myſterioſam, & an deſtruatur ex paruitate materiæ cibi, aut potus.*
9 *An paruitas materiæ ſoluat ieiunium naturale.*
10 *Quando habeat locum paruitas materiæ.*
11 *Paruitas materiæ habet locum in Euchariſtiæ ſumptione poſt cibum, etiam ſi talis ſumptio directè prohibeatur.*
12 *Paruitas materiæ facit, quòd cibus, & potus non ſe habeant moraliter per modum cibi, aut potus.*
13 *Remittitur deciſio difficultatis iudicio lectoris.*

1 EX præcepto Eccleſiaſtico tenetur quiſque accedere ieiunus ad ſumendam Euchariſtiam: Vt habetur ex perpetua traditione Eccleſiæ, quæ emanauit ab Apoſtolis; vt cum pluribus obſeruat Perſicus *lib.* 1. *de Offic. Sacerd. cap.* 3. *dub.* 4. *nu.* 34. & ſumitur hoc præceptum ex pluribus Concil. Cartaginenſ. 3. *can.* 29. quod refertur in Cap. *Sacramenta de Conſecrat. diſt.* 1. Concil. African. *ſub Bonifacio I. can.* 8. Matiſconenſi *II. can.* 6. Toletano *VII. can.* 2. & refertur in Cap. *Nihil* 7. *quæſ.* 1. vbi ſtatuitur pœna excommunicationis in eum, qui præſumit Miſſas facere poſt cibum, potumue quamlibet minimum. Bracarenſi *II. ſub Honorio I.* Antiſiodorenſi *can.* 16. Difficultas autem eſt, an ratione paruitatis materiæ excuſetur à mortali, qui poſt aliquem minimum cibum, aut potum ſumit Euchariſtiam.

2 Quòd autem paruitas materiæ non excuſet à mortali tribuitur Nauar. *cap.* 21. *Manual. nu.* 53. *ver. Octauo peccat.* & *cap.* 25. *num.* 83. *in fine;*

fine; qui tamen in his locis nihil loquitur de paruitate materiæ. Tenet autem ita Suarez 3. *par. tom. 3. diſp. 68. ſect. 4. ver. Sed quæres.* Henriquez *lib. 8. de Eucharist. cap. 49. num. 2. & in fine Littera* O. Azor. *1. par. lib. 10. cap. 30. quæſ. 2. ver. Quæres etiam.* Facundez *par. 3. de 3. Præcept. Eccleſ. lib. 3. cap. 5. num. 24.* Perſicus *lib. 1. de Offic. Sacer. cap. 3. dub. 5. num. 46.* Lugo *diſp. 15. de Euchar. ſect. 2. num. 22.* Vaſquez *3. par. tom. 3. diſp. 211. cap. 3.* Præpoſ. *quæſ. 80. ar. 8. dub. 1. num. 39.* Sanctius *in Select. de Sacram. diſp. 51. num. 1.* Ochagauia *tract. 2. de Euchar. quæſ. 12. num. 7.* Turrian. *tom. 1. de Iuſt. & Iure diſp. 22. dub. 1. num. 6.* Diana *par. 5. tract. 5. reſol. 12.* Gaſpar Hurtad. *de Sacram. Euchariſtia diſp. 9. difficul. 15. ver. Et quamuis.* Citantur etiam alij Auctores præſertim Durand. *in 4. diſt. 8. quæſ. 4. num. 11.* ſed tantum loquuntur de modico cibo, quale non ſolueret ieiunium Eccleſiaſticum. Citant etiam D. Th. *3. par. quæſ. 80. ar. 8. in corpore.* vbi tamen de paruitate materiæ ne verbum quidem.

3 Et habet hæc opinio ſua fundamenta. Primum, Quia conſuetudo, & praxis Eccleſiæ ita interpretatur hoc præceptum. Secundum, Quia non prohibetur ſumptio cibi ante Euchariſtiam, ſed ſumptio Euchariſtiæ etiam poſt minimum cibum; vnde materia, quæ eſt obiectum prohibitionis, eſt ſumptio Euchariſtiæ poſt cibum, quæ non admittit parvitatem. Tertium, Dato quòd materia parua non poſſit prohiberi grauiter ab Eccleſia, poteſt tamen prohiberi, aut præcipi quando eſt magna in ordine ad ſignificationem: ſic præcipitur gutta aquæ in Calicem mittenda; cibus autem in quacunque minima quantitate eſt materia grauis in ordine ad ſignificandum, quòd Chriſtus ſit primus noſter cibus.

4 Sed poſſet his rationibus aliquis respondere; & Ad Primam quidem, quòd ex conſuetudine non adſit talis interpretatio; nam quando cõſuetudo interpretatur legem negatiuam per abſtinentiam ab eo, quod prohibetur, debet accipi de ſubſtantia ab eo, à quo non abſtineretur, ſi non adeſſet lex ſic interpretata. In caſu autem noſtro, ſi non adeſſet lex ſic interpretata, non abſtineremus à cibo, & potu in tam parua quantitate, quæ eſſet paruitas materiæ reſpectu ieiunij naturalis: ſed ſumeretur aliquid cibi, quale ſolet ſumi in aliquem vſum proficuum: nam paruitas materiæ ad nihil proficeret. Quare ſolùm conſuetudo interpretatur præceptum de abſtinentia à cibo apto in vſum proficuum, non autem in quo habeat locum paruitas materiæ.

5 Deinde tunc ſolùm interpretatio legis inducit grauem obligationem, quando eſt circa ſubſtantiam, quæ exigitur ad finem legis, non autem quando eſt de aliquo, ſine quo manet ſubſtantia legis, & finis. Sic etiam in ieiunio Eccleſiaſtico conſuetudo interpretatur quod ſit prohibita omnis comeſtio carnis, & etiam omnis cibus extra illam vnicam comeſtionem, & ientaculum ſerotinum; & tamen in vtroque admittitur paruitas materiæ: quæ licet cenſeatur prohibita, non tamen ſub peccato mortali; vnde etiam in caſu noſtro poſſet dici quòd conſuetudo interpretatur quidem prohibitam paruitatem materiæ in cibo, aut potu, non tamen ſub mortali: quia hoc non violat legem ſecùndum ſubſtantiam.

6 Ad ſecundum. In quacunque lege id cenſeri per ſe directè prohibitum, quod obſtat fini intento à lege: & proinde ſecum affert deformitatem aliquam. Vnde cum lex prohibet incedere noctu cum armis per ciuitatem, id quod directè, & immediatè prohibetur non eſt inceſſio noctu per ciuitatem, ſed ſunt arma; quia hæc obſtant fini intento à lege. Vnde cum lex prohibens ſumptionem Euchariſtiæ poſt ſumptum cibum, aut potum, habeat pro fine reuerentiam ſacramenti, prohibebit directè, & immediatè quod obſtat reuerentiæ: obſtat autem cibus ſumptus ante Euchariſtiam, non autem ſumptio Euchariſtiæ poſt cibum; quia irreuerentia non eſt in ſumptione, ſed in ſumente, quia non eſt ieiunus; vnde materia prohibita erit cibus, & potus, in quo datur paruitas.

7 Deinde, Dato quòd ipſa ſumptio eſſet prohibita, non eſſet prohibita, niſi prout eſt cum irreuerentia: non eſt autem cum irreuerentia niſi in ordine ad cibum, & potum præcedentem; vnde ſi cibus, & potus erunt parua materia, ita vt pro nihilo habeatur, etiam irreuerentia erit in paruitate materiæ: ita vt pro nihilo habeatur; quia reſunditur in ſumptionem ab ipſo cibo, & potu, atque adeo cum proportione: ita vt æqualiter debeant æſtimari; & proinde ſi pro nihilo habetur cibus, pro nihilo etiam habebitur irreuerentia.

8 Ad Tertium. Negari poſſet quòd abſtinentia à cibo habeat ſignificationẽ myſterioſam, cum ſit tantùm inſtituta ob reuerentiam ſacramenti; quod exiſtimo verùm. Sed dato quòd adeſſet talis ſignificatio, ita vt requireretur ieiunium naturale ad ſignificandum Euchariſtiam eſſe primum cibum, poſſet dici quòd non tollitur hæc ſignificatio, niſi per cibum, aut potum, qui habeat proficuum vſum in ordine ad nutriendum, qualis non habetur ſtante paruitate materiæ; quia ſicut pro nihilo reputatur; ita etiam aut nulla ſit nutritio, quia in alteratione, quæ fit in ſtomacho, euaneſcit: aut eſt tam exigua, vt pro nulla habeatur; atque adeo adhuc Euchariſtia ſumitur vt primus cibus, quod præſertim verum eſt, quia ratione paruitatis materiæ non cenſe-

tur

tur ſolutum ieiunium naturale.

9 Pro oppoſita autem ſententia, quam ſuppreſſo nomine Auctoris refert Suarez *citatus* adſunt non contemnendæ rationes, quæ *in ſuperioribus* inſinuatæ ſunt. Et prima eſſe poteſt, Quòd ratione paruitatis materiæ non cenſeatur ſolui ieiunium naturale: & proinde poſt cibum, & potum in paruitate materiæ poſſit ſumi Euchariſtia, abſque mortali. Ideo enim non ſoluitur ieiunium Eccleſiaſticum, ſi per diem ſumatur aliquid cibi, qui ſit paruitas materiæ; quia cum non aduerſetur notabiliter fini ieiunij, qui eſt maceratio corporis: nec etiam notabiliter aduerſatur præcepto intendenti finem, nec rectæ rationi. Sed etiam id, quod cenſeri poteſt paruitas materiæ, reſpectu ieiunij naturalis, vt eſſet granum milij, non aduerſatur notabiliter fini præcepti de ieiunio naturali, qui eſt ſubtrahere corpori alimentum corporale, quouſque anima recipiat ſpirituale; quia paruitas materiæ in ordine ad nutriendum non præſtat effectus alicuius conſiderationis, cum non poſſit præbere aliquam ſubſtentationem; vnde moraliter cenſetur corpus non cibatum, quia non recepit cibum proficuum ſibi; vnde cenſebitur ieiunum, nec aduerſabitur notabiliter præcepto, & rectæ rationi.

10 Præterea. Tunc habet locum paruitas materiæ fundãs tantùm peccatum veniale, quando diſſonantia ad rectam rationem non conſiſtit in materia īdiuiſibili, ſed diuiſibili; ſic quia diſſonantia furti cōſiſtit in ablatione rei alienæ, quæ poteſt eſſe maior, & minor, creſcit etiam & minuitur diſſonantia iuxta rem ablatam: & poteſt eſſe tam parua, vt fundet tantùm peccatum veniale. Et quia diſſonantia mendacij conſiſtit in eo, quòd verba diſcrepent à conceptu mentis: & hæc diſcrepantia poteſt eſſe in re graui, & leui, datur mendacium, quod ſit tantùm peccatum veniale ex leuitate materiæ. Sed etiam in caſu noſtro diſſonantia ad rectam rationem in comeſtione ante ſumptionem Euchariſtiæ conſiſtit in materia diuiſibili: quia conſiſtit in alimentatione corporis, præmiſſa alimentatione animæ, quæ poteſt eſſe maior & minor: & proinde etiam tam parua, vt non ſit alicuius conſiderationis, atque adeo non cenſeatur ſoluere ieiunium, nec irrogare irreuerentiam notabilem Euchariſtiæ.

11 Et hoc etiam habet locum, ſi dicatur quòd præceptum non prohibet cibum ante Euchariſtiam, ſed ſumptionem Euchariſtiæ poſt cibum: nam adhuc ſtante paruitate materiæ in cibo, ſumptio Euchariſtiæ non habet notabilem diſſonantiam ad præceptum, & rectam rationem. Diſſonantia enim conſiſtirit in eo, quòd Euchariſtiæ non tribuatur prior locus, ſed ſumatur poſt cibum corporalem; vnde cum oriatur ex præceſſione cibi corporalis, debet æſtimari etiam ſecùndum quod æſtimatur talis præceſſio; quia ſumptio non fit irreuerens, niſi ratione præmiſſionis cibi corporalis; Ergo quando cibus corporalis non eſt, ratione paruitatis materiæ alicuius æſtimationis, ſed pro nihilo reputatur, ſumptio Euchariſtiæ non fit notabiliter irreuerens; quia cum tota irreuerentia reſoluatur in cibum, qui præceſſit, erit maior, aut minor, prout ſolutio ieiunij naturalis, ſeu alimentatio corporis erit maior, aut minor, & proinde etiam leuis, quando erit leuis, & nullius conſiderationis alimentatio ipſa.

12 Rurſus, quod non ſumitur per modum cibi, & potus non ſoluit ieiunium naturale, vt omnes communiter docent: non alia ratione, niſi quia non interuenit manducatio, aut potatio, & ieiunium tantùm ſoluitur per manducationem, & potationem; ſed poſita paruitate materiæ non interuenit moraliter mãducatio, aut potatio, nec quod ſumitur, ſe habet moraliter per modum cibi, aut potus; quia de ratione cibi, aut potus eſt, quod ordinetur ad alimentationem corporis; vnde quando non poteſt præſtare hunc effectum, non cenſetur moraliter cibus, aut potus: quia caret illa virtute, per quam cibus conſtituitur in eſſe cibi: paruitas autem materiæ facit, quòd non poſſit præſtare hunc effectum, quia prius reſoluitur, quam conuertatur in ſubſtantiam viuentis: aut ſi conuertitur, eſt inſenſibilis talis conuerſio, & ideo pro nihilo reputatur. Quare cum ſecùndum moralem æſtimationem non interueniat manducatio, aut potatio, nec etiam ſecùndum moralem æſtimationem ſoluetur ieiunium naturale.

13 Hæc quidem, & alia quæ poſſent adduci probabilem faciunt hanc opinionem, non tamen audeo aliquid determinare, & lector meliùs poterit rem ponderare: non tamen aſſentior Patri Dianæ citato dicenti hanc ſententiam eſſe improbabilem. Imò Ildephonſus Rodriquez apud Granedum *3. par. de Sacram. controuer. 6. tract. 10. diſp. 8. num.* 8. ait, aquam, quam putamen auellanæ capit, eſſe minimam.

A quo-

A quonam tempore debeat incipere ieiunium naturale pro ſumenda Euchariſtia.

Deciſio CCCXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Quando Eccleſia incipiat diem, & quãdo ex eius præcepto debeat incipere ieiunium pro ſumenda Euchariſtia.*

2 *Præceptum, quod Euchariſtia à ieiunis ſumatur, eſt vniuerſale obligans totam Eccleſiam.*

3 *Quid dicendum de regionibus, in quibus per aliquos menſes eſt continua nox, aut continuus dies.*

4 *In his regionibus eſt ſeruandum præceptum ſecundum capacitatem illarum.*

5 *Quomodo præfigendi ſint termini in his regionibus, à quibus incipiat ieiunium in ordine ad Euchariſtiam ſumendam.*

6 *Quid dicendum de regionibus, in quibus nox eſt breuiſſima, ſi non ſoleant negotia protrahi in noctem.*

7 *Quid ſi negotia ſoleant protrahi in noctem, an, & quomodo obliget præceptum.*

1 Eccleſia incipit diem à media nocte, & ducit in aliam mediam noctem ſubſequẽtem; ideo autem incipit à media nocte; quia tunc ſol incipit aſcendere ad noſtrum Orizõtem, & proinde incipit etiam motus Solis allatiuus diei. Vnde præceptum naturale ieiunium in ordine ad ſumptionem Euchariſtiæ pro illa die, in qua eſt ſumenda, vſque dum ſumpta fuerit, debet conſequenter incipere à media nocte antecedente: vtpote quia tunc incipit dies, in qua eſt ſumenda. Atque ita communis conſuetudo Eccleſiæ interpretatur, & tradunt communiter cum D. Thom. *3. par. quæſt.* 80. *art.* 8. *ad* 5. Sotus *in* 4. *diſtin.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 8. *ad* 5. Durand. *diſt.* 8. *quæſt.* 4. *num.* 15. Palud. *quæſt.* 2. *art.* 3. *concluſ.* 2. Caietan. *in ſum. verbo* Sacramentali Communio *ver. Secundum.* Armilla *num.* 2. Angel. *Euchariſtia* 3. *quæſt.* 3. *num.* 15. Syluest. *quæſt.* 7. *num.* 9. Tabiena *verbo* Communicare *quæſt.* 46. §. 52. D. Antonin. 3. *par. tit.* 13. *cap.* 6. §. 8. Nauarr. *capit.* 21. *Manual. num.* 53 Rodriquez 1. *par. ſum. cap.* 66. *concluſ.* 3. *in fine* Tolet. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 2. Azor. 1. *par. lib.* 10. *capit.* 30. *quæſt.* 2. *ver. Quæres quiſpiam* Reginald. *lib.* 29. *Prax. Fori Pænit. cap.* 6. *num.* 118. Facundez *par.* 3. *lib.* 3. *præcep.* 3. *capit.* 5. *num.* 17. Gaſpar Hurtad. *diſp.* 9. *de Euchariſt. difficult.* 15. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 68. *ſect.* 4. *concluſ.* 3. Vaſquez *tom. item* 3. *diſp.* 211. *cap.* 3. *num.* 32. Valent. *tom.* 4. *diſp.* 6. *quæſt.* 8. *punc.* 3. *ver. Sed cum hoc.* Henriquez *lib.* 8. *de Euchariſt. cap.* 49. *num.* 2. & *in Gloſa litter. M. & P.* Perſicus *lib.* 1. *de Offic. Sacerd. cap.* 3. *dub.* 5. *num.* 49. Lugo *diſp.* 15. *de Euchar. ſect.* 2. *num.* 40.

2 Aduertendum autem eſt, Quia hoc præceptum eſt impoſitum ab habentibus iuriſdictionem ſupra totam Eccleſiam vniuerſalem, nempe à Pontificibus, & Concilijs generalibus, obligat etiam totam Eccleſiam: præſertim quia vniuerſaliter loquitur, nec aliquam regionem excipit, aut aliquas perſonas; omnis namque lex obligat ſubditos legiſlatoris.

3 Difficultas tamen eſt, quid dicendum de illis regionibus, in quibus per ſex menſes anni eſt perpetua nox, & per alios ſex perpetuo dies, nempe ab vno æquinoctio in alterum, vt contingit in regionibus prope polum Arcticum. Perſicus *citatus* ait nondum eſſe aliquid determinatum pro his regionibus, ſed opus eſſe lege Eccleſiaſtica, quæ diuidat dies proportionatos noſtris diebus Eccleſiaſticis naturalibus aliquo modo artificiales, deſignando principium, & finem. Quod etiam tenet Rubeus *in ad not. ad rubricas Miſſalis capi.* 9. *num.* 1. *ver. Secundo petes,* & Alphonſus de Leone *De Offic. Capell. quæſt.* 8. *ſect.* 17. *num.* 141.

4 Ego tamen exiſtimo non eſſe opus hac regula, ſed præceptum eſſe ſeruandum ſecundum capacitatem conſuetudinis illius regionis; Quia enim in noſtris regionibus in media nocte abſoluuntur communiter quæ ſpectant ad illum diem, & præſertim comeſtio, & corpus traditur quieti: & ideo Eccleſia præcipit ſeruandum ieiunium à media nocte: vt ab illo tempore, in quo communiter eſt abſoluta comeſtio præcedentis diei, & cœtera omnia, quæ pertinent ad talem diem.

5 In illis ergo regionibus tam quando durat perpetuus dies, quàm perpetua nox, neceſſe eſt quòd habeant certos terminos, in quibus ceſſent ab operando, & tradant corpus ſomno, & quieti, quæ abſolutè eſt neceſſaria pro ipſius conſeruatione: & quòd infra vnum, & alterum terminum quietis ſumant ſufficiens alimentum pro ſubſtentatione corporis. Erit ergo notandus ille terminus, in quo apud omnes regulariter loquendo ſolet incipere quies, & claudi vnicus periodus operationũ, quæ ſolent exercere, & habendus pro termino mediæ noctis, in quo incipiat ſubſequens dies, ſeu nouus periodus: & ab ipſo opus erit incipere ieiunium naturale pro ſumptione Euchariſtiæ.

6 Rurſus dubitari poteſt, quid dicendum pro illis regionibus, in quibus tempore æſtatis nox eſt breuiſſima, vt ſunt nonnullæ regiones Boreales, an ibi quoque debeat ieiunium illud

Digitized by Google

incipere à media nocte. Reſpondeo, quòd ſi non adſit conſuetudo protrahendi negotia diei in noctem, & regulariter ſumatur cibus vltimus illius diei ante mediam noctem, & corpus ante ipſum regulariter tradatur quieti, debet ſeruari ieiunium à media nocte, vt poſſit ſumi Euchariſtia; quia poteſt commodè ibi ſeruari præceptum, ſicut ſeruatur apud nos.

7 Si verò negocia protrahantur in noctem, ita vt ante mediam noctem non ſit regulariter ſumptus vltimus cibus, tunc non debet ieiunium incipere à media nocte, ſed secùndum capacitatem conſuetudinis regionis. Quia præceptum Eccleſiaſticum, quale eſt iſtud, non obligat, niſi secùndum capacitatem obligationis, quæ induci poteſt, moraliter autem non poteſt induci obligatio ieiunij à media nocte, ſtante illa conſuetudine: quę nõ eſt auferenda, cum de ſe non ſit mala; præſertim quia adhuc præceptum ſeruari poteſt, & obtineri finis ipſius, nempe reuerentia erga ſacramentum. Obſeruandum ergo erit ille terminus, in quo regulariter claudi ſolent negocia diei, & corpus refectum tradi quieti, ſumẽdo illud vltimum, in quo ſolent omnes hæc compleuiſſe, & habendus pro initio, in quo incipiat naturale ieiunium.

An ſi in aliqua Prouincia eſſet diuerſa conſuetudo ſumendi initium diei poſſet licitè ſeruari in ordine ad ieiunium naturale ſeruandum pro ſumptione Euchariſtiæ.

Deciſio CCCXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Non eſſe ſeruandam conſuetudinem aliter incipiendi diem in ordine ad ieiunium naturale pro Euchariſtia, qui docent.*

2 *Eſſe ſeruandum, ſi adſit approbatio Eccleſiæ alij docent.*

3 *Præceptum de ieiunio præcedente Euchariſtiam eſt ſeruandum, ſicut eſt iam introductum.*

4 *Lex non obligat, niſi eo modo, quo eſt introductu: præſertim ſi adhuc obtineatur finis.*

5 *Præceptũ de ieiunio requiſito ad Euchariſtiam obligat pro die, in quo eſt ſumenda nõ autem, quòd dies incipiat hac, vel illa hora.*

6 *Si præceptum hoc ſit de nouo introducendum, eſt habenda ratio conſuetudinis regionis.*

7 *Finis huius præcepti ſaluatur quacunque hora incipiat dies, ſi ab inceptione vſque ad ſumptionem non ſumatur cibus.*

1 TAlem conſuetudinem non eſſe ſeruandam, ſed ſemper ieiunium incipiendum eſſe à media nocte docet Henr. *lib. 8. de Euchar. c. 49. num. 2. & in Gloſ. litera M.*

2 Alij verò inquiunt, quod ſtandum eſt conſuetudini, ſi Eccleſiæ decreto ſit recepta. Ita Sotus *in 4. diſt. 12. quæſt. 1. artic. 8. ad 5. in fine* Valent. *tom. 4. diſput. 6. quæſt. 8. punc. 2. ver. Sed cum hoc.* Suarez *3. par. tom. 3 diſp. 68. ſect. 4. concluſ. 3.* Perſicus *lib. 1. de Offic. Sacerd. cap. 3. dub. 5. num. 49.* Quod quidem nullam difficultatem patitur, quia Eccleſia poteſt declarare, immutare, reſtringere, & tollere propria præcepta.

3 Sed difficultas eſt, quando adeſt conſuetudo, & non adeſt aliqua approbatio, vel declaratio Eccleſiæ. In quo caſu exiſtimo diſtinguendum eſſe. Vel enim agimus de præcepto iam introducto secùndum conſuetudinem regionis; vel de præcepto de nouo introducendo. Si præceptum ſit introductum: tunc, quia leges poſitiuæ, etiam Eccleſiaſticæ, non obligant, niſi quatenus ſunt in vſu, huiuſmodi præceptum non obligat, niſi secùndum quod introductum eſt, habita ratione conſuetudinis regionis, præſertim quia iam adeſt conſuetudo ſeruandi tali pacto præceptum; & cum conſuetudo legem interpretetur, non debet cenſeri quòd aliter obliget, quàm se-
4 cùndum modum, quo eſt in vſu. Quod præſertim eſt verum, quia parum refert ad finem præcepti, quòd hoc vel illo modo ſeruetur, dummodo finis obtineatur, qui in caſu noſtro eſt reuerentia erga Sacramentum.

5 Deinde. Secundum ſubſtantiam habetur obſeruantia præcepti: quia non obligat præceptum niſi ad ieiunium pro illa die, in qua eſt ſumenda Euchariſtia vſq; ad tempus ſumptionis: non autem, quòd dies incipiat hac, vel illa hora; & ideo ſufficit ad ſubſtantiam obſeruationis, quod ſeruetur ieiunium ab illa hora, à qua incipit dies.

6 Si verò de nouo introducendum ut præceptum, & contingere poteſt in ijs regionibus, in quibus miſſionarij diſſeminant catholicam fidem, puto non eſſe alienum à mente legislatoris, ſeu Eccleſiæ, quòd introducatur eo modo, quo poteſt, habita ratione regionis, & conſuetudinum ipſius; eſſet enim nimis difficile conuellere conſuetudinem, quæ in ordine ad lumen naturale non eſt mala; vnde etiam redderet difficilẽ introductionem præcepti.

7 Ratio eſt, Quia finis legis eſt menſura obligationis ipſius; vnde ceſſante fine, ceſſat etiam lex, & ideo non plus obligat, quam ne-

ceſſarium

ceſſarium ſit ad aſſequendum finem. Finis autem præcepti de ieiunio naturali ſeruando pro illa die, in qua eſt ſumenda Euchariſtia, vſque ad ſumptionem ipſius, eſt reuerentia exhibenda ſacramento: vt ipſum ſit primus cibus illius diei. Hoc autem obtinetur introducendo præceptum de ieiunio iuxta conſuetudinem regionis; quia ſi ante ſumptionem Euchariſtiæ ſeruetur ieiunium incipiendo ab illa hora, in qua iuxta conſuetudinem regionis incipit dies, adhuc erit primus cibus ipſa Euchariſtia, & eadem reuerentia exhibebitur ſacramento. Præſertim, quia in tantùm apud nos præcipitur ieiunium à media nocte, in quantum tunc apud nos incipit dies naturalis.

An ieiunium neceſſarium pro ſumptione Euchariſtiæ debeat incipere à primo pulſu horæ deſignantis madiam noctem, ita vt ſi quis aliquid comedat, dum ſonant alij pulſus, non poſſit ſumere Euchariſtiam.

Deciſio CCCXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *A primo pulſu horæ deſignantis mediam noctem debere incipere ieiunium pro Euchariſtia.*
2 *Hora non completur niſi quando ſonuerunt omnes pulſus.*
3 *Quomodo horologium ſit tantùm teſtis.*
4 *Non indicat complementum horæ niſi vltimo pulſu.*
5 *Tempus inceptionis huius ieiunij menſuratur moraliter, non mathematicè.*
6 *Præceptum non obligat, niſi prout moraliter ſeruari poteſt.*
7 *Eccleſia præcipit ieiunium ſolùm à media nocte: vnde vſque ad ipſam protrahi poteſt comeſtio.*
8 *Dimidium mediæ noctis non poteſt mathematicè menſurari.*
9 *Cur Eccleſia non poſſit nos obligare, vt in ſumendo dimidio noctis nos conformemus horologijs.*
10 *Exigua pars temporis poſt mediam noctem poteſt computari pro media nocte.*
11 *Comeſtio continuata per modicum tempus poſt mediam noctem trahit ad diem antecedentem illud modicum temporis.*
12 *Modicum tempus poſt mediam noctem, in quo comedatur, vt parua materia, non vitiat ieiunium ſequentis diei.*
13 *Paruitas materiæ in tempore celebrationis, in ætate requiſita ad matrimonium, ad ordines, in egreſſu, & ingreſſu clauſuræ.*
14 *Quantum temporis poſt mediam noctem ſumi poſſit pro parua materia in ordine ad ieiunium.*

1 QVod ſtatim à primo pulſu horę deſignantis mediam noctem, debeat incipere ieiunium pro Euchariſtia ſumenda, ita vt ſi tunc quis bibat, & continuet, etiam ſi quando ſonat vltimus pulſus finierit, non poſſit Euchariſtiam ſumere, docent Sanchez *tom. 1. de Matrim. diſp.* 41. *num.* 40. Facundez *in Præcep. Eccleſ. par.* 3. *de* 3. *Præcep. lib.* 1. *cap.* 10. *nu.* 3. Io. Sancius *in Select. diſp. de Sacram. diſp.* 42. *num.* 20. Villalobos *par.* 1. *Sum. tract.* 1. *difficul.* 21. *num.* 8. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *de Sacram. reſol.* 36. *ver. Notandum eſt.* Alphonſus de Leone *de Offic. Capel. quæſ.* 8. *ſect.* 17. *num.* 140. Præpoſit. *in* 1. 2. *quæſ.* 19. *ar.* 6. *dub.* 5. *num.* 8. Lugo *diſp.* 15. *de Euchar. ſect.* 2. *nu.* 37. Qui addit, quòd quando ante pulſus deſignantes horas ſonant etiam pulſus deſignantes quadrantes horæ, tunc ad primum pulſum horum quadrantium debet incipere ieiunium, ita vt poſt ipſum non poſſit aliquid ſumi, etiam ſi ſumatur antequam ſonent pulſus horæ.

2 Quod tamen mihi non placet; quia licet illa rota, quæ pro quadrantibus mouetur, ſit diuiſa in quattuor partes æquales ſecùndum ſpacia quattuor quadrantum, non tamen quãdo pertranſitur quartum ſpacium rotæ eſt hora completa, ſed tantùm quando ſonuerunt etiam omnes pulſus horam indicantes; quod ex eo paret, quia motus rotarum pro hora ſubſequenti non incipit niſi poſtquam omnes pulſus omnium campanarum ſonuerunt: & conſequenter neque etiam, niſi tunc, incipit hora ſubſequens; hora autem præcedens, durat quouſque incipiat ſubſequens: alioquin daretur aliquod tempus, quod non eſſet pars alicuius horæ, nempe tota illa ſpacia, in quibus campanæ ſonant.

3 Fundamentum huius opinionis eſt, Quia horologium eſt tantùm teſtis indicans horam eſſe completam: & ideo quando auditur primus pulſus, iam eſt hora expleta, & per accidens eſt, quòd alij ſubſequantur, quia nimirum non poteſt indicari complementum cuiuslibet horæ vnico tantùm pulſu.

4 Quod tamen fundamentum non mihi videtur magni faciendum, facilè enim corruit, ſi dicatur, quòd horologium, quando ſonandi ſunt plures pulſus, incipit indicare complementum horæ antequam ſit completa, ita vt ſolus vltimus pulſus indicet completam: quia nimirum non poteſt hora eſſe completa, vt modò dicebamus, niſi quando immediatè incipit

cipit

Digitized by Google

cipit hora ſubſequens, incipit autem ſolùm ſonato vltimo pulſu. Quod etiam probabile putat Breſſerus *lib. 4. de Conſcient. cap. 11. num. 107.*

5 Itaque hæc opinio mihi ſemper rigoroſa viſa eſt, nec puto in rebus moralibus mathematicè procedendum eſſe, ita vt tempus mathematico modo menſurari debeat; ſed ſufficere, ſi moraliter menſuretur; ita vt in ijs, quæ pertinent ad priorem, vel ſubſequentem diem, parum referat, ſi pro aliquo exiguo tempore anticipetur, vel poſt ponatur; vnde etiam parum referet, ſi ieiunium naturale incipiat paulò poſt à media nocte.

6 Moueor autem, quia nullum præceptum obligat, niſi quatenus moraliter eſt poſſibile adimpletio ipſius: & ideo exigitur obſeruantia cum proportione, & menſura ad conſuetũ, & regularem modum operandi humanum. Et hoc eſt principium omnino certum, ſecùndum quod eſt menſuranda obligatio, cuiuſcunque legis, & præcepti; alioquin lex eſſet intolerabilis, quia moraliter eſſet impoſſibilis obſeruantia ipſius. Vnde Tridentinum *ſeſ. 6. cap. 11. De Iuſtificat.* Loquens de diuinis præceptis, ait; *Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuuat, vt poſſis. Cuius mandata grauia non ſunt, cuius iugum ſuaue eſt, & onus leue.*

7 Certum eſt etiam, quòd Eccleſia præcipit ieiuniũ incipiens à media nocte naturali, quæ tunc eſt quando Sol incipit aſcendere ad noſtrum hemiſpherium: & ex vi huius præcepti non obligamur anticipare comeſtionem, ita vt ſit completa ante mediam noctem, ſed poteſt protrahi vſque ad dimidium noctis; & proinde relinquit menſurandum dimidium noctis eo modo, quo poteſt menſurari.

8 Eſt autem impoſſibile moraliter loquendo ita menſurare hoc dimidium noctis, vt non contingat aliquis error circa aliquam exiguã partem temporis ante, vel poſt mediam noctem; quia eſt impoſſibile habere inſtrumenta ita perfecta, quæ exactè correſpondeant motui ſolis; Ergo erit etiam impoſſibile obſeruare præceptum ita exactè, vt ſtatim à vera media nocte incipiat obſeruantia ipſius.

9 Neque etiam poteſt Eccleſia nos obligare, vt nos conformemus horologijs; Tum quia hæc non ſunt obuia vnicuique, vt per ipſa poſſit ſe regulare: vt contingit in oppidis, & villis, & etiam in ciuitatibus: quia non vbique per totam ciuitatem audiuntur pulſus horarum; Tum quia eſt moraliter impoſſibile ſemper attendere ad pulſus horarum; Tum quia in aliquibus regionibus, vt in Italia, medium noctis nõ deſignatur aliquo pulſu horarum, cum, vt plurimum contingat infra ſpacium alicuius horæ: Tùm quia in Italia in aliquibus locis horologia diuerſimodè procedunt; nam vigeſima quarta hora ſonat cum ipſo ſolis occaſu, vt Venetijs: in aliquibus autem locis cũ horæ dimidio poſt occaſum Solis: vnde cum eodem modo obſeruandum ſit præceptum ab omnibus, non tamen eodem modo menſurari poteſt tempus, in quo incipiat obligatio; & proinde impoſſibile eſt, ſequi ductum horologij ad vnguem; & proinde nec obligabit præceptum ad ſequendum ita exactè, vt nulla ſit diſcrepantia ab ipſo.

10 Cum igitur non poſſit tempus mediæ noctis exactè obſeruari, nec etiam quatenus benè, vel malè indicatur ab horologijs, vt conſtat ex dictis: remanet quòd præceptum non obliget ad exactè obſeruandam mediam noctem quocunque modo nobis innoteſcat: ſed quòd ſufficiat, quòd moraliter ieiunium incipiat à media nocte, ſeu ab illo tempore, quod moraliter habetur medium noctis: atque adeo; quòd ex ipſa pars temporis poſt medium noctis mathematicum computetur pro ipſo medio noctis; ita vt etiam ſi poſt medium noctis mathematicum, aut, vt indicatum per horologia, comedatur, aut bibatur, dummodò per exiguum tempus id fiat, poſſit adhuc cẽſeri ieiunium incipere à media nocte.

11 Præterea. Si continuetur comeſtio poſt exiguum tempus poſt mediam noctem etiam indicatam per horologia, ſicut comeſtio eſt diei præcedentis, ita etiam parum illud tempus, quo continuatur, trahitur ab ipſa comeſtione, vt ab operatione diei præcedentis, vt moraliter cenſeatur tempus diei præcedentis; quia cum non ſit dies præcedens ſeparandus mathematicè à die ſubſequenti, ſed tantùm moraliter, poteſt operatio diei præcedentis trahere ad ſe aliquid modicum de die ſubſequenti, & facere quòd fiat ſeparatio, completa operatione,

12 Denique, hìc habet locum etiam paruitas materiæ: ratione cuius cenſeri poteſt non ſolui ieiunium naturale illius diei; quia ad modicum initium ipſius protrahitur comeſtio præcedentis diei. Tunc enim datur paruitas materiæ excuſans ſaltem à mortali, quando materia, quæ eſt obiectum præcepti, eſt diuiſibilis: quia tunc exigua portio huius materiæ non fundat grauem diſſonantiam ad rectam rationem & præceptum, nec tollitur ſubſtantia rei præceptæ, ſed ad ſummum ſecùndum quid. Sic exigua comeſtio carnium in die ieiunij, exercitium operis ſeruilis per exiguum tempus in die feſto, anticipatio comeſtionis in exiguo tempore ante meridiem in die ieiunij, & alia huiuſmodi, ratione paruitatis materiæ excuſant à mortali, & etiam à veniali, ſi adſit aliqua cauſa. Vnde cum præcipiatur Ieiunium naturale pro toto tempore il-

illius

lius diei, quod antecedit Euchariſtiam, ſi aliquod exiguum de hoc tempore detrabatur, ita vt non incipiat ſtatim à media nocte, erit paruitas materiæ de tracta de tempore illius diei; quæ non erit computanda.

13 Sic etiam, vt docet Lugo *diſp. 20. de Euchar. ſect. 1. num. 37.* quando pro termino celebrandi Miſſam aſſignatur meridies, & aurora, debet iſte terminus intelligi moraliter: ita vt non ſit peccatum anticipare auroram per modicum tempus, aut protrahere vltra meridiem: quod etiam docent alij communiter. Item in ætate requiſit. & præſcripta ad matrimoniũ datur paruitas materiç: vt tradunt Hoſ. *in Cap. Puberes n. 5. De ſponſalib. impub.* Ledeſ. *in 2. par. 4. quæſt. 60. art. 1.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſp. 104. num. 2. & 3.* per quos ſufficit accedere prope terminum præſcriptum. Sic etiam in ordine ad ordines ſuſcipiendos, vt cum alijs tradit Diana *par. 5. tract. 5. Reſol. 17. ver. Nota tamen*, ita vt ſufficiat proximus acceſſus ad terminum præſcriptum, vt poſſit quis ordines ſuſcipere. Item in egreſſu, vel ingreſſu clauſuræ datur paruitas materiæ: vnde ingredi, vel egredi per duos paſſus erit leuis materia: vt cum alijs tradit idem Diana *par. 5. tract. 5. Reſolut. 22.*

14 Dubitari tamen poteſt, quantum temporis in tali caſu poſſit haberi pro minimo. Reſp. debere eſſe ſolùm tantum, quantum detrahi poteſt à ſubſequenti die, ita tamen vt adhuc dies cenſeatur moraliter integer; alioquin ſi non cenſeretur integer, neque etiam cenſeri poſſet quòd eſſet ſeruatum ieiunium pro illa die. Hoc autem non debet eſſe aliqua integra hora, quia cum quælibet hora ſit pars integralis diei, ſi vna deficiat non erit dies integer.

An quando adſunt plura horologia liceat ſequi, quod libuerit in ordinando ieiunio pro ſumptione Euchariſtiæ.

Deciſio CCCXXXIX.

SVMMARIVM

1 *Sequendum primum horologium in ordinando ieiunio pro ſumptione Euchariſtiæ qui doceant.*
2 *Oppoſitum eſt tenendum.*
3 *Horologia non ſe habent, vt opiniones probabiles, ſed vt teſtes.*
4 *Vnum horologium, aut plura ſimul pulſantia non faciunt tempus magis probabile, quàm faciat aliud ante, vel poſt pulſans.*
5 *An in eadem nocte poſſimus ſequi modò vnum horologium, modo aliud.*
6 *Poſſum ſequi modo vnum, modo alterum horologium in eadem nocte, niſi antecedens vel ſubſequens dies ponatur in poſſeſſione temporis, quod mediat inter pulſationem vnius, & alterius horologij, & cur in tali caſu non poſſit fieri mutatio.*
7 *Quænam dies ponatur in poſſeſſione illius temporis intermedij.*

1 NEgatiuè reſpondent Salas 1. 2. *tractat. 8. diſp. vnica ſect. 25. num. 264.* Rodriquez *tom. 1. ſum. nouæ editionis cap. 105. num. 6.* Sed volunt ſequendum eſſe horologium, quod primò pulſat; pro quo tamen nullam rationem afferunt.

2 Quare tenenda eſt ſententia affirmatiua cum Sanchez *lib. 2. de Matrimon. diſp. 41. num. 40. ver. Quod ſi diuerſa* Facundez *præcep. 4. Eccl. lib. 1. cap. 10. num. 3.* Sancio *in ſelect. de Sacram. diſp. 42. num. 18.* Villalob. *tom. 1. ſum. tractat. 1. difficul. 21. num. 7. ver. Item ſi ay diuerſos.* qui citat etiam Vegam *lib. 3. ſum. capit. 213.* Diana *par. 3. tract. 4. Reſol. 36. ver. ſed mihi* Lugo *diſp. 15. de Euchariſt. ſect. 2. num. 45.* quia, inquiunt, quòd plura horologia ſe habent vt plures opiniones probabiles: ex opinionibus autem probabilibus poſſum aligere quã volo. Quod tamen limitant, ſuppoſito quòd non conſtet de errore vnius, aut alterius horologij; neque enim poſſumus ſequi illud, quòd conſtat errare.

3 Hoc tamen mihi difficile videtur; Quia horologia indicant tantùm tempus: & dum indicant, ſe habent vt teſtes teſtificantes de tempore: & proinde ſe tenent ex parte facti, de quo veluti deponunt, & non ex parte iuris: opinio autem probabilis ſe tenet ex parte iuris: ex parte autem facti, non poſſum ſequi quamcunque probabilitatem, ſed debeo ſequi, quod probabilius eſt.

4 Itaque horologia omnio accipienda ſunt tanquam teſtimonia teſtantia de tempore; & quia ſicut teſtimonia ſingularia, vnum non facit factum magis probabile, quàm faciat alterum; & proinde poſſum ſequi, ſi non conſtet de errore, quodcunque illorum; quod etiam verum eſt licet plura ſimul ſonent; quia non per hoc dant maiorem certitudinem de tempore; cum experientia conſtet, quòd aliquando vnum magis accedit ad indicandum verum tempus, quàm plura ſimul. In tantum enim plures teſtes conteſtes faciunt maiorem certitudinem, quia ſinguli ſupponuntur habere ſuam cognitionem, & veracitatem indepen-

dentet ab alijs: horologia antem indieant, vt regulantur, & multoties etiam deflectunt à regula, & ij, à quibus tegulantur, non habent, vt pultimum, exactam cognitionem tempotis; & fieri poteſt quòd ille, qui regulat illud, quod ſeorſim ab alijs ſonat, habeat de tempore cognitionem magis exactam, & proinde meliùs tegulet; & ideo quò ad hoc non eſt eadem ratio de teſtibus, & horologijs; & ſufficit, quod plura non dent maiotem cettitudinem, quàm vnum.

5 Dubitari tamen poteſt, an poſſimus in eadem nocte ſequi modò vnum, modò aliud horologium: ita vt ſi ſit dies ieiunij, ad pulſum primi horologij poſſim eomedere carnes, ex eo quòd ſequenti die non ſit ieiuninm: deinde poſtquam comedi carnes, & ſonat alterum horologium, poſſim relinquere primum, & ſequi hoc poſterius, & tune ineipere ieiunium naturale pro ſumenda Eucharistia. Circa quam diffieultatem plura habet Lugo *citata disp. 15. de Euchar. ſect. 2. nu. 46. & ſequentib.*

6 Breuiter tamen reſpondendum eſt, Quòd poſſum ſequi modò vnum, modò alterum: ita vt ſi elegerim quòd primò ſonat, poſſim ipſum relinquere, & eligere alterum, quod ſequar: dummodò tamen facta prima electione, aut dies antecedens, aut ſubſeqnens non ponatur in poſſeſſione illius temporis, quod mediat intet pulſationem vnius horologij, & pulſationem alterius; quia ſi ponitur, iam illud tempus eſt pats illius diei, & vt talis teeepta; & quia fieri non poteſt, quòd non ſit pats illius diei, pro quo eſt iam teeepta vt pars (quia non poteſt non fuiſſe reeepta pro illo die) ideo ille dies, & conſeqnenter quæ ſunt affixa illi diei, ſunt in poſſeſſione illius partis; & qui habent ius ad ea, quæ ſunt affixa illi diei, habent etiam ius ad illam partem pro ijs, quæ ſunt affixa diei; & ideo non poteſt fieri muratio; quia hæc mutatio eſſet eum alieno præiudicio; nam poſſent defraudari præcepra, & obligationes;. Et ideo qui eligit primum hotologium, & manducanit carnes, quas antea non poterat manducare, iam incœpit diem ſequentem, qui eſt in poſſeſſione illius temporis: & ideo non poteſt ineipere ad pulſationem alterius hotologij ieiunium naturale pro ſumenda Eucharistia; quia ſi tunc vellet incipere diem, tolleret poſſeſſionem illius temporis ab Eccleſia, ad quod habet ius pro exigendo ieiunio naturali: cum iam ſit reeeptum illud tempus pro parte ſequentis diei: & fraudaretur præceptum de ieiunio ſequentis diei.

7 Ille antem dies ponitur in poſſeſſione tempotis intermedij inter pulſationem vnius, & alterius horologij, qni trahitur ad illnd tempus per exercitium alicuius operationis, quæ ſit annexa tali diei: ita vt debeat in tali die exerceri. Non eſt aut neceſſe, quòd trahatut ad illud tempus ſecùndum exercitinm, ſed ſufficit, ſi deſtinetur in illud tempus; quia facta tali deſtinatione, cum talis operatio ſit debita diei, eſt etiam debita illa pars temporis ratione operationis in ipſum translatæ, ſuppoſito quòd in alio tempore ſubſequente eiuſdem diei non poſſit exerceri.

An dubitans, an aliquid poſt mediam noctem deglutierit: ita vt dubium cadat ſupra comeſtionem, poſſit Euchariſtiam ſumere.

Deciſio CCCXL.

SVMMARIVM.

1 *Dubitans, an comederit, non poteſt, ſecùndum aliquos, ſumere Euchariſtiam.*
2 *Alij tamen aſſerunt poſſe ſumere. Qui ſequendi ſunt.*
3 *Præceptum non exigit quòd dubij de comeſtione abſtineant ab Euchariſtia.*
4 *Debet tamen deponi dubium practicum, vt poſſit in tali caſu ſumi Euchariſtia.*

1 NEgatiuè reſpondent Sanchez *lib. 2. de Matrimon. disp. 41. num. 40.* Villalobos *tom. 1. Sum. tract. 1. difficul. 21. nu. 6.* Faeundez *in Præcep. Eccleſ. lib. 3. de 3. Præcep. cap. 5. num. 18.* quia in dubio poſſeſſio eſt pro præcepto; & ideo cum ſit melior condirio poſſidentis, abſtinendum eſt ab Euchariſtia.

2 Affirmatiuam tamen ſententia tradunt Medina *in Sum. in Declarat. 3. Præcepti Eccleſiæ.* Layman. *lib. 1. Theol. Moral. tr. 1. cap. 5. §. 4. num. 36.* Sancius *in Select. disp. de Sacram. disp. 42. num. 9.* qui etiam eitat Summam Hiſpanam cniuſdam Lucij. Diana *par. 3. tract. 4. de Sacram. reſolut. 29. ver. Sed his non obſtantibus.* Lugo *disp. 15. de Euchar. ſect. 2. num. 42. & 43.* Et hæc ſententia tenenda eſt.

3 Ratio eſt, Quia quandin quis manet dubius, an aliquid comederit, non adeſt ſufficiens ratio, cut debeat ſe priuare Euchariſtia: cum alioquin habeat ius ad illam ſumendam; eatenus enim deberet ſe priuare, quatenus id exigeretur ex precepto Euchariſtiam eſſe primum eibum, hoc autẽ non exigitur ſtante dubio, an ſolutum fuerit ieiunium; quia exigẽtia certa non poteſt fundari in re incerta; vnde ſolùm exigit, quando eſt certum, quòd ieiu-

niuni

nium fuerit ſolutum; quia tunc vrget obligatio præcepti, & antequam ſit certum, non obligat: quia tantùm obligat eos abſtinere, qui non ſunt ieiuni.

4 Eſt tamen neceſſe, vt aduertit Sancius *citatus*, quòd ſtante dubio de comeſtione, deponatur dubium practicum, an liceat ſumere; quia, ſi quis dubitaret, an, ſtante dubio de comeſtione, liceat ſumere Euchariſtiam, & ſumeret cum tali dubio, operaretur cum conſcientia dubia, atque adeo peccaret.

An certus quòd comederit, vel biberit, dubius verò, an poſt mediam noctem, an ante, poſſit ſumere Euchariſtiam.

Deciſio CCCXLI.

SVMMARIVM.

1 *Certus quòd comederit, & dubius, an eadem die, non poteſt ſumere Euchariſtiam.*

2 *Quid certus de voto, & dubius, an in legitima ætate. Vide* num. 7.

3 *Certus quod comederit, & dubius, an poſt mediam noctem, poteſt ſumere Euchariſtiam.*

4 *Habet ius certum ſumendi, & debitum incertum abſtinendi.*

5 *Sola comeſtionis coniunctio cum præſenti die impedit ſumptionem Euchariſtiæ; quando eſt certa, & cur non impediat dubia.*

6 *Dubitans an comederit poſt mediam noctem, ſe habet vt reus, & contra ipſum eſt probandum quòd poſt mediam noctem comederit: vt debeat abſtinere ab Euchariſtia.*

7 *Certus de voto, & dubius an poſt ſeptenium emiſerit, non tenetur implere.*

Accedens cum dubio an ſit ieiunus ad Euchariſtiam, non ſe exponit periculo peccati.

NEgatiuam ſententiam tradunt ſimiliter ij, quos *Deciſ. præcedenti nu.* 1. pro priori ſententia citauimus. Quibus accedit Lugo *citata diſp.* 15. *de Eucharíſ. ſect.* 2. *nu.* 42. & 44. quia, inquit ipſe, in foro externo is, cui incumbit onus probandi, ſi maneat dubius, & non poſſit probare, condemnatur. Vnde etiam quando quis putet ſe comediſſe, & dubitat, an poſt mediam noctem, onus probandi, quòd non fuerit poſt mediam noctem, manet apud ipſum; quia comeſtio aufert ius ad communionem pro illa die.

2 Sic etiam certus quòd emiſerit votum, & dubitans, an ante, vel poſt ſeptennium; quia de voto conſtat, & non de excuſatione, vt ait Sanchez *in Decal. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 14. Et ſi debeo dare tibi ſingulis diebus aureum, & dedi hodie, & tu petas alterum, quando dubitatur, an ſit altera dies, debes tu probare, quòd ſit, & eſſe finitum priorem; quia de ſolutione conſtat, non de nouo die. Ita Lugo.

3 Oppoſitum tamen tenendum eſt cum Doctoribus, quos *Deciſ. præced. num.* 2. pro poſteriori opinione attulimus; ita vt etiam ſi ſit certa comeſtio, & dubium an fuerit poſt mediam noctem, poſſit adhuc Euchariſtiam ſumere.

4 Ratio autem eſt, Quia in tali caſu concurrit ius certum, quod vnuſquiſque habet ſumendi quacunque die Euchariſtiam, cum iure arcendi ab Euchariſtia, quod habet Eccleſia ratione comeſtionis poſt mediam noctem, ſeu debitū abſtinendi ab Euchariſtia ob eamdem rationem; hoc autem ius Eccleſiæ, ſeu debitum ex parte dubitantis eſt dubium: quia fundatur in eo, quòd comeſtio fuerit poſt mediam noctem; quod, cum ſit dubium, ſolùm poteſt fundare ius dubium, & debitum dubium. Concurrente autem iure dubio cum iure certo, aut debito dubio cum iure certo, debet certum dubio præferri etiam in foro externo iudiciali. Sic ſi quis debeat alicui centum, & debitum ſit certum, & ſolutio dubia, quia dubium ſit, an ſoluerit, tenetur adhuc ſoluere.

5 Deinde, Sola comeſtio non impedit communionem, ſed quia ſit facta in eadem die; vnde certitudo comeſtionis non facit ad impediendam communionem, niſi quatenus coniungitur cum eadem die: & proinde requiritur talis coniunctio; Neque ſimiliter, quando certum eſt tempus, & dubia comeſtio, impediri poteſt communio, niſi ratione coniunctionis eiuſdem diei cum comeſtione; vnde ſemper coniunctio eſt illa, quæ ponit impedimentum. Siue autem comeſtio ſit certa, & tempus incertum; ſiue certum tempus, & comeſtio incerta, eſt eadem ratio; quia ſeu per coniunctio comeſtionis cum eadem die, quæ eſt illa, quæ ponit impedimentum, eſt incerta; quia ſufficit incertitudo quòd ſe teneat ex parte cuiuſcunque extremi. Quare eſt eadem ratio in vtroque caſu; & ideo, ſi in vno non impeditur communio, neque impedietur in alio.

6 Atque id, quòd affert Lugo pro ſua opinione, retorqueri poteſt contra ipſum. Sequendo enim regulam fori iudicialis externi, ille condemnari debet, qui non probat, cum ipſi incumbat onus probandi. Iuxta autem eamdem regulam ſemper incumbit actori onus probandi contra reum. In caſu autem noſtro dubitans, an comeſtio ſit facta poſt mediam,

noctem, ſe habet vt reus; quia agitur de ipſo, an poſſit accedere, vel non accedere ad Euchariſtiam, & Eccleſia ſtat loco actoris; pertinet ergo ad Eccleſiam probare quòd non poſſit accedere; quod ſi non probetur, poterit dubitans vti ſuo proprio iure certo, & accedere.

7 Ad id, quòd adducit de voto, puto oppoſitum eſſe tenendum; quia licet emiſſio voti ſit certa, non tamen eius validitas: votum autem non eſt in poſſeſſione, vt obliget, niſi ratione validitatis: & ideo cum ſit incerta validitas, non eſt in poſſeſſione obligandi. E contra autem dubitans eſt in poſſeſſione ſui iuris, & ſuæ libertatis: cui per aliquid incertum præiudicari non poſſit, cum ipſa certa ſint. Alterum autem exemplum facit pro noſtra opinione; Quia ſicut in illo caſu non teneor ſoluere aureum, quia non conſtat de altera die: & petenti aureum incumbit probare quòd ſit incœpta altera dies; ita in caſu noſtro, cum comederim, & ſit dubium, an hac die, an verò præcedenti, non teneor abſtinere ab Euchariſtia; quia non mihi conſtat, an hac die comederim: & qui vult quòd abſtineam, debet probare quòd comeſtio ſit facta hac die.

5 Nec obſtat, quòd in tali caſu accedens ad Euchariſtiam ſe exponeret periculo accedendi non ieiunus, atque adeo peccandi. Præceptum enim ſolùm prohibet quòd quis non ieiunus accedat; non autem, quòd dubitans, an ſit ieiunus, non accedat; vnde cum quiſq; habeat ius accedendi, eo ipſo quòd ſibi non conſtat ſoluiſſe ieiunium, poteſt vti iure ſuo; nec vllo periculo peccandi ſe exponit: quia etiam ſi non eſſet ieiunus, non peccaret; quia accedit bona fide; & cum ſolutio ieiunij non ſit certa, non habet à quo impediatur, cum ſola certa ſolutio ieiunij poſſit impedire.

An ignorantia excuſet accedentes non ieiunos ad Euchariſtiam, etiam ſi ſint Sacerdotes.

Deciſio CCCXLII.

SVMMARIVM.

1 *Ignorantia excuſat accedentes non ieiunos ad Euchariſtiam.*
2 *Quando ignorantia, licet videatur craſſa, non ſit culpabilis.*
3 *Inaduertentia quoque excuſat accedentes non ieiunos ad Euchariſtiam.*

1 Contingere poteſt quòd perſonæ ſimplices, etiam ſi ſint Sacerdotes putent, quod ea, quæ non ſoluunt ieiunium Eccleſiaſticum neque etiam ſoluant ieiunium neceſſarium pro ſumenda Euchariſtia; & proinde ante ſumptionem Euchariſtiæ ſumant aliquid aromaticum, vel ad confortandum ſtomachum, vel ob bonum odorem &c. Dicendum eſt autem, hos excuſari à peccato, vt docent Caiet. *in ſum. verbo* Sacrament. Communio *capit.* 1. *ver.* 1. Armilla *verbo* Communio *num.* 2. Perſicus *lib.* 1. *De Offic. Sacerd. cap.* 3. *dub.* 6. *num.* 62.

2 Ratio eſt, Quia vbi non eſt voluntarium, ibi non eſt peccatum: & vbi eſt ignorantia, ibi non poteſt eſſe voluntarium; in iſto autem caſu ſupponitur ignorantia quòd ſumptio harum rerum ſoluat ieiunium ſeruandum ante ſumptionem Euchariſtiæ: & proinde is non accedit voluntariè cum impedimento ad ſumendam Euchariſtiam. Atque ignorantia (quamuis videatur craſſa, quia poteſt facilè expelli) non eſt tamen culpabilis: quia iſte talis putat ſe ſcire omnia, quæ debet ſcire in ordine ad ſumptionem Euchariſtiæ: & quod ſufficiat ieiunium, quale ipſe ſeruat, nec de oppoſito habet aliquod dubium.

3 Et quod dictum eſt de ignorantia, dicendum eſt etiam de inaduertentia, quando quis non aduertens ſe comediſſe, aut ſumpſiſſe aliquid medicinale, accedit ad ſumptionem Euchariſtiæ; quia eadem eſt ratio de inaduertentia, & de ignorantia, cum vtraque reddat actum inuoluntarium.

An, ſi quis ex inaduertentia poſt ſumptum aliquid cibi aut potus accedat ad Euchariſtiam ſumendam, & quando acceſſit, recordetur, ſe non eſſe ieiunium, poſſit nihilominus Euchariſtiam ſumere.

Deciſio CCCXLIII.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum humanum non obligat contra ius naturale.*
2 *Poteſt, quando qui acceſſit ad Euchariſtiam ſumendam recordatur ſe non eſſe ieiunium, adhuc ſumere, ſi recedendo generaret malam ſuſpicionem.*
3 *In tali caſu debet ſe regulare iuxta id, quod ſibi tunc rectum videtur.*

Reſp.

1 RESp. in hoc caſu concurrere præceptum Eccleſiaſticum cum iure naturali, quòd vnuiquiſq; habet tuendi, & conſeruandi propriam famam, & bonum nomen; quia autem nullum præceptum humanum obligat contra ius naturale, ideo, ſtante iure naturali ad conſeruandum bonum nomen, ceſſat præceptum Eccleſiaſticum.

2 Debet ergo conſiderari in caſu propoſito, an ita acceſſerit ad locum, in quo ſumenda eſt Euchariſtia, vt conſtet adſtantibus, ſe acceſſiſſe cum intentione ſumendi, & an ſi recedat, generabit malam ſuſpicionem ſui ipſius; tunc enim, ſi putat, ſe non poſſe recedere abſque eo, quòd generet malam ſuſpicionem ſui ipſius, concurrit naturale ius ad conſeruandum bonum nomen cum precepto humano Eccleſiaſtico, vnde ceſſat præcepti obligatio, & poterit, non obſtante quòd non ſit ieiunus, ſumere Euchariſtiam.

3 Quia tamen difficile eſt in tali caſu ferre rectum iudicium, præſertim ſi perſona non ſit valde prudens, & ſi oriatur aliqua perturbatio in mente, vt facilè oriri poteſt, ideo ſufficit, quòd faciat id, quod ſibi tunc expedire videbitur, & eſſe conforme rectæ rationi. Et licet poſtea mente ſedata, & ſe meliùs conſiderata, reperiat ſe malè feciſſe, non per hoc ſibi ſcrupulum facere debet; quia tantum malè fecit materialiter, non autem formaliter, & ideo non peccauit. Operatio enim debet dici mala, vel bona iuxta menſuram cognitionis, à qua dirigitur, & iuxta iudicium conſcientiæ, quod tunc habemus, quando operamur; non autem iuxta iudicium ſubſequens; quia hoc non variat operationem iam tranſactam.

An, ſi cibus non ſit digeſtus, poſſit nihilominus Sacerdos celebrare, & Laicus ſumere Euchariſtiam.

Deciſio CCCXLIV.

SVMMARIVM.

1 *Si cibus non ſit digeſtus non poſſe Sacerdotem celebrare, aliqui docent.*
2 *Sed oppoſitum eſt tenendum.*
3 *Non conſtat de obligatione expectandi digeſtionem pro celebranda Miſſa.*
4 *Antiquitus aderat præceptum de ſeruando ieiunio poſt Euchariſtiam, ſed eſt abrogatum.*
5 *Laicus poteſt ſumere Euchariſtiam, etiam ſi non digeſſerit cibum.*
6 *Poteſt Sacerdos celebrare in nocte Natalis etiam ſi paulò ante cœnauerit.*

1 NEgatiuè reſpondent Gloſ. *in Cap. Nihil 7. quæſ. 1. Verbo* Minimum fin. & *Cap. Ex parte de Celebrat. Miſſar. in fine.* vbi etiam Panor. *num.* 4. Item Gloſ. *in Cap. Si conſtiterit. de Accuſat. Verbo* Dormitione. vbi etiam Panor. *num.* 3. *&* 4. Felin. *num.* 4. Aureol. *in 4. diſt. 9. quæſ. 2. concluſ. 6. ver. Per quod patet.* Riccar. *diſt.* 8. *ar. 2. quæſ.* 3. Maiol. *lib. 3. de Irregular. cap. 24. num.* 2. Fundantur in Cap. *Tribus gradibus de Conſecrat. diſt.* 2. vbi habetur: Hunc ſacrum cibum non eſſe cum alijs prophanis miſcendum. Et in Cap. *Si conſtiterit de Accuſat.* vbi punitur presbyter, qui cum pernoctaſſet in taberna, ſequenti die, nulla præmiſſa dormitione, Miſſam cantauit.

2 Quod tamen cibus indigeſtus non impediat celebrationem, ſiue id proueniat ex nimia repletione, ſiue quia paulò ante ſumptus ſit, ſiue ex quacunque alia cauſa, tenendum eſt cum D. Th. *3. par. quæſ.* 80. *ar. 8. ad* 5. Durand. *in 4. diſt. 8. quæſ. 4. num.* 15. Palud. *quæſ. 2. ar. 3. concluſ.* 3. Gabr. *lect.* 10. *in Can. Miſſæ Littera* S. Syluester *Euchar. 3. quæſ. 7. num.* 9. Angel. *Verbo* Miſſa *nu.* 6. Nauar. *cap. 21. Manual. num.* 53. Sà *Verbo* Euchar. *num.* 28. Henriquez *lib. 8. de Euchar. cap. 49. num.* 3. Rodriquez *par. 1. Sum. cap. 66. concluſ. 3. in fine.* Tolet. *lib. 6. cap. 15. num.* 4. Sotus *in 4. diſt. 12. quæſ. 1. ar. 8. ad* 5. Azor. *par. 1. lib. 10. cap. 3. quæſ. 2. ver. Quæret quiſpiam.* Suarez *3. par. tom. 3. diſp. 68. ſect. 4. ver. Sed quid.* Vaſquez *diſp. 211. cap. 3. num* 33. *&* 34. Reginal. *lib. 29. Praxis. cap. 3. num.* 33. *&* 34. Perſicus *lib. 1. de Offic. Sacerd. cap. 3. dub. 6. num.* 64. Lugo *diſp. 15. de Euchar. ſect. 2. num.* 39.

3 Ratio eſt, quia non debet introduci obligatio, quando de ipſa non conſtat: non conſtat autem de alia obligatione quò ad cibum corporalem, quàm de ea, qua obligamur ita accedere ieiuni, vt nihil illa die cibi, vel potus ſumpſerimus.

4 Ad Cap. *Tribus gradibus num.* 1. allatum Reſp. ibi Pontificem loqui de cibo prophano ſumendo poſt ſumptam Euchariſtiam; & imponit præceptum ieiunandi etiam poſt ſumptam Euchariſtiam per aliquod tempus; quod tamen præceptum eſt abrogatum. Ille autem Clericus, de quo in Cap. *Si conſtiterit.* punitur, non quia cum cibo indigeſto celebrauerit, ſed ob irreuerentiam, & ſcandalum populi, dum è taberna iuit ad celebrandum.

5 Ex his colligitur, Quòd etiam Laicus ſumere poteſt Euchariſtiam, etiam ſi cibum non digeſſerit; quia in ratione cibi non habet aliam prohibitionem, aut præceptum, quàm illud, quod habent Sacerdotes.

tur ſolutum ieiunium naturale.

9 Pro oppoſita autem ſententia, quam ſuppreſſo nomine Auctoris referr Suarez *citatus* adſunt non contemnendæ rationes, quæ *in ſuperioribus* inſinuatæ ſunt. Et prima eſſe poteſt, Quòd ratione paruitatis materiæ non cenſeatur ſolui ieiunium naturale: & proinde poſt cibum, & potum in paruitate materiæ poſſit ſumi Euchariſtia, abſque mortali. Ideo enim non ſoluitur ieiunium Eccleſiaſticum, ſi per diem ſumatur aliquid cibi, qui ſit paruitas materiæ; quia cum non aduerſetur notabiliter fini ieiunij, qui eſt maceratio corporis: nec etiam notabiliter aduerſatur præcepto intendenti finem, nec rectæ rationi; Sed etiam id, quod cenſeri poteſt paruitas materiæ, reſpectu ieiunij naturalis, vt eſſet granum milij, non aduerſatur notabiliter fini pręcepti de ieiunio naturali, qui eſt ſubtrahere corpori alimentum corporale, quouſque anima recipiat ſpirituale; quia paruitas materiæ in ordine ad nutriendum non pręſtat effectus alicuius conſiderationis, cum non poſſit præbere aliquam ſubſtentationem; vnde moraliter cenſetur corpus non cibatum, quia non recepit cibum proficuum ſibi; vnde cenſebitur ieiunum, nec aduerſabitur notabiliter præcepto, & rectæ rationi.

10 Præterea. Tunc habet locum paruitas materiæ fundãs tantum peccatum veniale, quando diſſonantia ad rectam rationem non conſiſtit in materia ĩdiuiſibili, ſed diuiſibili; ſic quia diſſonantia ſurti cõſiſtit in ablatione rei alienæ, quæ poteſt eſſe maior, & minor, creſcit etiam & minuitur diſſonantia iuxta rem ablatam: & poteſt eſſe tam parua, vt fundet tantùm peccatum veniale. Et quia diſſonantia mendacij conſiſtit in eo, quòd verba diſcrepent à conceptu mentis: & hæc diſcrepantia poteſt eſſe in re graui, & leui, datur mendacium, quod ſit tantùm peccatum veniale ex leuitate materiæ. Sed etiam in caſu noſtro diſſonantia ad rectam rationem in comeſtione ante ſumptionem Euchariſtiæ conſiſtit in materia diuiſibili: quia conſiſtit in alimentatione corporis, præmiſſa alimentatione animæ, quæ poteſt eſſe maior & minor: & proinde etiam tam parua, vt non ſit alicuius conſiderationis, atque adeo non cenſeatur ſoluere ieiunium, nec irrogare irreuerentiam notabilem Euchariſtiæ.

11 Et hoc etiam habet locum, ſi dicatur quòd præceptum non prohibet cibum ante Euchariſtiam, ſed ſumptionem Euchariſtiæ poſt cibum: nam adhuc ſtante paruitate materiæ in cibo, ſumptio Euchariſtiæ non habet notabilem diſſonantiam ad præceptum, & rectam rationem. Diſſonantia enim conſiſtit in eo, quòd Euchariſtiæ non tribuatur prior locus, ſed ſumatur poſt cibum corporalem; vnde cum oriatur ex præceſſione cibi corporalis, debet æſtimari etiam ſecùndum quod æſtimatur talis præceſſio; quia ſumptio non fit irreuerens, niſi ratione præmiſſionis cibi corporalis; Ergo quando cibus corporalis non eſt, ratione paruitatis materiæ alicuius æſtimationis, ſed pro nihilo reputatur, ſumptio Euchariſtiæ non fit notabiliter irreuerens; quia cum tota irreuerentia reſoluatur in cibum, qui præceſſit, erit maior, aut minor, prout ſolutio ieiunij naturalis, ſeu alimentatio corporis erit maior, aut minor, & proinde etiam leuis, quando erit leuis, & nullius conſiderationis alimentatio ipſa.

12 Rurſus, quod non ſumitur per modum cibi, & potus non ſoluit ieiunium naturale, vt omnes communiter docent: non alia ratione, niſi quia non interuenit manducatio, aut potatio, & ieiunium tantùm ſoluitur per manducationem, & potationem; ſed poſita paruitate materiæ non interuenit moraliter mãducatio, aut potatio, nec quod ſumitur, ſe habet moraliter per modum cibi, aut potus; quia de ratione cibi, aut potus eſt, quod ordinetur ad alimentationem corporis; vnde quando non poteſt præſtare hunc effectum, non cenſetur moraliter cibus, aut potus: quia caret illa virtute, per quam cibus conſtituitur in eſſe cibi: paruitas autem materiæ facit, quòd non poſſit præſtare hunc effectum, quia prius reſoluitur, quam conuertatur in ſubſtantiam viuentis: aut ſi conuertitur, eſt inſenſibilis talis conuerſio, & ideo pro nihilo reputatur. Quare cum ſecùndum moralem æſtimationem non interueniat manducatio, aut potatio, nec etiam ſecùndum moralem æſtimationem ſoluetur ieiunium naturale.

13 Hæc quidem, & alia quæ poſſent adduci probabilem faciunt hanc opinionem, non tamen audeo aliquid determinare, & lector meliùs poterit rem ponderare: non tamen aſſentior Patri Dianæ citato dicenti hanc ſententiam eſſe improbabilem. Imò Ildephonſus Rodriquez apud Grancdum *3.par. de Sacram. controuer. 6.tract. 10.diſp. 8.num.* 8.ait, aquam, quam putamen auellanæ capit, eſſe minimam.

A quo-

A quonam tempore debeat incipere ieiunium naturale pro ſumenda Euchariſtia.

Deciſio CCCXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Quando Eccleſia incipiat diem, & quãdo ex eius præcepto debeat incipere ieiunium pro ſumenda Euchariſtia.*
2 *Præceptum, quod Euchariſtia à ieiunis ſumatur, eſt vniuerſale obligans totam Eccleſiam.*
3 *Quid dicendum de regionibus, in quibus per aliquos menſes eſt continua nox, aut continuus dies.*
4 *In his regionibus eſt ſeruandum præceptum ſecundum capacitatem illarum.*
5 *Quomodo præfigendi ſint termini in his regionibus, à quibus incipiat ieiunium in ordine ad Euchariſtiam ſumendam.*
6 *Quid dicendum de regionibus, in quibus nox eſt breuiſſima, ſi non ſoleant negotia protrahi in noctem.*
7 *Quid ſi negotia ſoleant protrahi in noctem, an, & quomodo obliget præceptum.*

1 ECcleſia incipit diem à media nocte, & ducit in aliam mediam noctem ſubſequẽtem; ideo autem incipit à media noctr; quia tunc ſol incipit aſcendere ad noſtrum Orizõtem, & proinde incipit etiam motus Solis allatiuus diei. Vnde præceptum naturale ieiunium in ordine ad ſumptionem Euchariſtiæ pro illa die, in qua eſt ſumenda, vſque dum ſumpta fuerit, debet conſequenter incipere à media nocte antecedente: vtpote quia tunc incipit dies, in qua eſt ſumenda. Atque ita communis conſuetudo Eccleſiæ interpretatur, & tradunt communiter cum D. Thom. *3. par. quæſt.* 80. *art.* 8. *ad* 5. Sotus *in* 4. *diſtin.* 12. *quæſt.* 1. *art* 8. *ad* 5. Durand. *diſt.* 8. *quæſt.* 4. *num.* 15. Palud. *quæſt.* 2. *art.* 3. *concluſ.* 2. Caietan. *in ſum. verba* Sacramentali Communio *ver. Secundum.* Armilla *num.* 2. Angel. *Euchariſtia* 3. *quæſt.* 3. *num.* 15. Sylueſt. *quæſt.* 7. *num.* 9. Tabiena *verbo* Communicare *quæſt.* 46. §. 52. D. Antonin. *3. par. tit.* 13. *cap.* 6. §. 8. Nauarr. *capit.* 21. *Manual. num.* 53 Rodriquez 1. *par. ſum. cap.* 66. *concluſ.* 3. *in fine* Tolet. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 2. Azor. 1. *par. lib.* 10. *capit.* 30. *quæſt.* 2. *ver. Quæres quiſpiam* Reginald. *lib.* 29. *Prax. Fori Pænit. cap.* 6. *num.* 118. Facundez *par.* 3 *lib* 3. *præcep.* 3. *capit.* 5. *num.* 17. Gaſpar Hurtad. *diſp.* 9. *de Euchariſt. difficult.* 15. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 68. *ſect.* 4. *concluſ.* 3. Vaſquez *tom. item* 3. *diſp.* 211. *cap.* 3. *num.* 32. Valent. *tom.* 4. *diſp.* 6. *quæſt.* 8. *punc.* 3. *ver. Sed cum hoc.* Henriquez *lib.* 8. *de Euchariſt. cap.* 49. *num.* 2. & *in Gloſa litter. M.* & *P.* Perſicus *lib.* 1. *de Offic. Sacerd. cap.* 3. *dub.* 5. *num.* 49. Lugo *diſp.* 15. *de Euchar. ſect.* 2. *num.* 40.

2 Aduertendum autem eſt, Quia hoc præceptum eſt impoſitum ab habentibus iuriſdictionem ſupra totam Eccleſiam vniuerſalem, nempe à Pontificibus, & Concilijs generalibus, obligat etiam totam Eccleſiam: præſertim quia vniuerſaliter loquitur, nec aliquam regionem excipit, aut aliquas perſonas; omnis namque lex obligat ſubditos legislatoris.

3 Difficultas tamen eſt, quid dicendum de illis regionibus, in quibus per ſex menſes anni eſt perpetua nox, & per alios ſex perpetuo dies, nempe ab vno æquinoctio in alterum, vt contingit in regionibus prope polum Arcticum. Perſicus *citatus* ait nondum eſſe aliquid determinatum pro his regionibus, ſed opus eſſe lege Eccleſiaſtica, quæ diuidat dies proportionatos noſtris diebus Eccleſiaſticis naturalibus aliquo modo artificiales, deſignando principium, & finem. Quod etiam tenet Rubeus *in ad not. ad rubricas Miſſalis capi.* 9. *num.* 1. *ver. Secundo petes,* & Alphonſus de Leone *De Offic. Capell. quæſt.* 8. *ſect.* 17. *num.* 141.

4 Ego tamen exiſtimo non eſſe opus hac regula, ſed præceptum eſſe ſeruandum ſecundum capacitatem conſuetudinis illius regionis; Quia enim in noſtris regionibus in media nocte abſoluuntur communiter quæ ſpectant ad illum diem, & præſertim comeſtio, & corpus traditur quieti: & ideo Eccleſia præcipit ſeruandum ieiunium à media nocte: vt ab illo tempore, in quo communiter eſt abſoluta comeſtio præcedentis diei, & cœtera omnia, quę pertinent ad talem diem.

5 In illis ergo regionibus tam quando durat perpetuus dies, quàm perpetua nox, neceſſe eſt quòd habeant certos terminos, in quibus ceſſent ab operando, & tradant corpus ſomno, & quieti, quæ abſolutè eſt neceſſaria pro ipſius conſeruatione: & quòd infra vnum, & alterum terminum quietis ſumant ſufficiens alimentum pro ſuſtentatione corporis. Erit ergo notandus ille terminus, in quo apud omnes regulariter loquendo ſolet incipere quies, & claudi vnicus periodus operationũ, quæ ſolent exercere, & habendus pro termino mediæ noctis, in quo incipiat ſubſequens dies, ſeu nouus periodus: & ab ipſo opus erit incipere ieiunium naturale pro ſumptione Euchariſtiæ.

6 Rurſus dubitari poteſt, quid dicendum pro illis regionibus, in quibus tempore æſtatis nox eſt breuiſſima, vt ſunt nonnullæ regiones Boreales, an ibi quoque debeat ieiunium iſtud

incipere

incipere à media nocte. Reſpondeo, quòd ſi non adſit conſuetudo protrahendi negotia dici in noctem, & regulariter ſumatur cibus vltimus illius diei ante mediam noctem, & corpus ante ipſum regulariter tradatur quieti, debet ſeruari ieiunium à media nocte, vt poſſit ſumi Euchariſtia; quia poteſt commodè ibi ſeruari præceptum, ſicut ſeruatur apud nos.

7 Si verò negocia protrahantur in noctem, ita vt ante mediam noctem non ſit regulariter ſumptus vltimus cibus, tunc non debet ieiunium incipere à media nocte, ſed ſecùndum capacitatem conſuetudinis regionis. Quia præceptum Eccleſiaſticum, quale eſt illud, non obligat, niſi ſecùndum capacitatem obligationis, quæ induci poteſt, moraliter autem non poteſt induci obligatio ieiunij à media nocte, ſtante illa conſuetudine: quę nõ eſt auferenda, cum de ſe non ſit mala: præſertim quia adhuc præceptum ſeruari poteſt, & obtineri finis ipſius, nempe reuerentia erga ſacramentum. Obſeruandum ergo erit ille terminus, in quo regulariter claudi ſolent negocia diei, & corpus refectum tradi quieti, ſumẽdo illud vltimum, in quo ſolent omnea hæc compleuiſſe, & habendus pro initio, in quo incipiat naturale ieiunium.

An ſi in aliqua Prouincia eſſet diuerſa conſuetudo ſumendi initium diei poſſet licitè ſeruari in ordine ad ieiunium naturale ſeruandum pro ſumptione Euchariſtiæ.

Deciſio CCCXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Non eſſe ſeruandam conſuetudinem aliter incipiendi diem in ordine ad ieiunium naturale pro Euchariſtia, qui doceant.*
2 *Eſſe ſeruandam, ſi adſit approbatio Eccleſiæ alij docent.*
3 *Præceptum de ieiunio præcedente Euchariſtiam eſt ſeruandum, ſicut eſt iam introductum.*
4 *Lex non obligat, niſi eo modo, quo eſt introductu: præſertim ſi adhuc obtineatur finis.*
5 *Præceptũ de ieiunio requiſito ad Euchariſtiam obligat pro die, in quo eſt ſumenda nõ autem, quòd dies incipiat hac, vel illa hora.*
6 *Si præceptum hoc ſit de nouo introducendum, eſt habenda ratio conſuetudinis regionis.*
7 *Finis huius præcepti ſaluatur quacunque hora incipiat dies, ſi ab inceptione vſque ad ſumptionem non ſumatur cibus.*

1 TAlem conſuetudinem non eſſe ſeruandam, ſed ſemper ieiunium incipiendum eſſe à media nocte docet Henr. *lib. 8. de Euchar. c. 49. num. 2. & in Gloſ. littera M.*

2 Alij verò inquiunt, quod ſtandum eſt conſuetudini, ſi Eccleſiæ decreto ſit recepta. Ita Sotus *in 4. diſt. 12. quæſt. 1. artic. 8. ad 5. in fine* Valent. *tom. 4. diſput. 6. quæſt. 8. punc. 2. ver. Sed cum hoc.* Suarez *3. par. tom. 3. diſp. 68. ſect. 4. concluſ. 3.* Perſicus *lib. 1. de Offic. Sacerd. cap. 3. dub. 5. num. 49.* Quod quidem nullam difficultatem patitur, quia Eccleſia poteſt declarare, immutare, reſtringere, & tollere propria præcepta.

3 Sed difficultas eſt, quando adeſt conſuetudo, & non adeſt aliqua approbatio, vel declaratio Eccleſiæ. In quo caſu exiſtimo diſtinguendum eſſe. Vel enim agimus de præcepto iam introducto ſecùndum conſuetudinem regionis; vel de præcepto de nouo introducendo. Si præceptum ſit introductum: tunc, quia leges poſitiuæ, etiam Eccleſiaſticæ, non obligant, niſi quatenus ſunt in vſu, huiuſmodi præceptum non obligat, niſi ſecùndum quod introductum eſt, habita ratione conſuetudinis regionis, præſertim quia iam adeſt conſuetudo ſeruandi tali pacto præceptum; & cum conſuetudo legem interpretetur, non debet cenſeri quòd aliter obliget, quàm ſe-

4 cùndum modum, quo eſt in vſu. Quod præſertim eſt verum, quia parum refert ad finem præcepti, quòd hoc vel illo modo ſeruetur, dummodo finis obtineatur, qui in caſu noſtro eſt reuerentia erga Sacramentum.

5 Deinde, Secundum ſubſtantiam habetur obſeruantia præcepti: quia non obligat præceptum niſi ad ieiunium pro illa die, in qua eſt ſumenda Euchariſtia vſq; ad tempus ſumptionis: non autem, quòd dies incipiat hac, vel illa hora; & ideo ſufficit ad ſubſtantiam obſeruationis, quod ſeruetur ieiunium ab illa hora, à qua incipit dies.

6 Si verò de nouo introducendum vt præceptum, & contingere poteſt in ijs regionibus, in quibus miſſionarij diſſeminant catholicam fidem, puto non eſſe alienum à mente legiſlatoris, ſeu Eccleſiæ, quòd introducatur eo modo, quo poteſt, habita ratione regionis, & conſuetudinum ipſius; eſſet enim nimis difficile conuellere conſuetudinem, quæ in ordine ad lumen naturale non eſt mala; vnde etiam redderet difficilẽ introductionem præcepti.

7 Ratio eſt, Quia finis legis eſt menſura obligationis ipſius; vnde ceſſante fine, ceſſat etiam lex, & ideo non plus obligat, quam neceſſarium

ceſſarium ſit ad aſſequendum finem. Finis autem præcepti de ieiunio naturali ſeruando pro illa die, in qua eſt ſumenda Euchariſtia, vſque ad ſumptionem ipſius, eſt reuerentia exhibenda ſacramento: vt ipſum ſit primus cibus illius diei. Hoc autem obtinetur introducendo præceptum de ieiunio iuxta conſuetudinem regionis; quia ſi ante ſumptionem Euchariſtiæ ſeruetur ieiunium incipiendo ab illa hora, in qua iuxta conſuetudinem regionis incipit dies, adhuc erit primus cibus ipſa Euchariſtia, & eadem reuerentia exhibebitur ſacramento. Præſertim, quia in tantùm apud nos præcipitur ieiunium à media nocte, in quantum tunc apud nos incipit dies naturalis.

An ieiunium neceſſarium pro ſumptione Euchariſtiæ debeat incipere à primo pulſu horæ deſignantis madiam noctem, ita vt ſi quis aliquid comedat, dum ſonant alij pulſus, non poſſit ſumere Euchariſtiam.

Deciſio CCCXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *A primo pulſu horæ deſignantis mediam noctem debere incipere ieiunium pro Euchariſtia.*
2 *Hora non completur niſi quando ſonuerunt omnes pulſus.*
3 *Quomodo horologium ſit tantùm teſtis.*
4 *Non indicat complementum horæ niſi vltimo pulſu.*
5 *Tempus inceptionis huius ieiunij menſuratur moraliter, non mathematicè.*
6 *Præceptum non obligat, niſi prout moraliter ſeruari poteſt.*
7 *Eccleſia præcipit ieiunium ſolùm à media nocte: vnde vſque ad ipſam protrahi poteſt comeſtio.*
8 *Dimidium mediæ noctis non poteſt mathematicè menſurari.*
9 *Cur Eccleſia non poſſit nos obligare, vt in ſumendo dimidio noctis nos conformemus horologijs.*
10 *Exigua pars temporis poſt mediam noctem poteſt computari pro media nocte.*
11 *Comeſtio continuata per modicum tempus poſt mediam noctem trahit ad diem antecedentem illud modicum temporis.*
12 *Modicum tempus poſt mediam noctem, in quo comedatur, vt parua materia, non vitiat ieiunium ſequentis diei.*
13 *Paruitas materiæ in tempore celebrationis, in ætate requiſita ad matrimonium, ad ordines, in egreſſu, & ingreſſu clauſuræ.*
14 *Quantum temporis poſt mediam noctem ſumi poſſit pro parua materia in ordine ad ieiunium.*

1 Quod ſtatim à primo pulſu horę deſignantis mediam noctem, debeat incipere ieiunium pro Euchariſtia ſumenda, ita vt ſi tunc quis bibat, & continuet, etiam ſi quando ſonat vltimus pulſus finierit, non poſſit Euchariſtiam ſumere, docent Sanchez *tom. 1. de Matrim. diſp. 41. num.* 40. Facundez *in Præcep. Eccleſ. par. 3. de 3. Præcep. lib. 1. cap. 10. nu.* 3. Io. Sancius *in Select. diſp. de Sacram. diſp. 42. num.* 20. Villalobos *par. 1. Sum. tract. 1. difficul. 21. num.* 8. Diana *par. 3. tract. 4. de Sacram. reſol. 36. ver. Notandum eſt.* Alphonſus de Leone *de Offic. Capel. quaſ. 8. ſect. 17. num.* 140. Præpoſit. *in 1. 2. quaſ. 19. ar. 6. dub. 5. num.* 8. Lugo *diſp. 15. de Euchar. ſect. 2. nu.* 37. Qui addit, quòd quando ante pulſus deſignantes horas ſonant etiam pulſus deſignantes quadrantes horæ, tunc ad primum pulſum horum quadrantium debet incipere ieiunium, ita vt poſt ipſum non poſſit aliquid ſumi, etiam ſi ſumatur antequam ſonent pulſus horæ.

2 Quod tamen mihi non placet; quia licet illa rota, quæ pro quadrantibus mouetur, ſit diuiſa in quattuor partes æquales ſecundùm ſpacia quattuor quadrantum, non tamen quādo pertranſitur quartum ſpacium rotæ eſt hora completa, ſed tantùm quando ſonuerunt etiam omnes pulſus horam indicantes; quod ex eo patet, quia motus rotarum pro hora ſubſequenti non incipit niſi poſtquam omnes pulſus omnium campanarum ſonuerunt: & conſequenter neque etiam, niſi tunc, incipit hora ſubſequens; hora autem præcedens, durat quouſque incipiat ſubſequens: alioquin daretur aliquod tempus, quod non eſſet pars alicuius horæ, nempe tota illa ſpacia, in quibus campanæ ſonant.

3 Fundamentum huius opinionis eſt, Quia horologium eſt tantùm teſtis indicans horam eſſe completam: & ideo quando auditur primus pulſus, iam eſt hora expleta, & per accidens eſt, quòd alij ſubſequantur, quia nimirum non poteſt indicari complementum cuiuslibet horæ vnico tantùm pulſu.

4 Quod tamen fundamentum non mihi videtur magni faciendum, facilè enim corruit, ſi dicatur, quòd horologium, quando ſonandi ſunt plures pulſus, incipit indicare complementum horæ antequam ſit completa, ita vt ſolus vltimus pulſus indicet completam: quia nimirum non poteſt hora eſſe completa, vt modò dicebamus, niſi quando immediatè incipit

cipit hora ſubſequens, incipit autem ſolùm ſonato vltimo pulſu. Quod etiam probabile putat Breſſetus *lib. 4. de Conſcient. cap. 11. num.* 107.

5 Itaqne hæc opinio mihi ſemper rigoroſa viſa eſt, nec puto in rebus moralibus mathematicè procedendum eſſe, ita vt tempus mathematico modo menſurari debeat; ſed ſufficere, ſi moraliter menſuretur; ita vt in ijs, quæ pertinent ad priorem, vel ſubſequentem diem, parum referat, ſi pro aliquo exiguo tempore anticipetur, vel poſt ponatur; vnde etiam parum referet, ſi ieiunium naturale incipiat paulò poſt à media nocte.

6 Moueor autem, quia nullum præceptum obligat, niſi quatenus moraliter eſt poſſibile adimpletio ipſius: & ideo exigitur obſeruantia cum proportione, & menſura ad conſuetũ, & regularem modum operandi humanum. Et hoc eſt principium omnino certum, ſecùndum quod eſt menſuranda obligatio; cuiuſcunque legis, & præcepti; alioquin lex eſſet intolerabilis, quia moraliter eſſet impoſſibilis obſeruantia ipſius. Vnde Tridentinum *ſeſ. 6. cap. 11. De Iuſtificat.* Loquens de diuinis præceptis, ait; *Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet, & facere quod poſſit, & petere quod non poſſis, & adiuuat, vt poſſis. Cuius mandata grauia non ſunt, cuius iugum ſuaue eſt, & onus leue.*

7 Certum eſt etiam, quòd Eccleſia præcipit ieiuniũ incipiens à media nocte naturali, quæ tunc eſt quando Sol incipit aſcendere ad noſtrum hemiſpherium: & ex vi huius præcepti non obligantur anticipare comeſtionem, ita vt ſit completa ante mediam noctem, ſed poteſt protrahi vſque ad dimidium noctis; & proinde relinquit menſurandum dimidium noctis eo modo, quo poteſt menſurari.

8 Eſt autem impoſſibile moraliter loquendo ita menſurare hoc dimidium noctis, vt non contingat aliquis error circa aliquam exiguã partem temporis ante, vel poſt mediam noctem; quia eſt impoſſibile habere inſtrumenta ita perfecta, quæ exactè correſpondeant motui ſolis; Ergo erit etiam impoſſibile obſeruare præceptum ita exactè, vt ſtatim à vera media nocte incipiat obſeruantia ipſius.

9 Neque etiam poteſt Eccleſia nos obligare, vt nos conformemus horologijs; Tum quia hæc non ſunt obuia vnicuique, vt per ipſa poſſit ſe regulare; vt contingit in oppidis, & villis, & etiam in ciuitatibus: quia non vbique per totam ciuitatem audiuntur pulſus horarum; Tum quia eſt moraliter impoſſibile ſemper attendere ad pulſus horarum; Tum quia in aliquibus regionibus, vt in Italia, medium noctis nõ deſignatur aliquo pulſu horarum, cum, vt plurimum contingat infra ſpacium alicuius horæ: Tùm quia in Italia in aliquibus locis horologia diuerſimodè procedunt; nam vigeſima quarta hora ſonat cum ipſo ſolis occaſu, vt Venetijs: in aliquibus autem locis cũ horæ dimidio poſt occaſum Solis: vnde cum eodem modo obſeruandum ſit præceptum ab omnibus, non tamen eodem modo menſurari poteſt tempus, in quo incipiat obligatio; & proinde impoſſibile eſt, ſequi ductum horologij ad vnguem; & proinde nec obligabit præceptum ad ſequendum ita exactè, vt nulla ſit diſcrepantia ab ipſo.

10 Cum igitur non poſſit tempus mediæ noctis exactè obſeruari, nec etiam quatenus benè, vel malè indicatur ab horologijs, vt conſtat ex dictis: remanet quòd præceptum non obliget ad exactè obſeruandam mediam noctem quocunque modo nobis innoteſcat: ſed quòd ſufficiat, quòd moraliter ieiunium incipiat à media nocte, ſeu ab illo tempore, quod moraliter habetur medium noctis: atque adeo; quòd ex ipſa pars temporis poſt medium noctis mathematicum computetur pro ipſo medio noctis; ita vt etiam ſi poſt medium noctis mathematicum, aut, vt indicatum per horologia, comedatur, aut bibatur, dummodò per exiguum tempus id fiat, poſſit adhuc cẽſeri ieiunium incipere à media nocte.

11 Præterea. Si continuetur comeſtio poſt exiguum tempus poſt mediam noctem etiam indicatam per horologia, ſicut comeſtio eſt diei præcedentis, ita etiam parum illud tempus, quo continuatur, trahitur ab ipſa comeſtione, vt ab operatione diei præcedentis, vt moraliter cenſeatur tempus diei præcedentis; quia cum non ſit dies præcedens ſeparandus mathematicè à die ſubſequenti, ſed tantùm moraliter, poteſt operatio diei præcedentis trahere ad ſe aliquid modicum de die ſubſequenti, & facere quòd fiat ſeparatio, completa operatione.

12 Denique hìc habet locum etiam paruitas materiæ: ratione cuius cenſeri poteſt non ſolui ieiunium naturale illius diei; quia ad modicum initium ipſius protrahitur comeſtio præcedentis diei. Tunc enim datur paruitas materiæ excuſans ſaltem à mortali, quando materia, quæ eſt obiectum præcepti, eſt diuiſibilis: quia tunc exigua portio huius materiæ non fundat grauem diſſonantiam ad rectam rationem & præceptum, nec tollitur ſubſtantia rei præceptæ, ſed ad ſummum ſecùndum quid. Sic exigua comeſtio carnium in die ieiunij, exercitium operis ſeruilis per exiguum tempus in die feſto, anticipatio comeſtionis in exiguo tempore ante meridiem in die ieiunij, & alia huiuſmodi, ratione paruitatis materiæ excuſant à mortali, & etiam à veniali, ſi adſit aliqua cauſa. Vnde cum præcipiatur ieiunium naturale pro toto tempore illius

lius diei, quod antecedit Euchariſtiam, ſi aliquod exiguum de hoc tempore detrahatur, ita vt non incipiat ſtatim à media nocte, erit paruitas materiæ de tracta de tempore illius diei: quæ non erit computanda.

13 Sic etiam, vt docet Lugo *diſp.20. de Euchar. ſect. 1. num. 37.* quando pro termino celebrandi Miſſam aſſignatur meridies, & aurora, debet iſte terminus intelligi moraliter: ita vt non ſit peccatum anticipare auroram per modicum tempus, aut protrahere vltra meridiem; quod etiam docent alij communiter. Item in ætate requiſit. & præſcripta ad matrimoniũ datur paruitas materię: vt tradunt Hoſ. *in Cap. Puberes n. 5. De ſponſalib. impub.* Ledeſ. *in 2. par. 4. quæſt. 60. art. 1.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſp. 104. num. 2. & 3.* per quos ſufficit accedere prope terminum præſcriptum. Sic etiam in ordine ad ordines ſuſcipiendos, vt cum alijs tradit Diana *par. 5. tract. 5. Reſol. 17. ver. Nota tamen*, ita vt ſufficiat proximus acceſſus ad terminum præſcriptum, vt poſſit quis ordines ſuſcipere. Item in egreſſu, vel ingreſſu clauſuræ datur paruitas materiæ: vnde ingredi, vel egredi per duos paſſus erit leuis materia: vt cum alijs tradit idem Diana *par. 5. tract. 5. Reſolut. 22.*

14 Dubitari tamen poteſt, quantum temporis in tali caſu poſſit haberi pro minimo. Reſp. debere eſſe ſolùm tantum, quantum detrahi poteſt à ſubſequenti die, ita tamen vt adhuc dies cenſeatur moraliter integer; alioquin ſi non cenſeretur integer, neque etiam cenſeri poſſet quòd eſſet ſeruatum ieiunium pro illa die. Hoc autem non debet eſſe aliqua integra hora, quia cum quælibet hora ſit pars integralis diei, ſi vna deficiat non erit dies integer.

An quando adſunt plura horologia liceat ſequi, quod libuerit in ordinando ieiunio pro ſumptione Euchariſtiæ.

Deciſio CCCXXXIX.

SVMMARIVM

1 *Sequendum primum horologium in ordinando ieiunio pro ſumptione Euchariſtiæ qui doceant.*

2 *Oppoſitum eſt tenendum.*

3 *Horologia non ſe habent, vt opiniones probabiles, ſed vt teſtes.*

4 *Vnum horologium, aut plura ſimul pulſantia non faciunt tempus magis probabile, quàm faciat aliud ante, vel poſt pulſans.*

5 *An in eadem nocte poſſimus ſequi modò vnum horologium, modo aliud.*

6 *Poſſum ſequi modo vnum, modo alterum horologium in eadem nocte, niſi antecedens vel ſubſequens dies ponatur in poſſeſſione temporis, quod mediat inter pulſationem vnius, & alterius horologij, & cur in tali caſu non poſſit fieri mutatio.*

7 *Quanam dies ponatur in poſſeſſione illius temporis intermedij.*

1 NEgatiuè reſpondent Salas 1. 2. *tractat. 8. diſp. vnica ſect. 25. num. 264.* Rodriquez *tom. 1. ſum. nouæ editionis cap. 105. num. 6.* Sed volunt ſequendum eſſe horologium, quod primò pulſat; pro quo tamen nullam rationem afferunt.

2 Quare tenenda eſt ſententia affirmatiua cum Sanchez *lib. 2. de Matrimon. diſp. 41. num. 40. ver. Quod ſi diuerſa* Facundez *præcep. 4. Eccl. lib. 1. cap. 10. num. 3.* Sancio *in ſelect. de Sacram. diſp. 42. num. 18.* Villalob. *tom. 1. ſum. tractat. 1. difficul. 21. num. 7. ver. Item ſi ay diuerſos.* qui citat etiam Vegam *lib. 3. ſum. capit. 213.* Diana *par. 3. tract. 4. Reſol. 36. ver. ſed mihi* Lugo *diſp. 15. de Euchariſt. ſect. 2. num. 45.* quia, inquiunt, quòd plura horologia ſe habent vt plures opiniones probabiles: ex opinionibus autem probabilibus poſſum eligere quã volo. Quod tamen limitant, ſuppoſito quòd non conſtet de errore vnius, aut alterius horologij; neque enim poſſumus ſequi illud, quòd conſtat errare.

3 Hoc tamen mihi difficile videtur; Quia horologia indicant tantùm tempus: & dum indicant, ſe habent vt teſtes teſtificantes de tempore: & proinde ſe tenent ex parte facti, de quo veluti deponunt, & non ex parte iuris: opinio autem probabilis ſe tenet ex parte iuris: ex parte autem facti, non poſſum ſequi quamcunque probabiliorem, ſed debeo ſequi, quod probabilius eſt.

4 Itaque horologia omnino accipienda ſunt tanquam teſtimonia teſtantia de tempore; & quia ſicut teſtimonia ſingularia, vnum non facit factum magis probabile, quàm faciat alterum; & proinde poſſum ſequi, ſi non conſtet de errore, quodcunque illorum; quod etiam verum eſt licet plura ſimul ſonent; quia non per hoc dant maiorem certitudinem de tempore: cum experientia conſtet, quòd aliquando vnum magis accedit ad indicandum verum tempus, quàm plura ſimul. In tantum enim plures teſtes conteſtes faciunt maiorem certitudinem, quia ſinguli ſupponuntur habere ſuam cognitionem, & veracitatem indepen-

dentet ab alijs: horologia autem indicant, vt regulantur, & multoties etiam deflectunt à regula, & ij, à quibus regulantur, non habent, vt pultimum, exactam cognitionem temporis: & fieri poteſt quòd ille, qui regulat illud, quod ſeorſim ab alijs ſonat, habeat de tempore cognitionem magis exactam, & proinde meliùs regulet; & ideo quò ad hoc non eſt eadem ratio de teſtibus, & horologijs; & ſufficit, quod plura non dent maiorem certitudinem, quàm vnum.

5 Dubitari tamen poteſt, an poſſimus in eadem nocte ſequi modò vnum, modò aliud horologium: ita vt ſi ſit dies ieiunij, ad pulſum primi horologij poſſim comedere carnes, ex eo quòd ſequenti die non ſit ieiunium: deinde poſtquam comedi carnes, & ſonat alterum horologium, poſſim relinquere primum, & ſequi hoc poſterius, & tunc incipere ieiunium naturale pro ſumenda Euchariſtia. Circa quam difficultatem plura habet Lugo *citata disp. 15. de Euchar. sect. 2. nu. 46. & ſequentib.*

6 Breuiter tamen reſpondendum eſt, Quòd poſſum ſequi modò vnum, modò alterum: ita vt ſi elegerim quòd primò ſonat, poſſim ipſum relinquere, & eligere alterum, quod ſequar: dummodò tamen facta prima electione, aut dies antecedens, aut ſubſequens non ponatur in poſſeſſione illius temporis, quod mediat inter pulſationem vnius horologij, & pulſationem alterius; quia ſi ponitur, iam illud tempus eſt pars illius diei, & vt talis recepta; & quia fieri non poteſt, quòd non ſit pars illius diei, pro quo eſt iam recepta vt pars (quia non poteſt non fuiſſe recepta pro illo die) ideo ille dies, & conſequenter quæ ſunt affixa illi diei, ſunt in poſſeſſione illius partis; & qui habent ius ad ea, quæ ſunt affixa illi diei, habent etiam ius ad illam partem pro ijs, quæ ſunt affixa diei; & ideo non poteſt fieri mutatio; quia hæc mutatio eſſet cum alieno præiudicio; nam poſſent defraudari præcepta, & obligationes; Et ideo qui eligit primum horologium, & manducauit carnes, quas antea non poterat manducare, iam incœpit diem ſequentem, qui eſt in poſſeſſione illius temporis: & ideo non poteſt incipere ad pulſationem alterius horologij ieiunium naturale pro ſumenda Euchariſtia; quia ſi tunc vellet incipere diem, tolleret poſſeſſionem illius temporis ab Eccleſia, ad quod habet ius pro exigendo ieiunio naturali: cum iam ſit receptum illud tempus pro parte ſequentis diei: & fraudaretur præceptum de ieiunio ſequentis diei.

7 Ille autem dies ponitur in poſſeſſione temporis intermedij inter pulſationem vnius, & alterius horologij, qui trahitur ad illud tempus per exercitium alicuius operationis, quæ ſit annexa tali diei: ita vt debeat in tali die exerceri. Non eſt aut neceſſe, quòd trahatur ad illud tempus ſecùndum exercitium, ſed ſufficit, ſi deſtinetur in illud tempus; quia facta tali deſtinatione, cum talis operatio ſit debita diei, eſt etiam debita illa pars temporis ratione operationis in ipſum tranſlatæ, ſuppoſito quòd in alio tempore ſubſequente eiuſdem diei non poſſit exerceri.

An dubitans, an aliquid poſt mediam noctem deglutierit: ita vt dubium cadat ſupra comeſtionem, poſſit Euchariſtiam ſumere.

Deciſio CCCXL.

SVMMARIVM.

1 *Dubitans, an comederit, non poteſt, ſecùndum aliquos, ſumere Euchariſtiam.*
2 *Alij tamen aſſerunt poſſe ſumere. Qui ſequendi ſunt.*
3 *Præceptum non exigit quòd dubij de comeſtione abſtineant ab Euchariſtia.*
4 *Debet tamen deponi dubium practicum, vt poſſit in tali caſu ſumi Euchariſtia.*

1 NEgatiuè reſpondent Sanchez *lib 2. de Matrimon. disp. 41. num. 40.* Villalobos *tom. 1. Sum. tract. 1. difficul. 21. nu. 6.* Facundez *in Præcep. Eccleſ. lib. 3. de 3. Præcep. cap. 5. num. 18.* quia in dubio poſſeſſio eſt pro præcepto; & ideo cum ſit melior conditio poſſidentis, abſtinendum eſt ab Euchariſtia.

2 Affirmatiuam tamen ſententia tradunt Medina *in Sum. in Declarat. 3. Præcepti Eccleſiæ.* Layman. *lib. 1. Theol. Moral. tr. 1. cap. 5. §. 4. num. 36.* Sancius *in Select. disp. de Sacram. disp. 42. num. 9.* qui etiam citat Summam Hiſpanam cuiuſdam Lucij. Diana *par. 3. tract. 4. de Sacram. reſolut. 29. ver. Sed his non obſtantibus.* Lugo *disp. 15. de Euchar. sect. 2. num. 42. & 43.* Et hæc ſententia tenenda eſt.

3 Ratio eſt, Quia quandiu quis manet dubius, an aliquid comederit, non adeſt ſufficiens ratio, cur debeat ſe priuare Euchariſtia: cum alioquin habeat ius ad illam ſumendam; eatenus enim deberet ſe priuare, quatenus id exigeretur ex præcepto Euchariſtiam eſſe primum cibum, hoc autẽ non exigitur ſtante dubio, an ſolutum fuerit ieiunium; quia exigẽtia certa non poteſt fundari in re incerta; vnde ſolùm exigit, quando eſt certum, quòd ieiu-

nium

nium fuerit ſolutum; quia tunc vrget obligatio præcepti, & antequam ſit certum, non obligat: quia tantùm obligat eos abſtioete, qui non ſunt ieioni.

4 Eſt tamen neceſſe, vt aduertit Sancius *citatus*, quòd ſtante dubio de comeſtione, deponatur dubium practicum, an liceat ſumere; quia, ſi qnis dubitaret, an, ſtante dubio de comeſtione, liceat ſumere Euchariſtiam, & ſumeret cum tali dubio, operaretur cum conſcientia dubia, atque adeo peccaret.

An certus quòd comederit, vel biberit, dubius verò, an poſt mediam noctem, an ante, poſſit ſumere Euchariſtiam.

Deciſio CCCXLI.

SVMMARIVM.

1 *Certus quòd comederit, & dubius, an eadem die, non poteſt ſumere Euchariſtiam.*

2 *Quid certus de voto, & dubius, an in legitima ætate. Vide* num. 7.

3 *Certus quod comederit, & dubius, an poſt mediam noctem, poteſt ſumere Euchariſtiam.*

4 *Habet ius certum ſumendi, & debitum incertum abſtinendi.*

5 *Sola comeſtionis coniunctio cum præſenti die impedit ſumptionem Euchariſtiæ; quando eſt certa, & cur non impediat dubia.*

6 *Dubitans an comederit poſt mediam noctem, ſe habet vt reus, & contra ipſum eſt probandum quòd poſt mediam noctem comederit: vt debeat abſtinere ab Euchariſtia.*

7 *Certus de voto, & dubius an poſt ſeptenium emiſerit, non tenetur implere.*

Accedens cum dubio an ſit ieiunus ad Euchariſtiam, non ſe exponit periculo peccati.

NEgatiuam ſententiam tradunt ſimiliter ij, quos *Deciſ. præcedenti nu.* 1. pro priori ſententia citauimus. Qoibus accedit Lugo *citata diſp.* 15. *de Euchariſ. ſect.* 2. *nu.* 42. & 44. quia, inquit ipſe, io foro externo is, cui incumbit onus probandi, ſi maneat dubius, & non poſſit probare, condemnatur. Vnde etiam quando quis putet ſe comediſſe, & dubitat, an poſt mediam noctem, onus probandi, quòd non foerit poſt mediam noctem, manet apud ipſom; qoia comeſtio anferr ius ad communionem pro illa die.

2 Sic etiam certus quòd emiſerit votom, & dubitans, an ante, vel poſt ſeptennium; quia de voto conſtat, & non de excuſatione, vt ait Sanchez *in Decal. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 14. Et ſi debeo dare tibi ſingulis diebus aureum, & dedi hodie, & tu peras alterum, quando dubitatur, an ſit altera dies, debes tu probare, quòd ſit, & eſſe finitum priorem; quia de ſolutione conſtat, non de nouo die. Ita Lugo.

3 Oppoſitum tamen tenendum eſt cum Doctoribus, quos *Deciſ. præced. num.* 2. pro poſteriori opinione attulimus; ita vt etiam ſi ſit certa comeſtio, & dubium an fuerit poſt mediam noctem, poſſit adhuc Euchariſtiam ſumere.

4 Ratio autem eſt, Quia in tali caſu concurrit ius certum, quod vnuſquiſque habet ſumendi quacunque die Euchariſtiam, cum iure arcendi ab Euchariſtia, quod habet Eccleſia ratione comeſtionis poſt mediam noctem, ſeu debitū abſtinendi ab Euchariſtia ob eamdem rationem; hoc autem ius Eccleſiæ, ſeu debitum ex parte dubitantis eſt dubium: quia fundatur in eo, quòd comeſtio fuerit poſt mediam noctem; quod, cum ſit dubium, ſolùm poteſt fundare ius dubium, & debitum dubium. Concurrente autem iure dubio cum iure certo, aut debito dubio cum iure certo, debet certum dubio præferri etiam in foro externo iodiciali. Sic ſi quis debeat alicui centum, & debitum ſit certum, & ſolutio dubia, quia dubium ſit, an ſoluerit, tenetur adhuc ſoluere.

5 Deinde, Sola comeſtio non impedit communionem, ſed quia ſit ſacta in eadem die; vnde certitudo comeſtionis non facit ad impediendam communionem, niſi quatenus coniungitur cum eadem die: & proinde requiritur talis coniunctio; Neque ſimiliter, quando certum eſt tempus, & dubia comeſtio, impediri poteſt communio, niſi ratione coniunctionis eiuſdem diei cum comeſtione; vnde ſemper coniunctio eſt illa, quæ ponit impedimentum. Siue autem comeſtio ſit certa, & tempus incertum; ſiue certum tempus, & comeſtio incerta, eſt eadem ratio; quia ſemper coniunctio comeſtionis cum eadem die, quæ eſt illa, quæ ponit impedimentum, eſt incerta; quia ſufficit incertitudo quòd ſe teneat ex parte cuiuſcunque extremi. Quare eſt eadem ratio in vtroque caſu; & ideo, ſi in vno non impeditur communio, neque impeditur in alio.

6 Atque id, quòd affert Lugo pro ſua opinione, retorqueri poteſt contra ipſum. Sequendo enim regulam fori iudicialis externi, ille condemnari debet, qui non probat, cum ipſi incumbat onus probandi. Iuxta autem eamdem regulam ſemper incumbit actori onus probandi contra reum. In caſu autem noſtro dubitans, an comeſtio ſit ſacta poſt mediam,

1 RESp. in hoc caſu concurrere præceptum Eccleſiaſticum cum iure naturali, quòd vnuiquiſq; habet tuendi, & conſeruandi propriam famam, & bonum nomen; quia autem nullum præceptum humanum obligat contra ius naturale, ideo, ſtante iure naturali ad conſeruandum bonum nomen, ceſſat præceptum Eccleſiaſticum.

2 Debet ergo conſiderari in caſu propoſito, an ita acceſſerit ad locum, in quo ſumenda eſt Euchariſtia, vt conſtet adſtantibus, ſe acceſſiſſe cum intentione ſumendi, & an ſi recedat, generabit malam ſuſpicionem ſui ipſius; tunc enim, ſi putat, ſe non poſſe recedere abſque eo, quòd generet malam ſuſpicionem ſui ipſius, concurrit naturale ius ad conſeruandum bonum nomen cum precepto humano Eccleſiaſtico, vnde ceſſat præcepti obligatio, & poterit, non obſtante quòd non ſit ieiunus, ſumere Euchariſtiam.

3 Quia tamen difficile eſt in tali caſu ferre rectum iudicium, præſertim ſi perſona non ſit valde prudens, & ſi oriatur aliqua perturbatio in mente, vt facilè oriri poteſt, ideo ſufficit, quòd faciat id, quod ſibi tunc expedire videbitur, & eſſe conforme rectæ rationi. Et licet poſtea mente ſedata, & ſe meliùs conſiderata, reperiat ſe malè feciſſe, non per hoc ſibi ſcrupulum facere debet; quia tantum malè fecit materialiter, non autem formaliter, & ideo non peccauit. Operatio enim debet dici mala, vel bona iuxta menſuram cognitionis, à qua dirigitur, & iuxta iudicium conſcientiæ, quod tunc habemus, quando operamur: non autem iuxta iudicium ſubſequens; quia hoc non variat operationem iam tranſactam.

An, ſi cibus non ſit digeſtus, poſſit nihilominus Sacerdos celebrare, & Laicus ſumere Euchariſtiam.

Deciſio CCCXLIV.

SVMMARIVM.

1 *Si cibus non ſit digeſtus non poſſe Sacerdotem celebrare, aliqui docent.*
2 *Sed oppoſitum eſt tenendum.*
3 *Non conſtat de obligatione expectandi digeſtionem pro celebranda Miſſa.*
4 *Antiquitus aderat præceptum de ſeruando ieiunio poſt Euchariſtiam, ſed eſt abrogatum.*
5 *Laicus poteſt ſumere Euchariſtiam, etiam ſi non digeſſerit cibum.*
6 *Poteſt Sacerdos celebrare in nocte Natalis etiam ſi paulò ante cœnauerit.*

1 NEgatiuè reſpondent Gloſ. *in Cap. Nihil 7. quæſ. 1. Verbo* Minimum fin. & *Cap. Ex parte de Celebrat. Miſſar. in fine.* vbi etiam Panor. *num.* 4. Item Gloſ. *in Cap. Si conſliterit. de Accuſat. Verbo* Dormitione. vbi etiam Panor. *num.* 3. & 4. Felin. *num.* 4. Aureol. *in* 4. *diſt.* 9. *quæſ.* 2. *concluſ.* 6. *ver. Per quod patet*. Riccar. *diſt.* 8. *ar.* 2. *quæſ.* 3. Maiol. *lib.* 3. *de Irregular. cap.* 24. *num.* 2. Fundantur in Cap. *Tribus gradibus de Conſecrat. diſt.* 2. vbi habetur: Hunc ſacrum cibum non eſſe cum alijs prophanis miſcendum. Et in Cap. *Si conſliterit de Accuſat.* vbi punitur presbyter, qui cum pernoctaſſet in taberna, ſequenti die, nulla præmiſſa dormitione, Miſſam cantauit.

2 Quod tamen cibus indigeſtus non impediat celebrationem, ſiue id proueniat ex nimia repletione, ſiue quia paulò ante ſumptus ſit, ſiue ex quacunque alia cauſa, tenendum eſt cum D. Th. *3. par. quæſ.* 80. *ar.* 8. *ad* 5. Durand. *in* 4. *diſt.* 8. *quæſ.* 4. *num.* 15. Palud. *quæſ.* 2. *ar.* 3. *concluſ.* 3. Gabr. *lect.* 10. *in Can. Miſſæ Littera S.* Syluester *Euchar.* 3. *quæſ.* 7. *num.* 9. Angel. *Verbo* Miſſa *nu.* 6. Nauar. *cap.* 21. *Manual. num.* 53. Sà *Verbo* Euchar. *num.* 28. Henriquez *lib.* 8. *de Euchar. cap.* 49. *num.* 3. Rodriquez *par.* 1. *Sum. cap.* 66. *concluſ.* 3. *in fine.* Tolet. *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 4. Sotus *in* 4. *diſt.* 12. *quæſ.* 1. *ar.* 8. *ad* 5. Azor. *par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 3. *quæſ.* 2. *ver. Quæret quiſpiam.* Suarez *3. par. tom.* 3. *diſp.* 68. *ſect.* 4. *ver. Sed quid.* Vaſquez *diſp.* 211. *cap.* 3. *num* 33. & 34. Reginal. *lib.* 29. *Praxis. cap.* 3. *num.* 33. & 34. Perſicus *lib.* 1. *de Offic. Sacerd. cap.* 3. *dub.* 6. *num.* 64. Lugo *diſp.* 15. *de Euchar. ſect.* 2. *num.* 39.

3 Ratio eſt, quia non debet introduci obligatio, quando de ipſa non conſtat: non conſtat autem de alia obligatione quò ad cibum corporalem, quàm de ea, qua obligamur ita accedere ieiuni, vt nihil illa die cibi, vel potus ſumpſerimus.

4 Ad Cap. *Tribus gradibus num.* 1. allatum Reſp. ibi Pontificem loqui de cibo prophano ſumendo poſt ſumptam Euchariſtiam: & imponit præceptum ieiunandi etiam poſt ſumptam Euchariſtiam per aliquod tempus; quod tamen præceptum eſt abrogatum. Ille autem Clericus, de quo in Cap. *Si conſliterit.* punitur, non quia cum cibo indigeſto celebrauerit, ſed ob irreuerentiam, & ſcandalum populi, dum è taberna iuit ad celebrandum.

5 Ex his colligitur, Quòd etiam Laicus ſumere poteſt Euchariſtiam, etiam ſi cibum non digeſſerit; quia in ratione cibi non habet aliam prohibitionem, aut præceptum, quàm illud, quod habent Sacerdotes.

Digitized by Google

6 Colligitur ſecundò. Sacerdotem, qui prope mediam noctem cœnauit in Vigilia Natiuitatis (vt quando contingit in die Dominico, aut ſi transferatur comeſtio ad noctem) poſſe ſtatim poſt mediam noctem celebrare, etiam ſi nec digeſſerit cibum, nec dormierit; quia hæc non ſunt neceſſaria: & alioquin ſuffieit ad celebrandum ieiunium ab initio diei. Quæ tamen omnia limitanda ſunt ex ſuppoſitione, quòd nullum adſit periculum irreuerentiæ.

An perturbatio mentis orta ex indigeſtione, vel vigilia noctis, impediat celebrationem, aut ſumptionem Euchariſtiæ.

Deciſio CCCXLV.

SVMMARIVM.

1 *Quid doceant Doctores, an perturbatio mentis impediat celebrationem, & ſumptionem Euchariſtiæ.*
2 *Non impedit ſumptionem Euchariſtiæ, ſi non adſit periculum irreuerentiæ.*
3 *Impedit perturbatio mentis celebrationem Miſſæ, ſi ex ipſa timeatur graue impedimentum in celebrando. Secus ſi non timeatur.*

1 Videtur affir. D. Th. 3. *par. quæſ.* 80. *ar.* 8. *ad* 5. Durand. *in* 4. *diſt.* 8. *quæſ.* 4. *nu.* 15. Sotus *diſt.* 12. *quæſ.* 1. *ar.* 8. *ad* 5. Alij autem volunt ex conſilio tantùm eſſe abſtinendum. Ita Nauar. *cap.* 21. *Manual. num.* 53. Ita interpretans D. Th. Maiolus *lib.* 3. *de Irregular. cap.* 24. *num.* 2. Alij denique ſi adſit periculum vomitus, aut alterius irreuerentiæ, volunt eſſe peccatum mortale. Ita Suarez 3. *par. tom.* 3. *diſp.* 68. *ſect.* 4. *concluſ.* 3. Perſicus *lib.* 3. *de Offic. Sacerd. cap.* 3. *dub.* 6. *num.* 66. *in fine.* Suarez tamen non explicat, an intelligat de peccato mortali.

2 Ego puto, eſſe diuerſam rationem de ſumptione Euchariſtiæ, ac de celebratione. Si enim perturbatio mentis non ſit talis, vt probabiliter timeatur irreuerentia aliqua notabilis, & quæ redundet in Sacramentum, non adeſt ratio, cur impediat ſumptionem Euchariſtiæ: ſecus autem ſi adſit periculum.

3 Quod autem ſpectat ad celebrationem: Non ſolùm debet attendi periculum irreuerentiæ, ſed etiam debet conſiderari, an perturbatio ſit talis, vt poſſit impedire, ne Sacerdos debito modo celebret; quia ſi perturbatio ſit talis, vt probabiliter timeatur graue impedimentum, aut circa attentionem, aut circa proſecutionem: procul dubio peccabit mortaliter qui ſe exponet tali periculo. Si autem non adſit periculum huiuſmodi, nec etiam irreuerentiæ, non impediet celebrationem.

De recuſatione Iudicis apud Regulares.

An poſſint Regulares recuſare Iudicem ordinarium vt ſuſpectum.

Deciſio CCCXLVI.

SVMMARIVM.

1 *Iudex ſecùndum Ius Canonicum poteſt recuſari: ſed hoc non videtur habere locum apud Regulares.*
2 *Iudex apud Regulares non poteſt recuſari ex aliquorum opinione.*
3 *Poteſt recuſari quando procedit iudicialiter, ſecus quando procedit extra iudicium, ſecundùm alios.*
4 *Abſolutè iudex ordinarius poteſt recuſari ex iuſta cauſa.*
5 *Prohibere recuſationem Iudicis ex iuſta cauſa eſt contra iuſtitiam.*
6 *An Regularis, dum profitetur, renunciet iuri recuſandi iudicem.*
7 *Qualis recuſatio iudicis prohibeatur Regularibus per Cap.* Cum ſpeciali De Appel.

1 Ex Iure Canonico poteſt Iudex ordinarius ex iuſta cauſa recuſari ex Cap. *Cum ſpeciali De Appellat.* Hoc autem non videtur habere locum apud Regulares; nam ibi Pontifex in fine Conſtitut. habet *Cæterum has Conſtitutiones præmiſſas nolumus ad Regulares extendi contra ſuas ſpeciales obſeruantias.*

2 Proinde Gloſ. *in Cap. Ad noſtram eodem tit. De appellat. verbo* Minus. *in fine* fundata in dicto Cap. *Cum ſpeciali*, quam ſequitur Hoſtienſ. in dict. Cap. *Ad noſtram, num.* 9. tenent, non poſſe Regulares Iudicem ordinarium recuſare.

3 Alij verò, vt idem Hoſtienſ. eod. Cap. *Cum ſpecial. De appellat. num. vlt. verbo Extendi.* Ioan. Andr. *num.* 18. Anton. *in fine.* Bellamer. *num.* 14. Francus *num.* 4. procedunt cum diſtinctione, aſſerentes, quòd poteſt iudex ordinarius à Regularibus recuſari, quando procedit iudicialiter: ſecus autem, quando procedit extra

tra

tra iudicium. Quæ tamen diſtinctio non rectè procedit. Nam non poteſt Prælatus deuenire ad ſententiam, niſi mediante proceſſu legitimè formato: quoties autem conſtruitur proceſſus, proceditur iudicialiter.

4 Ideo alij meliùs abſolutè docent, poſſe Regulares ex iuſta cauſa iudicem ordinarium recuſare. Ita Abbas *in dict. Cap. Cum ſpeciali De appellat. §. Porro. num.* 3. Alexander de Neuo *ibid. num.* 8. Præpoſit. *in fine*. Barboſa *in Collectan. ad dict. Cap. Cum ſpeciali num.* 16. Sanchez *lib. 6. ſum. cap. 8. num. 111. & lib. 6. Opuſcul. moral. cap. 8. dub. 3. num.* 17. Thomas à Ieſu *tract. 3. de Viſitat. Regular. cap. 17. num* 12. Megal. *in pract. Crimin. Can. cap. 8. num. 20. & 21.* Gloſ. *in Cap. In ſingulis ver.* Appellatione *De ſtatu Monachor.* & alij quam plures: quatenus agentes de recuſatione Iudicis, non excipiunt Prelatos Regulares.

5 Et hæc ſententia vt vera tenenda eſt. Ratio eſt, quia etiam contra Prælatum Regularem poteſt eſſe iuſta cauſa recuſationis, & adeo grauis, vt ſi non admitteretur recuſatio, nimis graue, & oneroſum eſſet ſubijci tali Iudici, & proinde eſſet contra iuſtitiam prohibere recuſationem; Ergo cum Ius Canonicum concedat recuſationem Iudicis, debet concedi etiam apud Regulares: præſertim cum apud ipſos mitiùs, & cum maiori æquitate procedendum ſit.

6 Dices. Regularem, dum profitetur, renunciare huic iuri recuſandi iudicem ordinariũ. Sed contra, quia non adeſt talis renunciatio nec explicitè, nec implicitè: nam Regularis modus viuendi non excludit, ſed maximè amplectitur iuſtitiam. Nec ſi fieret talis renunciatio, eſſet valida: quia eſſet contra bonum commune; nam eſt contra bonum commune, quòd in cauſis non ſeruetur ordo eſſentialis iuſtitiæ; nec poſſet ab ipſa Religione acceptari; cum non poſſit velle, quòd tractentur cauſæ ſubditorum abſque obſeruantia eorum, quæ requiruntur à iuſtitia; inter quæ præcipuum eſt, quòd ex iuſta cauſa poſſit recuſari Iudex.

7 Neque obſtat text. *allatus num.* 1. quia ibi Pontifex non prohibet abſolutè Regularibus recuſationem Iudicis; ſed tantùm decernit, quòd facultas recuſandi Iudicem ordinarium non extendatur ad ipſos contra ipſorum obſeruantias: hoc eſt, quòd non poſſit habere locum apud ipſos in præiudicium Regularium obſeruantiarum: & proinde non poſſit recuſari, quando procedit ſecùndum Regulares obſeruantias, ſeu ſecundùm regulam: & non adeſt manifeſta cauſa recuſandi; Ibi enim Pontifex concedit recuſationem Iudicis, etiam ſi cauſa recuſationis ſit dubia; apud Regulares autem obſeruantia Regularis exigit, vt non recuſetur, niſi ex graui, & certa cauſa; & ideo non debet eſſe ita facilis, ſicut eſt apud ſæculares: quia minus ſuſpicionis præſumitur apud iudicem Regularem, quàm apud ſæcularem. Deinde quando Superior Regularis procedit ſecùndum regulam, non poteſt inferre grauamen; quia neque infert regula; vnde non habet locum recuſatio. & ita notat Bettilucenſis in *pract. Crim. cap. 2. tit. 19. in fine*.

An, quando Iudex Regularis procedit cum aſſeſſore poſſit recuſari vt ſuſpectus.

Deciſio CCCXLVII.

SVMMARIVM.

1 *Iudex Regularis procedens cum aſſeſſore, ex aliquorum opinione non poteſt recuſari.*
2 *Poteſt recuſari ex iuſta cauſa.*
3 *Quando Caput, Superior, Gubernator, Prorex ſunt ſuſpecti, inferiores quoque iudices ſunt ſuſpecti.*
4 *Aſſeſſor ſecùndum Ius Canonicum non obſtat quin iudex poſſit recuſari.*
5 *Aſſeſſor aſſiſtit tantùm iudici, qui ſolus habet auctoritatem iudicandi.*
6 *Tribunal ex quocunque capite ſit ſuſpectum poteſt declinari.*
7 *Iudex ſuſpectus poteſt inferre grauamen non obſtante aſſiſtentia aſſeſſoris.*
8 *An appellatio ſit ſufficiens remedium ad vitandum grauamen iudicis ſuſpecti.*

1 QVi abſolutè tenent, Non poſſe iudicem ordinarium Regularem recuſari vt ſuſpectum, id à fortiori docebunt, quando procedit cum aſſeſſore; nam tunc non eſt timendus exceſſus ob cauſas ſuſpicionis, cum ſequatur directionem eiuſdem aſſeſſoris.

2 Dicendum tamen eſt. Iudicem Regularem poſſe ex iuſta cauſa recuſari, etiam ſi procedat cum aſſeſſore. Deſumitur ex auctoribus citat. *num.* 4. Deciſ. præcedent. quatenus abſolutè docent, abſque vlla reſtrictione, iudicem ordinarium Regularem poſſe ex iuſta cauſa recuſari. Et cum recuſatio iudicis ſit in fauorem rei à iure conceſſa, non eſt reſtringenda, quando procedit ſine aſſeſſore: ſed potiùs amplianda, iuxta Regulam *Odia De regulis iuris in 6.*

3 Deſumitur ex Ripa *in capit. 1. num. 41. De iudicijs.* dum dicit, quòd quando Caput eſt ſuſpectum, poteſt totum Concilium recuſari.

Ludo-

Ludouico *Deciſ. Peruſina* 108. *num.* 4. & per totam docente, quòd quando Superior eſt ſuſpectus, ſunt quoque ſuſpecti omnes inferiores miniſtri, etiam ſi ab ipſo non dependeant, ſed à maioribus Superioribus. Ramon. *Conſil.* 3. *num.* 78. & 79. vbi docet, quòd ſi Prorex eſt ſuſpectus, totus Senarus ſuſpectus redditur, etiã ſi ab ipſo Prorege non habeat iuriſdictionem, ſed à Rege, & ſi Gubernator eſt ſuſpectus, erit, etiam ſuſpectus eius auditor, quamuis non dependeat ab ipſo Gubernatore, ſed ab vrbe. Vnde ob eamdem rationem idem dicendum eſt de iudice, & aſſeſſore: ita ut aſſeſſor ſequatur conditionem judicis.

4 Et habetur ex Cap. *Quod ſuſpecti.* vbi Nicolaus Papa refert vt approbatam à Concilio Chalcedonenſi recuſationem iudicis factam ab Athanaſio Patænorum Epiſcopo, qui in Synodo à ſuo Patriarcha aſſiſtentibus cœteris Epiſcopis, vt aſſeſſoribus, fuerat damnatus, vt contumax: quia noluerat cauſam agere coram Patriarcha, vt pote ſibi inimico. Ex quo conſtat, quòd aſſeſſor non obſtat recuſationi iudicis, quando aliàs poteſt iuſtè recuſari.

5 Ratio autem eſt. Quia aſſeſſor habet tantùm aſſiſtere iudici, ipſum inſtruendo, vt iuridicè procedat *l.* 1. *C. De aſſeſſorib.* ſpeculat. *lib.* 1. *Tit. De aſſeſſ.* §. *Aſſeſſoris eſt.* Decius *in Rubr. num.* 1. *ff. De Offic. aſſeſſ.* Azor. *in ſum. num.* 1. *C. De aſſeſſ.* vnde ſolus iudex habet penes ſe ipſum auctoritatem iudicatiuam; Ergo licet iudicet cum aſſeſſore, non tollitur, quin poſſit recuſari ex iuſta cauſa; quia recuſatio conceditur ad declinandam poteſtatem iudicatiuã ſuſpectam: & adeſt eadem ratio declinandi, ſiue adſit aſſeſſor, ſiue non.

6 Confir. Iudex, & aſſeſſor ſunt vnum, & idem tribunal, in quo iudex eſt caput: & proinde faciliùs poteſt iudex trahere ad ſe aſſeſſorem; quam aſſeſſor iudicem. Ergo, etiam ſi adſit aſſeſſor, poteſt iudex recuſari; quia quando tribunal eſt ſuſpectum, poteſt declinari ex quocunque capite ſit tale, ſiue ratione iudicis, ſiue ratione aſſeſſoris; quia ſemper exceſſus iuſtè timeri poteſt: cum adhuc ſubijciatur poteſtati illius, à quo alioquin malũ ſibi timet. Vnde ſemper vrget ratio recuſandi; quæ non eſt alia, niſi declinare poteſtatem illius, à quo malum ſibi timet.

7 Ad id, quod affertur *num.* 1. Reſp. quòd licet aſſeſſor dirigat iudicem, fieri tamen poteſt quòd iudex exorbitet à directione, vel quòd trahat aſſeſſorem in ſuam opinionem, aut quòd faciat res in iudicio apparere aliter, ac ſunt, aut aliquo alio modo inſerat grauamen; & ideo non obſtante aſſiſtentia aſſeſſoris vrget eadem ratio recuſandi iudicem.

8 Dices. Adeſſe remedium appellationis ad vitandum grauamen. Reſp. hoc remedium adhuc adeſſe quando iudex procedit ſine aſſeſſore, & tamen admittitur tunc recuſatio iudicis in ſubſidium innocentiæ; vnde non minùs debet admitti quando aſſeſſor quoque concurrit. Deinde appellatio non eſt ſufficiens remedium ad vitandum grauamen ſuſpecti iudicis: ſed adhibetur ſolùm contra grauamen ſententiæ, non autem contra grauamen, quod iudex inferre poteſt in conficiendo proceſſu. Quod ſi ſufficiens fuiſſet appellatio, non adhiberent iura remedium recuſationis.

An, ſi apud Regulares adſit ſtatutum de non recuſando iudice ordinario, poſſit nihilominus adhuc recuſari.

Deciſio CCCXLVIII.

SVMMARIVM.

1 *Iudex ordinarius non poteſt recuſari, ſi adſit ſtatutum Religionis prohibens, ſecundum* Megal.
2 *Poteſt adhuc recuſari.*
3 *Quomodo ſit accipiendum tale ſtatutum.*
4 *Iuſtitia eſt anima legis.*
5 *Etiam ſi iudex procedat cum aſſeſſore, & adſit dictum ſtatutum, poteſt ex graui cauſa recuſari.*
6 *Quomodo accipiendum decretum Clericor. Reg. Theatin. prohibens recuſationem iudicis, quando procedit cum aſſeſſore.*

1 NEgatiuè reſp. Megal. *in Pract. Crimin. canon. cap.* 8. *num.* 23. *ver. Aduerte tamen.* vbi ait, quòd apud nos Clericos Regulares non poteſt habere locum recuſatio iudicis Ordinarij, ob decretum Capituli Generalis *Anni* 1621. Quod habetur 3. *par. noſtrorum Decretorum cap.* 9. *num.* 10. & prohibet, quòd quando iudex ordinarius adhibet aſſeſſorem, non poſſit recuſari vt ſuſpectus.

2 Oppoſitum tamen tenendum eſt cum Speculat. *lib.* 1. *tit. de Recuſat.* §. 1. *num.* 5. *circa med. ver. Vel dic quòd nihilominus.* Franco *in Cap. Poſtremo num.* 5. *ver. Et aduerte de Appellat.* Natta *conſil.* 174. *num.* 5. Marſil. *ſingul.* 292. *num.* 3. Lancellot. *de Attentat. cap.* 6. *num.* 40. Scaccia *de Appellat. quæſ.* 16. *limit.* 1. *num.* 120. Qui docent quòd quando Papa committit cauſam cum clauſula *Recuſatione remota*, debet intelligi de recuſatione ex cauſa friuola, non autem ex cauſa iuſta. Et facit Gloſ. *in Cap. Ad hæc de Reſcriptis.* Innocent. *in Cap. Ex Tranſmiſſa de Foro compet.* & ſequitur Sanchez *lib.* 6. *Opuſ. Moral. cap.* 8. *dub.* 3. *num.* 16.

3 Debet igitur huiuſmodi ſtatutum, ſi adſit, intelligi

intelligi de recuſatione ex cauſa friuola, non autem ex cauſa iuſta, & graui: ſed tunc poterit recuſari, cum hoc per decretum non cenſeatur prohibitum.

4 Ratio autem eſt. Quia anima legis, & ſtatutorum eſt iuſtitia, ſine qua non ſunt leges, & ſtatuta, ſed tyrannicæ oppreſſiones; vnde cum lex & ſtatutum debeat accipi tanquam vera lex, & ſtatutum (alioquin deberent reijci vt quid contra bonum publicum) debent accipi ſecùndum eam menſuram, ſecùndum quam continent iuſtitiam. *Si* autem prohiberet recuſationem iudicis ex iuſta, & graui cauſa, non contineret iuſtitiam, ſed iniuſtitiam; quia prohiberet defenſionem, & implicitè vellet oppreſſionem innocentiæ & iuſtitiæ: & vellet tradi in manus inimici eum, quem ipſe cupit lædere.

5 Quod valet etiamſi iudex procedat cum aſſeſſore; quia adhuc ſi ex iuſta cauſa prohiberet recuſationem iudicis, contineret eamdem iniuſtitiam tradendo reum in manus inimici, & prohibendo debitam, & iuſtam defenſionem, & daret facultatem inimico, quòd ſi fortè aſſeſſor impediret iniuſtitiam in ferenda ſententia, & in formandis proceſſibus, ſaltem vexandi eum, quem odit.

6 Ex quibus patet, quomodo ſit accipiendum noſtrum Decretum Generalis Capituli, de quo in *num.* 1. nimirum, vt solùm prohibeat recuſationem iudicis ordinarij ex friuola cauſa, non autem ex iuſta. Intentio enim Capituli fuit parare remedium pro perturbatione Regularis diſciplinæ, quæ potuiſſet suboriri, ſi ſubditi habuiſſent aditum ad recuſandum ordinarium iudicem ex quacunque leui cauſa; tunc enim nullus Superior potuiſſet aliquem punire: quia ſemper in promptu fuiſſet aliqua cauſa friuola recuſationis; vnde orta fuiſſet magna perturbatio. Quocirca debet accipi huiuſmodi ſtatutum vt inhęrens Sacris Canonibus, præſertim Cap. *Cum ſpeciali de Appellat.* vbi Pontifex prohibet apud Regulares recuſationem iudicis contra ipſorum ſpeciales obſeruantias, nempe ex leui, & friuola cauſa.

An valeat ſtatutum apud Regulares prohibens recuſationem iudicis ordinarij.

Deciſio CCCXLIX.

SVMMARIVM.

1 *Non poteſt fieri ſtatutum abſolutè prohibens recuſationem iudicis ordinarij.*

2 *An poſſit delegari cauſa, remota recuſatione iudicis.*

3 *Statutum tollens recuſationem iudicis ex quacunque cauſa, non valet.*

4 *Suſpecti, & inimici ſecùndum rationem naturalem non debent eſſe iudices.*

5 *Defenſio eſt de iure naturali.*

6 *Recuſatio iudicis eſt pars maxima defenſionis.*

7 *Nulla lex prohibere poteſt quæ ſunt iuris naturalis.*

8 *Ius naturale, & diuinum ſunt fundamenta cuiuſcunque legis. ideo nulla lex tollere poteſt quæ ſunt iuris naturalis, aut diuini.*

9 *Quomodo ius ciuile admittat ſemper recuſationem iudicis.*

1 NEminem vidi, qui abſolutè doceat, poſſe fieri ſtatutum abſolutè prohibens recuſationem iudicis ordinarij; Solùm nonnulli docent, quod Princeps in delegatione iudicis ad cauſas particulares poteſt prohibere recuſationem illius. Ita docent Franch. *in Cap. Poſtremo de Appellat.* Innocent. *in Cap. Ex tranſmiſſa de Foro competenti.* Hoſtienſ. *Cap. Cum inter de Except.* Io: Andr. *ibidem.* Gloſ. *l. Apertiſſimi C. de Iudic. ver. Recuſare.* Bart. *l. fin. C. de Sent.* Speculat. *lib.* 1. *tit. de Recuſat.* §. 1. *ver. Quid ſi ſit cauſa.* Sanchez *lib* 6. *Opuſ. Moral. cap.* 8. *dub.* 3. *num.* 15. & alij, qui tamen addunt cum alijs ſupracit. Deciſ. *praecedenti num.* 2. quòd per huiuſmodi prohibitionem recuſationis non prohibetur recuſatio ex graui cauſa, iuxta illud quod habetur de clauſula *Omni appellatione remota.* Cap. *Paſtoralis de Appellatione.*

2 Alij abſolutè, quòd neque poteſt Princeps committere cauſam, recuſatione iudicis remota. Ita Panor: *in Cap. Ad hæc de Reſcript.* & *in Cap. Cum inter de Excep.* Domin. *in Cap. Iudex de Offic. Delegat. in* 6. Ramon. *conſil.* 3. *num.* 37. & 38. quicquid tamen de hoc ſit.

3 Dicendum eſt. Statutum omnino tollens recuſationem iudicis ex quacunque cauſa, non valere, & iniuſtum eſſe, & tyrannicum, tanquam contra iuſtitiam, bonum publicum, & legem naturalem.

4 Deſumitur ex Cap. *Quod ſuſpecti* 3. *quæſ.* 5. vbi habetur. Quòd ipſa ratio dictat, quòd ſuſpecti, & inimici non debeant eſſe iudices. & citat Pontifex Conſtantinopolitanam Synodum hoc ipſum *can.* 6. prohibentem. Citat etiam Gelaſium Papam, quòd inimici non poſſint eſſe iudices; & proinde liceat eos recuſare. Addit etiam rationem; quia prohibere recuſationem iudicis ſuſpecti, eſſet cooperari inimicitiæ, & dare inimico ad impetendum quem odit, & concludit: *Quodammodo naturale eſt ſuſpectorum iudicum inſidias declinare, & inimicorum iudicium ſemper velle refugere.*

5 Con-

5 Conuincitur autem euidenter ex duobus principijs, quorum primum eſt, Quòd defenſio ſit de iure naturali: quia quiſque ſecùndum legem naturalem debet amare ſeipſum: ita vt amor ad ſeipſum ſit ratio mẽſurandi cæteros; & proinde habet ius naturale ad ſe defendẽdum; quo aliquando etiam obligatur, vt ſe defendat. Vnde tanquam de iure naturali ponitur in Cap. *Ius naturale diſt. 1.* & Cap. *Secundò requiris, §. Tertio poſtulat. Extra De appellat.* & l. *Vt vim vi. De Iuſt. & Iure,* & *l. 1. C. Vnde vi.* Et tanquam de iure naturali à Principe tolli non poteſt. Cap. *Cum inter De except.* vbi etiam Abbas, & Clement. Paſtoralis. §. *Cæterum De re iud.* & iterum Abbas notat *in cap. 1. init. de reſcriptis,* & *in Cap. In cauſis. De re iud.* & *in Cap. Dilecti. circa fin. De re iudicat.* Vnde dicitur quod etiam Diabolus debet audiri.

6 Alterum principium eſt. Quòd recuſatio iudicis pertinet ad defenſionem; imò eſt vna ex maximè neceſſarijs defenſionibus, ex Cap. *Cum inter De exception.* vbi habetur *Inquiſitioni veſtræ duximus reſpondendum, quòd prædicto nobili legitima defenſio in iudicio reſeruatur, & maximè iudicis recuſatio; cum periculoſum ſit coram ſuſpecto iudice litigare, ac ſuſpectis iudicibus Sedes Apoſtolica cauſam de certa conſcientia non committat.* Ratio eſt, Quia defenſio complectitur expulſionem eorum omnium, quæ poſſunt iniuſtè nocere. Suſpectus autem iudex eſt vnum ex ijs, quod maximè iniuſtè nocere poteſt.

7 Vnde concluditur non poſſe per vllum ſtatutum tolli facultatem recuſandi iudicem ex rationabili cauſa; quia nulla lex prohibere poteſt quæ ſunt iuris naturalis, qualis eſt defenſio, atque adeo recuſatio iudicis; lex enim, vt ſit vera lex, non debet eſſe contraria iuri naturali, ſed in ipſa fundari.

8 Dices. Id habere locum apud ſæculares, qui ſunt domini vnuſquiſque ſui ipſius, non autem apud Regulares, qui non habẽt ius proprium, ſed ſecundum omnia ſunt ſub obedientia; vnde poterit Capitulum Generale facere ſtatutum, quòd non vtantur ſubditi iure proprio recuſandi iudicem: & ratione voti obedientiæ poterit eos adſtringere. Reſp. Ius naturale, & diuinum eſſe primum ius omnino inalterabile: & in vtroque omnia alia iura fundari debent, atq; adeo oẽs leges, & ſtatuta; alioquin nõ erunt veræ leges. Hinc tota obligatio regularis vitæ ex voto obedientiæ debet ſupponere vtrumque illud ius; & ideo non poteſt ipſum tollere, nec ea quæ ſunt ſecùndum ipſum. Ex quo fit quòd non poſſint Superiores ratione voti obedientiæ tollere ab ipſis, quæ concedit ius naturale; alioquin præciperent aliquid contra ius naturale, nec teneret præceptum.

9 Quod ſi rurſus dicas non eſſe contra ius naturale non admittere recuſationem iudicis: nam ius ciuile non eſt contra ius naturale, & tamen non admittit recuſationem iudicis, ſed ſolùm adiungit alterum iudicem. Reſp. ſemper admittere, quantum opus eſt, ad corrigendam, & euacuandam ſuſpicionem; vnde iuxta diuerſas cauſas ſuſpicionis, aut corrigit adiungendo alium, aut in totum remouet, quando nimirũ cauſæ ſuſpicionis ſunt graues. Vt declarat Farinac. *quæſt. 42. Repert. Iudicial. num. 18. & ſequentib.*

Quando poſſit Regularis iudicem recuſare.

Deciſio CCCL.

SVMMARIVM.

1 *Quando iudex debeat recuſari.*
2 *Incæpta cauſa non poteſt recuſari.*
3 *Valet ſecùndum Ius Canonicum.*
4 *Superueniente noua cauſa, poteſt iudex recuſari, in quocunque termino ſit proceſſus cauſæ.*
5 *Qualis debeat eſſe totus proceſſus cauſæ.*
6 *Quomodo per incæptionem cauſæ partes conſentiant in iudicem.*
7 *Oriente noua ſuſpicione cur iudex poſſit recuſari.*
8 *An cauſa, quæ ſufficit ad recuſandum iudicem ab initio, ſufficiat etiam in progreſſu.*

1 DE iure communi iudex recuſari debet omnino ab initio, non ſolum ante conteſtationem, ſed etiam ante omnem aliam exceptionem; ſi enim recuſatio non ſit primus actus rei, ſed interponit aliam dilatoriam, facto ipſo conſentit in ipſum, atq; adeo non poteſt amplius adhibere recuſationem, quia per oppoſitionem alterius exceptionis admiſit iudicem ad iudicandum ſuper ea. Habetur ex lege *Apertiſſimi. C. De iudicijs.* & Cap. *Cum ſpecial. De Appellat.* & tradunt Gloſa *ibid.* Iaſon *in l. ſi conceſſerit ff. De iuriſd. om. iud.* & *in citat. l. Apertiſſimi num. 11.* Bart. *in l. Non videtur in 2. ff. De iud.* Alexand. *in l. quidam conſulabant ff. De re iud.* Decius *in capit. 1. De iud. num. 24.* Feliu. *in Cap. Inter monaſterium. num. 24. De re iud.* Couar. *cap. 26. practicar. quæſt. num. 2. nit.* Marant. *De ordine Iudicior. par. 3. partis 6. in 2. actu, qui eſt Appellat. num. 25.* qui plures alios citat, & commmiret *in citatos canones, & leges* præſertim in Cap. *Paſtoralis De exceptionib.*

2 Difficultas autem eſt, an poſtquam incœpta eſt cauſa, poſſit à Regulari iudex recuſari: Et quidem certum eſt, non poſſe tecuſari abſque noua cauſa, onia, vt diximus, iam conſenſit in iudicem ſubiens iudicium ipſius, & Iudex acquiſiuit ius ſupra illam cauſam, quo non poteſt ſpoliari; & proinde tunc tecuſatio præſumeretur malitioſa ad uitandum iudicium, aut ad interponendam dilationem: &
3 proinde non eſſet admittenda. Et hoc de iure canonico; nam de iure ciuili alia eſt ratio, cum ſecundum ipſum ad recuſandum judicem non requiratur ratio ex l. *Apertiſſimi C. De iudicij.* vbi Gloſſa & communiter Doctores *ibid.*

4 Quando autem ſuperuenit noua cauſa recuſandi iudicem in quocunque termino proceſſus cauſæ téperiatur, ad huc poteſt recuſari, Habetur in Cap. *Inſinuante De officio Delegati* vbi Gloſſa Felin. *ibid.* Panorm. *in cap. 1. De mutuis petitionibus.* Franch *in Cap. Iudex De officio Deleg. in 6.* Dominic *ibid.* Marát. *De ordine iudiciot par. 3. partis 6. in 2. actu. qui eſt Appellatio num. 74.* Gregor. Lopez *l. 22. tit. 4. par. 3.* Sanchez *lib. 6. opuſ. Moral. cap. 8. dub. 3. num. 19.* & communiter.

5 Ratio eſt, quia totus proceſſus cauſæ debet eſſe ſecundum menſuram iuſtitiæ; atque adeo partes habent ius, vt in toto proceſſu habeãt judices, qui ſemper procedant ſecundum talem menſuram. Ergo quotieſcunque inſurgit aliqua cauſa, ob quam iuſtè timeri poſſit, quòd iudex exorbitet à iuſtitia, recuſari poteſt; præſertim quia ſiue in hoc, ſiue illo exorbitet, ſemper præiudicium infert, quod quiſque vitare poteſt ſiue in principio cauſæ ſiue in progreſſu.

6 Dices. Per id, quòd cauſa eſt cœpta, regularis conſentit in iudicem, & iudex acquiſiuit ius ſupra talem cauſam, ergo non poteſt ipſo priuari, quia cum conſenſit in iudicem, conſenſit etiam in omnia, quæ facturus eſt, etiam præiudicialia. Reſp. Neg. conſequent. quia conſenſus in iudicem eſt ſuo modo conditionatus, nam eſt conſenſus in iudicem, quatenus ſupponitur proceſſurus vt verus iudex, atque adeo ſeruata forma iuſtitię: & ideo deficiente tali conditione, poteſt retrahi conſenſus.

7 Rurſus inſtabis. Iudex acquiſiuit dominium ſupra cauſam conditionatam, quod procedat, vt verus iudex. Ergo quouſque procedit vt verus iudex, non poteſt priuari; per id autem, quod oriatur aliqua ſuſpicio, non deflectit à iuſtitia, ergo non poteſt priuari ex quacunque cauſa ſuſpicionis, ſed tantùm ex eo, quod delinquat circa adminiſtrationem iuſtitiæ. Reſp. Non teneri partem expectare præiudicium à iudice, quia de iure naturali conceditur, poſſe auertere damnum ſibi imminens, & ideo eo ipſo, quod à iudice rationabiliter timetur damnum, poteſt recuſari, quia conſenſus in iudicem eſt conditionatus, nedum quod ſit verus iudex rectè procedendo in actibus, ſed etiam quod ſit talis in diſpoſitione: quando autem eſt ſuſpectus, non eſt diſpoſitus ad rectè procedendum.

8 Quæres, an cauſa, quæ ſufficit ad recuſandum iudicem ab initio, ſufficiat etiam ad recuſandum in progreſſu; an verò aliqua maior requiratur. Reſp. Cauſam, quæ ſufficit ab initio, ſufficere etiam in progreſſu, vt deſumitur ex citato Cap. *Inſinuante de Offic. Delegati.* Et ratio eſt, quia quod poteſt initio mouere iudicem ad non rectè procedendum, poteſt etiam in progreſſu: vnde quia quando recuſatur vt ſuſpectus, recuſatur vt non rectè proceſſurus, ideo quod ſufficit ab initio, vt recuſetur, ſufficit etiam in progreſſu.

An ſi cauſa non ſuperueniat de nouo, ſed tantùm de nouo veniat ad notitiam, poſſit adhuc iudex recuſari in proceſſu cauſæ.

Deciſio CCCLI.

SVMMARIVM.

1 *Antiqua cauſa veniens de nouo ad notitiam ſufficit, vt iudex poſſit recuſari.*
2 *An debeat probari in iudicio, quòd cauſa antiqua ſuperuenerit de nouo ad notitiam.*
3 *Iuramentum enacuat præſumptionem doli.*
4 *An qualibet ignorantia cauſæ, per quam iudex poteſt recuſari, ſufficiat vt ſuperueniente ſcientia adhuc poſſit recuſari.*

1 Reſp. affirmatiuè ex Cap. *Paſtoralis. de Exception.* Et inter alios notat Sanchez *lib. 6. Opuſ. Moral. cap. 8. dub. 3. num. 19.* cum Gregor. Lopez *leg. 22. tit. 4. par. 3. ver. Ante qua.* Et ratio eſt, quia quæ de nouo veniunt ad noticiam eodem modo ſe habent, ac ſi de nouo emergerent: & ſemper ac quis de nouo cognoſcit aliquod præiudicium imminere, habet ius ad illud vitandum ratione defenſionis, quæ eſt de iure naturæ.

2 Quæres, an ſit neceſſarium, quòd in iudicio probari poſſit, quòd cauſa ſuſpitionis de nouo in notitiam venerit. Reſp. negatiuè, quia vix poſſet adhiberi huiuſmodi probatio; vnde ſtandum eſt conſcientiæ allegantis cauſam ſuſpicionis probatæ per iuramentum, vt traditur in citato Cap. *Paſtoralis.*

3 Dices

3 Dices. Hinc ſequi poſſe fieri deluſionẽ, & declinationẽ iudicij, quia fieri poteſt, quòd quis alleget cauſam, vt ſibi de nouo notam, quã antea noluerit allegare, cũ illam ſciret, ex intentione, vt in longum protrahat iudicium. Reſp. Licet hoc fieri poſſit, non adeſſe tamen præſumptionem, quòd fiat, & dolus interueniat; quia iuramentum euacuat præſumptionem in contrarium. Et hic modus ſufficit ad prouidendum, ne committatur dolus, cum alio pacto non poſſit ſecurius prouideri, ſalua iuſta facultate allegandi cauſam recuſationis, quæ de nouo venit in notitiam.

4 Quæres ſecundo. An ſufficiat, quæcunque ignorantia præcedens cauſæ recuſationis. Reſpond. Non ſufficere ignorantiam iuris, qua ignoretur ius concedere facultatem recuſandi iudicem ex tali cauſa, quia nemo præſumitur ius ignorare *l. Regula ff. de Iur. & fact. ignor.* ſed ſolùm ignorantiam facti, qua ignoretur hic, & nunc interuenire talem cauſam recuſandi. Et ita notat Gloſſa *in Cap. Paſtoralis. de Exceptionib. Verbo* Poſtmodum. Sola enim ignorantia facti excuſat, non autem ignorantia iuris, & ideo excuſatur, ſi prius non allegauit cauſam recuſationis, quia ſtante tali ignorantia non potuit allegare; ſecus autem ſtante ignorantia iuris, quia hæc poteſt vinci, & poſſunt conſuli periti:

An poſt concluſionem cauſæ poſſit iudex recuſari, ſi tunc noua cauſa recuſationis ſuperueniat.

Deciſio CCCLII.

SVMMARIVM.

1 *Poſt concluſionem cauſæ neque ex noua cauſa poteſt iudex recuſari ſecùndum aliquos.*
2 *Poſt concluſionem cauſæ non datur locus probationibus.*
3 *Poſt concluſionem cauſæ ex noua cauſa poteſt iudex recuſari.*
4 *Vſque ad quem terminum admittenda ſit recuſatio iudicis.*
5 *Ius naturale dat facultatem declinandi ſemper iniuſtitiam.*
6 *Quæ probationes non habeant locum poſt concluſionem cauſæ.*

1 RESp. negatiuè Domin. *in Cap. Index de Officio Deleg. in 6.* Io: Andreas *in Cap. 2. de Ordin. cognit.* Imola *ibid. num. 19.* & alij Canoniſtæ loquendo tamen ſecùndum Ius Canonicum, ſecùndum quod cauſa recuſationis probari debet. Excipiunt tamen caſum, quando cauſa recuſationis de nouo ſuperueniens poſt concluſionem cauſæ eſt adeo notoria, vt non exigat probationem.

2 Fundantur in eo, quod poſt concluſionem cauſæ non datur locus probationibus Cap. *Cum dilectus de Fide inſtrum.* Ergo neque ijs, quę ſine probationibus admitti non poſſunt, vt eſt cauſa recuſationis.

3 Oppoſitum tamen tenendum eſt, non ſolum quando cauſa recuſationis eſt notoria; ita vt non exigat probationes, ſed etiam quando ijs indiget; ſi poſt concluſionem cauſæ superueniat. Et ita tenent Felin. *in Cap. Inſinuante De offic. Delegati num. 15.* & in Cap. *Paſtoralis num. 17. De except.* Decius *ibid num. 9.* Francus in Cap. *Cum ſpeciali num. 22. De Appellat.* Couar. *capit. 26. Pract. quæſt. num. 2. ver. Sciet poſt.* Panorm. *cap. 1. De mutui petit.* Maranta *De ordine iudiciar. par. 3. ſextæ par. in 2. actu, qui appellatio num. 74.* Sanchez *lib. 6. Conſil. Moral. c. 8. dub. 3. num. 19.* cum alijs.

4 Habet autem hæc ſententia fundamentum in dicto Cap. *Inſinuante De officio Delegati*, vbi Pontifex concedit recuſationem iudicis ex cauſa orta tractu temporis ante definitiuam ſententiam. Ergo terminus quouſque admitti debet reuocatio, eſt definitiua ſententia excluſiuè, atque adeo etiam poſt concluſionem cauſæ admitti debet, cum hæc præcedat definitiuam ſententiam.

5 Et ratio etiam ita exigit, nam ius naturale dat facultatem ſemper declinãdi iniuſtitiam, quæ à quocunque ſibi irrogari poteſt, & conſequenter in quocunque proceſſu ſit cauſa, dat ius declinandi per recuſationem iniuſtitiam iudicis; ergo cum ſit cõtra iuſtitiam prohibere, ne quis vtatur ſuo iure naturali, debet admitti recuſatio etiam poſt concluſionẽ cauſæ, nec prohiberi poteſt.

6 Neque obſtat, quod *num. 2.* pro contraria ſententia adductum eſt, quia poſt concluſionem cauſæ non habent locum probationes, quæ pertinent ad proceſſum ipſius cauſæ, & ad id quod directè in ipſa cauſa tractatur: ſecus autem illæ, quæ faciunt ad interrumpendam, vel ſuſpendendam cauſam. Cum enim cauſa adhuc ſit in proceſſu, quia non eſt terminata per ſententiam definitiuam, habent locum omnia quæ concernunt proceſſum cauſæ, atque adeo etiam quæ ipſum poſſunt interrumpere, vel ſuſpendere; quia autem concluſa eſt quòad ea, quæ in fauorem partium in ordine ad ſententiam allegantur, ideo non habent locum probationes, quæ in tali allegatione poſſent in ordine ad ſententiam produci, quia quatenus concluſa non poteſt produci;

Digitized by Google

duci; ſecus autem quatenus non concluſa. Et ita intelligendus eſt tex. Cap. *Cum dilectus eodem num.. 2. allatus*.

An ſi cauſa recuſationis poſt concluſionem cauſæ non ſuperueniat de nouo, ſed ſolum de nouo veniat ad notitiam, debeat admitti recuſatio.

Deciſio CCCLIII.

SVMMARIVM.

1 *Recuſatio iudicis non debet admitti ex cauſa de nouo cognita, ſed antiqua poſt concluſionem cauſæ.*
2 *Niſi ex ſolo iuramento partis poſſit admitti recuſatio, ſecundum aliquos.*
3 *Etiã poſt concluſionem cauſæ debet admitti recuſatio iudicis ex cauſa ſolum noniter cognita.*
4 *Ignorantia facti nemini præiudicat.*
5 *Nemo coarctatur ad vtendum iure ſuo, antequã poſſit vti.*
6 *In recuſatione iudicis non debet eſſe æquius ius ciuile, quàm canonicum.*
7 *Ex cauſa de nouo cognita poteſt recuſari iudex poſt præfixum terminum recuſationis.*
8 *Iuramẽtum quòd cauſa recuſationis de nouo venerit in notitiam ſupplet nouitatem emergentiæ.*
9 *Quæ probationes excludantur ratione concluſionis cauſæ.*

1 NOn habere locum recuſationem in tali caſu docent Imol. *in cap. 2. de ordin. cognit. num.* 19. Ioan. Andr. *ibid.* Domin. *in Cap. Iudex De offic. Delegati in 6.* Couar. *capit. 26. pract. quæſt. num. 3. ver. Iure autem regio.* qui *ver. præcedent.* vocat oppoſitam opinionem dubiam, & non conuenientem cum opinionibus frequentiſſimè receptis.

2 Excipiunt tamen præſertim Couaru. quando ſolo iuramento admitti poteſt recuſatio abſque probationibus, vt cum agitur ſecũdum ius ciuile, ſecundum quod ſufficit iuramento affirmare, iudicem eſſe ſibi ſuſpectum. Mouentur quia poſt, concluſionem cauſæ non eſt locus probationibus. Quòd debet intelligi quò ad ea, quæ præceſſerunt concluſionem cauſæ, non autem quo ad ea, quæ de noua ſuperueniunt.

3 Oppoſitum tenet Francus in Cap. *Cum ſpeciali, num. 22. De appellation.* Quod etiam videtur ſentire Sanchez *lib. 6. Conſil. Moral. cap. 8. dub. 3. num. 19. circa med.* citans Lopez, qui tamen tantùm loquitur ſecundum ius Ciuile: vnde eſt potiùs cum priori ſententia.

4 Hanc poſteriorẽ ſententiam exiſtimo valde congruentem iuſtitiæ, & valde probabilem; nam ignorantia facti nemini debet præiudicare, ſicuti ignorantia iuris nemini patrocinatur; & ideo debet in quocunque ſtatu cauſa reperiatur admitti recuſatio iudicis, ne ſubſit præiudicio iudicis ſuſpecti. Et cum ignorantia facti excuſet, & alioquin habeat ius ad recuſandum iudicem, non excuſaretur, ſi priuaretur tali iure.

5 Confir. Si de nouo ſuperueniret cauſa recuſationis, poſſet iudex recuſari; ergo etiam ſi de nouo ad notitiam veniat: quia quæ de nouo ad notitiam veniunt, ita ſe habent, ac ſi de nouo ſuperuenirent. Nec poteſt quis coarctari ad vtendum ſuo iure, antequam poſſit vti: vnde cum quiſque habeat ius ad recuſandum iudicem ſibi ſuſpectum, non poteſt cogi, quòd ſi vult vti, vtatur antequam poſſit vti: ita vt quando primò vti poteſt, tunc prohibeatur vti. Non poteſt autem prius vti tali iure, quàm ſciat cauſam recuſationis.

6 Item non debet eſſe maior æquitas in iure ciuili, quàm in Canonico: vnde cum ius ciuile admittat recuſationem, quia illam admittit cum ſolo iuramento ſine probationibus, etiam poſt concluſionem cauſæ, licet non de nouo ſuperueniat, ſed ſolùm de nouo in notitiam veniat: deberet etiam ius canonicum admittere: præſertim quia non admittit abſque probationibus, atque adeo cum maiori cautela procedit in recipienda recuſatione.

7 Et facit tex. ex Cap. *Paſtoralis de Exceptionibus.* vbi conceditur facultas recuſandi iudicem poſt præfixum terminum ex cauſa non de nouo ſuperueniente, ſed ſolùm de nouo cognita, dummodo iuramento affirmetur de nouo in notitiam veniſſe ob æquitatem exigentem: quod ratio habeatur ignorantiæ. Deinde ibi ignorantia excuſat, & facit, vt reſtituatur in priſtinum is, cui cauſa recuſationis de nouo in notitiam venit, & eam proponere poſſit, quam alioquin prohiberetur proponere.

8 Similiter etiam Cap. *Inſinuante, de Officio Delegati*, vbi ponitur definitiua ſententia pro termino excludente recuſationem iudicis: vnde ſemper ante ipſam erit locus recuſationi. Et licet tex. loquatur de recuſatione ex cauſa de nouo emergente; iuramentum tamen, quòd de nouo cauſa in notitiam venerit, ſupplet nouitatem emergentiæ, ex citato Cap. *Paſtoralis de Exceptionibus*.

9 Ad id, quod *num.* 2. adducitur Reſp. Poſt concluſionem cauſæ non habere locum probationes, quæ concernunt cauſam quò ad ea, quæ iam concluſa ſunt, & quæ ſunt faciendæ coram eodem iudice in ordine ad ſententiam:

quia cum ſolùm ratione concluſionis cauſæ excludantur probationes, debent excludi ſolùm quò ad iam concluſa: ſecus autem quæ concernunt ea, quæ de nouo emergunt; aut quæ ſe habent vt de nouo emergentia, vt ſunt ea, quæ de nouo in notitiam veniunt; vt contingit in caſu noſtro, in quo noua cauſa incohatur, & coram alio iudice probationes allegandæ ſunt: & ideo hoc non eſt in cauſa concluſa allegare de nouo probationes, ſed aliam incohare.

An ante publicationem ſententiæ, ſi tamen ſit tradita ſcribæ ad eam pronunciandam, adhuc ſit locus recuſationi iudicis.

Deciſio CCCLIV.

SVMMARIVM.

1 *Facta ſententia, licet non publicata, non eſt locus recuſationi iudicis, ſecùndum aliquos.*
2 *Facta ſententia, dummodo non ſit publicata, poteſt iudex recuſari.*
3 *Dummodo tamen cauſa recuſationis non ſit friuola.*
4 *Quouſque ſententia non publicatur non eſt pars iudicij.*
5 *Ante publicationem ſententiæ non habetur definitiua ſententia; ideo eſt locus recuſationi iudicis.*
6 *Defenſio iudicialis quando habeat locum.*

1 NEgatiuam partem tenet Rupellan. *lib. 1. Forenſ. Inſtit. cap.* 48. apud Couaruu. citandum; quia iam res eſt cœpta iudicari, & ideo non habet locum recuſatio.

2 Affirmatiuam ſententiam videntur tenere idem Couaruu. *cap. 26. Pract. Quaſt. numer. 3. ver. Cæterum illud.* & Sanchez *lib. 6. Opuſ. Moral. cap. 8. dub. 3. num. 19. in fine.* qui etiam citat Paz. *tom. 1. Pract. par. 1. t.* 10. *numer.* 19. Et Couaruu. teſtatur, hoc in praxi eſſe apud Hiſpanos: oppoſitam tamen ſententiam vtiliorem vocat ad tollendas calumnias litigãtium.

3 Hanc poſteriorem ſententiam exiſtimo eſſe ſequendam, dummodo cauſa recuſationis non ſit friuola, ſed grauis; quia iuſtitia exigit, vt ſemper poſſit vnuſquiſque imminens damnum à ſe auertere, cum hoc concedat ius ipſum naturæ, nempe ſe defendere, vt diximus in ſuperioribus; vnde cum tunc quoque ſit in ſtatu, in quo rationabiliter poteſt à iudice præiudicium timere, debet poſſe ſe ſubtrahere per viam recuſationis.

4 Nec obſtat, quod ſententia ſit tradita ſcribæ; quia cum non ſit pronunciata, non cenſetur lata, ſed ferenda. Nec res eſt iudicari cœpta; quia cum proceſſus cauſæ fiat per acta publica, quouſque ſententia non ſit publica, non eſt pars illius iudicij, ſed quid priuatum, & præparatum pro complemento iudicij. Vt autem res incipiat iudicari, debet incipere iudicari eo modo, quo iudicanda eſt.

5 Et fauet etiam tex. ex Cap. *Inſinuante de Officio Delegati*; vbi ponitur definitiua ſententia pro termino excludente recuſationem, atque adeo locum habet, quouſque perueniatur ad ipſam. Ante autem publicationem non habetur definitiua ſententia, quia nondum ſecùndum acta iudiciaria eſt cauſa determinata.

6 At dices. Recuſatio iudicis eſt pars defenſionis; quando autem ſententia eſt tradita ſcribæ non habet amplius locum defenſio. Reſp. Defenſionem ſecundum ſubſtantiam, ſecundum quod eſt de iure naturæ, habere ſemper locum: ſolum autem non habere locum aliquando ſecũdum aliquem ſpecialem modum; & ideo quando ſententia eſt tradita ſcribæ, non habet locum defenſio, quæ ſit in ordine ad ipſam ſententiam, quia iam ſupponitur facta, aut ſaltem conceſſus debitus terminus, intra quem fieri poterat; at noua defenſio, quæ ex noua cauſa, aut ſaltem nouiter cognita, neceſſaria eſt, non poteſt prohiberi, ſed etiam tunc admittenda eſt: alioquin tolleretur defenſio ſecundum ſubſtantiam, quæ eſt de iure naturæ.

An, ſi iudices ſint plures, ſimul tamen iudicaturi, & aliquis recuſetur, poſſit, qui non recuſatur, cognoſcere de cauſa recuſationis.

Deciſio CCCLV.

SVMMARIVM.

1 *Coniudex, qui non recuſatur, non poteſt cognoſcere de cauſa recuſationis.*
2 *Quando iudex non poteſt ſine alio procedere, non habet propriam ſpecialem iuriſdictionem.*
3 *Coniudices faciunt tribunal, non ſeorſim.*
4 *Iudice, qui poteſt ſpecialiter procedere, recuſato, non poſſunt alij cognoſcere de cauſa recuſationis.*
5 *Iudex ſimul cum alijs, ſi etiam eſt ſpecialiter delegatus, poteſt cognoſcere de cauſa recuſationis.*

1 Reſpon-

Digitized by Google

1 Reſpondendum eſt negatiuè cum Gloſ. *in Cap. Si contra. De offic. Delegati in 6.* Franc. Cap. *Cum ſpeciali. De Appellat.* Sanchez *lib. 6. Conſil. Moral. cap. 8. dub. 3. num. 24.* & communiter Canoniſtis in dict. *Cap. Si contra.* Vbi hoc apertè ſancitur: nam cum Pontifex ſtatuiſset, quòd alter Delegatorum poſſit recognoſcere cauſam recuſationis, quando delegatio fit cum clauſula, *Quod ſi ambo intereſſe non poſſunt, alter eorum procedat.* Subdit *Vbi vero non eſt dicta clauſula in Reſcripto, debet ſuper hoc ad arbitros recurſus haberi.* Et idem valet etiam quòad iudices ordinarios, cum ſit eadem ratio.

2 Et ratio deſumitur ex text. quia quando non adeſt dicta clauſula, atque adeo non poteſt vnus ſine alio procedere, non habet propriam ſpecialem iuriſdictionem, ſed tantùm communem cum recuſato; & ideo non poteſt actus iuriſdictionis proprios, & ſpeciales exercere; qualis eſſet cognoſcere cauſam recuſationis.

3 Accedit etiam, quod ſimul, & non ſinguli ſeorſim faciunt vnum tribunal, nec quis eorum habet ſeorſim aliquam iuriſdictionem: ſed vna, & eadem auctoritas eſt ſimul in omnibus, & ideo vno recuſato, recuſatur totum tribunal; imò diſſoluitur tribunal per ſeparationem recuſati; & ideo non remanet apud alios facultas agnoſcēdi cauſam recuſationis.

4 Et notat Gloſ. *in dict. Caput Si contra. De offic. Delegati in 6.* Quod ſi iudices plures ſint ita conſtituti, vt poſſit aliquis eorum in ſpeciali ſe ſolo procedere, aut ex vi delegationis, aut ex alio capite, tunc ſi iſte recuſetur, non poſſunt alij cognoſcere de cauſa recuſationis: cū militer eadem ratio, quòd non poſſint ſeorſim ab ipſo iuriſdictionem exercere.

5 Is autem, qui ſic delegatus eſt in ſpeciali, poterit cognoſcere de cauſa recuſationis, ex dicto Cap. *Si contra.* Si autem poſſit non ex vi talis clauſulę delegatiuæ, ſed aliunde ſeorſim iuriſdictionem exercere, an poſſit de cauſa recuſationis cognoſcere patebit ex infra dicendis de iudicibus in ſolidum.

Quid dicendum de Viſitatoribus Regularium quādo plures viſitant: an poſſit vnus cognoſcere de cauſa recuſationis alterius.

Deciſio CCCLVI.

SVMMARIVM.

1 *Viſitator in actu viſitationis non poteſt allegari ſuſpectus.*

2 *Si vnus Viſitator recuſetur, non poteſt alter cognoſcere cauſam recuſationis.*

3 *Mos Viſitatorum Clericor. Regul. quando vnus debet aliquid cognoſcere de alio.*

4 *Neque apud Clericos Regulares poteſt vnus Viſitator cognoſcere cauſam recuſationis alterius.*

5 *Ad cognoſcendam cauſam recuſationis debent eligi arbitri.*

6 *Cur vnus Viſitator non poſſit cognoſcere cauſam recuſationis alterius apud nos Clericos Regulares.*

7 *Quando apud nos Cler. Regul. poſſit vnus Viſitator ſine alio erigere tribunal.*

1 Svppono, quando Viſitatores Regulares ſimul viſitant monaſteria, habere auctoritatem, & iuriſdictionem coniunctim: quia ſi haberent ſinguli in ſolidum, eſſet eadem ratio de ipſis, ac de iudicibus in ſolidum. Et licet non poſſit Viſitator in actu Viſitationis allegari ſuſpectus, niſi exceſſerit modum in Viſitatione, vt notant Genuenſ. *in Prax. Archiepiſcop. Neapolitana cap. 21.* & Barboſa *De offic. & Poteſt. Epiſcop. Allegat. 73. num. 38.* quia tamen poteſt modum excedere, aut ab inquiſitione generali aliquando ad particularem procedendum eſt; ideo etiam reſpectu Viſitatorum quoque habet locum recuſatio; quia in inquiſitione particulari procedunt, non vt Viſitatores, ſed vt iudices.

2 Reſpondeo igitur. Non poſſe vnum Viſitatorem cognoſcere de cauſa recuſationis alterius; quia non habet iuriſdictionem ſeorſim ab ipſo, & facit cum ipſo vnum corpus Viſitationis. Vbi autem plures interuenire debēt ad fundandam iuriſdictionem, & conſtituendum tribunal, vnus, aut etiam plures non ſufficiunt, niſi ſint omnes, qui requiruntur, vel ſecundùm præſcriptum delegationis, vel ſecundùm leges, & ſtatuta. Et hoc probat tex. ex Cap *Si contra De officio Delegati in 6.*

3 Apud nos autem Clericos Regulares res aliter videtur ſe habere; nam iuxta noſtras Conſtitut. *par. 3. cap. 8. num. 6.* poteſt vnus Viſitator aſſumpto ſocio ex vocalibus illius domus in qua ſunt, cognoſcere de eo, quod circa alterum Viſitatorem collegam cognoſcēdum occurrit. Et proinde ſpecialiter conſtituitur iudex cum dicto ſocio alterius Viſitatoris: vnde etiam videtur poſſe recognoſcere cauſam, ob quam recuſatur.

4 Dicendum tamen eſt, non poſſe Viſitatorem cum ſocio aſſumpto cognoſcere de cauſa ſuſpicionis producta contra alterum Viſitatorem.

5 Ratio eſt, quia Viſitator cum ſocio aſſumpto conſtituit aliud tribunal, cui ſubijcitur alter Viſitator: cauſa autem ſuſpicionis non

debet cognoſci ab eo tribunali, cui ſubijcitur is, contra quem producitur: ſed debent eligi arbitri, qui de ipſa cognoſcant. Vt babetur in Cap. *Cum ſpeciali De appellat.* & Cap. *Secundo requiris. eodem tit.* & Cap. *Cum legitima De appellat. in 6.*

6 Deinde Viſitator aſſumens ſocium non eſt amplius iudex in illa cauſa, quæ coram Viſitaroribus cœpta eſt, cum conſtituat aliud tribunal; & ideo non poreſt tanquam iudex in illa cauſa coguoſcere de cauſa ſuſpicionis: nec cauſa ad aliud tribunal trahi poteſt, niſi prius conſtet, quòd nequeat agitari coram priori tribunali: vnde eligendi erunt arbitri, qui cognoſcant de cauſa recuſationis.

7 Nec obſtar, quod in prædictis Conſtitutionibus ſancitur. Quia ſolum datut facultas, quòd, prout occaſio tulerit, vnus, ſiue alter Viſitatorum cum ſocio aſſumpto poſſit conſtituere nouum tribunal, quando agitur de ijs, quæ pertinent ad alterum Viſitatorem: non autem datur facultas cognoſcendi de cauſa recuſationis; & ideo cum nihil de hoc specialiter decernatur, ſtandum eſt iuri communi, cui non cenſetur derogari per ſpeciales conſtitutiones editas in virtute priuilegij Bonifacij VIII. concedentis Regularibus, vt poſſint decernere contra ius commune quò ad ea, quæ pertinent ad apices iuris, niſi contra ipſum aliquid in ſpeciali contineant.

An exiſtentibus pluribus iudicibus, qui tantùm ſimul poſſint iudicare, & aliquis eorum recuſetur, poſſint alij eligi in arbitros; atque adeo: An vnus Viſitator, altero recuſato.

Deciſio CCCLVII.

SVMMARIVM.

1 *Quando ex pluribus vnus iudex recuſatur, videntur cæteri poſſe eligi in arbitros ad cognoſcendam cauſam recuſationis.*
2 *Non poſſunt eligi.*
2 *Nemo in caſu proprio poteſt eſſe arbitrer.*
3 *Arbitrer poteſt recuſari vt ſuſpectus.*
3 *Recuſato vno cæteri iudices manent ſuſpecti.*
4 *Vbi debeat cognoſci cauſa recuſationis iudicis.*
5 *Iudex debet cogere arbitrum, vt procedat.*
6 *Iudex non poteſt cogere partes, vt in ſe compromittant, nec accipere arbitrum ſibi oblatum.*

1 VIdetur affirmarinè reſpondendum iuxta Gloſ. in Cap. *Infames, verbo* Si quis verò *3. quaſ. 7.* vbi docet, quòd Ordinarius poſſit eſſe arbiter: quia oppoſitum nullibi inuenitur, ſed tantùm quòd non poſſit cogere partes, vt in ſe compromittant.

2 Exiſtimo tamen probabilius, quod non poſſit eligi in arbitrum; quia nemo in cauſa propria poteſt eſſe arbiter. *l. penult. ff. De arbit.* vbi etiam Bar. talis autem iudex eſſet arbiter in cauſa propria, quia licet ipſe perſonaliter non recuſetur, ratione tamen alterius coniudicis recuſatur tribunal, cuius ipſe eſt pars; vnde indirectè & ipſe quoque recuſatur: atque adeo eſſet arbiter in cauſa proprij tribunalis, quæ cenſetur propria illius.

3 Deinde cum arbiter poſſit recuſari, vt ſuſpectus, l. *Non diſtinguemus. §. Cum quidam ff. de Arbit.* non poteſt eligi in arbitrum is, qui ex facto recuſationis iudicis remanet ſuſpectus. Coniudex autem ex recuſatione alterius coniudicis remanet ſuſpectus; quia per talem recuſationem priuatur iuriſdictione, ſi ſit ex iuſta cauſa.

4 Terriò. Cauſa recuſationis debet cognoſci extra rribunal contra quod proponitur. Talis autem coniudex, qui non recuſatur, non eſt extra huiuſmodi tribunal, quia quandiu pendet recuſatio, debet expectare, vt pars illius tribunalis, an debeat cauſam proſequi: & ideo non poteſt de ipſa cognoſcere.

5 Quartò. Pertinet ad judicem cogere arbirrum vt procedat, & eius ſententiam mandare executioni; ergo non poteſt aliquis ex coniudicibus eligi in arbitrum: quia non remaneret tribunal habens iuriſdictionem cogendi arbitros, & mandandi executioni eorumdem ſententiam.

6 Denique in dicto Cap. *Infames 3. quæſt. 7.* duo probantur, & quod iudex non poſſit iubere, vt partes in ſe compromittant. Et ſi compromiſerint, quòd nequeat recipere arbitrium. habet enim tex. *Si quis verò iudex ſit, arbitrium recipere eius rei, de qua iudex eſt, & in ſe compromitti iubere, prohibetur lege Tullia.* vbi nota particulas *Iubere, & recipere.* Quia autem cauſa recuſationis pertinet ad rem, de qua eſt iudex, ſi in ſe reciperet arbitrium talis cauſæ, ſaltem indirectè reciperet arbitrium rei, de qua eſt iudex.

An

An, quando ſunt plures iudices in ſolidum, ita vt poſſit vnus ab alio ſeorſim procedere, poſſit, vno recuſato, alter de cauſa recuſationis cognoſcere.

Deciſio CCCLVIII.

SVMMARIVM.

1 *Quando iudices in ſolidum delegati poſſint cognoſcere de cauſa recuſationis, ſi aliquis eorum recuſetur.*

2 *Quando non poſſit cognoſcere.*

3 *Non poteſt cognoſcere ſecundum aliquos, ſi in delegatione non exprimatur, quod vnus poſſit ſine alio procedere.*

4 *Hoc non obſtante, adhuc ſi ſit iudex in ſolidum, poteſt cognoſcere.*

5 *Quilibet iudex ex delegatis in ſolidum ſe ſolo procedere poteſt.*

6 *Quomodo ſe habeant iudices in ſolidum delegati.*

7 *Cur quando iudices non ſunt in ſolidum, debeant eligi arbitri ad cognoſcendum cauſam recuſationis.*

8 *In quo differant iudices in ſolidum, & iudices non in ſolidum.*

9 *Iudex recuſatus vnde impediatur, ne poſſit cognoſcere de cauſa recuſationis.*

10 *Recuſato primo iudice, cæteri in ſolidum incipiunt habere iuriſdictionem expeditam.*

11 *Poſſunt abſentes iudices cognoſcere de cauſa recuſationis.*

12 *A quo iudice debeat cognoſci cauſa recuſationis, quando plures in ſolidum ſuccedunt in cauſa.*

13 *An præſumi debeat quod collega cognoſcens cauſam recuſationis, non rectè iudicet.*

1 POſſe cognoſcere de cauſa recuſationis, ſi iudices ſint delegati cum hac particula, *Quòd ſi ambo intereſſe non poſſunt, alter eorum in cauſa procedat.* omnino certum eſt, cum ita ſaueiatur in Cap. *Si contra de Officio delegati in 6.* tunc enim quilibet eſt ſpecialiter delegatus tanquam immediatus iudex, & ideo ex eo, quod vnus per recuſationem impediatur, ne procedat, non impeditur alter.

2 Rurſus. Si in delegatione non adſit talis clauſula, non poteſt non recuſatus cognoſcere de cauſa recuſationis, ſed eligendi ſunt arbitri, vt *in eodem Cap.* ſtatuitur. Difficultas eſt ſi fiat delegatio pluribus iudicibus, omnibus, & ſingulis, ita vt ſinguli ſint iudices in ſolidum, non tamen cum prædicta particula: an tunc non recuſatus poſſit cognoſcere de cauſa recuſationis. Quod idem intelligendum eſt, ſi contingat, plures eſſe iudices ordinarios in ſolidum.

3 Pro parte negatiua plures rationes affert Couarun. *cap. 26. Pract. Quæſ. num. 5. ver. Nos vero.* qui tamen nihil deſinit. Arguit ergo primò, ex dicto Cap. *Si contra.* Si non adeſt dicta clauſula *Quòd ſi ambo &c.* non poteſt de cauſa recuſationis alter iudex cognoſcere. Secundò. Nondum apparet iudicem recuſatum eſſe impeditum pendente cauſa recuſationis: ſolùm autem quando vnus eſt impeditus poteſt alter procedere. Tertiò. Non omnes iſti iudices habent iuriſdictionem actualem, ſed tantùm is, qui ea vti cœpit. Quartò. Poteſt contingere, quod hi iudices ſint diuerſorum locorum; vnde eſſet maximum inconueniens deferre cauſam recuſationis in iudicem longinquum. Quintò. Si ſint tres iudices, & primus recuſetur, eſſet diſſidium, qui nam ex alijs duobus deberet cognoſcere cauſam recuſationis, & poſſet, qui litteras delegatorias obtinuit, velle determinare iudicem; vnde oriretur maxima turbatio. Denique iudex collega pronunciaret abſque dubio recuſatum vt ſuſpectum, vt ipſe iudicaret.

4 Oppoſitam ſententiam tradit Sanchez *lib. 6. Opuſ. Moral. cap. 8. dub. 3. num. 25.* & ait, hanc ſententiam tenuiſſe poſt longum ſtudium quemdam iuriſperitum valde doctum. Et hanc ſententiam exiſtimo ſequendam vt pote meliori fundamento innixam.

5 Et fundamentum ſumitur ex Cap. *Cum plures de Offic. Delegati in 6.* Vbi dicitur, quòd quilibet ex iudicibus delegatis in ſolidum procedere poteſt. Et ratio eſt, quia quando delegantur in ſolidum quilibet habet iuriſdictionem ſeorſim ab alio: vnde etiam ſeorſim ab alio poteſt ea vti.

6 Rurſus. Hi iudices habent talem ſubordinationem adinuicem, vt ſi vnus inchoet cauſam, non poſſint alij ſe intromittere: ſi tamen qui incœpit non poſſit proſequi ex quacunq; cauſa, ſuccedunt alij, vt habetur in dicto Cap. *Cum plures.* In caſu autem noſtro iudex recuſatus non poteſt proſequi; nam non poteſt cognoſcere de cauſa recuſationis. Ergo ſuccedunt alij ad cognoſcendum: cum habeant ius ſupra illam cauſam.

7 Confir. Ideo quando eſt vnus iudex, aut plures, ſed non in ſolidum, eliguntur arbitri, quia tunc iudices illi non poſſunt cognoſcere de cauſa recuſationis; nec adeſt alius iudex ad quem immediatè pertineat cauſa: in caſu autem noſtro adſunt alij iudices, ad quos immediatè cauſa pertinet.

7 Denique. Quando adeſt clauſula, *Quod ſi ambo intereſſe non poſſunt, alter eorum in cauſa procedat,*

cedat, ideo qui non recuſatur, poteſt cognoſcere de cauſa recuſationis, quia ſubſtituitur iudici recuſato in eadem cauſa: atque adeo peragere poteſt quæ alter non poteſt; ſed etiam iudices in ſolidum ita ſe habent, vt vnus cenſeatur ſubſtitutus alteri, vt conſtat ex dicto Cap. *Cum plures*. Et proinde dicta clauſula quò ad ſubſtantiam continetur in modo, quo plures conſtituuntur iudices in ſolidum; vnde etiam erit eadem ratio.

8 Ad primum in oppoſitũ. Reſp. tex. loqui de iudicibus non deputatis in ſolidum; nam tunc ſi non adſit dicta clauſula, non poteſt non recuſatus cognoſcere de cauſa recuſationis, cum non habeat ſeorſim ab alio iuriſdictioně, niſi ex vi illius clauſulæ ſpecialiter delegetur. At iudices in ſolidum, eo ipſo quòd ſunt in ſolidum, ſunt deputati, vt vnus poſſit procedere ſeorſim ab alio; & ideo nõ indigent clauſula delegante.

9 Ad 2. Licet non appareat impedimentum quò ad proſequutionem cauſæ, pendente cauſa recuſationis, eſt tamen à iure impeditus, ne poſſit cognoſcere de cauſa recuſationis, & ideo ſuccedit alter iudex in ſolidum.

10 Ad 3. Omnes iudices habere abſolutam iuriſdictionem expeditam, & poſſe ea vti quando primus non poteſt, vt conſtat ex dicto Cap. *Cum plures*. & ideo producta cauſa recuſationis, cum primus non poſſit de ea cognoſcere, poſſunt cœteri vti ſua iuriſdictione.

11 Ad 4. Hoc inconueniens militare etiam in ordine ad cauſam principalem; nam ſi primus iudex ſit impeditus, cauſa deuoluetur ad abſentes: vnde, ſi hoc non tollit quin abſentes non poſſint ſuccedere in cauſa, nec etiam tollet, quin poſſint cognoſcere de cauſa recuſationis.

12 Ad 5. In illo caſu dari præuentionem, ſicut datur etiam quando incohatur cauſa, ex dicto Cap. *Cum plures*; nam vno incohante, non poſſunt alij ſe intromittere. Quod ſi nemo præueniret, ille deberet adiri, qui ante alios in delegatione nominatur; nam ordo nominationis ponit ordinem in ſubſtitutione; & ideo qui prius nominatur, prius ſubſtituitur. Vniuerſaliter enim ordo ſcripturæ arguit ordinem præeminentiæ Cap. *Epiſcopos*. *diſt*. 17. & l. *Quoties ff. de Vſufr*.

13 Ad 6. Non eſſe præſumendum, quòd iudex collega aliter pronunciet, ac debeat pronunciare; quia licet eſſe iudicem ſit alicuius honoris, habet tamen graue onus Cap. *Paſtoralis de Officio Delegati*. vbi nota verbum *Exonerare*.

De Opinione probabili.

An ex opinionibus probabilibus vna ſit tutior altera.

Deciſio CCCLIX.

SVMMARIVM.

1 *Ex probabilibus vna opinio ex tutior altera ſecùndum aliquos.*
2 *Ex probabilibus vna opinio non eſt tutior altera.*
3 *Quid ſit opinionem eſſe tutam, & quomodo conueniat cuicunque probabili.*
4 *An vna opinio probabilis faciat magis certum quòd Deus non offendatur, quàm alia.*
5 *An ratione obiecti poſſit vna opinio eſſe tutior altera.*
6 *Vnde proueniat ſecuritas opinionis.*

1 VIdentur ferè omnes admittere, vnam opinionem eſſe tutiorem altera, dũ paſſim dicunt, hanc, vel illam eſſe eligendam vt pote tutiorem. Quia cum in ſua probabilitate plus habeat certitudinis, etiam plus diſtat ab errore: & proinde adeſt minus periculum errandi. Et ita ſpecialiter docet Caietan. in Sum. *verbo Opinionis vſus*, Vaſquez 1.2. *tom*. 1. *diſp*. 62. *num*. 2. quamuis poſtea *num*. 64. hoc moderetur, Portel *in Dub. Reg. verbo Opinio eligendi num*. 2. Breſſer. *lib*. 3. *de Conſcient. cap*. 6.

2 Nihilominus ex probabilibus opinionibus vnam non eſſe tutiorem altera docent Henriquez *in Proœm. ſum*. Sanchez *lib*. 1. *in Decalogum cap*. 9. *num*. 14. Io. Sanchez *in ſelect. diſput*. 44. *num*. 66. Caſtr. Palaus 1. *par. tract*. 1. *diſput*. 2. *puncto* 2. *num*. 3. & idem videtur ſentire Azor. *tom*. 1. *lib*. 2. *cap*. 16. *quaſt*. 2. *circa finem*. Vnde æqualiter vnus quiſque ſequens opinionem probabilem poteſt in conſcientia eſſe ſecurus.

3 Fudamentum eſt, Quia quòd opinio ſit tuta, dicit quòd operans ſecùndum ipſam, certus ſit quòd Deum non offendat, nec quantumuis ſit tutiſſima, poteſt aliquid amplius ſupra hoc præſtare; hoc autem totum præſtat quælibet opinio probabilis; quia facit vt operans ſecùndum ipſam, operetur ſecùndum dictamen rectæ rationis: operans autem ſecùndum dictamen rectæ rationis certus eſt quòd Deum non offendat.

4 Et quia inter operari ſecùndum dictamen rectæ rationis, & non operari ſecundùm ipſum non datur medium: & qui operatur ſecùndum ipſum omnino tutus eſt quòd Deum

non

non offendat; ideo in hac certitudine non datur magis, & minus; quia ſtatim ac receditur ab operatione ſecùndum dictamen rectæ rationis, declinatur ad operationem contra dictamen illius, atque adeo ad certitudinem offenſionis diuinæ: & proinde vna opinio probabilis non reddit magis certum, quàm alia, quòd Deus non offendatur.

5 Quòd ſi quis dicat, Vnam opinionem eſſe tutiorem altera ratione obiecti, de quo eſt magis certum, quòd ſit ſecùndum regulas rectæ rationis in ordine ad mentem diuinam, quæ eſt prima menſura honeſtatis. Reſp. neque hoc pacto poſſe vnam opinionem eſſe tutiorē altera; quia opinio non habet ſuam ſecuritatem ex obiecto, ſed ex regula rationis; eo ipſo autem quòd ſecùndum regulam rationis eſt probabilis, adeo eſt tuta, vt nullo pacto operatio ſecundùm ipſam poſſit imputari ad peccatum.

6 Quod etiam ex oppoſito patet; quia ſi obiectum eſſet de ſe honeſtū in ordine ad primam, & æternam regulam, & operans putaret non eſſe honeſtum: tunc operatio circa ipſum imputaretur ad peccatum; quod ſanè indicat, ſecuritatem opinionis non prouenire ex obiecto, ſed ex regula rationis.

An ſit probabilis opinio, quæ vni tantùm Doctori innititur.

Deciſio CCCLX.

SVMMARIVM.

1 *Quando res à cæteris nō agitatur, ſufficit vnus Doctor ad conſtituendam opinionem probabilem.*

2 *Poteſt talis Doctor alijs conſulere ſuam opinionem.*

3 *An vir indoctus poſſit ſequi opinionem Doctoris vnius, ſi non percipiat probabilitatem, quando res à cæteris non agitatur.*

4 *An quando res eſt agitata à paucis ſufficiat vnus Doctor ad faciendam opinionem probabilem.*

5 *An quando communiter contrarium ſentiunt.*

6 *Opinio communis relinquit locum probabilitati opinionis oppoſitæ.*

7 *Quando quis teneatur ſe ſubmittere alieno iudicio, & quando non.*

1 VNum Doctorem ſufficere ad conſtituendam opinionem probabilem, quando res à cæteris non agitatur, docent Azor. *tom. 1. lib. 2. capit. 17. quæſt. 6.* Angelus *verbo* Opinio *num. 1. & 2.* Syluester *quæſt. 1.* Nauar. *cap. 27. Manual. num.* 288 Sanchez *lib. 1. ſum cap. 9. nu. 7.* Baldel. *par. 1. Theol. moral. lib. 4. diſp. 11. num. 7. & 8.* Breſſerus *lib. 3. de conſcient. cap. 3. num. 26.* Vaſquez 1. 2. *tom. 1. diſp. 62. cap. 4. num. 12.* Lorca 2. 2. *quæſt. 11. art. 2. diſp. 40. num. 18.* Turrian. *diſp. 55. de Fide dub. 3.* Villalobos *tom. 1. ſum tract. 1. difficult. 4. nu. 16.* Sà *verbo* Dubium *num. 3.* Granado 1. 2. *tract. 12. diſp. 4. ſect. 1. num. 5.* Valent. *diſp. 2. quæſt. 14. punc. 4. quæſt. 4.* Ioann. Sanchez *diſput. 44. ſelect. De Sacram. num. 61.* Caſtr. Palaus *par. 1. tract. 1. diſp. 2. puncto 1. num. 3.* qui ait hoc nemini dubium debere eſſe. Merolla *tom. 1. diſp. 3. cap. 4. num. 4.* & alij. Ratio autem eſt, Quia non mouebitur vir doctus ad ita ſentiendum, niſi ex aliqua ratione, quæ inclinet ipſius intellectum in talem partem; talis autem ratio ſufficit vt opinio probabilis ſit; quia ſecùndùm rectam rationem determinat intellectum ad ita ſentiendum. Et quælibet opinio, cū fuit primò ſuſcitata, talis fuit, & poſtea alij eam amplexati ſunt.

2 Ex quo fit, quòd non ſolùm poſſit Doctor ipſe talem opinionem ſequi, ſed etiam alijs conſulere; quia ſi probabilis eſt, conſequenter operari cum tali opinione erit ſecundùm dictamen rectæ rationis, atque adeo nemo ſecundum ipſam operans peccabit; vnuſquiſque autem conſulere poteſt operationem, quæ non eſt peccatum.

3 Imò vir indoctus poteſt hanc ipſam opinionem ſequi, etiamſi non percipiat probabilitatem ipſius; quia cum non poſſit expendere opiniones, vt rectè operetur, non tenetur ad aliud, niſi regere ſe ſecùndum iudicium viri docti: quòd præſtat, dum alicuius Doctoris opinionem amplectitur, quam ipſe vt probabilem tradit.

4 Quòd ſi res ſit agitata, ſed à paucis, Adhuc ſufficere vnicum Doctorem ad conſtituendam contra ipſos opinionem probabilem, docent Ioan. Sanchez, & Caſtr. Palaus *numer. 1. citati.* Dummodo ex aliqua ratione probabili moueatur. Quod ſanè verum eſt; quia probabilitas opinionum non ex numero doctorum ponderanda eſt, ſed ex ratione, cui innititur; vnde ſi ſingularis Doctor habeat pro ſua opinione contra alios probabilem rationem, facit ſuam opinionem probabilem.

5 An autem ſufficiat vnus Doctor, vt opinio probabilis ſit quādo communiter contrarium ſentiunt: Reſp. affirmatiuè, ſi tamen aliqua firma ratione dictum ipſius nitatur, ſic Azor. *tom. 1. lib. 2. capit. 17. quæſt. 6.* Sanchez *lib. 1 in Decal. cap. 9. nu. 9.* Syluester *in ſum. Verbo* Opinio. *quæſt. 1.* Angelus *num. 2.* Sà *verbo* Dubium. *num. 3.* Valent. *tom. 2. diſp. 2. quæſt. 12. puncto 4. quæſt. 4.* Vaſquez 1. 2. *tom. 1. diſput. 62. cap. 4.* Filiuccius *tom. 2. tract. 21. cap. 4. num. 134.* Breſſerus *lib. 3. De conſcient. cap. 3. num.* a Tiraquel. *l. 6.*

11. Con-

11. Connub. *gloſ. 1. par. 11. num. 4.* Caſſan. *Catol. gloriæ mundi par. 11. conſil. 11.* Comitol. *lib. 5. reſp. moral. quæſt. 15. num. 6.* Farinac. *par. 1. Praxis criminal. quæſt. 15. num. 56.* Marta *de Iuriſdict. par. 2. cap. 6. num. 6. & 7.* Barboſa *in Collect. in Cap Canonum ſtatuta. numer. 9. De Conſtitut.* Merolla *tom. 1. diſp. 3. cap. 4. dub. 2. num. 75.* Villalobos *tom. 1. ſum. tract. 1. difficult. 4. num. 17.* Henriquez *de Pontif. legib. lib. 4. capit. 18. num. 13.* Io. Sanchez *diſput. 44. ſelect. de Sacram. num. 61. & 62.* Caſtr. Palaus *par. 1. tract. 1. diſp. 2. pun. 1. num. 3.*

6 Ratio reſolutionis eſt, Quia opinio communis eſt tantùm probabilis, non autem certa; vnde relinquit etiam, quòd oppoſita pars poſſit pro ſe habere aliquam rationem, quæ fundet probabilitatem ipſius; vnde poteſt ab aliquo excogitari, qui etiam poterit ſoluere rationem oppoſitæ ſententiæ; in tali autem caſu opinio illa ſingularis erit probabilis. Et propterea Gloſſa in Cap. *Ad noſtram. De conſuetudine, Verbo Inſipientibus* docet, quòd interdum reuelatur minori quod maior neſcit.

7 Nec tenetur credere quòd erret, & ſe ſubmittere aliorum iudicio; quia hoc valeret quando aliorum iudicium eſſet certum; cum autem ſit fallax, & menſurandum ſit ex ratione, cui innititur: & ipſe poſſit rationes vtriuſque partis ponderare: dum agnoſcit probabilitatem ex parte ſuæ rationis, certus eſt quòd talem opinionem ſequendo, & docendo, non erret; quia, licet poſſit opinio eſſe falſa, & ab aliquo alio oſtendi vt improbabilis, nihilominus ipſi apparet probabilis; & quilibet certus eſt non errare, dum operatur ſecùndum id, quod ſibi probabile videtur.

An opinio ab alijs reprobata poſſit vt probabilis amplecti.

Deciſio CCCLXI.

SVMMARIVM.

1 *Opinio non ſufficienter reprobata, poteſt acceptari.*
2 *Præſertim ſi reprobantes fateantur argumenta contraria habere magnam vim.*
3 *Poteſt quis inuenire probabilitatem opinionis reprobatæ.*
4 *Aliquando accipitur vt probabile, quod non eſt tale.*
5 *An ſufficiat quod opinio appareat probabilis complectenti, licet non appareat alijs.*
6 *In operando debet quiſque ſequi propriam, non alienam conſcientiam.*
7 *Deceptio poteſt habere locum tam ex parte vnius opinionis, quam ex parte oppoſita.*

1 AFfirmatiuè reſpondet Io: Sanchez *diſp. 44. ſelect. de Sacram. num. 62.* Quando non ſufficienter reprobatur, & argumenta pro ipſa adducta non benè ſoluuntur. Quod extendit etiam ad doctrinam, quam quis affert aut argumenti gratia, aut in exemplum, aut gratia diſputationis, licet affirmet nec ſibi, nec alijs placere. Quia legens talem doctrinam, & probabilem iudicans, ſe habet ac ille, qui primò aliquam opinionem ſuſcitat.

2 Hoc autem maximè habere locum aduertit, quando Doctores talem doctrinam reprobantes fatentur argumenta in contrarium, habere magnam vim, vel magnopere eſſe aduertendam; quia hoc modo loquendi indicant argumenta non poſſe ſufficienter ſolui.

3 Hanc doctrinam veram exiſtimo; quia ſicut poteſt quis nouas opiniones adinuenire, & eas benè fundare: ita etiam poteſt inuenire probabilitatem illius opinionis, quæ ab alijs vt improbabilis refutatur: aut excogitando nouas rationes, quibus probabilis appareat: aut penetrando, & explicando vim illarum, quæ ſolent in fauorem ipſius afferri, & ſoluere: ita vt ſolutiones, quæ ſolent afferri non habeant locum. Quia enim intellectus noſter
4 facilè decipitur, & veritates rerum abſconditæ ſunt, ideo ſæpe contingit quòd accipiatur tanquam probabile quod re vera non eſt tale: & e contra tanquam improbabile quod eſt probabile. Vnde plures opiniones nunc probabiles ſunt, quę antea improbabiles cenſebantur: vt quod ſtuprum, quando virgo conſentit, non ſit circumſtantia neceſſariò aperienda in confeſſione, &c.

5 Adderem etiam, quòd, vt quis poſſit amplecti talem opinionem, vt probabilem, non eſt neceſſe quòd cēſeatur talis etiam ab alijs, quibus cum iiſdem motiuis proponitur: ſed ſufficit ſi ſibi ipſi talis appareat; quia fieri poteſt, quod cœteri non penetrent probabilitatem, & vim rationum eo modo, quo penetrat ipſe, quamuis ſint melioris ingenij; quia poſſunt habere intellectum taliter diſpoſitum ratione doctrinæ, vt non poſſint illa motiua facere impreſſionem. Quod in me ipſo expertus ſum, exiſtimans aliquam opinionem omnino improbabilem quando primò mihi propoſita fuit; quam poſtea proceſſu temporis probabilem iudicaui.

6 Vt enim ſine ſcrupulo operetur, ſufficit ſi ipſe cōcipiat probabilitatem opinionis; quia non debet ſe regulare ſecùndùm alienam, ſed ſecùndum propriam conſcientiam. Quia ſi

nedum

nedum poteſt, ſed etiam debet ſequi propriā conſcientiam erroneam, multò magis poterit ſequi conſcientiam probabilem.

7 Neque obſtat; quòd poſſit decipi; quia cum ex vtraque parte adſit tantùm probabilitas, poteſt deceptio tam ex vna parte, quàm ex alia habere locum; nec ratione periculi deceptionis debet retrahi, ut ponat in praxi opinionem; quia ſufficit quòd de facto habeat probabilitatem: qua ſtante, operatur ſecùndùm rectam rationem, atque adeo cum ſecuritate.

An aliqua opinio ſit tantùm ſpeculatiuè probabilis, & non practicè.

Deciſio CCCLXII.

SVMMARIVM.

1 *Poteſt vna opinio eſſe ſpeculatiuè, & non practicè probabilis, ſecundum plures.*
2 *Opinio, quæ eſt ſpeculatiuè probabilis eſt talis etiam practicè.*
3 *In quo conſiſtat probabilitas opinionis.*
4 *Quomodo ex probabilitate ſpeculatiua conſurgat practica.*
5 *Quando opinio eſt ſpeculatiuè probabilis, poteſt iudicare intellectus, quod poſſit applicari ſecùndum rectam rationem ad menſurandum operationem.*
6 *Quando in reducendo opinionem ad praxim adeſt aliquod inconueniens, nec etiam ſpeculatiuè eſt probabilis.*

1 FRequenter Doctores docent, aliquam opinionem eſſe veram ſpeculatiuè, non autem practicè: aut ita poſſe teneri ſpeculatiuè, non autem eſſe reducendum ad praxim; quibus in dicant, ſentire quod aliqua opinio poſſit eſſe vera, aut probabilis ſpeculatiuè, non autem practicè: Quod præſertim tradit Granado t. 2. *tract.* 12. *diſp.* 4. *ſect.* 4. *num.* 32. Gerſon. 2. *par. tit.* 1. *de Regul. moral.* Nauar. in Cap. *Si quis, num.* 57. Suarez 5. *de legib. cap.* 18. *num.* 20. Salas 1. 2. *tract.* 8. *diſp.* 1. *ſect.* 5. *num.* 58. & 60. Leſſius *lib.* 2. *de Iuſt. & Iure cap.* 20. *dub.* 6. Garzia *tom.* 2. *De Benefic. par.* 7. *cap.* 1. *num.* 24. Becan. t. 2. *tract.* 1. *cap.* 4. *quaſt.* 9. *num.* 7. Merolla *tom.* 1. *diſp.* 3. *cap.* 4. *dub.* 3. *num.* 96.

2 At Ioan. Sanchez *diſput.* 44. *num.* 63. & 54. *num.* 11. *De Sacram.* docet nullam opinionem eſſe ſpeculatiuè probabilem, quæ etiam in praxi tutò amplecti non poſſit; nam probabilitas practicè eſt effectus ſpeculatiuæ; & ex eo quis operatur benè, vel malè, quòd ſpeculatiuè iudicauit eſſe licitum vel illicitum.

3 Hæc ſententia tenenda eſt. Pro cuius intelligentia eſt notandum, quòd cum aliqua opinio eſt ſpeculatiuè probabilis, adeſt iudicium practicum dictans obiectum, circa quod verſatur, eſſe conforme regulis rectæ rationis. Probabilitas enim in eo conſiſtit, quòd intellectus habeat aliquam rationē, ob quam moueatur ad iudicandum talem operationem eſſe licitam, vel illicitam, atque adeo obiectum eſſe conforme, vel difforme regulis rectæ rationis: cum in tantum operatio ſit licita, in quantum eſt circa obiectum conforme regulis rectæ rationis. Quando autem intellectus ita iudicat, habet iudicium practicum dictatiuum quòd obiectum, & operatio ſit ſecùndum regulas rectæ rationis; quia eſt iudicium de re operabili, oſtendens conformitatem, vel difformitatem ad regulas rationis. Et in hoc conſiſtit probabilitas ſpeculatiua.

4 Quia autem non poteſt homo operari ſecùndum probabilitatem ſpeculatiuam, niſi applicet tale iudicium ad menſurandam, & dirigendam operationem: & non poteſt applicare, niſi iudicet poſſe applicari ſecùndū conſcientiam, ſeu niſi iudicet, quòd hæc quoque applicatio ſit ſecùndùm regulas rectæ rationis: ideo conſurgit probabilitas practica, quæ conſiſtit in hoc iudicio; & dicitur practica, quia eſt ordinatiua probabilitatis ſpeculatiuæ ad opus.

5 Ex hoc autem demonſtratiuè ſequitur, Quòd quando opinio eſt probabilis ſpeculatiuè, ſic etiam probabilis practicè. Nam quando intellectus poteſt iudicare quòd opinio ſpeculatiuè probabilis poteſt applicari ad opus ſecùndum regulas rectè rationis, eſt etiam practicè probabilis; quoties autem eſt ſpeculatiuè probabilis poteſt intellectus hoc iudicare: quia cum opinio eſt ſecùndum regulas rectæ rationis, etiam operatio menſurata per ipſam erit ſecùndum regulas rectæ rationis; Tunc autem poteſt intellectus iudicare opinionem poſſe ſecùndum regulas rectæ rationis applicari ad operationem, quando operatio ſecutura eſt conformis regulis rectæ rationis; nam tunc certum eſt, quòd nullam offenſam Dei continebit.

6 Vnde quando Doctores dicunt aliquam opinionem eſſe ſpeculatiuè probabilem, non tamen eſſe reducendam ad praxim: ſi in reductione ad praxim reperitur aliquod inconueniens, ſignum eſt quòd neque ſpeculatiuè ſit verè probabilis; quia illud ipſum inconueniens, ob quod non eſt practicè probabilis, deriuat ex eo, quòd neque ſpeculatiuè ſit talis, quamuis in eſſe ſpeculatiuo non agnoſcatur.

Digitized by Google

An ex facto conſurgat opinio probabilis.

Deciſio CCCLXIII.

SVMMARIVM.

1 *Non poteſt ex facto cuiuſcunque ſumi probabilitas opinionis.*
2 *Neque ex facto Doctoris pij, & timoratæ conſcientiæ.*
3 *Ex facto plurium Religioſorum probatæ vitæ ſumitur probabilitas opinionis.*
4 *Ex frequenti etiam facto ſæcularium perſonarum timoratæ conſcientiæ.*
5 *Ex facto etiam frequenti perſonarum alicuius profeſſionis.*
6 *Item ex facto Iudicum.*
7 *Mos Venetorum ſequendi ſententias iam latas in iudicando.*

1 NOn quæritur an ex facto cuiuſcunq; poſſit deſumi probabilitas opinionis; quia certum eſt quòd factum perſonæ rudis, aut quæ non ſit timoratæ conſcientiæ, non poteſt fundare opinionem probabilem: cum poſſit præſumi, niſi aliunde oppoſitum conſtet, quòd peccet, aut ex ignorantia, aut ex malitia. Et quia etiam non habet in ſe ſufficientia principia, ex quibus poſſit originari probabilitas: cum careat debita ſcientia, & debito timore conſcientiæ, atque adeo congruo iudicio ad iudicandum de eo, quod eſt ſecundum regulas rectæ rationis; vnde ſolùm dubitatur de facto illarum perſonarum, quæ aptæ ſunt ad ſtabiliendam probabilitatem opinionum.

2 Primò ergo Ex facto Doctoris, quantumuis pij, & timoratæ conſcientiæ, non licet colligi probabilis opinio. Vt tradunt Io: Sanchez *diſp.* 44. *ſelect. de Sacram. num.* 71. Caſtr. Palaus 1. *par. tract.* 1. *diſp.* 2. *puncto* 1. *num.* 6. Sà *Verbo* Dubium *num.* 3. Breſſcrus *lib.* 3. *de Conſcient. cap.* 3. *num.* 33. Quia poteſt ita operari vel ex aliqua diſpenſatione, vel ex inaduertentia, vel ex aliqua paſſione: nec eſt neceſſe, quòd omnis operatio viri docti ſit bona.

3 Secundò. Si plures Religioſi aliquid operentur ſine ſcrupulo, & alioquin ſint probatæ vitæ, tunc ſumi poteſt argumentum probabilitatis opinionis cenſentis illud ipſum eſſe licitum. Ita Caſtr. Palaus *num. præced. citatus.* Debet tamen iſta operatio eſſe frequens, & veluti in conſuetudine apud ipſos. Ratio eſt, quia non eſt præſumendum quòd tot religioſæ perſonæ, & probatæ vitæ frequenter aliquid illicitum operentur; ſed inferri debet, quòd probabiliter cenſeant eſſe licitũ, quod agunt.

4 Tertiò. Exiſtimarem hoc poſſe extendi etiã ad viros ſæculares, dummodo ſint timoratæ conſcientiæ, & plures, & frequenter aliquid faciant tãquam licitum, dum enim ſecura cõſcientia aliquid frequenter faciunt, præſumẽdum eſt quòd habeant iuſtum motiuũ cenſendi, huiuſmodi operationem non eſſe illicitam; quia non eſt veriſimile quòd tot homines timoratæ conſcientiæ velint aliquid efficere illicitum abſque remorſu conſcientiæ.

5 Quartò adde etiam. Quod ſi alicuius profeſſionis perſonæ aliquid frequenter faciunt, quod pertineat ad illam profeſſionem, idque tanquam licitum, quantumuis ijs, qui non ſunt illius profeſſionis, illicitum videatur, adhuc ex facto duci poteſt probabile argumentum, quod probabile ſit talem operationem eſſe licitam; nam præſumendum eſt, quod ij qui ſunt profeſſionis, melius cognoſcant, & iudicare poſſint de ijs, quæ pertinent ad profeſſionem: cum iudicio peritorum in arte ſtãdum ſit; vnde præſupponendum quoque eſt quòd agnoſcant iuſtum titulum, ob quem probabiliter iudicent id eſſe licitum.

6 Denique ex facto iudicum exiſtimo ſumi poſſe probabile argumentum, quòd ſit ſecundum iuſtitiam, quod ipſi iudicant; cum enim teneantur iudicare ſecundum iuſtitiam, & ipſorum ſententiæ, niſi ſint iuſtæ, reſcindi poſſint, conſequenter dicendum eſt quòd ſint ſecùndum iuſtitiam, quando non reſcinduntur. Quod etiam locum habet ob eamdem rationem, quando vnus tantùm eſt iudex qui fert

7 ſententiam. Hinc apud Venetos inualuit conſuetudo, quòd vtantur pro lege ſentẽtijs aliàs iam latis, & ſecùndum ipſas iudicent.

An, cœteris paribus, probabilior ſit opinio Veterum, quàm Recentiorum.

Deciſio CCCLXIV.

SVMMARIVM.

1 *Cæteris paribus, eſt probabilior opinio Veterũ, quàm Recentiorum ſecundùm aliquos.*
2 *Cæteris paribus, probabilior eſt opinio Recentiorum.*
3 *Cur præſumendum ſit, quod auctoritas Recentiorum meliùs fundetur.*
4 *Cur aliquæ opiniones improbabiles, modo ſint probabiles, & è contra.*
5 *Quam eligere debeat concurrente opinione Veterum, & Recentiorum qui neſcit ponderare probabilitatem.*

Aſſit-

Digitized by Google

1 AFfirmatiuè reſpondent Azor. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *quæſt.* 1. Villalobos 1. *par. ſum. tract.* 1. *difficult.* 4. *num.* 6. Farinac. *quæſt.* 14. *Repertor. iudicial. num.* 5. *citans Corat.* Baldel. *to.* 1. *Theol. moral. lib.* 4. *diſput.* 11. *cap.* 11. *num.* 16. *in fine* Modit. *in* §. *Prudentum reſponſa dub.* 7. *num.* 8. niſi fortè Recentiorum opinio meliori ratione firmetur. Verùm quando adeſt melior ratio, non concurrit opinio veterum cum opinione recentiorum, cœteris paribus, itaut ſolum diſparitas ſit, quòd vna ſit veterum, & alia recentiorum: ſed eſt etiam diſparitaa in fundamento, cui innitur.

2 Exiſtimo tamen, quòd, cœteris paribus, probabilior ſit Recentiorum opinio, quando concurrit cũ opinione veterum. Dixi, cœteris paribus, quia ſi aliqua diſparia ſint, tũc iudicandum eſt ſecùndum diſparitatem.

3 Ratio, qua moueor, eſt, quia probabilitas non habetur niſi radicaliter à ratione, in qua fundatur opinio; & in tantum ex principio extrinſeco, ſeu ex auctoritate fit probabilis aliqua opinio, in quantum præſumitur quòd auctoritas fundetur in ratione, à qua tota dependet. Dum autem concurrit auctoritas Veterum, & Recentiorum, debet præſumi quòd auctoritas Recentiorum fundetur in meliori ratione; quia Recentiores ſciunt motiua Veterum, & ea expendunt, & ſcientia ſemper magis in dies creſcit: Veteres autem non habebant tantam notitiam, quantam habent Recentiores; & ideo auctoritas Recentiorum præferenda eſt, vt fundata in meliori motiuo, & cognitione.

4 Hinc plures opiniones, quæ apud veteres erant probabiles, nunc pro improbabilibus habentur, & quæ cenſebantur improbabiles, euaſerunt probabiles; quod ſignum eſt, quòd Recentiores meliùs ratiocinantur, & procedunt cum maiori notitia rerum; Vbi autem eſt maior, & melior notitia, ibi etiam auctoritas eſt maioris ponderis; vnde auctoritas diuina eſt certiſſima, & infallibilis, quia habet notitiam certiſſimam, & infallibilem. Ex hoc autem fit, quòd auctoritas Recentiorum ſit maioris ponderis, vt pote fundata in meliori notitia.

5 Ex quibus ſequitur, quòd ille, qui nequit ponderare fundamenta opinionum, concurrente opinione Veterum, & Recentiorum, debet ratione auctoritatis cenſere probabiliorem illam, quæ eſt Recentiorum; & ideo, ſi vult ſequi in operando opinionem probabiliorem, debet hanc ſequi; Poteſt tamen ſequi etiam opinionem Veterum, niſi aliquid aliud obſtet.

An quando ex opoſitis opinionibus altera eſt probabilior, poſsit intellectus vtrique aſſentiri.

Deciſio CCCLXV.

SVMMARIVM.

1 *Intellectus non poteſt aſſentiri vtrique opinioni, quando oppoſita eſt probabilior.*

2 *An minùs probabili poſſit aſſentiri, non ſimpliciter, ſed vt probabili.*

3 *Poſſumus vtrique opinioni aſſentiri in ſuo gradu.*

4 *Aſſenſus opinatiui circa opiniones oppoſitas, non ſunt oppoſiti.*

5 *An quia intellectus ſit potentia neceſſaria, impediatur quin poſſit oppoſitis opinionibus aſſentiri.*

6 *Quomodo poſſit intellectus putare opinionem minus probabilem veram, & etiam oppoſitam.*

1 NEgatiuè reſpondet Layman *lib.* 1. *Theol. Moral. tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 5. *ver. Notandum ſecundò*. qui ait, Quòd ſi vni aſſentiri velis, cogeris aſſentiri probabiliori: quia intellectus iudicatiuus non eſt liber quò ad ſpecificationem, ſed determinatur à rationibus, & motiuis propoſiti obiecti. Poteſt tamen quò ad exercitium ſuſpendi aſſenſus reſpectu vtriuſque partis, & intellectus applicari à voluntate ad meliùs ponderandas rationes.

2 Sequitur Breſſerus *lib.* 3. *de Conſcient. cap.* 2. *num.* 22. qui addit, quòd poſſumus aſſentiri minùs probabili non ſimpliciter, ſed vt probabili. Quod non ſatis percipio; quia, per non aſſentiri ſimpliciter, intelligit, ipſi non aſſentiri vt ſimpliciter veræ, dum ait, quòd aſſentimur ſolùm vt probabili. At neque hoc pacto poſſumus aſſentiri probabiliori: cum & ipſi aſſentiamur ſolùm vt probabili; nam menſura aſſenſus eſt motiuum aſſentiendi; vnde neque poſſumus ipſi aſſentiri, excluſa omni formidine. Vnde non video quodnam diſcrimen ſit inter hos aſſenſus.

3 Puto igitur. Nos poſſe vtrique aſſentiri in ſuo gradu, ita vt probabiliori ipſi aſſentiamur tanquam probabiliori, & minùs probabili, vt minùs probabili.

4 Ratio eſt, quia licet opiniones ſint oppoſitæ, non tamen aſſenſus oppoſiti ſunt; quia ſunt ex diuerſo motiuo, & obiectum opinionis, ſeu aſſenſus opinatiui non conſideratur ſecùndum ſe præcisè, ſed vt ſtat ſub motiuo; vnde coniunctum ex ipſo, & ex tali motiuo eſt obiectum vnius aſſenſus, & generat opinionem probabiliorem: & vt coniunctum cum

alio

alio motiuo generat alium aſſenſum minùs probabilem; vnde ſe habet, ac ſi eſſet multiplex obiectum poſitiuum abſque oppoſitione; quia ſecùndum eſſe formale motiuum illam non habet. Et proinde poteſt vtrique parti vt probabili aſſentiri ex diuerſo motiuo.

5 Neque obſtat, quòd intellectus vt iudicatiuus ſit potentia neceſſaria; nam ex hoc tantùm ſequitur, quòd ſi vni tantùm velit aſſentiri, debeat probabiliori aſſentiri: non autem, quòd non poſſit ſimul etiam aſſentiri vt minùs probabili, tanquam minùs probabili; nam ex hoc non excluditur quin aſſentiatur probabiliori.

6 Neque item obſtat quod ait Layman *citat.* quòd dum minùs probabilem putat veram, deberet cenſere falſam magis probabilem: quod fieri non poteſt; nam non putat minùs probabilem eſſe abſolutè veram, ſed probabiliter veram; cum hoc autem ſtat, vt putet etiam magis probabilem probabiliter veram; quia ſicut probabilitas, quantum ſe tenet ex parte motiui, poteſt ſtare ex vtraque parte, ita etiam quantum ſe tenet ex parte aſſenſus.

Quænam cenſenda ſit probabilior, quando concurrit opinio Theologorum, & Canoniſtarum.

Deciſio CCCLXVI.

SVMMARIVM.

1 *In rebus canonicis probabilior opinio Canoniſtarum: in ijs, quæ ad animam, probabilior opinio Theologorum.*
2 *Vnicuique credendum in ſua profeſſione.*
3 *Qui poteſt ponderare rationes non magis Theologis ſtare debet, quàm Canoniſtis, aut è contra.*
4 *Quando opinio Canoniſtarum cenſenda ſit probabilior.*
5 *Quando Theologi verſati ſunt inter canones, ſemper opinio ipſorum præferenda eſt.*
6 *Quid dicendum quando concurrit opinio Canoniſtarum, & Iuriſtarum.*

1 RESp. Azor. *par.* 1. *Inſtit. Moral. lib.* 2. *cap.* 17. *quæſ.* 3. Villalob. 2. *par. Sum. tract.* 1. *difficul.* 4. *num.* 5. Baldel. *tom.* 1. *Theol. Moral. lib.* 4. *diſp.* 11. *cap.* 11. *num.* 16. In rebus theologicis, & quæ pertinent ad forum internum, ſeu ad conſcientiam, præferendam eſſe vt probabiliorem opinionem Theologorum; in rebus autem Canonicis, & quæ pertinent ad forum externum, præferendam eſſe opinionem Canoniſtarum. Quod etiam intelligendum eſt in rebus ciuilibus reſpectu Iuriſtarum, quatenus pertinent ad forum externum.

2 Et hæc reſolutio tenenda eſt; quia vnicuiq; credendum eſt in propria profeſſione; cum enim in ipſa cenſeatur peritior, quàm qui eſt alterius profeſſionis, ideo auctoritas quoque ipſius eſt maioris ponderis.

3 Hoc tamen limitandum eſt reſpectu eorum, qui neſciunt vtriuſque partis ponderare fundamenta, aut tantùm vnius: & proinde inniti debet auctoritati; quando tamen poteſt ponderare fundamenta vtriuſque partis, tunc licet poſſi ſequi auctoritatem, poteſt tamen ſtare proprio iudicio, & cenſere probabiliorem opinionem, quæ ipſi videtur habere meliora fundamenta.

4 Rurſus limitandum eſt, vt notat etiam Azor. *citat.* Vt cenſeatur probabilior opinio Canoniſtarum in rebus canonicis, quando agitur de ipſis in particulari, & habenda eſt ratio particularium canonum, & ſanctionum; ſecus autem, quando agitur de ipſis in communi, & res ad principia reducenda eſt: vt An decimæ ſiot de iure diuino, an de pontificio ſoluendæ; quia Canoniſtæ, vt plurimum, inſudant tantùm circa intelligentiam canonum in particulari, non autem circa principia: quæ potiùs conſiderantur à Theologis; & proinde ipſis potiùs adhibenda eſt fides; videmus enim, aliquos Canoniſtas aliquando circa hæc principia non ſatis rectè procedere.

5 Ex his autem cum Villalobos *citato* colligitur, quòd ſi concurrat opinio Canoniſtarum cum opinione Theologorum, qui verſati ſint etiam inter canones, in rebus quoque canonicis probabiliorem cenſendam eſſe opinionem Theologorum; hi enim meliùs percipiunt canones: quia notitia theologica, vt pote ſuperior, inſeruit pro intelligentia canonici iuris, & ipſum explanat iuxta ſua principia, à quibus deriuat; & ideo Theologus meliùs intelligentiam ipſius aſſequitur.

6 Colligitur ſecundò. Quid dicendum, quando concurrit opinio Canoniſtarum, & Iuriſtarum; in ijs enim, quæ ſunt iuris canonici probabilior cenſenda eſt opinio Canoniſtarum: in ijs verò, quæ ſunt iuris ciuilis, opinio Iuriſtarum, ob rationem allatam. Si tamen aliquis ſit doctor in vtroque iure tunc opinio ipſius tam in rebus canonicis, quàm in ciuilibus probabilior habenda eſt, ſiſtendo in auctoritate; nam eius auctoritas fundatur in meliori cognitione, ſiquidem notitia vnius iuris inſeruit ad meliùs penetrandum alterum.

An

An vt opinio vnius Doctoris ſit probabilis, requiratur vt ab ipſo tradatur tanquam vera, an verò ſatis ſit, ſi tradatur tanquam probabilis.

Deciſio CCCLXVII.

SVMMARIVM.

1 *Doctor tradens opinionem ſolùm vt probabilem, non facit probabilem, ſecùndum Breſſerum.*
2 *Facit probabilem.*
3 *Auctoritas non creſcit intenſiuè ex pluralitate Doctorum.*
4 *Motiuum opinionis eſt menſura probabilitatis ipſius.*
5 *Opinio, quæ poteſt reijci vt falſa ex vno motiuo, poteſt eſſe probabilis ex alio.*
6 *Quæ opinio ſit in ſe probabilis.*
7 *An opinio, quæ eſt intra ordinem probabilitatis, poſſit tradi vt vera.*

1 NOn ſufficere, ſi tradatur tanquam probabilis, ſed requiri, vt tradatur tãquam vera, docet Breſſerus *lib. 3. de Conſcient. cap. 3. num. 28.* Quia quòd quis putat probabile, poteſt reijcere vt ſimpliciter falſum. Vnde concludit, quòd ſaltem requiruntur duo Doctores tradentes eamdem opinionem vt probabilem: vt haberi poſſit pro probabili; quia tunc auctoritas eſt maior.

2 At oppoſitum omnino tenendum puto, atq; adeo ſufficere vnicum Doctorem tradentem opinionem vt probabilem: vt poſſit haberi pro probabili, etiam quantum eſt ex vi auctoritatis.

3 Ratio eſt, Quia quòd tradatur ab vno, vel pluribus, non creſcit auctoritas intenſiuè, ſed tantum extenſiuè: quia intenſiuè habetur tantũ à motiuo, quod mouet ad ſic ſentiendũ; vnde ſi eſt probabilis quia tradatur à duobus, erit etiam ſi tradatur ex eodem motiuo ab vno tantùm; nec quia tradatur à pluribus habebit maiorem certitudinem.

4 Deinde. Vel motiuum, quo monetur ad tradendam illam opinionem, eſt ſufficiens, vt ipſam reddat probabilem, vel non. Si primum: ergo habẽda eſt pro probabili: quia in eo gradu, & ordine eſt opinio in quo eſt motiuum, quod eſt menſura aſſenſus, & opinionis, & à quo opinio recipit probabilitatem, vel certitudinem. Si ſecundum: ergo non poterit mouere intellectum Doctoris ad iudicandã illam opinionem probabilem. Quod dici nõ poteſt; quia ſupponitur, quòd moueat.

5 Vnde licet poſſit ipſam reijcere vt falſam, ex alio motiuo reijceret, non autem ex ipſo: ſed ſemper ex vi illius motiuo probabilis remanebit, ſuppoſito quod ex alio motiuo non ſit euidenter falſa; non enim repugnat quòd eadem opinio ex vno motiuo appareat falſa, & ex alio probabilis.

6 Rurſus. Illa opinio eſt probabilis, quæ nititur aliqua firma ratione, ita vt prudenter cenſeatur eſſe ſecùndum dictamẽ rectæ rationis, & nihil adſit in oppoſitum, quod non poſſit dilui; eo ipſo autem, quod aliquis doctor tradit aliquam opinionem probabilem, cenſet eſſe huiuſmodi; alioquin non traderet vt probabilem. Vnde cum verè ſit in ſe probabilis, cur non erit cenſenda probabilis etiam ab alijs? Imò cum ipſe poſſit operari ſecùndum illam opinionem, quia putat probabilem, cur non poterunt etiam cæteri?

7 Denique. Nulla opinio, quæ ſit tantùm intra ordinem probabilitatis, poteſt tradi tanquam ſimpliciter vera: ſed tantùm tanquam probabiliter vera; quia non poteſt tradi cum maiori certitudine, quàm habeat; dum autem eſt intra ordinem probabilitatis, non habet veritatem omnino certam, atque adeo non poteſt dici ſimpliciter vera; quia eſt tãtum vera probabiliter, ſeu ſecùndum quid. Et ideo quando Doctores tradunt opiniones probabiles vt veras, non aliud intelligunt, quàm quòd habeant veritatem probabilem, ſed in aliquo maiori gradu. Quod non facit quin quæ traduntur vt probabiles, non ſint verè probabiles.

An auctoritas vnius Doctoris tradentis obiter in diſcurſu aut probatione alterius opinionis, aut in reſponſione ad argumenta, aliquam opinionem, faciat ipſam probabilem.

Deciſio CCCLXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Opinio vnius Doctoris obiter tradita, ſecùndum plures, non eſt probabilis.*
2 *Eſt probabilis ſecùndum alios, quando Doctor non ſolet diſputare, ſecus ſi ſemper diſputet.*
3 *Abſolutè ſecùndum alios eſt probabilis.*
4 *Quando compilatores aliquid obiter tradentes non faciant opinionem probabilem.*
5 *Quando obiter dictum à Doctoribus ſuam ſententiam proferentibus ſit probabile.*
6 *Si ab ipſis ſupponatur vt verum, habendum eſt pro probabili.*

7 Item ſi pro ipſo inſinuant aliquam rationem.
8 Quando doctrina aliter tradita non ſit habenda pro probabili.
9 Quodnam iudicium ferendum de probabilitate doctrinæ ſummiſtarum.

1 NEgatiuè reſpondent Nauarr. in Cap. *Si quis autem De pœnit. diſt. 7. num.* 53. Granad. 1. 2. *controuer. 2. tractat.* 12. *ſect.* 1. *num.* 10. Breſſeus *lib. 3. de Conſcient. cap. 3. num.* 29. quia tunc non reſpondet deliberatè, & fortè ita docet, quia cogitur ab eo, quod principaliter tradit. Inſuper ita ſentiunt Aym. *Conſil.* 25. *num.* 9. Alciat. *De Præſump. Regul.* 1. *Præſumpt.* 51. *num.* 4. Abbas in Cap. *Bona* 2. *num.* 30. *ver. Sed mihi plus placet* Hippolyt. Rimin. *in l. Vt vim num.* 399. *ff. De Iuſt. & Iure* Neuiz. *lib.* 5. *Sylua Nupt. num.* 29. Iaſ. *Conſil.* 161. *ver. Dicitur etiam. lib.* 4. & alij apud Corat. *lib.* 1. *De com. opinione tit.* 6. *num.* 2.

2 Alij verò procedunt cum diſtinctione. Volunt enim quòd quando Doctor non eſt ſolitus diſputare, faciat opinionem probabilem quando aliquid obiter dicit. Quando verò Doctor ſemper diſputat, tunc non facit opinionem probabilem quando aliquid obiter dicit; quia cum omnia diſputando reſoluat, non cenſetur approbare quando aliquid perfunctoriè dicit, niſi fortè addat aliqua verba, quibus ſignificet id approbare, aut ſupponat tanquam clarum. Quando autem Doctor aliquando diſputat, & aliquando nō; ſi agit principaliter de eo, quod obiter dicit, facit opinionem probabilem; quia tunc cenſetur illud conſideratè proferre, & ita ſentire; ſi autem non agit principaliter de ipſo, non facit opinionem probabilem. Ita Anton. Maria Corat. *lib.* 1. *de com. opinione tit.* 6. *num.* 10. *& ſequentib.* Farinac. *quæſt.* 14. *Repert. iudicial. num.* 32. *& ſequentib.*

3 Tertiò. Alij abſolutè docent, Auctoritatem Doctoris aliquid obiter dicentis ſufficere, vt opinio, quam tradit, ſit probabilis. Ita Socin. *Conſil.* 73. *num.* 15. *lib.* 4. Hieronym. Butig. *Conſil.* 154. *ex Conſil. vlt. volum. diuer. num.* 40. *lib.* 1. Tobias Non. *in §. Poſthumorum num.* 11. *Inſtit. De exhæred. lib.* Et Corat. *ſupra cit. tit. num.* 6. ait ita ſeruari in praxi, & allegari auctoritates in eo, quod dictum eſt obiter.

4 Quò ad Auctores, qui non diſputant, ſed tantum compilant, vt faciunt ſummiſtæ exiſtimo, ſi aliquid obiter dicant, & non vt traditum ab alijs, nec inſinuent motiuum ita ſentiendi, non ſufficere ad faciendam opinionem probabilem. Ratio eſt, quia hi auctores, vt plurimum, non habent tale ingenium, vt poſſint nouas opiniones excogitare, & benè fundare: aut ſi poſſunt, non apparet ex compilatione, quam faciunt, quòd ſint tales. Quando autem non conſtat quòd Doctor habeat tantam ſcientiam, vt poſſit nouas probabiles opiniones fundare, non poteſt auctoritas ipſius haberi pro ſufficienti ad fundandam nouam opinionem probabilem; quia auctoritas menſuratur ſcientia. Et quando non eſt talis auctoritatis apud doctos, nec etiam poteſt eſſe apud indoctos, qui in hoc ſequi debent iudicium Doctorum.

5 Si vero Doctores non ſunt compilatores, ſed ſuam ſententiam proferunt, ſiue diſputent, ſiue non diſputent; tunc conſiderandum eſt, an quod obiter dicunt, ſiue in ſolutione argumentorum, ſiue in diſcurſu concernat ad doctrinam principaliter intentam: vt eſſet ſolutio argumenti contra aliquam concluſionem poſitam, aut probatio alicuius propoſitionis in ordine ad illam concluſionem, aut quid ſimile, quod quomodocunq; connexum ſit cum principali doctrina. Si enim concernit principalem doctrinam, ſufficit vt faciat opinionem probabilem; quia verè Doctor illud tradit, quia ita ſentit; niſi enim ita ſentiret, neque poſſet aſſentiri doctrinæ principali: ob connexionem, quæ eſt inter vtramque doctrinam; & proinde eſt ſententia proueniens ex iudicio deliberato Doctoris: qui ſine ſufficienti motiuo non præſumitur moueri; hoc autem ſufficit, vt opinio probabilis ſit.

6 At ſi quod obiter dicunt non concernit ad doctrinam principaliter intentam, adhuc videndum eſt, an illud ſupponant tanquam verum: & tunc erit ſufficiens ad faciendam opinionem probabilem; quia non ſupponerent tanquam verum, niſi examinaſſent, atq; adeo niſi de ipſo haberent iudicium deliberatum, vel ex aliqua ratione, ſeu motiuo intrinſeco, vel ſaltem ex motiuo extrinſeco auctoritatis.

7 Inſuper: An inſinuent aliquam rationem illius, quod dicunt, ſaltem leuiter tactam: & tunc quoq; niſi quis velit illam rationem expendere, poterit in auctoritate quieſcere, & reputare illam opinionem probabilem; quia omnis Doctor deliberatè docens aliquid, eſt ſufficiens ad dirigendas noſtras operationes; quia præſumitur quòd docendo procedat ſecùndum rectam rationem: atque adeo quòd etiam ipſius doctrina ſit conformis rectæ rationi.

8 Sed ſi nullum ex his interueniat, non erit doctrina obiter tradita ſufficiens vt faciat opinionem probabilem; quia ſemper poſſumus dubitare quòd non doceat id ex deliberato iudicio; & conſequenter, quòd non expenderit an ſit conforme rectæ rationi.

9 Dices in fauorem Summiſtarum: Diſcernunt quænam doctrina ſit ſequenda & quæ non: & proinde tradunt cum deliberato iudicio; vnde etiam quando tradunt aliquid de nouo, illud

Digitized by Google

illud tradunt vt maturè expenſum: & proinde ſufficiens erit, vt faciat opinionem probabilem. Reſp. Id eſſe verum de Summiſtis doctis, & qui percipiunt doctrinas, & pondera rationum: non autem de illis, qui non percipiunt, & multoties colligunt doctrinas alienas à ſenſu Doctorum, à quibus illas ſumunt; vnde non eſt præſumendum quòd quando tradunt aliquid de nouo ex proprio Marte, quòd probabiliter procedant, niſi fortè aſſignent rationem, quæ tunc expendenda erit, an ſit probabilis.

An ſufficiat vnus Doctor, vt reddat opinionem probabilem, quando oppoſita habetur pro certa.

Deciſio CCCLXIX.

SVMMARIVM.

1 *Doctor ſingularis antiquus non facit opinionem probabilem quando oppoſita habetur pro certa.*
2 *Doctor ſingularis modernus, ſecundum aliquos, non facit opinionem probabilem in eodem caſu.*
3 *Quando Doctor ſingularis modernus faciat opinionem probabilem, etiam ſi oppoſita habeatur pro certa.*
4 *Per quid Doctor det probabilitatem opinioni.*
5 *Quid ſufficiat, vt opinio ſit probabilis, quando oppoſita habetur pro certa.*
6 *Quando Doctor debeat præſumi probabiliter procedere. Quiſque præſumitur bonus, niſi probetur malus.*

1 IN hac difficultate diſtinguendum eſt. Vel enim iſte vnus Doctor eſt ex antiquioribus: & tunc non ſufficit eius auctoritas, vt faciat opinionem probabilem; quia vel non vidit communem ſenſum aliorum Doctorum habentium pro certa oppoſitam oppinionem: & proinde non potuit habere indicium deliberatum contra huiuſmodi communem ſenſum. Vel vidit talem communem ſenſum, quia tunc temporis quoque aderat, & habuit contra ipſum iudicium deliberatum: & tunc ſenſus, & iudicium huius Doctoris non eſt amplectendum tanquam probabile, cum à poſterioribus Doctoribus ſit reiectum, nec apud ipſos inualuerit; quod ſatis oſtendit, non fuiſſe probabile; ſi enim poſſet vt probabile amplecti, ab aliquo ſaltem fuiſſet amplexatum.

2 Si verò loquamur de Doctore moderno. Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 9.* Breſſerus *lib. 3. de Conſcient. cap. 3. num. 30.* docent, Non ſufficere vnius auctoritatem, vt reddat opinionem probabilem; quia nō poteſt præponderare tot aliorum auctoritatibus. Addit Breſſerus in tali caſu debere auctoritatem vnius eſſe valde magnam.

3 Ego vero puto quòd ſi Doctor aliàs faciat auctoritatem, ita vt ſoleat doctrinæ ipſius haberi ratio, ſufficiat etiam ipſius auctoritas ad reddendam opinionem probabilem, quando oppoſita opinio habetur communiter pro certa; dummodo in tali Doctore reperiantur conditiones, quas infra dicemus eſſe neceſſarias.

4 Moueor, quia talis Doctor fundat auctoritatem ſuæ doctrinæ. Nam in ea tradenda præſumitur rationabiliter procedere. Ergo etiam dat auctoritatem illi opinioni, cuius oppoſita pro certa habetur; nam in hac quoque præſumitur rationabiliter procedere: & proinde quòd in tali opinione reperiat ſuam probabi-
5 litatem. Et ſicut, vt opinio probabilis ſit, non eſt neceſſe quòd habeat pro ſe rationes præponderantes rationibus oppoſitæ ſententiæ: ita, vt ſit probabilis ex auctoritate, non eſt neceſſe quòd auctoritas, quæ ſtat pro ipſa, præponderet auctoritati, quæ ſtat pro oppoſita ſententia; ſed ſufficit, ſi in genere auctoritatis ſit aliqua auctoritas; nam tunc adhuc habebit ſuum effectum formalem reſpectu opinionis, cui coniungitur, & reddet ipſam probabilem. In caſu autem noſtro habetur aliqua auctoritas in genere auctoritatis.

6 Dices. Id eſſe verum de auctoritate, quæ eſt vera auctoritas, non autem de dicto cuiuſcunque, quale debet cenſeri dictum Doctoris, quando ſentit contra communem habitam pro certa. Reſp. Dictum talis Doctoris reputandum pro probabili; quia dum in cæteris cognoſcitur doctus, & prudens, debet præſumi quòd etiam in hoc prudenter, & rationabiliter procedat; cum quiſque debeat præſumi bonus, niſi de oppoſito conſtet l. *Cum pater. §. Rogo ff. de Legib. 2.* & Cap. *Dudum extra de Præſumpt.* & latè Alciat. *de Præſumpt. reg. 3. præſumpt. 2.*

An quando opinio cenſetur communiter improbabilis, aut continere errorem, ſi quis ſingulariter eam tradat habenda ſit pro probabili.

Deciſio CCCLXX.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia.*
2 *Vales, ſi Doctor non conſideraueit motiua in oppoſitum.*

3 *Oppoſitum dicendum, ſi conſiderauit motiua in oppoſitum, & ſit vir conſideratus.*
4 *Huius iudicio poſſunt etiam docti acquieſcere.*

1 NEgatiuè reſpondent Vaſquez t. 2. *diſp.* 62. *cap.* 4. *num.* 17. *in fine*. Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 9. *num.* 11. Breſſerus *lib.* 3. *de Conſcient. cap.* 3. *num.* 30. Baldel. *tom.* 1. *Theol. Moral. lib.* 4. *diſp.* 11. *num.* 11. Non enim talis cenſetur communiter aliqua opinio, niſi adſit contra ipſam aut aliqua lex, aut aliqua efficaciſſima ratio, quæ faciat vt nullam probabilitatem habeat.

2 Mihi tamen cum diſtinctione procedendum videtur. Vel enim talis Doctor non conſiderauit motiua, ex quibus talis opinio cenſetur improbabilis, & continere errorem; & tunc auctoritas ipſius non ſufficit, vt ipſam faciat probabilem; quia procedit veluti cæco modo; vnde eſt auctoritas abſque fundamento.

3 Si verò conſiderauit talia motiua, & nihilominus docet eam ſententiam vt probabilem; ſi ſit vir prudens, & conſideratè procedens, & diluat oppoſita, & ſuam ſententiā firma ratione confirmet: tunc auctoritas ipſius poteſt facere opinionem probabilem; quia præſumi debet quòd in ijs motiuis non reperiat illam vim, quam cenſentur communiter habere: ſed quòd ea ſaltem probabiliter diſſoluat. In quo caſu opinio remanet probabilis.

4 Imò etiam docti poſſunt acquieſcere iudicio illius; quia cum ſciant quòd ſit Doctor intelligens, & peritus, atque conſideratè procedens, habent ſufficiens motiuum, vt prudenter illius iudicio acquieſcant. Et ſi dubitent, an in hoc rationabiliter procedant, poſſunt deponere dubium ex eodem motiuo, quòd ſoleat rationabiliter, & prudenter procedere; nam in hoc quoque præſumendum eſt quòd eodem modo procedat, cum de oppoſito non conſtet, vt dicebamus Deciſ. *præcedenti num.* 6.

Qualis debeat eſſe Doctor, vt ſuam ſingularem opinionem probabilem faciat.

Deciſio CCCLXXI.

SVMMARIVM.

1 *Doctor ſingularis non debet moueri ex aliquo affectu, vt faciat opinionem probabilem.*
2 *Opinio tradita in conſilio deciſiuo præualet traditæ in conſilio ad inſtantiam partis.*
3 *Niſi fortè conſilium ad inſtantiam partis ſit in ordine ad regulandam conſcientiam.*
4 *Doctor non debet eſſe audax, & præceps, vt ſingularem opinionem faciat probabilem.*
5 *Inſuper debet eſſe verſatus, & peritus in illa materia, in qua ſingulariter opinatur.*
6 *An ſufficiat quòd ſit Doctoratus in quacunque Vniuerſitate.*
7 *Vt faciat ſingularem opinionem probabilem, debet eſſe aptus ad profitendum in illa materia.*
8 *Cur requiratur talis aptitudo.*
9 *An licentiatus tantùm poſſit facere ſingularem opinionem probabilem.*
10 *An ſcholaris tribuere poſſit probabilitatem opinioni ſingulari.*
11 *Quando ſcholaris præferatur Doctori.*

1 VT doctor aliquis ſuam ſingularem opinionem probabilem reddat, debet eſſe talis, vt non moueatur ad ita ſentiendum ex aliquo affectu: & proinde nec amore, nec odio, ſed tantùm amore veritatis, & ſecùndum dictamen rationis; vnde non debet ſcribere ſpe lucri, aut in gratiam alicuius Principis, aut in fauorem partis. Ita Breſſerus *lib.* 3 *de Conſcient. cap.* 3. *num.* 33. Bal. Dol. *tom.* 1. *Theol. Moral. lib.* 4. *diſp.* 11. *cap.* 11. *num.* 16. Anton. Maria Corac. *lib.* 1. *de Com. opin. tit.* 6. *num.* 147. *& ſequentib.* Azoguid. *lib.* 3. *de Com. opin.*
2 *cap.* 15. Et deſumitur etiam ex doctrina Iuriſconſult. dum docent, quòd opinio tradita in conſilio deciſiuè debet præualere opinioni traditæ in conſilio ad inſtantiam partis: vt inter alios docent Barbat. *conſil.* 6. *num.* 4. *lib.* 4. Corn. *conſil.* 27. *num.* 1. *lib.* 1. Modit. *in* §. *Prudentum reſponſa dub.* 20. *num.* 7. Cum enim affectus monet ad ita ſentiendum, vel non ſentiendum, non ſinit ferri iudicium ſyncerum; quia obumbrat rationem; & proinde opinio illa non poteſt cenſeri procedere ſecùndum rectam rationem.

3 Hoc tamen limitandum eſt, vt non valeat quando conſilium, quòd ſit ad inſtantiam partis, pertinet ad regulandam conſcientiam; quia ſi Doctor eſt vir probus, non debet præſumi quòd conſulat quæ non ſunt ſecùndum rectam rationem; nam ſi conſuleret, grauiter peccaret.

4 Hinc etiam fit, quòd non debeat eſſe audax, & præceps, ſed cum maturo iudicio procedens; quia ſicut in operando audacia & præcipitium facit quòd operationes, vt plurimum, non ſint rectæ, & honeſtæ, ſed vitioſæ: ita etiam audacia; & præcipitium in docendo facit quòd doctrina non ſit ſecùndum rectam rationem, ſed irrationabilis; & ſicuti non poſſumus tuta conſcientia eum in operando imitari, qui præceps, & audax eſt, ita nec etiam ſequi doctrinam illius, qui in docendo præceps, & audax eſt.

5 Non

5 Non ſufficit autem, quòd ſit immunis ab affectibus huiuſmodi Doctor; ſed debet etiam eſſe verſatus, & peritus in illa materia, in qua tradit ſuam ſingularem opinionem: vt inter alios notant Breſſerus *lib. 3. de Conſcient. cap. 3. num. 33. ver. Secundò præcipuè.* Baldel. *tom. 1. Theol. Moral. lib. 4. diſp. 11. cap. 11. nu. 16.* Vt enim prudenter ſingularem opinionem teneat, neceſſe eſt vt cognoſcat quicquid in illa materia traditum ſit, & quicquid dici poſſit; alioquin cęco modo, & imprudenter procederet. hoc autem præſtare non poteſt, niſi valde verſatus ſit in eadem materia.

6 Hinc ſicut non ſufficit gradus Doctoratus promoti in quacunque Vniuerſitate, vt notat Breſſerus *num. 36. citati cap.* Merolla *tom. 1. diſp. 3. cap. 3. dub. 2. nu. 72.* vt quis ſufficiens ſit pro tribuenda probabilitate ſingulari opinioni: ita nec eſt neceſſarium. Experientia enim docet quòd multi promouentur ad doctoratum, qui parum docti ſunt: aut ſi docti ſunt, tota doctrina conſiſtit in eo, quod ab alijs didicerunt; ex ſe ipſis autem non ſunt ſufficientes, vt diſcurrant, & nouam doctrinam tradant; vnde ſi vellent nouas opiniones docere, facillimè in errores laberentur. Econtra verò multi non ſunt promoti ad gradum doctoratus, & tamen valde docti ſunt, & verſati in illa materia: vt conſtat ex voluminibus, quæ ediderunt, apud omnes valde acceptis.

7 Vnde, vt notat Breſſerus *nu. 34. citat. cap.* vt quis probabilitatem conferat ſingulari opinioni, debet cenſeri aptus ad profitendam illam facultatem, in qua opinatur, aut voce, aut calamo. Dixi, quòd debet cenſeri aptus; nam nec eſt neceſſe, vt actu profiteatur: nec ſtatim, ſi actu profiteretur, eſſet aptus; nam videmus plures profiteri, qui tamen non ſunt digni nomine profeſſoris, nec ſciunt habere delectum opinionum; & proinde multò minùs nouas ſingulares probabiliter fundare.

8 Ratio autem eſt, Quia tradere nouam opinionem ſingularem eſt docere, vnde ſi non eſt quis aptus ad docendum in aliqua facultate, atque adeo ad eam profitendam, neque poteſt eſſe aptus ad tribuendam probabilitatem nouæ opinioni ſingulari.

9 Et hinc colligitur. Licentiatum tantùm poſſe tribuere auctoritatem opinioni ſingulari, ſi aliàs concurrant in ipſo cœtera requiſita; faciunt enim numerum, & auctoritatem pro cõmuni huiuſmodi licentiati: vt docet Corat. *lib. 1. De com. opinione tit. 6. num. 121.* vnde poſſunt etiam numerum incipere, & auctoritatẽ pro aliqua opinione, & illi tribuere probabilitatem. Quod enim poteſt eſſe augmentum in aliquo genere, poteſt etiam eſſe incohamentum in eodem genere. Et cum doctoratus non tribuat doctrinam, ſed tantum præſumptionem doctrinæ, quia illam probat. hæc præſumptio, & experimentum aliunde poteſt haberi in licentiato.

10 Secundò colligitur, Etiam ſcholarem poſſe ſingulari opinioni tribuere probabilitatem; quia licet vt ſcholaris profiteatur, ſe velle addiſcere, atque adeo non præſupponatur doctus, poteſt tamen in aliqua parte alicuius facultatis eſſe peritus, & eſſe tam perſpicui ingenij, & maturi iudicij, vt ſuperet doctores; vnde ſi de hoc conſtet, erit ſufficiens, vt tribuat probabilitatem opinioni ſingulari. Auctoritas enim in ordine ad tribuendam probabilitatem tali opinioni fundatur non in aliquo gradu, ſed in doctrina; & ideo ſi conſtat de doctrina, & ingenio, habetur ſufficiens fundamentum auctoritatis huiuſmodi.

11 Hinc ſcholaris peritus præfertur Doctori ignoranti: vt tradit Mandoſ. *in Comment. ad Reg. Cancel. Reg. 26. quæſt. 17. num. 2.* quando habetur ratio doctrinæ, vt in caſu noſtro. Et poteſt idem ſcholaris facere numerum in opinione communi per Corat. *lib. 1. de com. opin. tit. 6. num. 130.*

An opinio ſingularis vnius Doctoris acquirat maiorem probabilitatem ex eo quòd ſit typis edita.

Deciſio CCCLXXII.

SVMMARIVM.

1 *Opinio ſingularis typis edita habet maiorem probabilitatem, quàm ſi non eſſet edita.*
2 *Quid præſtet approbatio Doctorum opinioni, quã typis edendam approbant.*
3 *Solùm ſi ſint docti teſtantur de probabilitate.*
4 *Quid requiratur, vt quis tuta conſcientia libros edendos approbare poſſit.*
5 *Ad quid ipſi teneantur.*

1 Reſpondetur affirmatiuè cum Breſſero *lib. 3. de Conſcient. cap. 3. num. 36.* Quia illa opinio non eſt ſolùm approbata iudicio ipſius ſcriptoris, ſed etiam iudicio eorum, qui librũ approbarunt, à quibus quoque eſt iudicata probabilis; vnde addunt ipſi auctoritatem, atque adeo probabilitatem; quatenus probabilitas fundatur in auctoritate approbante dictum alterius; quod ſaltem facit teſtationẽ quòd is in ſuo dicto non fallatur.

2 Et licet qui approbant libros non ſemper teneant opiniones, quæ in ipſo continentur,

ſed oppoſitas, atque adeo ex approbatione non cēſcatur augeri numerus Doctorum pro illa opinione (cuius oppoſitum ſentit Breſſerus *citatus*) quia tamen ſemper teſtimonium ferunt de illis opinionibus, quod non contineant errorem, nec ſint improbabiles: ideo indirectè teſtantur de ipſarum probabilitate; & proinde firmatur ipſorum probabilitas, dum etiam ab alijs teſtimonium accipit.

3 Hoc autem non habet locū, ſi forrè approbantes librum non eſſent viri docti; quia ſicut tunc non poſſunt habere bonum iudicium, ita nec bonum teſtimonium; cum hoc fundetur in iudicio. Præſumendi tamen ſunt docti, niſi de oppoſito conſtet; cum ſolis doctis, vt plurimum, ſoleat committi reuiſio librorum imprimendorum.

4 Ex his autem conſtat. Eos, qui libros approbant, non poſſe tuta conſcientia hoc onus ſuſcipere, niſi ſe tales agnoſcant, vt poſſint de illa doctrina iudicium ferre, & ſpecialiter in materia morali, ciuili, & canonica; cum ex opinionibus non rectis in his materijs cauſari poſſit præiudicium animæ, & proximo. Item peccare qui minus doctis libros reuidendos committunt, cum committant munus perſonę inhabili.

5 Item conſtat eos, qui libros approbant, teneri ad conſiderandam totam doctrinam in ipſis contentam; quia non poſſunt approbare, quod non conſiderauerunt, aut ſolùm perfunctoriè.

De Electione Sepulturæ.

An Clerici, & Regulares poſſint inducere infirmum ad eligendam Sepulturam in propria ipſorum Eccleſia.

Deciſio CCCLXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicantur inducentes ad eligendam ſepulturam apud propriam Eccleſiam.*

2. *Quos comprehendat talis excommunicatio.*

3 *Non poteſt induci qui iam elegit, vt aliqua obligatione firmet electionem.*

4 *Non prohibetur perſuadere electionem ſepulturæ aupd propriam Eccleſiam.*

5 *Nec inducere ad eligendam cum obligatione in aliena Eccleſia.*

6 *Comprehendit excommunicatio inducentes ad eligendum, ſiue electores pro ſe eligant, ſiue pro alijs.*

7 *Electio facta ex inductione contra dictam conſtitutionem eſt nulla.*

8 *Inducens cum fraude ad vouendam, aut promittendam ſepulturam apud alienam Eccleſiam, peccat, & contrahit pœnas iuris.*

1 IN Clement. *Cupientes.* § *fin. De pœnit.* excommunicantur Clerici, & Regulares inducentes infirmum ad eligendam ſepulturam in propria ipſorum Eccleſia, tanquam facientes aliquid præiudiciale Eccleſiæ Parochiali, aut illi, in qua de iure deberet ſepeliri. Et inter alios notat hoc Nauarr. *cap. 27. Manual. num.* 103. Tolet. *lib. 2. ſum. cap. 56. num. 3.* Difficultas autem eſt, an iſta prohibitio & excommunicatio omnes comprehendat.

2 Reſpondeo igitur: Comprehendere eos omnes, qui inducunt ad eligendam ſepulturam in propria Eccleſia, cum obligatione irreuocabili, qualis eſſet, quæ fieret mediante voto, & iuramento, aut quocunque alio modo promiſſionis, quo infirmus ita maneat obligatus, vt, ſalua fide, non poſſit mutare electionem. Hoc habetur expreſsè in tex. Vbi enim dicitur. *Sanè temerarios violatores conſtitutionis illius, qua Religioſis, & Clericis ſæcularibus prohibet, ne aliquos ad vouendum, iurandum, vel fide interpoſita, ſeu aliàs promittendum inducant, vt ſepulturam apud eorum Eccleſias eligant, vel iam electam vlteriùs non immutent.*

3 Vnde neque quando quis iam elegit ſepulturam apud ipſorum Eccleſias poſſunt ipſum inducere, vt obligatorio modo firmet electionem iam factam, iuxta illa verba. *Vel iam electam vlteriùs non immutent.*

4 Ex hoc autem fit, non eſſe prohibitum hortari aliquem, & perſuadere ipſi, adhibitis etiam precibus, vt apud propriam Eccleſiam eligat ſepulturam: dummodo non intendamus ita ipſum obligare, vt non poſſit mutare electionem iam factam. Vt tradit Rodriquez 4. *par. ſum. capit. 30. numer. 10.* & *3. par. quæſt. Reg. quæſt. 58. articul. 7. in fine* alios citans. Portel. *in dub. Reg. verbo* Sepult. *num. 6.* Nauarr. *cap. 27. Manual. num.* 103. D. Ant. *3. par. tit. 24. cap.* 51. Angel. *verbo ſepul. num.* 35. Suarez *diſput. 22. de cenſur. ſect. 4. num.* 25. Mancin. *In practica viſitandi infirmos par. 1. pract. 5. dub. 3. ver.* Hoc vero. Contra gloſ. *in d. Clement. verbo* Contenta. Cum enim odioſa, & pœnalia reſtringenda ſint, non autem dilatanda, non debet dicta Clemen. extendi ad eos, ad quos verba ipſa non pertingunt, cum loquantur tãtùm de iis, qui inducunt ad eligendum cum obligatione. Deinde neque etiam extenditur finis legis; qui eſt conſeruare liberam poteſtatem eligendi vſque ad vltimum: vt notat Gloſ. *in capit.* 1.

de

de ſepult. in 6. in Addit. Quæ incipit. *Et ſit ratio*. Si autem non fiat electio cum obligatione ſemper manet libertas.

5 Rurſus etiam ſequitur, Quòd poſſint inducere ad eligendam ſepulturam etiam obligatoria electione cum promiſſione, aut iuramento in Eccleſia alterius. Hoc enim non prohibetur per dictam Clement. nec de ſe malum eſt, nec alicui præiudiciale; quia eſt in libertate vniuſcuiuſque eligere ſibi ſepulturam in quacunque Eccleſia libuerit; vnde ſolùm induco ad ſe obligandum ad id, quòd licitè poteſt facere. Et ita etiam notat Rodriquez *tom. 3. quæſt. Reg. quæſt. 58. art. 7. dub. 4.* Tolet. *lib. 1. ſum. cap. 36. num. 3.*

6 Quæres, An dicta excommunicatio habeat locum pro iis, qui inducunt ad electionem ſepulturæ, mediante obligatione, eos, qui non pro ſe eligunt, ſed pro aliis: an vero tantùm liget eos, qui inducunt, qui pro ſe eligunt. Reſp. ligare omnes, qui inducunt ad eligendum ſiue pro ſe eligant, ſiue pro aliis: quia conſtitutio vniuerſaliter loquitur de iis, qui inducunt ad eligendam ſepulturam apud proprias Eccleſias.

7 Inſuper aduertendum eſt, quòd electio facta contra dictam conſtitutionem eſt nulla; & proinde qui cum tali forma elegit, debet ſepeliri, vbi priùs ſepeliendus fuiſſet, nulla facta electione. Ita enim decernit Bonifacius Octauus *in Conſtitut. innouata in dicta Clem. citata.* Et habetur *in cap. 1. De ſepult. in 6.*

8 Denique eſt adnotandum, Quod ſi quis induceret ad eligendum ſepulturam cum voto, iuramento, aut promiſſione apud alienam Eccleſiam, vt Franciſcanus apud Dominicanos, cum fraude, nempe ad inſtantiam Dominicani, adhuc electio eſſet nulla, & contrahuntur pœnæ poſitæ in dicta conſtitutione. Ita Portel. *in dub. regul. verbo* ſepultura *numer. 5.* Villalob. *1. par. ſum. tractat. 17. diff. 25. num. 4.* Rodriquez *in Compend. quæſt. Reg. Reſol. 128. num. 9.*

An peccent mortaliter, & contrahant pœnas iuris, qui conantur inducere ad eligendam ſepulturam cum voto, iuramento, aut promiſſione, ſi effectus non ſequatur.

Deciſio CCCLXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Qui tentat inducere ad eligendã ſepulturam cum obligatione, peccat mortaliter.*
2 *Incurrit in excommunicationem etiam effectu non ſequuto, ſecundum aliquos.*
3 *Sed tenendum non incurrere.*
3 *Cenſura non contrahitur niſi effectu ſequuto.*
4 *Quid inductio ſit.*
5 *Prohibetur inductio non attentatio ad inducendum.*

1 QVòd peccent mortaliter certum debet eſſe apud omnes: quia quantum eſt de ſe, intendunt actum malum, & tendunt in obiectum prohibitũ, quod prohibitum eſt; quod ſufficit, vt actus contrahat malitiam, quæ contrahitur eo ipſo, quòd eius obiectum eſt diſſonum rectæ rationi.

2 Quod autem ſpectat ad excommunicationem, quam ponit Boniſac. VIII. in Cap. *Animarum periculis De ſeputl. in 6.* & Clement. *Cupientes §. Sane De pœnis*. Reſp. affirmatiuè: nimirum contrahi etiam ſi non ſequatur effectus electionis Rodriquez *part. 4. ſum. capit. 130. num. 7.* Et alter Rodriquez *in Compen. quæſt. Regul. Reſol. 128. num. 27.* Quia id, quod prohibetur in dictis conſtitutionibus eſt actus inducendi: qui conſiſtit in quadam continua ſucceſſione; vnde prohibitio ſortitur ſuum effectum eo ipſo, quòd quis conatur inducere; quia iam habetur id, quod intendit prohibere.

3 At niſi ſequatur effectus electionis, inducentem non cõtrahere excommunicationem docuerat ante idem Rodriquez *tom. 9. quæſt. Regul. quæſt. 58. art. 7. dub. 4.* Nauar. *cap. 27. Manual. numer. 103.* Angel. *verbo* ſepult. *num. 37.* Caietan. *cap. 49.* Suarez *tom. 5. in 3. par. diſput. 22. de Cenſur. ſect. 4. num. 26.* Et ſumitur ex doctrina, quam communiter tradunt de Cenſuris; quòd nimirum non contrahantur, niſi ſequuto effectu. Et ita docent Auila *de Cenſuris par. 2. cap. 5. diſp. 3. dub 5.* Suarez *diſput. 4. ſect. 3. num. 4. & diſp. 22. ſect. 4. num. 26.* Nauarr. *lib. 5. Conſil. De ſent. excom. conſil. 37. num. 2.* Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 2. num. 5. in fine* Coninch. *diſp. 13. de Cenſur. dub. 8. num. 75.* & deſumitur etiam ex Cap. *Perpetuo. De elect. in 6.*

4 Et ratio in præſenti caſu eſt, Quia ſub excommunicatione non prohibetur conatus ad inducendum, ſed inductio ad eligendum cum voto &c. inductio autem non eſt in inducente, ſed in inducto: quia dicit nõ perſuaſionem, ſed quod ducatur; vnde non habetur inductio, niſi quis trahatur ad eligendum cum voto, aut alia obligatione; & ideo ſi non ſequatur electio, non habetur inductio, quia hæc eſt illa, qua quis inducitur, ſed tantùm attentatio ad inducendum; ſic qui tentat percutere Clericum, & non percutit, non incurrit excommunicationem Canonis *ſi quis ſuadente Diabolo.*

5 Hinc igitur ad id, quod affertur *numer. 2.* Reſp.

Reſp. Illas Conſtitutiones prohibere indnctionem, non autem attentationem inductionis; inductio autem non habetur, niſi ſequatur electio; quia ſine electione nō dicitur quis ductus ad eligendum.

An peccet, & incurrat excommunicationem, qui inducit ad eligendam ſepulturam cum obligatione apud illam Eccleſiam, apud quam de iure debuiſſet ſepeliri.

Deciſio CCCLXXV.

SVMMARIVM.

1 *Non peccare, qui inducit ad eligendam ſepulturam cum obligatione apud Eccleſiam, in qua de iure debet ſepeliri defunctus.*

2 *Oppoſitum eſt tenendum.*

3 *Prohibetur actus inducendi ud eligendum ſepulturam cum obligatione.*

4 *Iura non prohibent inductionem ud eligendam ſepulturam cum obligatione in fauorem Eccleſia, in quu de iure defunctus eſt ſepeliendus.*

5 *Sed in fauorem libertatis electionis, & in deteſtationem uuaritia.*

1 NEgatiuè reſpond. Rodriquez *tom.4.Sum. cap.* 130. *num.* 3 & alter Rodriquez *in Compend. Quaſ. Regul. reſol.* 128. *num.6. in fine.* Quia decretum Bonifacij VIII. quod habetur in Cap. *Animarum periculis de Sepult. in* 6. & Clement. *Cupientes* §. *Sane. de Pœnis.* eſt in fauorem Eccleſiæ, vbi defunctus de iure debet ſepeliri; vnde inducens ad obligationem ſepulturæ in dicta Eccleſia tribuit vires decreto, non autem facit contra ipſum.

2 Oppoſitum tenet Portel. *in Dub. Regul. Verbo* Sepult. *num.* 4. qui ait, quod licet Eccleſia non amittat ius ſepulturæ, quod aliunde habet: qui tamen ſic inducit, peccat.

3 Et hoc exiſtimo probabilius; Vbicunq; enim interuenit actus prohibitus, ibi interuenit peccatum, & cenſura impoſita actui prohibito ſortitur ſuum effectum. Actus autem prohibitus per dictas conſtitutiones eſt inductio ad eligendam ſepulturam cum voto, aut quauis alia obligatione, quę prohibetur tanquam continens ſpecialem difformitatem ad rectam rationem; per hunc enim actum oſtenditur auaritia; quia præſumitur fieri ex deſiderio emolumenti, quod prouenit miniſtris Eccleſiæ ex ſepultura; & eſt contra libertatem electionis ſepulturæ, quam æquum eſt durare vſque ad vltimum vitæ. Quando autem de ſe prohibetur vt malus, etiam ſi concernat ad finem prohibitionis, adhuc cenſetur prohibitum. Sic quia in die ieiunij prohibetur multiplex comeſtio, ſi quis pluries comederet, vt ex nimio cibo opprimeretur natura, & maceraretur caro, faceret contra præceptum, etiam ſi ſequeretur finis præcepti. Sic etiam quia per Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 6. *de Regul.* prohibetur publicatio votorum in fauorem libertatis electionis, vt poſſit dignior eligi: ſi vota publicentur in eum finem, vt dignior eligatur, adhuc fiet contra decretum, & electio erit irrita.

4 Addo etiam, quod huiuſmodi conſtitutiones non ſunt in fauorem Eccleſiæ, in qua de iure debet defunctus ſepeliri; alioquin ſequeretur quòd ſi quis elegiſſet ſepulturam in alia Eccleſia, & Regularis ipſum induceret ad mutandam electionem, & eligere voto, vel aliæ obligatiône ſepulturam apud propriam Eccleſiam, non faceret contra decretum; quia noua electio non eſſet in præiudicium Eccleſiæ, cui de iure contingit ſepultura; nam per priorem electionem ab hoc iure cecidiſſet.

5 Sunt ergo in fauorem libertatis electionis ſepulturæ, quam Pontifices tanti fecerunt, vt eam conceſſerint etiam in prȩiudicium Eccleſiæ, quæ de iure habet ius ad ſepulturam; & in deteſtationem auaritiæ, atque ob tollenda ſcandala: vt initio Conſtitut. explicat Bonifacius VIII. quæ oriuntur ex eo, quòd Regulares, aut Clerici Sæculares habeāt obligatas perſonas ex ipſorum inductione ad proprias Eccleſias, quò ad ſepulturam; vnde quotieſcunque quis inducitur ad huiuſmodi obligationem, ſemper fit contra finem conſtitutionum: tantùm abeſt, quòd ipſi dentur vires. Neque enim decernit conſtitutio quòd ſepultura ſit in loco, in quo de iure debet eſſe, aut quòd quis non audeat inducere ad alibi eligendam ſepulturam: ſed quòd quis non audeat inducere ad eligendam ſepulturam cum obligatione apud propriam Eccleſiam. Vnde eſt ob compeſcendum abuſum eorum, qui inducebant ad eligendam ſepulturam cum obligatione apud proprias Eccleſias, & non ratione electionis, ſed ratione modi electionis, nempe cum obligatione. Et hoc in fauorem libertatis electionis.

An,

An, & quæ ignorantia ſufficiat, vt inducentes ad eligendam ſepulturam cum obligatione non incurrant excommunicationem.

Deciſio CCCLXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Ignorantia probabilis facit vt non contrahatur excommunicatio, ſi quis inducat ad eligendam ſepulturam cum obligatione.*
2 *Excommunicatio non niſi ob peccatum mortale.*
3 *In præſenti caſu plus requiritur ad contrahendam excommunicationem, quàm ad peccandum; vnde ſtante ignorantia negligenti non contrahitur.*
4 *Nec etiam ſtante ignorantia affectata.*

1 NOn incurrere excommunicationem, quãdo concurrit talis ignorantia, quæ excuſet à peccato mortali, quæ nimirum ſit ignorantia probabilis, ſeu quòd quis ita ignoret prohibitionem, vt probabiliter putet ſe poſſe inducere ad tali pacto eligẽdam ſepulturam, deſumitur ex regula, quam tradunt communiter, cum agunt de cenſuris. Et in hoc ſpeciali caſu notant Caiet. *in Sum. Verbo* Excom. *cap. 10. caſ. 49.* Nauar. *cap. 27. Manual. nnmer.*
2 103. Et ratio manifeſta eſt, Quia ſi excuſat à peccato, non habet locum excommunicatio; quia non contrahitur niſi ob contumaciam cõiunctam cum peccato mortali, iuxta Capit. *Nullus.* Cap. *Nemo 11. quæſ. 3.* & Cap. 1. *de Iud.* & Cap. *A nobis* 1. & Cap. *Sacroſancta de Sent. Excom.* & Cap. *Romana* §. *Caueant. de Sent. Excom. in 6.*

3 Addit tamen Suarez *3. par. tom 5. de Cenſur. diſp. 22. ſect. 4. num. 26.* aliquid ampliùs requiri ad incurrẽdam excommunicationem, quam ad peccandum in præſenti caſu; & proinde ignorantiam aliquam, quæ non excuſaret à peccato, poſſe excuſare ab incurſu cenſuræ excommunicationis; quia Pontifex in Clement. *Cupientes* §. *Sanè de Pœnis in 6.* fert excommunicationem in temerarios violatores ſuæ conſtitutionis; hæc autem particula *temerarios* debet aliquid operari. Et proinde eſſe neceſſarium auſum temerarium; qui non interuenit, quando ex ignorantia, & bona fide proceditur; etiamſi ob negligentiam ignorantia à culpa non excuſet, dummodo tamen non ſit ignorantia affectata.

4 At etiam ſi ignorantia affectata ſit, puto ſufficere, vt quis non incurrat hanc excommunicationem; ſufficit enim ad excludendum auſum temerarium, qui requiritur pro contrahenda excommunicatione. Auſus enim temerarius dicit ire ſine ratione contra conſtitutionem, atque adeo velle ipſam infringere, & non obſeruare; vnde neceſſaria eſt intentio contraueniendi: quæ non habet locum poſita quacunque ignorantia etiam affectata, quia affectata quoque facit vt non habeatur præ oculis Conſtitutio. *Audere* namque importat quemdam contemptum, vt notat Innocent. *in Cap. Cum medicinalis. de Sent. Excom. in. 6.*

An electio ſepulturæ facta ex ſuggeſtione ſit nulla.

Deciſio CCCLXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Electionem ſepulturæ ex ſuggeſtione eſſe nullam, qui doceant.*
2 *Senſus* Cap. 1. de Pactis in 6.
3 *Electio ſepulturæ ex ſuggeſtione eſt valida.*
4 *Suggeſtio electionis ſepulturæ non eſt mala.*

1 ESſe nullam reſpondet Belletus *par. 1. Diſquiſitionis Cleric.* §. 3. *de Cler. debit. nn. 26.* citans Crauet. *conſil. 16. vol. 1.* & Burſat. *conſ. 226. num. 118. vol. 3.* & affert pro fundamento Cap. 1. *de Pactis in 6.* Idem etiam tenet Io. Aſinius *in ff. de Relig. & ſumpt. funer. l. 5. nn. 42.*

2 In illo tamen tex. nihil habetur, quod faciat pro hac opinione, Nam ibi ſolùm Bonifacius VIII. decernit quòd Regulares habentes ab Apoſtolica Sede liberam ſepulturam, ſi paciſcantur de non recipiendis aliquibus, vel certis Parochianis alicuius Eccleſiæ, tenentur ſeruare pactum, & eos non ſepelire, non obſtante quòd apud ipſos elegerint ſepulturam: quia per pactum cenſentur renunciaſſe priuilegio.

3 Itaque cum nullum ius ſit, quod irritet electionem ſepulturæ factam ex ſuggeſtione, & alioquin electio libera ſit eligenti, non video, cur non ſit futura valida huiuſmodi electio; neque enim ſuggeſtio habet vim irritandi.

4 Addo etiam huiuſmodi ſuggeſtionem neque eſſe malam; quia non eſt de obiecto illicito, ſed de eo, quod licitè poteſt fieri ab eligente. Neque etiam eſt ab aliqua lege prohibita, dummodò non fiat cum inductione obligationis à Regularibus, vel Clericis Sæcularibus.

An

An, ſi Clerici, vel Regulares inducant aliquem, vt ſe obliget ad eligendam ſepulturam, vel electam non mutandam apud ipſorum Eccleſias, in quibus de iure, præciſa electione, deberet ſepeliri, debeat adhuc in eadem Eccleſia ſepeliri.

Deciſio CCCLXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Punctus difficultatis.*
2 *Quando eligitur ſepultura ex inductione eorum, ad quos ſpectat locus ſepulturæ, non poteſt eligens in ipſa ſepeliri, etiam ſi aliàs debuiſſet de iure ſepeliri.*
3 *Oppoſitum tenendum eſt.*
4 *Pontifex declarans nullam talem electionem, reducit rem ad terminos iuris.*
5 *Non priuat inducentes ad talem electionem, eo quòd ipſis de iure debetur.*
6 *Quomodo tex. prohibeat quòd ſic eligentes non poſſint ſepeliri apud Eccleſias electas.*

1 PAulus debet ſepeliri de iure in Eccleſia v.g. S. Catherinæ, quæ eſt PP. Dominicanorum; quia in ea adeſt ſepultura ſuorum maiorum. PP. Dominicani inducunt Paulum, vt iuret, ſe velle ſepeliri in dicta Eccleſia. Quæritur an adhue debeat in eadem Eccleſia ſepeliri: ſiquidem iuxta Cap. 1. *de Sepulturis. in 6.* talis electio eſt nulla.

2 Gloſa *in dictum Cap.* tenet non debere ſepeliri, etiam ſi alioquin de iure debuiſſet in ipſa ſepeliri, Ita *Verbo* Apud quas *circa finem*; quia dictus tex. prohibet quòd nullatenus poſſint ſepeliri apud electas Eccleſias & affert Regulam iuris *Cum quid de Regulis iuris in 6.* vbi habetur, quòd cum quid prohibetur, prohibentur etiam omnia, quæ ſequuntur ex ipſo.

3 Tenendum tamen eſt cum Rodriquez *tom. 3. Quæſ. Regul. quæſ. 58. ar. 7. dub. 1.* & altero Rodriquez *in Compend. reſol. 128 nu. 6.* quòd debeat in dicta Eccleſia ſepeliri, quam obligatiuo modo elegit inductus à Clericis, vel Regularibus illius Eccleſiæ: ſi alioquin debuiſſet in ipſa ſepeliri.

4 Ratio eſt, Quia Pontifex per illam Conſtitutionem ſolùm prohibet effectum electionis; quia illam caſſat, & decernit eſſe irritam; vnde res reducitur ad terminos iuris; quia eodem pacto ſe habet, ac ſi nulla fuiſſet facta electio; tunc autem, ſeruando ius commune, debuiſſet ſepeliri in eadem Eccleſia; & proinde etiam nunc: non ex vi electionis, ſed ex determinatione iuris. Quod etiam conſtat ex eo, quòd ſi quis condat teſtamentum, quod ex aliquo defectu ſit nullum, hæreditas pertinet ad illos, qui ab inteſtato ſuccederent; & hoc habet locum etiam ſi ipſi fuiſſent inſtituti hæredes, & vitio ipſorum teſtamentum eſſet nullum; Ergo etiam ſi electio ſepulturæ ſit nulla, & ſit electus locus, in quo de iure eligens debuiſſet ſepeliri, adhuc in eodem loco erit ſepeliendus.

5 Quod maximè verum eſt: quia dictum Cap. 1. *de Sepul. in 6.* Sicut etiam Clement. *Cupientes de Pœnis*, non ponunt hanc pœnam ijs, qui inducunt ad talem electionem: vt eos priuent iure communi: ſed declarata nulla huiuſmodi electione reducunt ſepulturam ad terminos iuris; vnde non debent priuari ſuo iure, cum non priuentur per canones.

6 Textus autem prohibet quod nullatenus debeāt ſepeliri apud Eccleſias electas, quatenus in ipſis deberent ſepeliri ex vi electionis; quia cum declaret nullam electionem, debet etiam prohibere effectum electionis; & ideo prohibet ſepeliri apud dictas Eccleſias electas in virtute electionis, non autem ſi ex alio capite debent in ipſis ſepeliri. Et eodem pacto applicanda eſt allata regula iuris; vt nimirum prohibito tali modo eligendi ſepulturam, ſit etiam prohibita ſepultura vt ſequens ex tali modo electionis.

An eligens ſepulturam apud aliquam Eccleſiam, & poſtea mutans electionem, & eligens aliam modo prohibito per Canones, nempe cum obligatione; debeat ſepeliri in Eccleſia priùs electa, an prout de iure.

Deciſio CCCLXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo procedat difficultas.*
2 *Qui contra canones eligit ſepulturam, debet in priùs electa ſepeliri, ſecùndum* Rodriquez.
3 *Quod valet attendendo ſolam rationem, ſecus autem ſi attendatur diſpoſitio iuris.*
4 *Cur poſterior electio non valida faciat quòd ſit irrita prior, quæ erat valida.*
5 *Qui eligit ſepulturam cum obligatione, non poteſt de iure aliam eligere, ne faciat contra obligationem.*

6 Tena

6 *Pœna eligentis ſepulturam cum obligatione voti &c.*

7 *Prior electio, ſi maneret firma poſt ſecundam irritam, eſſet interpretatiuè noua electio.*

1 SVpponitur quòd debuiſſet ſepeliri in Eccleſia priùs electa: eo quòd electio illa legitima fuerit, ſi non ſuperueniſſet poſterior electio illegitima; hac autem ſuperueniente dubitatur an adhuc debeat ſepeliri in Eccleſia priùs legitimè electa.

2 Rodriquez *tom. 3. quæſt. Regul. quæſt. 58. art. 7. dub. 2.* & alter Rodriquez *in Compend. Reſol. 128. num. 7.* putant debere ſepeliri in Eccleſia, quam priùs legitimè elegerat pro ſepultura; quia poſterior electio cum ſit nulla iuxta Clement. *Cupientes §. fin. De pœnis* non vitiat priorem electionem, iuxta ſtrictiſſimam regulam iuris Cap. *Vtile De regulis iuris in 6.* Quod ſcilicet *Vtile per inutile non vitiatur.*

3 Et quidem attendendo ſolam rationem ita dicendum eſſet; ſi tamen attendatur diſpoſitiō iuris, oppoſitum eſt dicendum: Vt nimirum nō debeat ſepeliri in Eccleſia priùs electa licet legitimè, ſed prout de iure.

4 Ratio eſt, Quia Pontifex in *c. 1. De ſepul. in 6.* ſtatuit in pœnā talis electionis, quòd eligentes non poſſint alibi ſepulturam eligere: ne faciant contra votum, aut iuramentum, aut promiſſionem à ſe factam in electione ſepulturæ: ſed quòd ſepeliantur apud illas Eccleſias, apud quas debuiſſent de iure ſepeliri. Ex hoc autem ſequitur quòd irrita ſit prior electio; quia Pontifex vult quòd votum, iuramentum, ſeu promiſſio liget eligentem quò ad facultatem, quam habet in eligenda ſepultura; vnde ſicut non poteſt vlteriùs eligere, ita irritatur præcedens electio; quia iam votum, iuramentum, & promiſſio ſortitur ſuum effectum in ordine ad ligandum eligentem; dum autem eligens manet ligatus, deſtruitur præcedens electio; quia mutatur voluntas, & noua voluntas manet ligata. Vnde etiam ipſe Rodriquez *dub. 6.* docet, quòd iuramentum, quantum ad ipſum iurantem ſpectat, ſeruandum eſt. Si igitur eſt ſeruandum, iam manet obligatus iuramento, quantum eſt de ſe; & ideo non poteſt ſubſiſtere prior electio: quæ non habet robur, ſtante obligatione ad aliam ſepulturam.

5 Deinde. Vult Pontifex quòd non poſſit eligere nouam ſepulturam: ne contraueniat voto, iuramento, & promiſſioni; & proinde non vult ſepeliri ſecùndum diſpoſitionem propriæ voluntatis, ſed ſecùndum diſpoſitionem iuris: contraueniret autem ſi prior electio haberet locum; nam ſepeliretur ſecùndum diſpoſitionem propriæ voluntatis diuerſæ ab ea, quam voto, aut iuramento, aut promiſſione firmauit: imò contrariæ, quæ poſt votum, iuramentū, aut promiſſionem duraret.

6 Denique. Decernit Pontifex in pœnam electionis factæ contra canones, quòd non poſſit eligere de nouo ſepulturam, ſed debeat ſepeliri, prout de iure; Ergo talis pœna executioni mandanda eſt, & ſepeliendus ſecundùm diſpoſitionem iuris, & ſeruanda eſt forma à iure præſcripta. Non ſolùm enim vult Pontifex electionem illam eſſe nullam: ſed vlteriùs tanquam quid diſtinctum addit quòd debeat ſepeliri prout de iure; & ideo hæc diſpoſitio executioni mandanda eſt, non obſtāte quòd præceſſerit alia electio; quia trahitur vt pœna à mala electione.

7 Quod præſertim verùm eſt, Quia ſi prior electio maneret in robore poſt poſteriorem, quæ eſt nulla, cenſeretur de nouo poſt electionem irritam eligere ſepulturam, contra diſpoſitionem canonis; nam, quantum eſt de ſe, in poſteriori electione priorem retractauit: & cum poſterior ſit nulla, ita vt non poſſit executioni mandari, cenſetur eligens redire ad primam electionem, à qua diſceſſerat, quantum erat de ſe; hoc autem ſecùndum ſubſtantiam eſt ſaltem virtualiter, & interpretatiuè de nouo eligere.

An, ſi vnus tantùm ex Clericis, vel Regularibus inducat ad eligendam ſepulturam apud ſuam Eccleſiam cum obligatione ipſius eligentis &c. electio ſit nulla.

Deciſio CCCLXXX.

SVMMARIVM.

1 *Si vnus inducat aliquem ad eligendam ſepulturam, non eſt electio irrita, ſecùndum aliquos.*

2 *Oppoſitum eſt tenendum, alioquin lex eſſet fruſtratoria.*

3 *Ex intentione Pontificis huiuſmodi electio eſt nulla.*

4 *Quem actum probibeat* Cap. 1. de Sepult. in 6. *in ordine ad electionem ſepulturæ, & quam electionem irritet.*

5 *Quòd electio ſepulturæ ex inductione vnius ſit irrita, non eſt in præiudicium Eccleſiæ.*

6 *Si Prælatus inducat aliquem ad eligendam ſepulturam contra præſcriptum iuris, electio eſt irrita.*

1 NOn eſſe nullam tenet Rodriquez *in Sum. par. 4. cap. 130. num. 5.* & *tom. 3. Quæſt. Regul.*

*Regul.quæſt.*58. *art.*7. *dub.*3. cum Archidiacono *in cap.*1.*de ſepult.in* 6. & Vbaldo. *De canon. Epiſ.cap.* 11.*num.* 15. Portel.*in Rub.Reg. verbo. ſepult. numer.*6. Alter Rodriquez. *in Compend. Reſol.* 128. *num.*8. Sed tantùm quantum interuenit fraus omnium, aut maioris partis; quia Eccleſia punit ſolùm ex facto omnium, vel maioris partis, argumento, ex *l. Iubemus. C. De Sacroſanc. Eccleſ.* & Cap. *Ita nos.* 16. *quæſt.*6. vnde etiam in Regula *Delictum de regulis iuris in* 6. habetur, Quod delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare.

2 Oppoſitum tamen cenſeo eſſe tenendum, & ſufficere quòd vnus tantùm ex Eccleſia inducat ad electionem ſepulturæ factam cum voto, iuramento, aut promiſſione, vt electio ſit nulla: alioquin fruſtraretur lex fine ſuo; quia ſemper poſſent qui ſunt de Eccleſia aliqua per vnum aliquem procurare talem electionem, & ſic reddere irritum decretum.

3 Deinde. Intentio Pontificis eſt tollere ſcandala, quæ frequenter ex electionibus ſepulturæ tali forma factis oriebantur: vt ſe declarat initio conſtitutionis; vnde accipienda eſt lex in ea forma, in qua eſt neceſſaria ad finem intentum: quia talis eſt mens legiſlatoris; vt autem obtineatur finis prædictus, oportet vt electio ſit nulla, ſiue omnes ſiue vnus tantùm de Eccleſia inducat ad eam faciendam; alioquin ſi eſſet valida quando inducens eſt vnicus tantùm, adhuc ſequerentur eadem ſcandala.

4 Rurſus. Prohibitio iſta, eſt perſonalis: de cuius ratione eſt, vti comprehendat omnes, & ſingulos; quia nõ fit communitati, neq. loco, ſed perſonis; & proinde reſpicit actus perſonales, non autẽ actus cõmunitatis; Ergo electio ſepulturæ facta vno tantùm inducente erit irrita; quia cõſtitutio irritat illum actum, quẽ prohibet fieri: ſeu irritat electionem, quæ ſequitur ex actu, quem prohibet; vnde cũ prohibeat ſingulis ſeorſim Clericis, & Regularibus inducere ad electionem ſepulturæ voto, aut iuramẽto, aut fide interpoſita ſtabilitam: atq; adeo prohibeat huiuſmodi inductionem perſonalem cuiuſcunque, etiam irritat electionem ſequutam ex tali inductione, etiamſi inducens ſit tantùm vnus.

5 Ad id autem, quod affert Rodriquez, Reſp. quòd in hoc nulla interuenit punitio Eccleſiæ, neque aliquod ipſius præiudicium; quia non priuatur aliquo iure, quod acquiſierit. Nõ enim ratione illius electionis acquirit ius; quia cum talis electio ſit contra canones, & ſit nulla, non transfert aliquod ius in Eccleſiam, apud quam fuit electa ſepultura; & ideo ſi non conceditur, non fit ei aliquod præiudicium. Nec delictum perſonæ redundat in detrimentum Eccleſiæ; quia Eccleſia nihil patitur; tunc enim ſolùm patitur, quando læditur in aliquo ſui ipſius: non autem quando ipſi nõ conceditur quod non eſt ſuum.

6 Ex his autem ſequitur à fortiori, Quòd electio ſit nulla, ſi Prælatus inducat ad eligendam ſepulturam cum voto, aut iuramento, aut promiſſione apud ſuam Eccleſiam: vt etiam notat Rodriquez *citata quæſt.*58.*art.*7.*dub.*3.*ver. Ex his.tom.*3. & Portel atque. Alter Rodriquez *citati* contra Petrum de Vbaldis *ſupra citatum*. Et militat etiam in ipſo ſpecialis ratio: Quòd repræſentat totam Eccleſiam. Vnde etiam ſi electio non eſſet irrita, quando inducens eſſet vnus tantùm, adhuc tamen quando talis perſona eſſet Prælatus, eſſet irrita; quia eſt perſona publica, & in ijs, quæ pertinent ad Eccleſiam, repræſentat Eccleſiam.

Quinam poſſint ſibi eligere ſepulturam.

Deciſio CCCLXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Quilibet laicus, qui ſit ſui iuris, poteſt ſibi eligere ſepulturam.*
2 *Poteſt eligere etiam extra Eccleſiã, vt in Clauſtro, Sacriſtia &c.*
3 *Vxor poteſt ſibi eligere ſepulturam.*
4 *Item Filiusfamilias.*
5 *Item Clericus.*
6 *Item Nouitius.*
7 *Item Seruus.*

1 RESp. quemlibet laicum, qui ſit ſui iuris, poſſe ſibi eligere ſepulturam, tam in Eccleſia ſæculari, quam in Regulari, & tam in propinquis, quàm in remotis partibus. Ita decernunt iura *cap.*1. *vbi* Gloſa. *verbo Alienam* & Cap. *Cum liberum de ſepult.* vbi Communiter Canoniſtæ tradunt hanc reſolutionem. Lauor. *tom.*1.*tit.*2 *Variar. Lucubrat. capit.* 11. *num.* 1. Zechius *De Repub. Eccleſ. capit.*28. *de Parocho num.*17. Bellet. *par.*1.*Diſquiſit. Cler.* §.3. *De Cleric. debit. numer.* 13. Hieronymus Venerus *in Exam. Epiſcop. lib.* 3.*cap.*12. *num.*2.

2 Quod etiam debet extendi, vt notat idem Hieronym. Vener. *citat.* ad loca extra Eccleſiam, vt Clauſtrum, Sacriſtiam. Capitulum: vt conceditur in Cap. *Cum quis.* §. *Si quis de Sepult. in* 6. quatenus concedit ſepulturam in locis minùs religioſis.

3 Ex ijs autem, qui non ſunt ſui iuris. Vxor poteſt ſibi eligere ſepulturam, vt decernitur in

Cap.

Cap. *de Vxore de Sepult.* vbi hoc tradunt Abbas antiq. Innocent. Io. Andr. Zabarel. Butrius, Ancharan. Hoſtienſ. Imola, Anania. Panorm. & allj Auron. Auguſ. *Collect.* 1. *Decret. lib.* 3. *tit.* 24. *cap.* 7. Zechius *de Repob. Eccleſ. cap.* 28. *De Parocho. num.* 17. *ver. Fallit.* Spinus *in Specul. teſtam. Gloſ.* 2. *num.* 41. Lauor. *Variar. lucubr. tom.* 1. *tit.* 2. *cap.* 11. *num.* 130. Bellet. *par.* 1. *Diſquiſit. Cler.* §. 3. *De Cler. debit. num.* 15. Erreddit text. citat. rationē; quia electio ſepulturæ pertinet ad eum ſtatū, in quo vxor ſoluitur à lege viri.

4 Filius quoque familias poteſt ſibi eligere ſepulturam; id enim decernunt iura Cap. *Vnaqueq.* §. *exemplo* 13. *quæſt.* 2. & Cap. 1. *De ſepult.* & Cap. *Licet De ſepult. in* 6. vbi notatur quòd vt poſſit eligere, debet eſſe pubes, & habere liberum arbitrium. Et ita tradunt communiter Canoniſtæ in dicta loca. Imola in Cap. *Ea parte numer.* 6. *De reſt. ſpolior.* Molina *tom.* 1. *de Iuſt. & Iure tract.* 2. *diſp.* 214. Layman. *lib.* 3. *Theol. moral. tract.* 5. *cap.* 12. *quæſt.* 3. *num.* 5. Bellet. *par.* 1. *Diſquiſit. Cler.* §. 3. *De Cler. debit. num.* 14. & alij communiter: Et eſt eadem ratio ac de vxore; quia electio ſepulturę, vt quid ſpirituale, pertinet ad eum ſtatum, in quo Filius habet ius proprium.

5 Clericus etiam poteſt ſibi in quocunque loco eligere ſepulturā: vt ſumitur ex Extrauag. *Deteſtandæ* §. *Præfati*, & §. *Sed vt defunctorū. De ſepult.* & ex Cap. *Bona rei* 12. *quæſ.* 2. & ex Cap. *Vnaquæq.* 13. *quæſt.* 2. & ex Cap. *Apoſtolica De Donat.* & tradunt communiter in dicta loca. Gloſa in Cap. *Vbicunque* 13. *quæſt.* 2. Geminian. *Conſi.* 1. *c.* 4. 5. & 8. Bellet. *par.* 1. *Diſquiſit. Cler.* §. 3. *de Cler. debit. n.* 12. Non enim Clericus debet eſſe inferioris conditionis, quàm laicus; vnde ſi laicus poteſt eligere, debet & Clericus poſſe eligere.

6 Inter Regulares, Nouitius poteſt ſibi eligere ſepulturam, contra Lauor. *tit.* 2. *Variat. lucub. cap.* 11. *num.* 100. argumento ex contrario ſenſu, ex Cap. *Fin. De ſepulturis in* 6. ibi enim declaratur, Religioſos non poſſe ſibi eligere ſepulturam, quia non habent proprium velle, aut nolle. Nouitij autem habent: cum nōdum ſint adſtricti voto obedientiæ; vnde etiam teſtari poſſunt; & alia exercere, in quibus requiritur proprium velle, & nolle. Atque ita tradunt Francus *in dict. Fin. numer.* 2. Armilla. *verbo* ſepultura. *num.* 6. Tabiena *quæſt.* 4. *num.* 5. Villalobos *par.* 2. *ſum. tractat.* 31. *difficult.* 2. *num.* 13. Diana *par.* 5. *tract.* 3. *Reſolut.* 109. Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 14. *num.* 10.

7 Seruus etiam poteſt ſibi eligere ſepulturam: vt notant Io. Andr. in Cap. *De vxore De ſepult. in* 6. Hoſt. *in cap.* 1. *De coniug. ſeru.* Syluester *verbo* ſepult. *num.* 6. Poriel. *in dub. Reg. verbo* ſepult. *num.* 6. Quia in ſpiritualibus dominus nō habet poteſtatem in ſeruum.

An Regulares decedentes extra clauſtra poſſint ſibi eligere ſepulturam.

Deciſio CCCLXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Regulares non poſſunt eligere ſepulturam, etiam ſi extra clauſtra moriantur.*
2 *Nec etiam quando commodè ad ſua monaſteria non poſſunt deferri.*
3 *Sed oppoſitum eſt tenendum.*
4 *Iuxta exceptionem Cap.* Fin. de ſepult. in 6.
5 *Regula dicti Cap. eſt cum exceptione quò ad electionem ſepulturæ.*
6 *Ex interpretatiua voluntate Superiorum ſit electio ſepult. in dicto caſu.*

1 Religioſis interdicitur electio ſepulturæ ex Cap. *Fin. de ſepulturis in* 6. imò potius declaratur, eos non poſſe ſepulturam eligere: cum non habeant proprium velle, aut nolle: Quod etiam ibi extenditur, quando moriuntur extra clauſtra, vt tamen commodè ad monaſterium portari poſſint. Vnde dubitatur, an quando commodè ad monaſterium non poſſunt deferri, tunc poſſint eligere ſibi ſepulturam.

2 Negatiuè reſpondetur Innocent. Cap. *Nimis iniqua. num.* 2. *De exceſſib. Prælat.* Francus Cap. *Fin. num.* 3. *De ſepult. in* 6. Dominicus *ibid. num.* 4. Quia ratio dicti Cap. *Fin.* quòd Religioſi non habeant proprium velle, aut nolle militat etiam in ijs, qui moriuntur extra clauſtra. Vnde tex. ibi ponit duplicem regulam. Primam: Quòd Religioſi non poſſint ſibi eligere ſepulturam, & ab hac nihil excipitur: Alteram verò. Quòd ſepeliantur in ſuo monaſterio, & ab hac excipitur, quando commodè ad monaſterium portari non poſſunt.

3 Oppoſitum tamen tenendum eſt: nimirum Poſſe ſibi eligere ſepulturam, quando moriuntur extra clauſtra, & ad monaſterium commodè deferri non poſſunt, cum Gloſa in Cap. *Fin. de ſepult. in* 6. *verbo Commodè.* Monac. *ibid. in fine* Archidiacon. *ver. Eligere.* Ancharan. *in fine.* Abbate Cap. *Nimis iniqua, num.* 2. *De exceſſib. Prælat.* Nauarr. *Com.* 2. *num.* 53. *de Regular.* Roſella *verbo* Sepultura 2 *num.* 1. Tabiena *quæſt.* 4. Syluestro *quæſt.* 6. Armilla *num.* 6. Angelus *ibid.* Rodtiquez *tom.* 3. *quæſt. Regular. quæſt.* 60. *artic.* 2. *ver. Aduertendum tamen eſt.* Sanchez *in Decal. lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 3. Lauor. *tom.* 1. *Variar. Lucrubat. tit.* 2. *capit.* 11. *num.* 93. Ricc. *par.* 4. *Praxi Fori Eccleſ. Reſol.* 293. *num.* 39. Barboſa *De offic & Poteſt. Parochiali c.* 26. *numer.* 3. & *in Collect.* in Cap. *Fin. de ſepult. in* 6.

Regul. quæſt. 58. *art.* 7. *dub.* 3. cum Atchidiacono *in cap.* 1. *de ſepult. in* 6. & Vbaldo. *De canon. Epiſ. cap.* 11. *num.* 15. Portel. *in Rub. Reg. verbo.* ſepult. *numer.* 6. Alter Rodriquez. *in Compend. Reſol.* 128. *num.* 8. Sed tantùm quantum interuenit fraus omnium, aut maioris partis; quia Eccleſia punit ſolùm ex facto omnium, vel maioris partis, argumento, ex *l. Iubemus. C. De Sacroſanc. Eccleſ.* & Cap. *Ita nos.* 16. *quæſt.* 6. vnde etiam in Regula *Delictum de regulis iuris in* 6. habetur, Quod delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare.

2 Oppoſitum tamen cenſeo eſſe tenendum, & ſufficere quòd vnus tantùm ex Eccleſia inducat ad electionem ſepulturæ factam cum voto, iuramento, aut promiſſione, vt electio ſit nulla: alioquin fruſtraretur lex fine ſuo; quia ſemper poſſent qui ſunt de Eccleſia aliqua per vnum aliquem procurare talem electionem, & ſic reddere irritum decretum.

3 Deinde. Intentio Pontificis eſt tollere ſcandala, quæ frequenter ex electionibus ſepulturæ tali forma factis oriebantur: vt ſe declarat initio conſtitutionis; vnde accipienda eſt lex in ea forma, in qua eſt neceſſaria ad finem intentum: quia talis eſt mens legislatoris; vt autem obtineatur finis prædictus, oportet vt electio ſit nulla, ſiue omnes ſiue vnus tantùm de Eccleſia inducat ad eam faciendam; alioquin ſi eſſet valida quando inducens eſt vnicus tantùm, adhuc ſequerentur eadem ſcandala.

4 Rurſus. Prohibitio iſta, eſt perſonalis: de cuius ratione eſt, vti comprehendat omnes, & ſingulos; quia nō ſit communitati, neq. loco, ſed perſonis; & proinde reſpicit actus perſonales, non autē actus cōmunitatis; Ergo electio ſepulturæ facta vno tantùm inducente erit irrita; quia cōſtitutio irritat illum actum, quē prohibet fieri: ſeu irritat electionem, quæ ſequitur ex actu, quem prohibet; vnde cū prohibeat ſingulis ſeorſim Clericis, & Regularibus inducere ad electionem ſepulturæ voto, aut iuramēto, aut fide interpoſita ſtabilitam: atq; adeo prohibeat huiuſmodi inductionem perſonalem cuiuſcunque, etiam irritat electionem ſequutam ex tali inductione, etiamſi inducens ſit tantùm vnus.

5 Ad id autem, quod affert Rodriquez, Reſp. quòd in hoc nulla interuenit punitio Eccleſiæ, neque aliquod ipſius præiudicium; quia non priuatur aliquo iure, quod acquiſierit. Nō enim ratione illius electionis acquirit ius; quia cum talis electio ſit contra canones, & ſit nulla, non transfert aliquod ius in Eccleſiam, apud quam fuit electa ſepultura; & ideo ſi non concedatur, non fit ei aliquod præiudicium. Nec delictum perſonæ redundat in detrimentum Eccleſiæ; quia Eccleſia nihil patitur; tunc enim ſolùm patitur, quando læditur in aliquo ſui ipſius: non autem quando ipſi nō conceditur quod non eſt ſuum.

6 Ex his autem ſequitur à fortiori, Quòd electio ſit nulla, ſi Prælatus inducat ad eligendam ſepulturam cum voto, aut iuramento, aut promiſſione apud ſuam Eccleſiam: vt etiam notat Rodriquez *citata quæſt.* 58. *art.* 7. *dub.* 3. *ver. Ex his. tom.* 3. & Portel atque. Alter Rodriquez *citati* contra Petrum de Vbaldis *ſupra citatum.* Et militat etiam in ipſo ſpecialis ratio: Quòd repræſentat totam Eccleſiam. Vnde etiam ſi electio non eſſet irrita, quando inducens eſſet vnus tantùm, adhuc tamen quando talis perſona eſſet Prælatus, eſſet irrita; quia eſt perſona publica, & in ijs, quæ pertinent ad Eccleſiam, repræſentat Eccleſiam.

Quinam poſſint ſibi eligere ſepulturam.

Deciſio CCCLXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Quilibet laicus, qui ſit ſui iuris, poteſt ſibi eligere ſepulturam.*
2 *Poteſt eligere etiam extra Eccleſiā, vt in Clauſtro, Sacriſtia &c.*
3 *Vxor poteſt ſibi eligere ſepulturam.*
4 *Item Filiusfamilias.*
5 *Item Clericus.*
6 *Item Nouitius.*
7 *Item Seruus.*

1 Reſp. quemlibet laicum, qui ſit ſui iuris, poſſe ſibi eligere ſepulturam, tam in Eccleſia ſæculari, quam in Regulari, & tam in propinquis, quàm in remotis partibus. Ita decernunt iura *cap.* 1. *vbi* Gloſa. *verbo Alienam* & Cap. *Cum liberum de ſepult.* vbi Communiter Canoniſtæ tradunt hanc reſolutionem. Lauor. *tom.* 1. *tit.* 2 *Variar. Lucubrat. capit.* 11. *num.* 1. Zechius *De Repub. Eccleſ. capit.* 28. *de Parocho num.* 17. Bellet. *par.* 1. *Diſquiſit. Cler.* §. 3. *De Cleric. debit. numer.* 13. Hieronymus Venerus *in Exam. Epiſcop lib* 3. *cap.* 12. *num.* 2.

2 Quod etiam debet extendi, vt notat idem Hieronym. Vener. *citat.* ad loca extra Eccleſiam, vt Clauſtrum, Sacriſtiam. Capitulum: vt conceditur in Cap. *Cum quis.* §. *Si quis de Sepult. in* 6. quatenus concedit ſepulturam in locis minùs religioſis.

3 Ex ijs autem, qui non ſunt ſui iuris. Vxor poteſt ſibi eligere ſepulturam, vt decernitur in

Cap.

Cap. *de Vxore dr Sepult.* vbi hoc tradunt Abbas antiq. Innocent. Io. Andr. Zabarel. Butrius, Ancharan. Hoſtienſ. Imola, Anania. Panorm. & alij Anton. Auguſ. *Collect. 1. Decrct. lib. 3. tit. 24. cap. 7.* Zechius *dr Repob. Eccleſ. cap. 28. De Parocho. num. 17. ver. Fallit.* Spinous *in Specul. teſtam. Gloſ. 2. num. 41.* Lauor. *Variar. lucubr. tom. 1. tit. 2. cap. 11. num. 130.* Bellet. *par. 1. Diſquiſit. Cler. §. 3. De Cler. debit. num. 15.* Et reddit text. citat. rationē; quia electio ſepulturæ pertinet ad eum ſtatū, in quo vxor ſoluitur à lege viri.

4 Filius quoque familias poteſt ſibi eligere ſepulturam; id enim decernunt iura Cap. *Vnaqueq. §. exemplo 13. quaſt. 2.* & Cap. 1. *De ſepult.* & Cap. *Licet De ſepult. in 6.* vbi notatur quòd vt poſſit eligere, debet eſſe pubes, & habere liberum arbitrium. Et ita tradunt communiter Canoniſtæ in dicta loca. Imola in Cap. *Ea parte nnmer. 6. De reſt. ſpolior.* Molina *tom. 1. de Iuſt. & Iure tract. 2. diſp. 214.* Layman. *lib. 3. Theol. moral. tract. 5. cap. 12. quaſt. 3. num. 5.* Bellet. *par. 1. Diſquiſit. Cler. §. 3. De Cler. debit. num. 14.* & alij communiter: Et eſt eadem ratio ac de vxore; quia electio ſepulturę, vt quid ſpirituale, pertinet ad eum ſtatum, in quo Filius habet ius proprium.

5 Clericus etiam poteſt ſibi in quocunque loco eligere ſepulturā: vt ſumitur ex Extrauag. *Deteſtanda §. Præfati, & §. Sed vt defunctorū. De ſepult.* & ex Cap. *Bona rei 12. quaſ. 2.* & ex Cap. *Vnaquaq. 13. quaſt. 2.* & ex Cap. *Apoſtolica De Donat.* & tradunt communiter in dicta loca. Gloſa in Cap. *Vbicunque 13. quaſt. 2.* Geminian. *Conſi. 1. c. 4. 5. & 8.* Bellet. *par. 1. Diſquiſit. Cler. §. 3. de Cler. debit. n. 12.* Non enim Clericus debet eſſe inferioris conditionis, quàm laicus; vnde ſi laicus poteſt eligere, debet & Clericus poſſe eligere.

6 Inter Regulares, Nouitius poteſt ſibi eligere ſepulturam, contra Lauor. *tit. 2. Variar. lucub. cap. 11. num. 100.* argumento ex contrario ſenſu, ex Cap. *Fin. De ſepulturis in 6.* ibi enim declaratur, Religioſos non poſſe ſibi eligere ſepulturam, quia non habent proprium velle, aut nolle. Nouitij autem habent: cum nōdum ſint adſtricti voto obedientiæ; vnde etiam teſtari poſſunt; & alia exercere, in quibus requiritur proprium velle, & nolle. Atque ita tradunt Francus *in dict. Fin. numer. 2.* Armilla. *verbo* ſepultura. *num. 6.* Tabiena *quaſt. 4. num. 5.* Villalobos *par. 2. ſum. tractat. 31. difficult. 2. num. 13.* Diana *par. 5. tract. 3. Reſolut. 109.* Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 14. num. 10.*

7 Seruus etiam poteſt ſibi eligere ſepulturam: vt notant Io. Andr. in Cap. *De vxore De ſepult. in 6.* Hoſt. *in cap. 1. De coniug. ſeru.* Sylueſter *verbo* ſepult. *num. 6.* Portel. *in dub. Reg. verbo* ſepult. *num. 6.* Quia in ſpiritualibus dominus nō habet poteſtatem in ſeruum.

An Regulares decedentes extra clauſtra poſſint ſibi eligere ſepulturam.

Deciſio CCCLXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Regulares non poſſunt eligere ſepulturam, etiam ſi extra clauſtra moriantur.*
2 *Nec etiam quando commodè ad ſua monaſteria non poſſunt deferri.*
3 *Sed oppoſitum eſt tenendum.*
4 *Iuxta exceptionem Cap.* Fin. de ſepult. in 6.
5 *Regula dicti Cap. eſt cum exceptione quò ad electionem ſepulturæ.*
6 *Ex interpretatiua voluntate Superiorum fit electio ſepult. in dicto caſu.*

1 Religioſis interdicitur electio ſepulturæ ex Cap. *Fin. de ſepulturis in 6.* imò potius declaratur, eos non poſſe ſepulturam eligere: cum non habeant proprium velle, aut nolle: Quod etiam ibi extenditur, quando moriuntur extra clauſtra, vt tamen commodè ad monaſterium portari poſſint. Vnde dubitatur, an quando commodè ad monaſterium non poſſunt deferri, tunc poſſint eligere ſibi ſepulturam.

2 Negatiuè reſpondetur Innocent. Cap. *Nimis iniqua. num. 2. De exceſſib. Prælat.* Francus Cap. *Fin. num. 3. De ſepult. in 6.* Dominicus *ibid. num. 4.* Quia ratio dicti Cap. *Fin.* quòd Religioſi non habeant proprium velle, aut nolle, militat etiam in ijs, qui moriuntur extra clauſtra. Vnde tex. ibi ponit duplicem regulam. Primam: Quòd Religioſi non poſſint ſibi eligere ſepulturam, & ab hac nihil excipitur: Alteram verò, Quòd ſepeliantur in ſuo monaſterio, & ab hac excipitur, quando commodè ad monaſterium portari non poſſunt.

3 Oppoſitum tamen tenendum eſt: nimirum poſſe ſibi eligere ſepulturam, quando moriuntur extra clauſtra, & ad monaſterium commodè deferri non poſſunt, cum Gloſa in Cap. *Fin. de ſepult. in 6. verbo Commodè.* Monac. *ibid. in fine* Archidiacon. *ver. Eligere.* Ancharan. *in fine.* Abbate Cap. *Nimis iniqua, num. 2. De exceſſib. Prælat.* Nauarr. *Com. 2. num. 53. de Regular.* Roſella *verbo* Sepultura 2. *num. 1.* Tabiena *quaſt. 4.* Syluestro *quaſt. 6.* Armilla *num. 6.* Angelus *ibid.* Rodriquez *tom. 3. quaſt. Regular. quaſt. 60. artic. 2. ver. Aduertendum tamen eſt.* Sanchez *in Decal. lib. 6. cap. 14. num. 3.* Lauor. *tom. 1. Variar. Lucubrat. tit. 2. capit. 11. num. 93.* Ricc. *par. 4. Praxi Fori Eccleſ. Reſol. 293. num. 39.* Barboſa *De offic. & Poteſt. Parochiali c. 26. numer. 3. & in Collect.* in Cap. *Fin. de ſepult. in 6.*

num. 1. *&* 2. & in Cap. *Cum liberum de ſepult.* Layman *lib.* 3. *Theol. moral. tract.* 5. *cap.* 9. *num.* 6. Hieron. Rodriquez *in Compend. Reſol.* 128. *num.* 16. Leſana *par.* 1. *quæſt. Reg. cap.* 9. *num.* 10. Diana *par.* 5. *tract.* 3. *Reſol.* 110.

4 Et deſumitur ex dicto Cap. *Fin. de Sepult. in* 6. vbi cum declaretur quòd Religioſi non poſſint ſibi eligere ſepulturam, etiam ſi decedant extra clauſtra, ponitur exceptio: *Niſi tam remotè à monaſterijs moriantur, vt commodè ad ipſa deferri nequeant.* Vnde cum iſte caſus excipiatur à dicta declaratione, poterunt in ipſo eligere; quia exceptio tribuit caſui excepto quod negatur in alijs.

5 Neque dici poteſt quòd exceptio fiat ab alia regula; quòd debeant ſepeliri apud ſua moneſteria; nam ponitur antecedenter ad hanc regulam, & immixta cum priori regula: ſic enim tex. habet *Religioſi, niſi à proprijs monaſterijs adeo forſitan ſint remoti, quòd ad ea, cum moriuntur, commodè portari non poſſint, nequeunt (cum velle, vel nolle non habeant) ſibi eligere ſepulturam.* Et poſtea ſubditur alia regula.

6 Nec obſtat, quòd Religioſi non habeant velle, aut nolle proprium; quia talis electio fie cum interpretatiua voluntate Superioris. Cum enim eorum corpora non poſſint commodè ad monaſterium deferri, poſſunt ex hoc interpretari voluntatem Superioris, quòd nolit deferri; & proinde cum debeant ſepeliri extra proprium monaſterium, concedere facultatem eligendi ſepulturam vbi voluerint: præſertim quia quando ſunt extra propria monaſteria, præſertim in longa diſtantia, habent proprium velle, & nolle quò ad ea, quæ ibi de præſenti decernenda ſunt: & tunc ius Superioris transfundi in ſubditum.

An Regularis moriens extra proprium monaſterium poſſit ſibi eligere ſepulturam, ſi ibi ſit aliud monaſterium ſui Ordinis.

Deciſio CCCLXXXIII.

SVMMARIVM

1 *Vbi ſepeliendus Regularis qui non elegit ſepulturam, ſi moriatur extra monaſterium, & commodè ad ipſum deferri non poſſit.*
2 *Quid, ſi ibi adſit aliud monaſterium ſui Ordinis.*
3 *Si adſit tale monaſterium, non poteſt eligere ſepulturam, ſi teneatur obedire Prælato monaſterij.*
4 *Etiam ſi degeret extra monaſterium.*
5 *Si non tenetur obedire Prælato illius monaſterij, poteſt eligere ſepulturam.*
6 *Etiam ſi degeret vt hoſpes intra monaſterium.*
7 *Niſi tamen adſit conſtitutio, aut conſuetudo in contrarium.*

1 Regularis moriens extra proprium monaſterium, ſi ad ipſum commodè deferri non poſſit, & non eligat ſepulturam, debet ſepeliri in Eccleſia Parochiæ, in qua moritur, inſtar ſæcularium, qui moriuntur in itinere; vt notat Gloſa *in Cap. Fin. de Sepult. in* 6. *Verbo* Nota primò, & ſequuntur Ancharan. & Franc. *in fine*, vbi etiam Dominicus Barboſa *in Collect. in diſt. cap. nu.* 4. Sanchez *lib* 6. *in Decal. cap.* 14. *num.* 4. Quia ſequuntur tunc locum, in quo reperiuntur tanquam participantes ius ad ſpiritualia, quæ communicantur in illo loco. Omnis enim fidelis habet ius ad ſacramenta, & ad annexa ſpiritualia in quocunque loco reperiatur: & proinde vt recipiat in illo loco, in quo eſt.

2 Si verò in eodem loco adſit monaſterium ſui Ordinis, adhuc tenet Gloſſa *citat.* ſepeliendum in Eccleſia Parochiali, niſi ibi adſit cauſa perpetuæ reſidentiæ; vnde videtur hoc velle, etiam quando reſidet in illo monaſterio, dummodo tamen ibi non habeat perpetuam reſidentiam. Meſiùs tamen Anton. *in Cap.* 1. *num.* 9. *de Sepult.* quem ſequitur Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 14. *num.* 4. Sepeliendum eſſe in monaſterio; quia cum omnia monaſteria eiuſdem Ordinis ſint vnita ſub vno capite, ratione talis vnionis, licet in cœteris non communicent, debent tamen communicare in ſpiritualibus; hoc enim exigit charitas, qua inuicem copulari debent vt membra eiuſdem capitis.

3 Difficultas autem eſt an adhuc poſſit eligere ſepulturam, ſi in illo loco ſit aliud monaſterium ſui Ordinis: In quo cum diſtinctione procedendum exiſtimo. Vel enim ſtat ſub obedientia Prælati illius monaſterij, vel non ſtat. Si ſtat ſub illius obedientia, ita vt ipſum agnoſcat pro Superiore, quamuis ibi ſit per modum hoſpitis, non poteſt eligere ſepulturam; quia valet ratio Cap. *Fin. de Sepult. in* 6. quòd non habeat velle, aut nolle; & ideo nec diſponere poſſit de ſepultura ſui ipſius, quia ratione voti obedientiæ ſubditur Prælato illius monaſterij tanquam proprio Superiori.

4 Quod verum eſt, etiam ſi degeret extra monaſterium; quia tunc poteſt commodè deferri ad ipſum; quod de præſenti cenſetur proprium monaſterium ipſius; quia ſubditur de præſenti Prælato eiuſdem monaſterij: vnde habet locum determinatio dicti Cap *Fin. de Sepult. in* 6.

5 At ſi non ſubditur Prælato illius monaſterij, habet libertatem eligendi ſibi ſepulturam; quia res eodem pacto ſe habet, ac ſi ibi nullum adeſſet mo-

Digitized by Google

ſet monaſterium; quia ſicuti non ſubditur Prelato monaſterij, nec in ipſum habet ius; ita nec Prælatus habet ius ſuprà ipſũ. Et proinde Regularis habet proprium velle, ac nolle in ordine ad ea, quę pertinent ad diſpoſitionem ſuipſius; vnde etiam diſponere poteſt in ordine ad ſepulturam.

6 Et hoc tenendum eſt, etiam quando Regularis degit intra illud monaſterium per modũ hoſpitis; quia ſuppoſito, quòd non ſubdatur Prælato monaſterij, ſicut ad Prælatum nihil pertinet de ipſo, ita nec Regularis amittit conceſſionem à iure eligendi ſibi ſepulturam; quæ tãtùm ceſſat ratione ſubiectionis ad Prælatum ſuum, & quando commodè ad monaſterium proprium deferri poteſt.

7 Hæc autem limitanda ſunt, niſi conſtitutiones Religionis, aut conſuetudo, quæ haberet vim legis, aliter ſtatuerent; tunc enim ſtandum eſſet conſtitutionibus, & conſuetudini. Si tamen conſtitutiones eſſent ex certa ſcientia approbatæ à Summo Pontifice; quia cum conceſſio eligendi ſepulturam, quando corpus defuncti non poteſt commodè deferri ad propriũ monaſterium vigeat, eo quòd iſte caſus excipiatur in dicto Cap. *Fin. De ſepult. in 6.* non poteſt conſtitutio Religionis non confirmata à Pontifice præualere contra diſpoſitionem iuris.

An Prælati Religionis poſſint ſibi eligere ſepulturam.

Deciſio CCCLXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Solus Generalis Religionis, ſecùndum aliquos, poteſt ſibi eligere ſepulturam.*
2 *Omnes Prælati Religionis poſſunt ſibi eligere ſepulturam.*
3 *Prælatus localis, licet ſubditus Generali, habet velle, & nolle.*
4 *Præſertim in electione ſepulturæ.*
5 *Poteſt ſibi eligere ſepulturam extra monaſteria Ordinis.*
6 *Etiam ſi non adſit conſuetudo.*

1 SOlùm Prælato Generali concedunt facultatem eligendi ſibi ſepulturam, nõ autem Prælatis localibus Syluester *verbo* Sepultura *quæſt.6.* Armilla *num.6.* Layman *lib.2. Theolog. moral. tractat. 5. capit. 9. numer.6. ver. Porrò.* Quia cum hi quoque Prælati ſubdantur Generali, non habent velle, aut nolle; & ideo militat ratio, ob quam in Cap. *Fin. De ſepultur. in 6.* declaratur non poſſe Religioſos ſibi eligere ſepulturam.

2 At poſſe eligere ſepulturam tradunt Abbas in Cap. *De vxore num.5. De ſepult.* Francus in Cap. *Fin. De ſepult. in 6. num 2.* Roſella *verbo* Sepultura 2. *num.2.* Tabiena *ibid. quæſt. 4. num.6.* Rodriquez *tom.3. quæſt. Regul. quæſt. 60. art.1.* & alter Rodriquez *in Compend. reſol. 128. num. 16.* Sanchez *lib.6. in Decal. capit 14. num. 7.* Leſana *part.1. quæſt. Regul. capit.9. nume.10.*

3 Atque ſane poſteriorem opinionem cenſeo probabiliorem; quia licet Prælatus localis ſubdatur Generali, adhuc tamen in multis habet velle, & nolle: vt in ijs, quæ pertinent ad locale regimen; & ideo poteſt de multis diſponere. Vnde cum in Cap. *Fin. De ſepult. in 6.* negetur facultas eligendi ſepulturam Religioſis, quia non habent velle, aut nolle: debet à contrario ſenſu concedi Prælato locali; cum in multis habeat velle, aut nolle.

4 Quòd ſi dicas: Non habere velle, aut nolle quòd ad electionem ſepulturæ. Reſp. Imò in hoc habere; quia pertinet electio ſepulturæ ad ius ſpirituale: quod minùs adſtringitur in quocunque ſubiecto, quàm quodcunque aliud ius; & ideo Vxor, licet ſit ſub poteſtate viri, poteſt tamen eligere ſepulturam: ſicut etiam filiusfamilias, vt in Cap. *De vxore De ſepulturis.*

5 Ex quibus fit, quòd non ſolùm poſſit eligere ſepulturam intra monaſteria Ordinis, ſed etiam extra ipſa; quia facultas eligendi ſepulturam non ſe extendit ad hæc, vel illa loca: ſed ad omnia, in quibus locum habet Eccleſiaſtica ſepultura; vnde ſi ſemel alicui conuenit, debet conuenire in ordine ad omnia, abſolutè, abſque vlla reſtrictione.

6 Nec obſtat, quòd non adſit conſuetudo non eligendi; quia facultas eligendi non conuenit ex priuilegio, quod per non vſum amitti poſſit: ſed conuenit de iure, vt ex Cap. 1. *de Sepult.* quod ius ad omnes extenditur, qui quocunq; modo habent proprium velle, aut nolle.

An Conſultores apud nos Clericos Regulares poſſint ſibi eligere ſepulturam.

Deciſio CCCLXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Conſultores Cler. Regularium in abſentia Generalis poſſint ſibi eligere ſepulturam.*

2 *Ius eligendi ſepulturam eſt perſonale.*
3 *Etiam ſi Conſultores prædicti abſint ab Vrbe poſſunt ſibi eligere ſepulturam.*
4 *Etiam in præſentia Patris Generalis.*
5 *Conſultores prædicti proprium velle habent & nolle etiam contra velle, & nolle Generalis.*
6 *Non habent propriè Superiorem intra Religionem.*

1 POteſt difficultas procedere de Conſultoribus Clericorum Regularium Theatinorum in abſentia P. Generalis, & in præſentia ipſius. Si loquamur de ipſis quando reſident in Curia in abſentia P. Generalis, exiſtimo poſſe ſibi eligere ſepulturam; quia repræſentant ſupremum tribunal Religionis, apud quod reſidet plena poteſtas. Vnde Conſultores in abſentia P. Generalis poſſunt per ſe ipſos ea omnia reſoluere, quæ non patiuntur dilationem tam in foro externo, quàm in interno: vt notat Peregrinus *in Comment. ad eorum Conſtitutiones par. 3. cap. 5. littera E.* Rurſus. Quando Generalis eſt extra Vrbem, poteſt res graues, quæ occurrunt vna cum Viſitatoribus reſoluere, ſi non patiantur dilationem, ſecus autem ſi patiantur dilationem: vt habetur *par. 3. dictarum Conſtit. cap. 5. §. Si dum Pater Generalis*; vnde quò ad hoc æquiparantur Conſultores, & Generalis; & proinde vt potentes exercere ſupremam auctoritatem, poſſunt etiam ſibi eligere ſepulturam.

2 Quod præſertim verum eſt; quia ius eligendi ſepulturam eſt ius ſingulare, ſeu perſonale; quod conuenit ſingulis perſonis, non communitati; vnde quando conuenit ratione dignitatis collegialis, conuenit ſingulari modo omnibus & ſingulis.

3 Si verò Conſultores prædicti abſint ab Vrbe Roma, nec ibi ſit Generalis, adhuc cenſeo poſſe eligere ſepulturam; quia Prælati ſunt, nec ibi habent aliquem Superiorem, vt benè notat Peregrinus noſter *in ſuis Comment. ad dictas Conſtit. par. 3. cap. 5. littera G. §. 7.* Vnde habent ſuum velle, & nolle. Et proinde militat ex oppoſito ratio Cap. *Final. de Sepult. in 6.* Ideo enim Religioſi non poſſunt eligere ſepulturam: quia non habent velle, aut nolle; Ergo qui habent velle, aut nolle, poſſunt eligere: vt contingit in Conſultoribus noſtris, quando ſunt extra Vrbem.

4 Addo etiam. Quòd in Vrbe, & in præſentia P. Generalis poſſunt ſibi eligere ſepulturam: ob eamdem rationem modo allatam; quia habent proprium velle, & nolle etiam in præſentia Generalis; faciunt enim vnum tribunal cum ipſo, & habent ſupremam iuriſdictionem in totam Religionem: vt notat etiam Peregrin. *in dicto Comment. ad Conſtit. par. 3. cap. 5. littera A. §. In contrarium. in fine.* Qui autem ſunt de ſupremo tribunali habent etiam ſuum velle, & nolle.

5 Imò etiam ita habent ſuum velle, & nolle: vt in rebus grauioribus, in quibus iuxta noſtras Conſtitutiones, & Decreta, habent votum deciſiuum, ſtet ipſorum velle, aut nolle contra velle, & nolle Generalis: ſi nimirum tres ipſorum concordent in voto, & diſcrepent à Generali. Vnde ſi in his habent proprium velle, aut nolle etiam contra velle, & nolle Generalis, multò magis habebunt in electione ſepulturæ.

6 Præterea. Cum habeant ſupremam iuriſdictionem in Religione, non habent propriè Superiorem. Licet enim Generalis ſit Supremum caput totius Religionis, & ipſam repræſentet; quia tamen ſuprema iuriſdictio non eſt apud ipſum ſolum, ſed etiam apud Conſultores, ideo non remanet in Generali aliqua ſuperior iuriſdictio, per quam ſubijciat ſibi dictos Conſultores. Et ideo, ſi contingeret aliquem ex Conſultoribus delinquere, non poſſet puniri à Generali, ſed deberet puniri à toto collegio, nempe à Generali, & Conſultoribus; vt notat etiam Peregrin. *in cit. Comment. ad Conſtit. par. 3. cap. 5. littera A. §. In contrarium &c. in fine*, quia ratione delicti efficeretur ſubditus.

An Prælati Regularium poſſint eligere ſepulturam pro ſuis ſubditis.

Deciſio CCCLXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Prælatum Regularem poſſe pro ſubdito eligere ſepulturam, tradit Rodriquez.*
2 *Quæ conueniunt patri vero, conueniunt etiam ficto, quando militat eadem ratio.*
3 *Non poſſe Prælatum Regularem eligere ſepulturam ſubdito, aſſerunt alij.*
4 *Pater non ratione patriæ poteſtatis, ſed ratione conſuetudinis poteſt filio impuberi eligere ſepulturam.*
5 *Poteſt Prælatus Regular. eligere ſepulturam ſubdito. In voluntate Prælati eſt voluntas ſubditi Regularis.*
6 *Regularis transfert in Religionem omnia ſua iura, etiam ius eligendi ſepulturam.*

1 AFfirmat Rodriquez *tom. 3. Quæſ. Regul. quæſ. 60. ar. 1.* Quia Prælatus æquiparatur patri; ſicut autem pater poteſt eligere ſepulturam filio impuberi, ita etiam Prælatus Regularis ſubdito; quia propter vinculum profeſſionis

feſſionis non habet velle, & nolle ſicut filius impubes.

2 Nec obſtat, quòd Prælatus non ſit verus pater, ſed fictus, & proinde non poſſint ad ipſum transferri quę competunt vero patri; quia hoc eſt verum quando in patre vero, & ficto non militat eadem ratio: ſecus autem quando eſt eadem ratio; tunc enim quæ conueniunt vero transferuntur etiam ad fictum. Ita Rodriquez qui pro hoc vltimo citat Baldum, & ait eſſe communem opinionem.

3 Oppoſitum tamen tenet Io: Aſin. *in l. Familiaria ſepulcra ff. de Relig. & ſumpt. funer. num.* 51. Petrus de Vbaldis *de Canon. Epiſcop. cap.* 11. *num.* 6. quem citat ipſe Rodriquez, & Sanchez *lib. 6. in Decal. cap.* 14. *num.* 6. Quia pater non poteſt eligere filio impuberi ſepulturam ratione patriæ poteſtatis, ſed ratione
4 conſuetudinis: Et proinde, vbi non eſt conſuetudo, non poteſt eligere: vt expreſsè habetur in Cap. *Licet pater de Sepult. in 6.* vnde non militat eadem ratio in patre reſpectu filij impuberis, ac in Prælato Regulari reſpectu ſuorum ſubditorum.

5 Ex alio tamen capite dici poteſt quòd Prælatus Regularis poſſit eligere ſepulturam proprio ſubdito; quia nimirum in profeſſione tranſtulit totum ſuum velle, & nolle in Prælatum; vnde voluntas Pręlati eſt voluntas ſubditi: quia ſubditus remanet ſine proprio velle, aut nolle, cum velle Superioris ſit eiuſdem velle; & ideo, quòd alioquin poſſet velle ſubditus poteſt velle Superior pro ſubdito: cum in ipſum tranſtulerit totam propriam voluntatem. Quod non contingit in patre reſpectu filij impuberis; quia cum filius impubes nunquam habuerit propriam voluntatem, nec potuit transferre, nec cenſetur tranſtuliſſe in patrem.

6 Præterea. Dum quis emittit profeſſionem, transfert omnia ſua iura in Religionem, & in Prælatum vt repræſentantem Religionem; vnde Religio, ſi eſt capax hæreditatum, aut bonorum ſtabilium, acquirit ius ad omnia bona ſtabilia, & hæreditates; Ergo cum quando profitetur habeat ius ad electionem ſepulturæ, transfert hoc quoque ius in Prælatum; & ideo poterit pro ipſo eligere ſepulturam.

An, ſi Prælatus Regularis eligat ſepulturam, & moriatur finita prælatura, debeat ſepeliri in ſepultura electa.

Deciſio CCCLXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Prælatus moriens finita prælatura non poteſt ſepeliri in ſepultura electa.*
2 *Electio ſepulturæ pars vltimæ voluntatis.*
3 *Vt ſit valida, debet vltima voluntas habere ius eligendi.*
4 *Poteſt Prælatus, qui elegerat ſepulturam, ſi moriatur non Prælatus in ipſa ſepeliri, ſi eius Prælatus ratam habeat electionem.*

1 RESp. Non debere ſepeliri in ſepultura electa, ſed in ſuo monaſterio. Ita Rodriquez *tom. 3. Quæſt. Regul. quæſ. 60. ar. 1.* pro quo citat etiam Petrum de Vbaldis. Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 14. num. 8.* Alter Rodriquez *in Compend. Quæſt. Regul. reſol.* 128. *num.* 16. Lauret. de Franch. *in Controuer. inter Epiſcop. & Regul. quæſ.* 61.

2 Ratio autem eſt; Quia electio ſepulturæ eſt actus vltimæ voluntatis, vt notat Gloſ. *in Cap.* 1. *de Sepult. in 6. in Additione ver. Et ſit ratio.* vnde reſpicere debet vltimam voluntatem, quæ ſi non habeat ius eligendi. nec etiam electio erit valida, nec validè facta poteſt perſeuerare valida non perſeuerante in eo ſtatu
3 voluntate, vt ſemper poſſit eligere. Quia quando electio ſepulturæ eſt facta longè ante mortem, habet robur in morte, vt pars vltimæ voluntatis; quia moriens cenſetur illam approbare per ſuam vltimam voluntatem. Quando autem finitur prælatura, & Prælatus moritur non Prælatus, vltima voluntas ipſius non eſt in ſtatu, vt poſſit eligere ſepulturam: atque adeo nec electam approbare.

4 Hoc tamen eſt limitandum, niſi Prælatus monaſterij ratam habeat illam electionem; quia tunc cenſetur de nouo ipſi eligere ſepulturam, quod facere poteſt iuxta ſuperiùs dicta.

Digitized by Google

An Regularis, qui præeſt Prioratui, ſeu Vicariatui non ſubiecto immediatè Generali, poſſit ſibi eligere ſepulcrum.

Deciſio CCCLXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſuadeat Priorem, aut Vicarium monaſterij annexi alteri monaſterio poſſe ſibi eligere ſepulturam.*
2 *Non poteſt talis Prior, aut Vicarius ſibi eligere ſepulturam.*
3 *Talis Prior, aut Vicarius eſt Monachus principalis monaſterij.*
4 *Velle, & nolle talis Vicarij aut Prioris debet ſequi motum Prælati.*
5 *Vicarij Domorum Tuſculanæ & S. Petri de Arena apud nos non poſſunt eligere ſepult.*
6 *Poteſt tamen Vicarius Domus Vici Aequenſis.*

1 Videtur, poſſe ſibi eligere; quia cum habeat regimen illius Prioratus ſeu Vicariatus, habet in multis velle, & nolle; vnde videtur eſſe eadem ratio de ipſo, ac de Prælato locali.

2 Dicendum tamen eſt: non poſſe ſibi eligere ſepulturam. Quod inſinuant Francus in Capit. *Fin. num. 2. De ſepult. in 6.* Rodriquez *tom. 3. quæſt. Regular. quæſt. 60. art. 1.* Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 14. num. 8.* Alter Rodriquez *in Compend. quæſt. Regular. Reſol. 28. num. 16.*

3 Ratio autem eſt, Quia qui præeſt huiuſmodi Prioratui, aut Vicariatui eſt monachus illius monaſterij, cui eſt annexus Vicariatus, aut Prioratus, iuxta Cap. 1. §. *In eos autem. De priuileg. in 6.* & ideo ſubijcitur Prælato locali illius monaſterij; vnde eſt etiam eadem ratio de ipſo, ac de cæteris monachis ſubditis, qui non poſſunt ſibi eligere ſepulturam.

4 Hinc velle, & nolle talis Prioris, & Vicarij eſt coniunctum cum velle, & nolle Prælati monaſterij principalis tãquam capitis vtriuſque monaſterij: vnde vt velle alicuius membri debet ſequi motum capitis; & non eſt velle proprium Vicarij, aut Prioris, ſed maioris Prælati; quia per ipſum debet regulari.

5 Ex his colligitur. Vicarium Domus Tuſculanæ, apud nos Clericos Regulares, ſicut etiã Domus S. Petri de Arena non poſſe ſibi eligere ſepulturam; ſunt enim domus alteri domui incorporatæ, ſi non quò ad omnia, ſaltem quò ad regimẽ; vnde Vocales horum Vicariatuum faciunt vnum capitulum cum Vocalibus domorũ, quibus Vicariatus ſunt annexi; & ideo tales Vicarij debent ſequi motum Prælati monaſterij principalis.

6 Maior difficultas eſt de Vicario monaſterij Vici Æquenſis. Is enim videtur habere proprium velle aut nolle; quia licet dictus Vicariatus ſit annexus alteri domui, non tamen pendet à Prælato illius in ijs, quæ pertinent ad regimen Vicariatus: & ſolùm in aliquibus communicat cum monaſterio cui eſt annexus. Vnde etiam gaudet. Præeminentia loci. Et ideo cenſerem habere proprium velle aut nolle, & habere ſi non totalem, ſaltem magnam exemptionem à Prælato monaſterij, cui Vicariatus eſt annexus; & proinde poſſe ſibi eligere ſepulturam.

An Pater filio impuberi poſſit eligere ſepulturam.

Deciſio CCCLXXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Qui doceant Patrem filio impuberi poſſe eligere ſepulturam.*
2 *Pater poteſt filio impuberi facere teſtamentum, & ſubſtituere in bonis maternis.*
3 *Poteſt filio impuberi eligere ſepulturam non de iure, ſed ratione conſuetudinis.*
4 *Patria poteſtas non habet locum in electione ſepulturæ.*
5 *Eſt tantùm poteſtas ciuilis, & temporalis.*

1 Poſſe Patrem filio impuberi eligere ſepulturam de iure, ratione patriæ poteſtatis, tenet Gloſa in Cap. *De Vxore. l. Vtrum autem. De ſepult. verbo Definitum*, quod tamen limitat, niſi conſuetudo repugnet, Hoſtienſ. *in ſum. tit. De ſepult. num. 5.* Molina *diſp. 214. De iuſt. & Iure ver. Pater eligere*, & idem videtur ſentire Rodriquez *tom. 3. quæſt. Reg. quæſt. 60. art. 1.*

2 Quia cum Pater poſſit filio impuberi facere teſtament. Inſt. *De pupil. ſubſt. §. Liberis*, & etiam facere ſubſtitutionem in bonis maternis l. 1. *ff. De vulg. & pupil.* idque ratione patriæ poteſtatis, poterit etiam ratione eiuſdem patriæ poteſtatis eligere ſepulturam.

3 Oppoſitum tamen eſt tenendum: nimirum non poſſe patrem filio impuberi eligere ſepulturam de iure, & ratione patriæ poteſtatis; ſed tantum ratione conſuetudinis, vbi eſt. Ex tex. expreſſus in Cap. *Licet De ſepulturis in 6.* vbi Bonifacius VIII. hoc ipſum declarat. & ibi hoc ipſum notat Archidiacon. *num. 1.* Geminian. *num. 2.* Ioan. And. Ancharan. Butrius,

& alij

& alij *ibid.* Nauar. *conſil. 2. De ſepult.* Petrus de Vbaldis *De canon. Epiſcop. cap. 11. num. 6.* Bellet. *par. 1. Diſquiſit. Cler. §. 3. De Cler. debit. num,* 17. Qui citat Sebaſt. Medit. *quæſt. 8. De ſepult.* Sperel. *deciſ. 89. num. 3. & ſequent.* Villalob. *par. 2. ſum. tract. 31. difficul. 2. num. 1.* Bonacina *diſp. 3. de Contract. quæſt. 21. punc. 3. num. 8.* Genuenſ. *in Praxi cap. 61. num. 4.*

4 Ratio autem eſt; quia Ius commune determinat ſepulturam pro vnoquoque, vt nimirum debeat quiſque ſepeliri, aut in ſepulchro maiorum ſuorũ, aut in Ecclesia parochiali. Et inſuper concedit vnicuique qui eſt capax electionis, quòd poſſit ſibi eligere ſepulturam; vnde non remanet aliqua poteſtas eligendi præter conceſſam à iure; quæ cum ſit perſonalis, & ijs tantùm competat, qui ſunt capaces talis electionis, non ſubſtituitur ratione incapacitatis alius: & proinde nec pater pro filio, quando filius eſt incapax. Vnde ſolùm reſtat quòd conſuetudo præualens contra ius commune det patri facultatem eligendi pro filio impuberi.

5 Accedit etiam quod patria poteſtas eſt poteſtas ciuilis Cap. *Fin. De iudic. in 6.* vnde ſe extendit ad ciuilia tantùm, non autem ad ſpiritualia, quale eſt ius eligendi ſepulturam Cap. *Suam De ſimon.* Nec licet arguere à poteſtate faciendi teſtamentum ad poteſtatem eligendi ſepulturam; nec ab alijs temporalibus ad ſpiritualia: præſertim quando iura aliter decernunt.

An, ſi pater filio impuberi eligat ſepulturam, debeat ad hoc in ipſa ſepeliri, ſi pubes moriatur.

Deciſio CCCXC.

SVMMARIVM.

1 *Filius pubes non poteſt ſepeliri in ſepultura ſibi impuberi electa à patre.*

2 *Electio facta à patre ſepulturæ pro filio impuberi, cur ſe non extendat ad tempus quando filius pubes moritur.*

3 *Filius pubes ratificans hanc electionem, non verè ratificat, ſed de nouo eligit.*

1 RESp. negatiuè cum Petro de Vbaldis *de Can. part. cap. 11.* Nauar. *conſil. 1. de ſepul. lib. 3.* Lauor. *tit. 12. Variar. lucubr. cap. 11. num. 16.* afferente declar. *Congregat. Epiſcop. die 27. Octobris* 1587. Sperel. *deciſ. 89. num. 5.* Io. Aſin. *in l. 5. ff. de Relig. & ſump. fun. num. 48.*

2 Ratio eſt, Quia electio ſepulturæ, eſt actus vltimæ voluntatis, & valet quatenus per ipſam rata habetur; vltima autem voluntas filij, quando pubes moritur, ſicut non eſt voluntas impuberis, ſeu puberis, ita de ſe debet eligere ſepulturam: nec conſuetudo, qua poteſt pater eligere, ſe extendit ad illud tempus; vnde, nec electio facta a patre, cum ſit facta pro tempore, in quo filius non poteſt eligere ſepulturam; vnde ceſſat quando filius poteſt eligere.

3 Quod ſi filius pubes ratam habeat huiuſmodi, electionem cenſetur ipſe de nouo eligere talem ſepulturam; & ideo non eſt ratificatio electionis factæ à Patre; quia cum ex natura ſua ceſſet adueniente pubertate, non poteſt ratificari; quod enim non eſt, non ratificatur.

An pater mortuo iam filio impuberi poſſit eligere ſepulturam.

Deciſio CCCXCI.

SVMMARIVM.

1 *Non poſſe patrem filio impuberi mortuo eligere ſepulturam.*

2 *Poteſt eligere.*

3 *Ius dat generaliter ratione conſuetudinis hanc facultatem.*

4 *Imò potiùs pro filio mortuo, quàm pro viuo.*

5 *Fundamentum, ob quod conſuetudo iſta eſt rationabilis, facit vt facultas duret poſt mortem filij.*

6 *Voluntas filij impuberis manet virtualiter poſt mortem in voluntate patris.*

7 *Quomodo pater mortuo filio eligat ſepulturam.*

8 *Facultas patris eligendi ſepulturam filio impuberi non pendet à voluntate filij.*

1 NEgatiuè reſpondet Sperellus *deciſ. 89. nu. 5.* ſed neceſſe eſſe quòd eligat viuente iam filio. Pro quo tamen nullum tex. nec vllam rationem affert. In eo tamen fundari poteſt, quòd electio ſepulturæ eſt actus vltimæ voluntatis; & proinde quando quis eligit ſepulturam refertur electio ad tempus, in quo is, pro quo eligitur, poteſt habere vltimam voluntatem, & facere poſſet talem electionẽ, ſi aliud non obſtaret; vnde refertur ad tempus vitæ, nõ autem ad tempus poſt mortem. Quod præſertim verum eſt, quia illa electio fit nomine alterius ad ſupplendam impotentiam illius; vnde debet ſupponi filius, cuius nomine

fiat;

fiat; ſequuta autem morte non adeſt ampliùs filius, cuius nomine fiat.

2 Tenendum tamen eſt cum Nauar. *conſil. 1. de Sepult. num.* 4. *lib.* 3. quod poſſit eligere pater ſepulturam pro filio impuberi ſiue viuente adhuc, ſiue iam mortuo.

3 Ratio eſt, Quia per Cap. *Licet de Sepult. in 6.* Conſuetudo dat facultatem patri eligendi ſepulturam pro filio impuberi; & cum tex. generaliter loquatur de electione pro filio impuberi, non ſe reſtringendo ad viuum, aut mortuum, debet etiam generaliter accipi tam de viuo, quàm de mortuo. argum. ex l. *de Pretio ff. de Public. in rem act.* & quia lex generalis generaliter accipi debet. Nec debemus diſtinguere, vbi lex non diſtinguit.

4 Imò ſi pondeletur tex. potiùs videtur concedere facultatem pro filio mortuo, quàm pro viuo. ait enim *Licet pater minores filios poſſit quò voluerit, ſepelire.* Si igitur poteſt ſepelire, quò voluerit, hæc poteſtas reſpicit filios, qui ſunt in ſtatu, vt poſſint ſepeliri; ſolùm autem, quando ſunt mortui, ſunt in tali ſtatu.

5 Quod etiam ex eo colligitur, Quia conſuetudo dans patri hanc facultatem, ideo eſt rationabilis, & ipſi aſſiſtit ius, quia ad patrem pertinet cura de filijs tam in ordine ad temporalia, quàm ad ſpiritualia; vnde pertinet etiam ad ipſum cura de ſepultura, quando ſunt mortui. Et ideo cum etiam poſt mortem duret fundamentum conſuetudinis dans talem poteſtatem, debet etiam durare poteſtas, quæ durat, ſecùndum quod introducta eſt à conſuetudine; conſuetudo autem introducitur cum menſura ad fundamentum, per quod fit rationabilis: atque adeo cum eadem extenſione ad ipſum.

6 Addo etiam quod ſi eligeret nomine filij, adhuc poſſet eligere poſt mortem eiuſdem filij. Ideo enim eligit nomine filij impuberis, quia voluntas filij cenſetur eſſe in voluntate patris tanquam in dirigente actiones filij; vnde cum poſt mortem maneat voluntas patris, cenſetur manere in ipſa virtualiter voluntas filij in ordine ad diſpoſitionem eorum, quæ poſt mortem facienda ſunt. Sic etiam poteſt quis poſt mortem alicuius facere aliquam diſpoſitionem nomine ipſius, ex eo ſolùm quòd commiſerit quòd nomine ſuo diſponat, vt ipſi libuerit, de tali re; & tunc illa diſpoſitio eſt virtualiter diſpoſitio teſtatoris.

7 Hinc conſtat ad id quod *num.* 1. affertur in oppoſitum; nam pater non eligit ſepulturam filio impuberi nomine ipſius filij, ſed nomine proprio; tanquam ille, ad quem pertinet cura de filio, atque adeo etiam de tumulatione corporis ipſius. Deinde etiamſi eligeret nomine filij, vltima voluntas filij cenſetur virtualiter manere in voluntate patris; quia tota voluntas filij eſt iam tranſlata in ipſum patrem virtute conſuetudinis; vnde virtute eiuſdem conſuetudinis cenſetur durare facultas vſque ad tempus tumulationis: quia quando conceditur actus, conceditur etiam tempus deliberandi vſque dum eſt exercendus actus.

8 Adde quòd hæc facultas eſt à conſuetudine, & etiam conceſſa patri, non autem filius eam tribuit patri, cum ipſe non habeat; vnde eum non dependeat à filio, non debet expirare morte filij, ſed eò vſque durare quouſque exerceri poteſt.

Quando ceſſet poteſtas patris eligendi ſepulturam pro filio impuberi.

Deciſio CCCXCII.

SVMMARIVM.

1 *Poteſtas patris eligendi ſepulturam pro filio impuberi eſt in defectum poteſtatis eiuſdem filij.*
2 *Ceſſat, quando filius peruenit ad annum quartumdecimum.*
3 *Et quando filia fœmina perueniunt ad duodecimum.*
4 *Ante hos annos poſſunt filij eligere ſepulturam, ſi malitia ſuppleat ætatem.*

1 Poteſtas patris eligendi ſepulturam pro filio eſt in defectum poteſtatis eiuſdem filij: & tunc poteſt eligere ſepulturam quando filius non poteſt, iuxta Cap. *Licet. de Sepulturis in 6.* Vnde quando incipit filius poſſe eligere, deſinit facultas patris: tunc autem incipit filius poſſe eligere, quando primò peruenit ad pubertatis annos: vt habetur ex eodem tex.

2 Hinc quia pubertatis anni incipiunt cum exceſſu anni quarti decimi l. *Indecoram C. Quando tut. vel curat. eſſe deſinant.* & notat Gloſ. *in Cap. 1. de Teſtam. Verbo* Impuberes. Communiter docent filios vſq; ad quartum decimum annum non poſſe ſibi eligere ſepulturas; vt inter alios Zerol. *par.* 1. *Praxis Epiſcop. Verbo* Sepultura §. 1. Tiraquel. *de Priuileg. piæ cauſæ, priuileg.* 9. *ver. Contrarium tamen.* Lauor. *tom.* 1. *Variar. Lucubr. tit.* 2 *cap.* 11. *nu.* 117. *& ſequentib.* Barboſa *de Offic. & poteſt. Parochi cap.* 26. *num.* 28. Sperel. *deciſ.* 89. *numer.* 2. Hic autem terminus eſt aſſignatus, quia tunc cenſetur adeſſe plenum iudicium. Et cumius canonicum præfigat terminum in electione huiuſmodi, nempe pubertatem: accipienda eſt pubertas ſecùndum quod præfigitur à iure ciuili, ſicut etiam accipitur in alijs materijs.

3 Quia

3 Quia tamen in fęminis anticipat pubertas: itaut incipiat ſtatim à duodecimo anno: vt decernitur in eadem l. *Indecoram*, & notat Gloſſa *citata*, ideo in ipſis tunc quoque incipiet facultas eligendi ſepulturam, atque deſinet in patre. Quia dictum Cap. *Licet de Sepult. in 6.* accipit pubertatem ſine vlla differentia generaliter; vnde accipienda eſt cum ea diuerſitate in maribus, & fœminis, ſecùndum quam accipit ipſum ius.

4 Hoc autem intelligendum eſt, quando malitia non ſupplet ætatem, & generaliter loquendo; quia quando malitia ſupplet, cenſenda eſt anticipare pubertas: vt notat Bart. *in l. Qui in poteſtate. Verbo* In vno caſu. & *in l. Si filius familias poſt num. 2. ff. de Teſtament.* Ancharan. *in Cap. Licet de Sepult. in 6.* vbi etiam Geminian. Lapus *allegat. 59. num. 2.* Lauor. *tom. 1. Variar. Lucubr. tit. 2. cap. 11. nu. 109.* Sperel. *deciſ. 89. num. 2.* Cum enim anticipare cenſeatur pubertas ratione malitiæ ſupplentis, cenſenda eſt etiam anticipare poteſtas illa, quę conuenit ratione pubertatis: atque adeo etiam poteſtas eligendi ſepulturam, quæ per dictum Cap. *Licet.* incipit cum pubertate.

An mater poſſit filio impuberi eligere ſepulturam.

Deciſio CCCXCIII.

SVMMARIVM.

1 *Matrem non poſſe eligere filio impuberi ſepulturam.*
2 *Conſuetudo contra ius, maximè ſi ſit in præiudicium alterius, non extenditur ex identitate rationis.*
3 *Mater poteſt filio impuberi eligere ſepulturam.*
4 *Conſuetudo eligendi ſepulturam pro alio non eſt contra ius, ſed habet aſſiſtentiam iuris, imò eſt declaratiua illius.*
5 *Conſuetudo, qua pater poteſt impuberi eligere ſepulturam, valet etiam in matre.*
6 *Conſuetudo declaratiua legis extenditur ex identitate rationis.*
7 *Etiam conſuetudo exorbitans à iure.*
8 *Mater poteſt impuberi eligere ſepulturam vt conſocia mariti in cura filiorum.*
9 *Conſuetudo, qua pater eligit impuberi ſepulturam, non eſt contra ius &c.*

1 NEgatiuè reſpondent Petrus de Vbaldis *de Canon. Epiſcop. cap. 11. num. 4.* Medic. *quaſ. 8. de Sepult.* Io: Aſinius *in l. Familiaria ſepulchra ff. de Relig. & ſumpt. funer. numer. 50.* Burſat. *conſil. 226. num. 118. vol. 3.* Bellet. *par. 1. Diſquiſit. Cler. §. 3. de Cler. debit. nu. 18.* Genuenſ. *in Praxi Archiepiſ. cap. 16. num. 4.* Riccius *in Praxi rerum quotidian. deciſ. 656.*

2 Fundantur in eo, Quia per Cap. *Licet de Sepult. in 6.* eligere ſepulturam filio impuberi conuenit patri ratione conſuetudinis; hæc autem conſuetudo, cum ſit contra ius, quod diſponit vnumquemque ſepeliri debere in ſepulchro maiorum ſuorum, aut in Eccleſia Parochiali, vt in Cap. 1. *de Sepult.* non debet extendi ad matrem: præſertim cum agatur de præiudicio tertij, nempe Eccleſiæ, in qua de iure filius ſepeliri deberet l. *Si vero §. De viro ff. Soluto Matrimonio.*

3 Communior tamen, atque tenenda eſt oppoſita ſententia, quam tradunt Canoniſtæ in dictum Cap. *Licet de Sepult. in 6.* Innocent. & Geminian. *num. 4.* Francus *num. 3.* Armilla *Verbo* Sepultura *num. 8.* Syluester *quaſ. 7.* Angel. *num. 8.* Sà *num. 11. ver. Impuberi filio.* Molina *diſp. 214. de Iuſt. & Iure. ver. Pater eligere.* Layman. *lib. 3. Theol. Moral. tract. 5. cap. 9. num. 5.* Lauor. *tom. 1. Variar. Lucubrat. tit. 2. cap. 11. num. 119.* Sperel. *deciſ. 189. num. 6.*

4 Ratio autem eſt, Quia in corpore iuris duo decernuntur, Primum eſt, Quòd moriens, non electa ſepultura, ſepeliatur vel in ſepulchro maiorum ſuorum, vel in Eccleſia Parochiali, vt habetur in Cap. 1. *de Sepult.* Alterum eſt, Quod quiſque poſſit ſibi eligere ſepulturam vt *in Cap. eodem.* & *in Cap. De Vxore eodem tit.* Quia autem ſunt aliqui, qui non poſſunt ſibi eligere ſepulturam, vt ſunt filij impuberes: de his non prohibet ius quòd alij eligant ipſis ſepulturam, ſed conualidat conſuetudinem, qua pater aſſumit ſibi ius, quod conueniret filijs, ſi eſſent capaces, & ipſis eligit ſepulturam: vt habetur in Cap. *de Vxore §. Vtrum autem, de Sepult.* & *in Cap. Licet eodem tit. in 6.* Et proinde huiuſmodi conſuetudo non eſt contra ius: cum nullum ius prohibeat; quòd quis eligat pro eo, qui non poteſt eligere: ſed eſt approbata à iure; & proinde ſecùndum ipſum ius, quatenus ab ipſo admittitur, vt rationabilis. Imò eſt declaratiua iuris, quod concedit vnicuique electionem ſepulturæ; declarat enim quòd hæc conceſſio ſit generalis, etiam pro ijs, qui non poſſunt facere talem electionem: & proinde ſuccedant in hoc ius ij, ad quos ſpectat cura illorum, qui non poſſunt eligere.

5 Hinc autem fit, quòd ſi pater ratione conſuetudinis poteſt eligere filio impuberi ſepulturam, poſſit etiam mater; quia militat etiam in ipſa ius conſuetudinis, tanquam in illa, cui incumbit cura filiorum inpuberum. Hæc enim conſuetudo extendit legem concedentem

rem

Digitized by Google

tem vnicuiq; ius eligendi ſepulturam ad eos, ad quos pertinet cura filiorum impuberum: ita vt declaret apud eos eſſe illud ius, quod eſſet apud filios, ſi non eſſent impuberes: & proinde tribuit tale ius patri; & ideo debet etiam tribuere matri in virtute dictæ extenſionis: cum etiam ad matrem pertineat cura filiorum.

6 Adde etiam, quòd hæc conſuetudo, vt declaratiua legis, debet ſequi conditiones legis: quarum vna eſt quòd extendatur ex identitate rationis; vnde cum eadem ſit ratio de patre, & matre; quia pater non eligit filio impuberi ſepulturam ratione patriæ poteſtatis, vt dictum eſt *in ſuperioribus*, ſed ratione conſuetudinis fundata in eo, quòd ad patrem pertinet cura de filijs: ex identitate rationis hæc conſuetudo extendetur etiam ad matrem.

7 Quòd ſi non accipiatur hæc conſuetudo vt declaratiua iuris, debet ad minus accipi vt exorbitans à iure; quia cum nullo pacto ius prohibeat quòd quis alteri eligat ſepulturam, non poteſt dici contra ius. Conſuetudo autem exorbitans à iure extenditur ex identitate rationis: vt notat Sperel. *dict. deciſ.* 89. *nu.* 9. cum Oſaſch. *deciſ.* 120. *nu.* 4. *&* 12. Tiraquel. *de Reuocat. donat. ver. Libertis num.* 44. Rolan. *conſil.* 82. *num.* 49. *lib.* 1. Menoch. *de Adipiſcen. remed.* 4. *num.* 34. Villagut. *de Extenſ. leg. rubr. de Extenſ. legis exorbit.* Farinac. *in Frag. Verbo* Extenſio *num.* 123.

8 Denique adeſt conſuetudo, quòd mater gerat curam filiorum impuberum, & in hoc ſit conſocia mariti, quem adiuuet in tali cura gerenda: vt patet in ijs, quæ pertinent ad educationem. Ergo ſi eligat ſepulturam filio, valida erit electio, tanquam actus ſpecialis curæ maternæ reſpectu filiorum; habet enim ius ad huiuſmodi curam: & proinde etiam ad actus, qui ſunt pars talis curæ; electio autem ſepulturæ eſt pars talis curæ: vt pote, quia parentes debent curam gerere etiam corporum filiorum. Imò vt conſocia mariti in cura filiorum, debet etiam eſſe conſocia iuris electionis ſepulturæ.

9 Nec valet, quòd *num.* 2. adducebatur in contrarium; quia conſuetudo, ratione cuius pater poteſt filio impuberi eligere ſepulturã, non eſt contra ius, vt ibi ſupponebatur: ſed declaratiua iuris: aut ad minùs exorbitans à iure, vt conſtat ex dictis; & ideo extendi poteſt ex identitate rationis.

An affines, & conſanguinei poſſint ſepulturam eligere pro affine, & conſanguineo impuberi.

Deciſio CCCXCIV.

SVMMARIVM.

1 *Affines, & conſanguinei non poſſunt, ſecùndum aliquos, eligere ſepulturam pro affinibus, & conſanguineis.*
2 *Secùndum alios poſſunt.*
3 *Poſſunt eligere, ſi ſuccedant patri in cura impuberum.*
4 *Secus verò, ſi non ſuccedant.*

1 NEgatiuam partem tradunt Aſinius *in l. Familiaria ſepulcra ff de Relig. & ſumpt. funer. num.* 49. Syluest. *Verbo* Sepult. *quæſ.* 7. Burſat. *conſil.* 126. *numer.* 118. *vol.* 3. Bellet. *par.* 1. *Diſquiſit. Cler.* §. 3. *de Cleric. debit. num.* 18. Riccius *in Praxi par.* 1. *reſol.* 567. *num.* 1. Diana *par.* 5. *tract.* 3. *de Caſib. occur. temp. mor. reſol.* 108. *ver. Notandum eſt.* Quod videtur etiam Barboſa ſentire *in Collect. in cap.* 1. *de Sepult. num.* 6. licet limitet, quando non adeſt conſuetudo. Per quam limitationem videtur effugere difficultatem, quæ eſt an de facto poſſint affines, & conſanguinei facere talem electionem, ſaltem quando adeſt conſuetudo quòd pater filio impuberi eligat ſepulturam.

2 At poſſe affines, & conſanguineos eligere ſepulturam affinibus, & conſanguineis impuberibus tenẽt Gloſſa *in Cap. Licet. Verbo* Vel in Parochiali *de Sepult. in* 6. vbi Franc. *numer.* 3. Gratian. *tom.* 1. *Diſcept. Forenſ. cap.* 94. *nu.* 80.

3 Quam ſententiam veram exiſtimo, ſi loquamur de affinibus, & conſanguineis, qui ſuccedunt patri in cura impuberum: ſecus autem de alijs. Talis enim ſucceſſio in cura ipſorum dat ipſis ius ad ea exercenda, quæ pertinent ad ipſorum curam; vnde etiam transfert ad ipſos ius, quod conuenit patri ratione conſuetudinis in eligenda ſepultura pro impuberi. Stant enim loco patris; & proinde ea omnia ipſis conueniunt, quæ conueniunt patri in ordine ad curam impuberum.

4 Cœteris autem, qui non ſuccedunt in huiuſmodi cura, non conuenit talis facultas; quia non conuenit fundamentum, nec ſtant loco patris, ita vt concedantur ipſis quæ patrĩ conceduntur ratione curæ filiorum.

An tutor poſſit eligere ſepulturam pupillo impuberi.

Deciſio CCCXCV.

SVMMARIVM.

1 *Tutor non poteſt pupillo impuberi eligere ſepulturam, ſecundum aliquos.*
2 *Sed tenendum, quòd poſſit.*
3 *Officium patris tranſit ad tutorem.*
4 *Tutor ſubrogatur in locum patris, & in curam ipſius.*
5 *Viuente pupillo poteſt tutor ipſi eligere ſepulturam.*
6 *Imò etiam mortuo.*
7 *Tutela finita non impedit quin cæpta negocia compleantur.*

1 NEgatiuè reſpondet Bellet. *par. 1. Diſquiſit. Cler. §. 3. de Cler. debit. num.* 18. cum Burſat. *conſil.* 226. *nu.* 118. *vol.* 3. Quam reſponſionem limitat Barboſa *in Cap. 1. de Sepult. num.* 6. Niſi aliter conſuetudo diſponat. Præterea idem tenet Petrus de Vbal. *de Can. Epiſ. cap.* 11. *num.* 5. Sperel. *deciſ.* 89. *num.* 32. Io: Aſinius *in l. Familiaria ſepulcra num.* 51. *ff. de Relig. & ſumpt. funer.* Diana *par.* 5. *tr.* 3. *reſol.* 108. *ver. Notandum eſt.* Riecius *par.* 1. *Prax. reſol.* 567.

2 Tenendum tamen eſt, poſſe tutorem abſolutè eligere ſepulturam impuberi pupillo; quando pater hoc poteſt, nec eſſe neceſſariam ſpecialem conſuetudinem, quæ tribuat hoc ius.

3 Ratio eſt, Quia tutor eſt loco patris, & ſuccedit in ius patris in ordine ad curam pupilli, & proinde officium patris tranſit ad tutorem; vt in Specul. *De ſponſal. §. 1. ver. art. tamen contra.* & tradunt Socinus *conſil.* 61. *par.* 2. Palud. *in* 4. *diſt.* 4. *quæſt.* 4. *art.* 3. Azot. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 25. *quæſt.* 9. Suarez 3 *par. tom.* 3. *diſp.* 25. *ſect.* 3. *ver. Secundò infertur.* Et proinde tranſit etiam ad tutorem ius eligendi ſepulturam, quia ſubrogatur in locum patris: & ideo ſapit
4 naturam patris, & debet tenere locum ipſius, iuxta l. *Antepenult. C. De prox. ſac. ſcript. lib.* 12. vbi Bart. *in fine*, & fruitur iiſdẽ priuilegijs, & iuribus, quæ ſpectant ad finem ſubrogationis, iuxta l. *Decernimus C. De aqued. lib.* 11. & l. *Comperimus C. De prox. ſacr. ſcrip. lib.* 12. vbi Bar. & l. *Maior. §. penult. ff. De procur.* vbi Bart. Hoc enim ius eligendi impuberi ſepulturam eſt quoddam priuilegium conceſſum patri à conſuetudine, & eſt ſecundum exigentiam curæ paternæ.

5 Nec obſtat quòd tutela expiret mortuo impuberi; quia ex hoc ad ſummum ſequeretur, quòd ipſo mortuo non poſſet tutor eligere ipſi ſepulturam, non autem quòd non poſſet eligere ipſo viuente; alioquin nec pater poſſet eligere; quia etiam reſpectu ipſius poſſet dici quòd effectus electionis oriretur poſt mortem: & ideo non poſſet habere locũ electio, vt pote facta à patre viuente filio.

6 Sed non obſtante quòd tutela expiret mortuo impuberi, adhuc, ipſo mortuo, poteſt tutor eligere ſepulturam in virtute tutelæ: quia tutela finita impedit negocia gerenda, non autem quòd non perficiãtur incohata, vt notat Bart. *in l. Ita autem. §. final. ff. De adminiſt. tut.* Bald. *in l. Tutori Ver. oppon. C. De neg. geſt.* & *in l. 1. C. Vt cauſæ poſt &c.* Ioan. de Pra. *in l. 1. ff. De*
7 *procur.* Vnde finita tutela non debet tutor litem deſerere, ſed proſequi *l. 1. inst. C. De adminiſt. tut.* vbi communiter Doctores. Electio autem ſepulturæ pertinet ad negocia iam cœpta, nempe ad curam perſonalem, quam tutor de pupillo habere debet.

An amicus poſſit alteri amico ſepulturam eligere.

Deciſio CCCXCVI.

SVMMARIVM.

1 *Amicus, ſecundum aliquos, poteſt amico eligere ſepulturam.*
2 *Amicitia præponderat coniunctioni ſanguinis.*
3 *Amicus non poteſt amico eligere ſepulturam.*
4 *Ius eligendi ſepulturam non tranſit in amicum, niſi ex ſpeciali commiſſione.*
5 *Amico mortuo non poteſt amicus eligere ſepulturam.*
6 *Nec amicus amico impuberi.*
7 *Non poteſt induci conſuetudo, vt amicus amico impuberi eligat ſepulturam, ſecus verò puberi.*
8 *In quo amicitia præponderet coniunctioni ſanguinis.*

1 AFfirmatiuè reſp. Gloſ. in Cap. *Licet ver. Vel in parochiali De ſepult. in* 6. Franc. *ibid. num.* 3. Gratian. *tom.* 1. *diſcept. forenſ. capit.* 94. *nu.* 80. Quia amicus eſt alter ego, vt etiam notat Gloſ. in Cap. *Ego N. De iureiuran.*

2 Et quia amicitia præponderat coniunctioni ſanguinis ex l. *fin. C. De caſtr. pecul. lib* 12.

3 Negatiuam verò ſentent. tradunt Aſinius *in l. familiaria ſepulchra ff. De relig. & ſump. funer.* Burſat. *conſil.* 226. *num.* 118. *vol.* 3. Riccius

in

in praxi rerum quotidiana deciſ.666. Bellet. *par. 1. Diſquiſit. Cleric.* §.3. *de Clerico debit. num.*18. Barboſa in Cap.1.*num.6. De ſepult.* Diana *par. 5.tract.3.Reſol.*108.

4 Quam ſententiam puto eſſe longè probabiliorem. Quia vel amicus, cui alter amicus eligit ſepulturam, peruenit ad annos pubertatis, & tunc habet proprium ius perſonale eligendi ſibi ſepulturam; quod non tranſit in amicum, quia iura perſonalia non communicant, etiam ſi ſint communicabilia, niſi ex ſpeciali translatione; vnde ipſi viuo non poteſt amicus eligere ſepulturam, niſi ex ſpeciali mandato; quod habet locum etiam in eo, qui non eſt amicus.

5 Nec etiam amicus alteri amico mortuo iam poteſt eligere ſepulturam, quaſi ad ipſum pertineat decernere de ſepultura; quia ius eligendi ſepulturam, quod viuus habebat, extinguitur; vnde non poteſt in virtute ipſius illi eligere ſepulturam. Et alioquin decedentibus abſq. electione ſepulturæ ius prouidit: & ideo non habet locum prouiſio amicorum.

6 Si verò amicus ſit impubes non habet locum amicitia, ratione cuius poſſit alter amicus illi eligere ſepulturam; quia illa ætas ob imbecilitatem conſilij non eſt capax talis amicitiæ, quæ habeat ſolidum fundamentum, & illam vnionem voluntatis, quæ præponderet coniunctioni ſanguinis, & faciat quod amicus ſit alter ego. Deinde impubes eſt ſemper ſub cura, & poteſtate alterius; & ideo ad ipſum potiùs, quàm ad amicum pertinet electio ſepulturæ.

7 Ex quibus colligitur, nec etiam induci poſſe conſuetudinem, per quam amicus impuberi poſſit eligere ſepulturam; quia talis conſuetudo non haberet rationabile fundamentum; nam cura impuberis ſecùndum ius ad alios pertinet, & non ad amicum: nec amicitia poteſt eſſe talis, quæ rationabiliter tale ius ſibi vindicet. Conſuetudo tamen eligendi ſepulturam pro amico, qui iam ad annos pubertatis peruenit, eſſet rationabilis, & iam introducta daret ius, ſi moraliter cenſeretur accepiſſe ius ab amico in ordine ad talem electionem.

8 Amicus autem dicitur alter ego, non in participatione iurium, ſed in affectu voluntatis; & ſic amicitia, quò ad affectum, præponderat coniunctioni ſanguinis; non autem quò ad participationem iurium alterius amici; vnde amicus non ſuccedit in bonis amico ab inteſtato, ſicut ſuccedit ſanguine coniunctus.

An dominus poſſit eligere ſepulturam ſeruo.

Deciſio CCCXCVII.

SVMMARIVM.

1 *Dominus poteſt eligere ſepulturam ſeruo.*
2 *Dominus debet gerere curam ſerui.*
3 *Dominus non poteſt eligere ſepulturam ſeruo, quando eſt iam pubes.*

1 Reſp. affirmatiuè contra Villalob. 2. *part. ſum. tract.* 31. *difficult.* 2. *num.*2. cum Syl. ueſt. *verbo* Sepultura *numer.*7. *init.* Petro de Vbald. *De canon. Epiſcop. cap.*11. Sebaſt. Medices. *De ſepult. quæſt.* 8. Bellet. 1. *par. Diſquiſit. Cler.* §.3. *De Cler. debit. num.* 17. Barboſa *in cap.* 1. *num.6. De ſepult.* Ioann. Aſin. *in l. Familiaria ſepultura. ff. De relig. & ſumpt funer. num.* 52.

2 Quia Dominus comparatur ad ſeruum, ſicut pater ad filium: & debet gerere curam ipſius, præſertim in ordine ad ſpiritualia; & ideo illud ius, quod eſſet in ſeruo quo ad eligendam ſepulturam, ſi eſſet pubes, præſumitur eſſe in domino ante pubertatem, Nec eſt eadem ratio ac de filio, quia non adeſt tex. id concedens ſolùm ratione conſuetudinis, ſicut adeſt de filio.

3 Vnde notandum eſt, quòd poteſt eligere ſepulturam tantùm ſeruo impuberi; quia quando fit pubes, acquirit proprium ius perſonale, quia quo ad hoc, eſt exemptus à Domino.

An pater, & mater poſſint eligere ſepulturam filijs naturalibus, & ſpurijs.

Deciſio CCCXCVIII.

SVMMARIVM.

1 *Non poſſe patrem, & matrem eligere ſepulturã filijs naturalibus, & ſpurijs.*
2 *Oppoſita ſententia eſt probabilior.*
3 *Quando appellatione filiorum non veniant naturales, & ſpurij, & quando veniant.*
4 *Pro adoptiuis, & arrogatis impuberibus poſſunt parentes eligere ſepulturam.*

1 Negatiuè reſpondet Syluester *verbo* Sepultura *quæſt.*7. Io. Aſinius *in l. Familiaria ſepulcra ff. De relig. & ſumpt. fun. num.*46. quia

quia appellatione filiorum non veniunt naturales, & ſpurij l. *Generaliter. C. de inſtit. & ſubſt.* & in Clement. 1. *De Baptiſ.* iuncta Gloſ. *verbo Liberi*. Vnde eum per Cap. *Licet. De ſepult. in 6.* Liceat patri eligere ſepulturam filio impuberi ſtante conſuetudine, nõ debet hoc extendi ad ſpurios, & naturales.

2 Affirmatiuam tamen ſententiam puto probabiliorem; quia militat eadem ratio reſpectu quoq; filiorum naturalium, & ſpuriorum, ob quam inducta fuit conſuetudo dans patri ius eligendi ſepulturam filio impuberi: nimirum cura paterna, quam pater, & mater habere debent de filijs; & proinde debet cenſeri introducta conſuetudo vniuerſaliter quò ad omnes filios, iuxta amplitudinem rationis, qua fit rationabilis conſuetudo.

3 Cum autem dicitur, quod appellatione filiorum non veniunt naturales, & ſpurij, non debet intelligi vniuerſaliter, ſed quò ad commoda, & honores: vt notat Gloſ. *in dictam Clement. vnicam De baptiſ. verbo* Liberi *in fine*, quò ad cætera autem, vt quò ad curam paternam, & quò ad reuerentiam, quam ipſi debent parentibus, veniunt appellatione filiorum; & proinde etiam in ordine ad ius, quod habent parentes eligendi ſepulturam pro ipſis impuberibus.

4 Ex his autem colligitur, Poſſe parentes eligere ſepulturam pro filijs adoptiuis, & arrogatis, quandiu ſunt impuberes: quia ſunt ſub cura ipſorum, non ſecus ac ſi eſſent legitimi; & idcirco ratio, quæ introduxit talem conſuetudinem, ad ipſos quoque extendit eamdem conſuetudinem, vt notant Syluester, & Aſinius citati *ſupra num. 1.*

An quando electio ſepulturæ committitur alicui, debeat is eligere antequam committens moriatur.

Deciſio CCCXCIX.

SVMMARIVM:

1 *Qui habet ius eligendi ſepulturam, poteſt alteri committere electionem.*
2 *Vt electio facta à commiſſario ſit valida, debet, ſecùndum aliquos, fieri viuente committente.*
3 *Eſt valida etiam facta poſt mortem committentis.*
4 *Mandatum reſpiciens effectum neceſſarium poſt mortem mandantis, non ſpirat morte mandantis.*
5 *Quando ius mandantis extenditur ad aliquem effectum poſt ipſius mortem, facultas mandatarij non ceſſat, extincto iure cum morte mandantis.*

1 QVi habet ius eligendi ſepulturam, poteſt alteri electionẽ committere, atq; electio ab ipſo facta erit valida; vt tradunt Lap. *in Cap. 1. de ſepult.* Ancharan. *conſil. 214.* Geminian. in Cap. *Is qui. §. Mulier. num. 6. De ſepult. in 6* Franc. *ibid.* Riccius in *Praxi par. 1. Reſol. 564. num. 2.* & alij. Quia nimirum talis electio fit nomine eorum, qui habent ius eligendi. Difficultas autem eſt, an huiuſmodi electio debeat fieri viuente ipſo committente, an verò ſufficiat quòd fiat ipſo mortuo.

2 Quod neceſſe ſit, quòd commiſſarius eligat ſepulturam viuente committente videntur ſentire Geminian. in Cap. *Is qui. num. 6. De ſepult.* Genuenſis *in Praxi Archiepiſcopali cap. 61. num. 2.* Lap. *in cap. 1. De ſepult. in 6.* Ancharan. *conſil. 214. in fine.* Sed valde obſcurè loquitur, & fortaſſe ſolùm vult quòd talis electio debeat fieri viuente committente, quando neceſſaria eſt tacita approbatio ipſius; vel quia ipſe alibi elegerit ſepulturam: vel ex aliquo alio capite.

3 At quòd electio poſſit fieri, & valeat poſt mortem committentis, tenent Spin. *in ſpeculo teſtam. Gloſ. 2. princ. tit. De elect. ſepult. num. 41.* Gutierez. *tract. iuram. confir. par. 2. cap. 4.* Menoch. *conſil. 60. num. 6.* quam ſententiam abſque vlla difficultate veram puto.

4 Licet enim mandatum ſpiret morte mandantis: tunc tamen non ſpirat, quando habet effectum, quod neceſſario debet eſſe poſt mortem mandantis; quia cum ex intentione mandantis extendatur vſque ad effectum ponendum, debet etiam extendi vſque ad tempus poſt mortem mandantis; cum in eo ſolùm poſſit haberi effectus mandati. Vt in caſu noſtro eſt ſepultura.

5 Quod ſi dicas, Quòd morte mandantis ſpirat ius ipſius ad eligendam ſepulturam: & proinde ceſſat etiam facultas mandatarij, quæ non poteſt durare, niſi durante iure in committente. Reſp. id eſſe verum, quando ius committentis non extenditur vſque ad tempus, in quo effectus mandati eſt habiturus executionem: Secus autem, quando extenditur. In caſu autem noſtro ius committentis extenditur vſque ad effectum ſepulturæ; quia ſepultura mandatur executioni iuxta præſcriptionem ipſius; vnde poteſt permanere virtuali modo in cauſis, quæ concurrunt ad talem effectum: atque adeo etiam in mandatario, qui eſt cauſa quædam concurrens ad effectum ſepulturæ; præſertim quia eſt mandatum vltimæ voluntatis, quæ ſortitur ſuum effectum poſt mortem mandantis.

An, ſi filius pubes moriatur; non electa ſepultura, poſſit pater ipſi eam eligere.

Deciſio CCCC.

SVMMARIVM.

1 *Pater non poteſt eligere ſepulturam filijs puberibus, ipſis viuentibus.*
2 *Poteſt mortuis, ſi ipſi viuentes non elegerint, ſecùndum aliquos.*
3 *Sed ſtante diſpoſitione iuris non poteſt, cum ius limitet poteſtatem patris ad impuberes.*
4 *Filius potens eligere & non eligens ſepulturam præſumitur velle ſtare diſpoſitioni iuris.*
5 *Extraneus inſtitutus hæres non poteſt eligere ſepulturam pro teſtatore.*
6 *Nec teſtator pro hærede, licet poſſit eum obligare ad eligendum.*

1 NOn poſſe patrem eligere ſepulturam filijs iam puberibus, quandiu ipſi viuunt, conſtat ex dictis *in ſuperioribus*: quia quando ipſi acquirunt ius eligendi, ceſſat in patre; vtpote quia pater ſubſtituitur impotentiæ filij, quam habet, ob debilitatem conſilij ad tale ius exercendum. Sed quid ſi ipſi non eligunt, an adhuc tunc ſubſtituatur pater?

2 Affirmatiuè reſp. Ioan. Aſinius *in l. Familiaria ſepultura ff. De Relig. & ſumpt. fun. num. 46.* citans Petrum de Vbald. *De canon. Epiſc. cap. 11. num. 4.* Qui vult poſſe patrem eligere ſepulturam filijs etiam emancipatis, ſi ipſi non eligant.

3 Hæc tamen opinio non eſt tenenda, vt pote quæ non congruit cum iure; nam in Cap. *Licet. De ſepult. in 6.* vbi declaratur quòd pater poteſt eligere ſepulturam filijs, limitatur etiam hæc poteſtas duplici limitatione; quarum prima eſt: ſi filij ſint impuberes, ita vt non poſſint ſibi eligere ſepulturam. Et altera: ſi adſit conſuetudo. Vnde hæc poteſtas patris non poteſt extendi ad filios puberes. Et in Cap. etiam *De vxore. §. Vtrum autem De ſepulturis.* decernitur ſtandum eſſe conſuetudini in hoc quò ad filios ſimiliter minores, ſeu impuberes. Et proinde poteſtas patris in eligenda ſepultura, cum ſit per ius taxata, & coarctata ad filios impuberes, accedente etiam conſuetudine, non poteſt extendi ad puberes, & multò minus ad emancipatos.

4 Nec obſtat, quòd filius, quamuis pubes, adhuc ſit ſub cura, & regimine paterno: & proinde ſpectet ad patrem decernere de ſepultura quando filius non eligit, ſupplendo quod omiſit filius; Quia, cum filius potuerit eligere, & non elegerit, præſumitur velle ſtare diſpoſitioni iuris, ſeu eligere ſecundum diſpoſitionē iuris. Deinde tunc pater ratione curæ paternæ debet ſupplere omiſſionem filiorum, quando non ſupplet ius; in caſu autem noſtro ſupplet ius, decernendo, quòd, qui poteſt eligere ſepulturam & non eligit, debeat ſepeliri in ſepulchro maiorum ſuorum, vel in Eccleſia Parochiali: vt in *cap. 1. De ſepult.* & in Cap. *Licet eodem tit. in 6.*

4 Ex quibus colligitur, neque extraneum inſtitutum hæredem, quantumuis vniuerſalem, poſſe eligere ſepulturam inſtitutori, ſi ipſe non elegerit; quia cum potuerit eligere, & non elegerit, cenſetur velle ſtare diſpoſitioni iuris; nec hæres habet aliquod ius ad talem electionem; cum neque per canones, neque per conſuetudinem ei concedatur.

6 Sed neque teſtator poterit eligere ſepulturam pro eo, quem inſtituit vniuerſalem hæredem, vt notat etiam Io: Aſinius *in l. dict. Familiaria ſepulchra n. 51. ff. de Relig. & ſumpt. funer.* quia ſi hæres ſit pubes, poteſt ſibi eligere, nec indiget eligente. Si verò ſit impubes, ius eligendi tranſit in eos, ſub quorum cura tenetur. Poterit tamen obligare hæredem, vt eligat ſepulturam in hoc, vel illo loco: & obligatio tenebit, quia eſt in poteſtate hæredis acceptare, vel non acceptare hæreditatem ſub illa conditione oblatam. Ita etiam Lauret. de Franch. *in Controuer. inter Epiſcop. & Regul. quaſ. 6.* qui refert ita deciſum fuiſſe à Rota Romana.

An cum quis moritur, non electa ſepultura, quam poterat eligere, detur ius eligendi vel ſepulchrum maiorum, vel apud Eccleſiam Parochialem.

Deciſio CCCCI.

SVMMARIVM.

1 *Vbi ſepeliendus qui moritur abſque electione ſepulturæ.*
2 *Poſſe in tali caſu fieri electionem ſepulchri maiorum, vel Eccleſiæ Parochialis.*
3 *Non poteſt fieri talis electio, ſed debet ſepeliri in ſepulchro maiorum.*
4 *Sepultura apud maiores eſt de iure, quando non fit electio ſepulturæ.*
5 *Eccleſia, vbi eſt ſepulchrum maiorum, acquirit ius, ſi non fiat electio ſepulturæ.*

6 Ius

6 *Ius non ponit alternatiuam, ſed ſubſtituit Eccleſiam Parochialem ſepulchro maiorum.*

1 QVi poterat eligere ſepulturam, & moritur abſque electione, deber ſepeliri in ſepulchro maiorum ſuorum, vel in Eccleſia Parochiali, vt ſumitur ex Cap. 1. *de Sepult.* iuncta Gloſ. *in Formatione caſus.* & ex Cap. *Is, qui de Sepult. in 6.* & tradunt Io: Andreas *in Cap. Religioſi eodem tit.* Burſat. *conſil.* 126. *nu.* 119. & communiter. Quæritur ergo, an ij, ad ad quos ſpectat cura funeris, poſſint eligere vel ſepulchrum maiorum, vel Eccleſiam Parochialem.

2 Et videtur reſp. eſſe liberum eligere alterutram. quia tex. ponit alternatiuam, vt in dict. Cap. *Is, qui de Sepult.* & in Cap. *Licet de Sepult. in 6.* vbi decernitur, quòd impubes ſepeliatur vel apud maiores ſuos, vel apud Eccleſiam Parochialem, quando non adeſt conſuetudo, quòd pater illi eligat ſepulturam. Vbi enim ponitur alternatiua, ibi datur electio: per regulam *In alternatiuis de Regulis iuris in 6.* Et propterea Gloſſa *in dict. Cap. Licet. Verbo Vel in Parochiali* videtur ſentire quòd detur electio ſaltem in ordine ad impuberes, idque refundit in conſuetudinem.

3 Tenendum tamen eſt, non dari electionem, ſed defunctũ debere ſepeliri in ſepulchro maiorum ſuorum, ſi adſit: & in defectu ipſius, apud Eccleſiam Parochialem. Ita tradunt Io: Andr. *in dict. Cap. Licet.* Geminian. *ibid.* Syluester *Verbo* Sepultura *quæſ.* 7. Quia tex. priùs ponit ſepulchrum maiorum; & poſtea Eccleſiam Parochialem; ſeruandus eſt autem ordo ſcripturæ, Cap. *Si rector. diſt.* 43.

4 Meliùs tamen colligitur ex Cap. 1. *de Sepult.* vbi Pontifex decernit duo. Primum eſt, Quod vnuſquiſq; debeat ſepeliri in ſepulchro maiorum ſuorum: Alterum vero, Quod poſſit ſibi eligere ſepulturam; vnde ſi non eligit, manet ſecùndum ius determinata ſepultura in loco maiorum: & Eccleſia Parochialis ſuccedit tantùm in defectum ſepulchri maiorum; & ideo non datur libera electio præponendi vnam alteri.

5 Accedit etiam, quòd Eccleſia, in qua eſt ſepulchrum maiorum, ſtante dicto Cap. acquirit ius ad ſepulturam, quoties quis illam alibi non eligit; & ideo non poteſt priuari per nouam electionem Parochialis tali iure.

Quod nam ſit ſepulchrũ maiorum, in quo quilibet eſt ſepeliendus, ſi non elegit ſepulturam.

Deciſio CCCCII.

SVMMARIVM.

1 *Quod nam ſit ſepulchrũ maiorem ſecundum aliquos.*
2 *Quid de hoc colligatur ex iure.*
3 *Si in vno loco ſit ſepultus pater, & non alij, non debet in eo ſepeliri filius, ſecus ſi etiam auus.*
4 *Sepulchrum maiorum eſſe, in quo eſt ſepultus pater, alij docent.*
5 *Sepulchrum ſicut domicilium; & cõiunctio in ſepultura ex vnione amoris.*
6 *Sepulchrum maiorum, eſt, in quo ſepultus eſt pater, ex intentione vt ſit ſepulchrum familiæ.*
7 *Secus, ſi ex accidente.*
8 *Sepulchrum maiorum eſt ſepulchrum familiæ ſecùndum canones: qui & explicantur.*
9 *Cur filius non debeat ſepeliri cum patre, quando pater ex accidenti non eſt ſepultus cum ſuis maioribus.*
10 *Maiores hic non ſumuntur prout ſumuntur in iure ciuili.*

1 SEpulchrum maiorũ illud eſſe, in quo plures ex aſcendentibus ſepulti ſunt, docent Gloſ. in Cap. *Is, qui De ſepult. in 6.* Ioann. Andræas in Cap. *Animarum eodem tit. & lib.* Panorm. in Cap. *Nos de ſepult.* Oldrad. *conſil.* 25. Syluester *verbo* Sepultura *quæſt.* 8. Rodtiquez *tom. 3. quæſt. Regul. quæſt.* 58. *art.* 8. Barboſa in Cap. *Is qui num. 6. De ſepult. in 6.* Villalob. *par. 2. ſum. tract. 31. difficult. 2 num* 4. Lauor. *titul.* 1. *variar. Lucubr. tit. 2. capit.* 11. *num.* 113. & 114. Diana *par. 5. tract 3. Reſol.* 108. Ruſus Barboſa *de officio Paroch. cap. 26. num.* 31.

2 Quorum fundamentum eſt, Quia text. loquuntur de Maioribus, in plurali *cit.* Cap. 1. & Cap. *Fraternitatem, De ſepult.* & Cap. *Cum quis,* & Cap. *Is, qui eodem tit. in 6.* In quibus etiã duobus poſterioribus Capitibus ponitur particula, *Ab antiquo* quæ ſignificat pluralitatem anteceſſorum.

3 Vnde inferunt, quòd ſi in vno loco ſit ſepultus ſolus pater, & in alio cæteri maiores debet ſepeliri apud alios maiores, & non apud patrem: Si verò in vno ſepulchro ſit ſepultus pater, & auus, & in alio proauus, & atauus: ſepelietur vbi eſt pater. Ita Syluester, & Oldrad.

4 Alij tamen tenent quòd ſepulchrum maiorum ſit illud, in quo ſepultus eſt pater, etiam ſi ſolus ibi ſepultus ſit. Ita Petrus de Vbald.

De can. Epiſ. cap. 9. num. 7. Cępol. *conſil.* 82. Ioan. Aſinius *in l. Familiaria ſepulchra ff. de relig. & ſumpt. funer. num.* 6. Idem Rodriquez, qui ſententiam mutauit *par. 4. ſum. cap.* 130. *nu.* 12. *in fine* Alter Rodriquez *in Compend. quæſt. Reg. Reſol.* 128 *num.* 28.

5 Quia ſepultura inter mortuos comparatur domicilio, filius autem ſequitur domicilium patris l. *Aſſumptio ff. Ad municip. &c.* Deinde vnitas ſepulturæ fundatur in vnitate dilectionis; ideo enim quiſque debet ſepeliri cum ſuis maioribus, quia eſt illis iunctus in dilectione Cap. *Ebron*, & Cap. *Vnaquaque* 13. *quæſt.* 2. Vnuſquiſque autem magis eſt coniunctus patri, quàm cœteris maioribus.

6 Ego autem exiſtimo, hanc poſteriorem ſententiam habere locum quando pater eſt ſepultus in illo ſepulchro, quod ipſe elegit ſibi, & ſuis deſcendentibus Quia tunc illud ſepulchrum fit ſepulchrum familiæ, & omnes de familia acquirunt Ius ad ipſum. Et ſicuti per patrem tranſeunt omnia iura ad filium, ita etiã ius ſepulchri: & proinde attendi debet ſepulchrum patris, quando ibi per ſui ipſius ſepulturam ponit ius familiæ. Et ita etiam in praxi ſeruatur.

7 Si autem pater ex accidenti, & non ex intentione ſtabiliẽdi ſepulchrum familiæ ſepeliatur in aliquo loco, tunc filius debet ſepeliri in ſepulchro anteceſſorum. Quia ſepulchrum patris eſt ſepulchrum adventitium, nec trãſit ad familiam, ita vt poſſit dici ſepulchrum proprium illius, aut ſepulchrum maiorum. Sepulchrum enim maiorum eſt ſepulchrum appropriarum familiæ.

8 Hinc Ad id, quod dicitur *num.* 2. reſp. Per ſepulchrum maiorum intelligi ſepulchrũ familiæ. Dicitur autem ſepulchrum maiorum, in plurali, quia comparatur ad familiam, vt eſt in ſtatu perfecto. Sicut enim familia incipit in vno, & perficitur in deſcendentibus; in quibus acquirit numerum, & propagationem, & nomẽ: ita etiam ſepulchrum maiorum incipit in vno, & completur in deſcendentibus; vt autem ſit ſepulchrum maiorum ſufficit ſi ſit tale incohatiuè, & ex intentione ſit ſepulchrum plurium. Illa autem particula, *Ab antiquo* non ſumitur in rigore, ſed ſolùm prout ſignificat anteceſſionem temporis: & proinde ſufficit, quòd pater priùs in ipſo ſepulchro ſepultus ſit.

9 Et ſimiliter ſoluitur quod adducitur *num.* 5. quatenus facit contra id, quod diximus; nam quando ex accidenti pater ſepelitur extra ſepulchrum maiorum ſuorum, ſe habet ibi vt aduena, & proinde, non cenſetur acquirere aliquid æquiualens domicilio; quia non eligit locum permanenter pro ſuis deſcendentibus. Vnde ratione dilectionis non debet filius ſepeliri cum patre; quia pater non ſeparat filiũ ab alijs maioribus, dum ſe ipſum ſeparat, abſque intentione ſtabiliẽdi ſepulchrum ſucceſſoribus; quia hæc eſt quædam ſeparatio accidentalis, quæ non habet vim, vt ſe extendat ad alios; & ideo filius debet ſequi vnionem cum maioribus, non ſecus ac ſi pater cum ipſis ſepultus eſſet, quia ex accidẽti ſeparatus eſt, & habetur ac ſi ipſis eſſet coniunctus.

10 Nec obſtat quòd in iure ciuili nomine maiorum veniant tantùm ſuperiores vltra tritauum, vt in l. *Iuriſconſultus* §. *Parentes ff. De gradibus*, & *l. quique* §. *Parentes ff. De in ius vocando*. Quia ius ciuile accipit maiores veluti ſpecificè, pro ijs ſcilicet anteceſſoribus, qui non habent proprium vocabulum. Ius autem canonicum in ſupra allegatis tex. accipit veluti genericè pro omnibus anteceſſoribus in eadem linea, ſeu arbore.

Reſoluuntur quædam dubia circa ſupradicta.

Deciſio CCCCIII.

SVMMARIVM.

1 *Vbi quis debeat ſepeliri, quando non ſunt ſepulti plures maiores in vno ſepulchro.*
2 *Quid ſi filius moriatur ante patrem.*
3 *Vbi ſepeliendus filius adoptiuus.*
4 *Filius renunciani paternæ hæreditati debet ſepeliri in ſepulchro patris.*
5 *Etiã exhæredatus, niſi ex iuſto odio excludatur à ſepultura ſpeciali excluſione.*
6 *Filius damnati laſæ maieſtatis non poteſt ſepeliri in ſepulchro familiæ.*

1 PRimum dubium eſt, Si non adſit ſepulchrum, in quo ſint plures maiores, vbi debeat eſſe ſepultura. Reſp. Io. Andræas *in Nouel. de Conſuetud.* ſepeliendum eſſe cum patre. At Syluester ait, ſepeliendum in Eccleſia Parochiali, à qua de iure recipit ſacramenta. Quod eſt ſecundum diſpoſitionem iuris Cap. 1. vbi etiam Innocent. & Cap. *Is, qui de Sepult.* ſuppoſito tamen, quod familia nondum conſtituerit propriam ſepulturam; nam tunc deberet ſepeliri cum patre, vt in ſepulchro familiæ.

2 Et hoc etiam eſt verum, ſi filius moriatur ante patrem; quia ſufficit quòd ſepulchrum ſit deſtinatum pro familia; nam eo ipſo, quod eſt deſtinatum pro familia, ſi nulla fiat ſpecialis electio ſepulturę, remanet illi addictus quicunque eſt de familia; quia cenſentur omnes

de

de familia acquiſiuiſſe ibi domicilium mortuorum.

3 Secundum dubium eſt de filio adoptiuo. Reſp. Petrus de Vbal. *de Canon. Epiſcop. cap. 9. num.* 14. quem ſequitur Io. Aſin. *in l. Familiaria ſepulchra num.* 8. *ff. de Relig. & ſumpt. funer.* Si filius adoptiuus moriatur viuente patre adoptante, debere ſepeliri in ſepulchro patris adoptantis; ſi verò ſit mortuus pater adoptans, ſepeliẽdum in ſepulchro patris naturalis. Quod tamen non placet; quia ſi pater adoptans habet ſepulchrum familiæ, debet in ipſo ſepeliri, ſiue dictus pater adoptans ſit viuus, ſiue mortuus; quia ſuccedit in iura filij naturalis, atque adeo etiam in ius ſepulchri. Si verò adoptans non habet ſepulchrum familiæ, ſiue viuat, ſiue ſit mortuus quando adoptiuus moritur, debet ſepeliri, prout ſepeliretur ſi non eſſet adoptatus.

4 Tertium dubium eſt. An, ſi filius renunciauerit hæreditati patris, debeat, & poſſit in eius ſepulchro ſepeliri. Reſp. Poſſe ſepeliri: vt tradit idem Aſinius *in l. Familiaria ſepulchra num.* 9. *ff. de Relig. & ſumpt. funer.* & habetur ex l. *Vel quod. eodem ff.* quia renuncians hæreditatẽ non renunciat coniunctioni ſanguinis, & amoris, ratione cuius debetur vnio in eodem ſepulchro Cap. *Ebron* 13. *quaſ.* 2.

5 Quartum dubium. Quid, ſi filius fuerit exhæredatus, vel præteritus. Reſp. Debere ſepeliri adhuc cum patre, humanitatis gratia: vt habet eadem l. *Vel quod.* modo citata, & l. *Si quis fuit hæres. eodem titulo.* Secus autem, ſi ex iuſto odio teſtator id vetuerit: vt habet dicta lex *Vel quod.* quia teſtator poteſt diſponere de iure ſepulchri, quod eſt proprium.

6 At, ſi pater damnetur crimine leſę maieſtatis, tunc filius vt pote omnino exhæredatus à fiſco, excluditur etiam à iure ſepulchri: vt ſtatuitur l. 1. §. *Interdum etiam ff. De ſuis, & legitimis*, & tenet Gloſ. *l. Si quis fuerit ff. de Relig. & ſumpt. funer.* & Io. Aſinius *in l. Familiaria ſepulchra eodem ff.*

An electio ſepulturæ probari poſſit per teſtes ſingulares.

Deciſio CCCCIV.

SVMMARIVM.

1 *Electio ſepulturæ probatur per teſtes ſingulares.*

2 *Quomodo in hac probatione teſtes ſingulares fiant conteſtes.*

3 *Quot teſtes requirantur ad probandam electionem ſepulturæ.*

1 Reſp. affirmatiuè cum Rolan. *conſil.* 81. *nu.* 44. *lib.* 2. Spin. *in Specul. teſt. gloſ.* 2. *princip. nu.* 33. Gutier. *de Iuram. confir. par.* 2 *cap.* 4. *in fine.* Maſcar. *de Probat. concluſ.* 1297. Lauor. *tom.* 1. *Variar. Lucubr. tit.* 2. *cap.* 11. *num.* 19. Genuenſ. *in Praxi Archiep. Neapol. cap.* 61. *nu.* 8. *edit.* 2. Riccio *in Praxi par.* 1. *reſol.* 565. Guid. Papa *deciſ.* 244. Bellet. *par.* 1. *Diſquiſit. Cler.* §. 3. *de Cler. debit.* Barboſa *in Cap. Cum ſuper. num.* 2. *de Sepulturis.* qui etiam alios citat. Capel. Toloſ. *deciſ.* 11. Crauet. *de Antiquit. temp.* 4. *par. num.* 25. Bellar. *deciſ.* 368. Laureto de Franchis *in Controuer. inter Epiſcop. & Regul. quaſ.* 64. §. *Probatur verò.* Diana *par.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 106.

2 Ratio eſt, Quia electio ſepulturæ eſt pars vltimæ voluntatis, vt notat Gloſ. *in Addit. Verbo* Et ſit. *in Cap.* 1. *de Sepult. in* 6. vnde eſt solùm probanda hæc pars vltimæ voluntatis, pro ipſa autem probanda ſufficiunt teſtes ſingulares; quia in eo, quod principaliter probant, euadunt conteſtes; nam licet ſint ſingulares reſpectu exterioris manifeſtationis, qua eligens ſuam manifeſtauit voluntatem, ſunt tamen conteſtes in probanda voluntate exteriùs manifeſtata: quam vt conteſtes probant tanquam habentem tractum ſucceſſiuum, & pluries manifeſtatam.

3 Quæres. Quot teſtes requirantur ad probandam electionem ſepulturæ. Reſp. cum Sebaſt. Medic. *quaſ.* 8. *de Sepult.* Lauret. de Franchis *quaſ. citat.* requiri ſaltem duos; quia agitur de præiudicio Eccleſiæ, in qua defunctus erat de iure ſepeliendus; & comparatur diſpoſitioni quò ad pias cauſas, quæ ſaltem per duos teſtes debet probari. Cap. *Cum eſſes. de Teſtamentis.* Idem etiam docent Genuenſ. *in Praxi cap.* 61. *num.* 10. Lauor. *tom.* 1. *Variar. Lucubr. tit.* 2. *cap.* 11. *num.* 18. Diana *par.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 106.

An ad probandam electionem ſepulturæ ſufficiat codicillus inualidus, aut ſcriptura manu propria ſubſcripta.

Deciſio CCCCV.

SVMMARIVM.

1 *Codicillus inualidus, aut ſcriptura propria manu ſubſcripta probat electionem ſepulturæ.*

2 *Valet quo ad forum conſcientiæ: reſpectu cuius ſufficit notitia quæcunque vltimæ voluntatis.*

3 *Probatio electionis ſepulturæ eſt in ordine ad forum externum. & qualis codicillus ſufficiat.*

 4 Scriptu-

4 *Scriptura propria manu ſubſcripta probat electionem ſepulturæ.*

5 *Quando codicillus omnino inualidus probet electionem ſepulturæ.*

1 AFfirmatiuè reſpondet quò ad vtrumque Lauorius *tom. 1. Variar. Lucubrat. tit. 2. cap. 11. num. 18.* quem ſequi videtur Diana *par. 5. tract. 3. de Caſib. occur. &c. reſol. 106.*

2 Quam doctrinam puto eſſe veram quò ad forum conſcientiæ; quia in foro conſcientiæ ſufficit ſi quomodocunque innoteſcat voluntas teſtatoris, ſeu vltima voluntas morientis: vt docent Menoch. *conſil. 167. nu. 10. lib. 2.* Valerus *in Different. vtriuſque fori Verbo* Teſtamentum *differ. 1. num 2.* Emmanuel Figuer. *in Introduct. vlt. volunt. lib. 3. cap. 14. num. 22.* Rota *in Nouiſs. Deciſ. deciſ. 74. par. 2.* Vnde cum electio ſepulturæ ſit pars vltimæ voluntatis, quomodocunque innoteſcat, ſiue per codicillum inualidum, ſiue per ſcripturam manu propria ſubſcriptam, quò ad forum conſcientiæ erit valida electio.

3 Quia tamen electio ſepulturæ non pertinet ad ſolum forum conſcientiæ, ſed etiam ad forum externum: quia priuat Eccleſiam iure ſuo, ad quam de iure pertinet ſepultura: ideo oportet quòd talis electio ſit valida etiam quò ad forum externum. Pro quo quidem certum eſt ſufficere codicillum inualidum quidem quò ad ius ciuile, validum tamen quò ad ius canonicum in ordine ad pias cauſas; quia electio ſepulturæ eſt in eodem ordine, in quo ſunt cauſæ piæ.

4 Scriptura etiam propria manu ſubſcripta ſufficiens eſt ad probandam electionem ſepulturæ; quia ſufficit ad faciendam fidem in foro externo; ſi enim de ipſa conſtet, idem eſt ac ſi defunctus publicè declarauerit ſuam voluntatem. Subſcriptio enim ſe habet veluti teſtimonium declaratiuum mentis propriæ l. *Final. C. Si certum petatur.* vbi etiam Bal. Eſt enim ſubſcriptio quædam expreſſio propriæ mentis quò ad ea, quæ ſubſcribuntur, & ſubſtituitur loco vocis; vnde habet etiam eamdem vim, quam haberet locutio; nam ſubrogatum eſt eiuſdem naturę cum eo, in cuius locum ſubrogatum eſt. l. *Imperator §. Fin. ff. de Legib.* & Cap. *Eccleſia S. Mariæ 1. & 2. tit. Vt lite pendente.* Crot. *conſil. 76. num. 13.* Tiraquel. *de Iure primogenit. quaſ. 40. num. 43.*

5 Quod autem ſpectat ad codicillum inualidum, quando neque eſt ſufficiens ad cauſas pias: conſiderari debet an ſufficienter notificet voluntatem defuncti in foro externo; quia ſi ſufficienter notificat, ſufficienter etiam probat electionem ſepulturę. Tunc autem cenſendum eſt ſufficienter notificare, quando conſtat voluiſſe defunctum in illo declarare ſuam vltimam voluntatem; quod per teſtes probari poteſt, qui deponant quòd in illo voluerit declarare ſuam vltimam voluntatem; quamuis poſtea defuerint neceſſariæ ſolemnitates.

An dictum confeſſarij ſufficiat ad probandam electionem ſepulturæ.

Deciſio CCCCVI.

SVMMARIVM.

1 *Dictum Confeſſarij ſufficit ad probandam electionem ſepulturæ.*

2 *Confeſſarius ſit executor voluntatis moribundi quò ad ea, quæ in ipſius manibus diſponuntur.*

1 QVod ſufficiat dictum confeſſarij, cui in hoc ſtandum ſit, tradit Molfeſius *in ſumma tom. 2. tract. 13. cap. 8. num. 32.* Quod etiam videtur ſequi Diana *par. 5. tractat. 3. De caſib. occur. &c. Reſol. 106.* atque hoc eſſe in praxi apud Curiam Epiſcopalem Neapolitanam ex decreto Concil. Prouincial. *tit. De ſepult.* teſtatur Lauor. *tom. 1. variar. Lucubrat. tit. 2. cap. 11. num. 20. in fine.*

2 Et hæc opinio mihi placet, quia moribundus diſponit in manibus confeſſarij de ijs, quę concernunt animam: & proinde conſtituitur confeſſarius veluti executor eorum, quæ ad animam concernunt: quatenus debent deduci ad forum externum. Vnde quando moribundus communicauit confeſſario ſuam voluntatem, quo ad electionem ſepulturæ, & confeſſarius de tali electione teſtatur, non ſe habet vt purus teſtis, ſed vt executor voluntatis à defuncto ſibi commiſſæ; & ob hanc cauſam ſtandum eſt dicto Ipſius: quod alioquin, vt poteſt ſingulare, non faceret plenam fidem.

Variæ.

An ſurdus aſſiſtens choro, & cum alijs cantans ſatisfaciat obligationi.

Deciſio CCCCVII.

SVMMARIVM.

1 *Non ſatisfacere obligationi nonnulli docent.*

2 *Alij docent quòd ſatisfaciat.*

3 *Hæc opinio eſt ſequenda.*

4 *Surdus cantans cum alijs in choro implet obligationem, quantum poteſt.*

5 *Cenſetur adimplere conditionem audiendi verſiculos, qui cantantur ab alia parte chori.*

6 *Quomodo faciat ſuos verſiculos, qui cantantur ab alia parte chori.*

7 *Quomodo dici poſſit quòd moraliter percipiat verſiculos, qui cantantur ab altera parte chori.*

DIfficultas procedit de ſurdo, qui alteram chori partem canentem diſtinctè non audit, aut nullo modo.

1 Negatiuè reſp. Bonac. *diſp. 1. de Horis canonicis, quæſt. 3. puncto 2. §. 1. num. 20.* quia is, cum non percipiat alios canentes, non facit ſuam partem ipſorum, cum non fiat particeps communicationis, quæ per auditum habetur; & ideo nec ſatisfacit obligationi recitandi officium, nec etiam obligationi chori, quæ obligat ad perſoluandum totum officium in choro.

2 Oppoſitum tamen docent Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 28. nu. 18.* Aegid. Trullench. *De obligatione aſſiſtendi, & canendi in choro dub. 3. num. 21.* & deſumitur etiam ex Moneta *par. 2. de diſtributionib. quæſt. 2. num. 47.*

3 Cum quibus reſpondendum eſt: Surdum ſatisfacere obligationi recitandi diuinum officium, & aſſiſtendi in choro, ſi ſimul cum altera parte chori recitet.

4 Ratio autem eſt, quia implet obligationẽ, quantum poteſt, & in ſe eſt; & quia nemo ad impoſſibile tenetur, ideo nec ipſe tenetur ad aliquid aliud: quia hoc illi eſt impoſſibile.

5 Deinde. Audire verſiculos ab alijs recitatos eſt conditio quædam neceſſaria, vt quis ſatiſfaciat huiuſmodi obligationi; hanc autem conditionem cenſetur adimplere; quia per ipſum non ſtat quin adimpleat: cum faciat quantum in ſe eſt, aſſiſtendo, & attendendo. Conditio namque cenſetur adimpleta, cum per eum non ſtat, qui debet adimplere. Cap. *Cum non ſtat De regulis iuris in 6.*

6 Denique. Ratio potiſſima eſt; quia, dum ſurdus aſſiſtit, & cantat ex vna parte, facit ſuos verſiculos, qui cantantur ex altera parte. Non enim, vt faciat ſuos, requiritur quòd illos audiat, ſed ſufficit ſi quod ab altera parte chori recitatur, ſit moraliter etiam oratio ipſius; hoc autem habetur per id, quod aſſiſtat, & canat ex vna parte; quia per hoc communicat cum alijs in choro; vnde abſolutè eſt de choro. Quia autem quicquid in choro recitatur eſt oratio totius chori, ideo quod ab alia parte recitatur eſt oratio ipſius quoque, etiã ſi illam auditu non percipiat. Sic etiam aſſiſtentes miſſæ dicuntur offerre ſacrificium, quod offert Sacerdos, etiam ſi non audiant Sacerdotem offerentem: non alia ratione, niſi quia ſunt de numero illorum, qui ratione aſſiſtentiæ coniunguntur Sacerdoti in offerendo. Surdus autem ſimiliter coniungitur in cantando toti choro.

7 Imò moraliter dici poteſt, quòd percipiat quod cantatur ab altera parte chori; nam partes chori ita ſibi inuicem communicant quod cantant, vt communicatio non fiat ſingulis ſeorſim alterius partis, ſed coniunctim toti parti; & proinde eò ipſo quòd altera pars phyſicè percipit, cenſentur ſinguli illius partis percipere. Quia, quod eſt totius communitatis, eſt etiam ſingulorum, qui ſunt in illa. Et per hæc ſolutum manet fundamentum oppoſitæ ſententiæ, quæ tamen non caret probabilitate, & nonnulli magis placet.

An ſatisfaciat obligationi chori, qui non attendit, quando officium cantatur cantu muſicali.

Deciſio CCCCVIII.

SVMMARIVM.

1 *Non ſatisfacit obligationi chori, qui non attendit quando officium cantatur cum muſica.*

2 *Quando officium cantatur cum muſica, qui ſunt de choro obligantur ſolùm aſſiſtere.*

3 *Qualis debeat eſſe hæc aſſiſtentia.*

4 *An voluntaria diſtractio, & confabulatio impediat quin aſſiſtens ſatisfaciat choro quando officium cantatur cum muſica.*

5 *Confabulatio in tali caſu poteſt deſtruere moralem aſſiſtentiam, & eſſe peccaminoſa.*

6 *Qui non ſtat in loca aſſiſtentium, non ſatisfacit obligationi chori, dum officium cantatur muſicaliter.*

7 *Quando in tali caſu aſſiſtens choro poſſit percipere diſtributiones.*

1 REſpondet negatiuè Aegid. Trullench. *Opuſ. de obligat. aſſiſtendi, &c. dub 3. numer. 25.* quia debet adeſſe præſentia moralis, & communicare cum canentibus. Quod abſque attentione fieri non poteſt.

2 Verùm certum debet eſſe quòd chori ſeruitium minùs obligat quando officium cantatur cantu muſicali, quàm quando cantatur cantu ordinario ab ipſis aſſiſtentibus; quia tunc deputati ſeruitio chori obligantur tantùm ad aſſiſtendum, non autem ad recitandum in choro; & ideo non requiritur illa attentio, quæ requireretur, ſi tenerentur recitare; ſed tantùm perſonalis aſſiſtentia.

3 Quia

3 Quia tamen hæc aſſiſtentia eſt in ordine ad orationem, quæ fit à canentibus: ideo debet eſſe talis, vt per illam cenſeantur moraliter communicare cum canentibus in oratione; vnde debet addicere aſſiſtentes ipſimet orationi, ita vt vnuſquiſque eos videns, iudicet ad ſtare orationi. Pro hoc autem non eſt neceſſaria interna attentio; ſed ſufficit ſi aſſiſtant in loco deſtinato ad aſſiſtendum, habitu & forma ad id deſtinata; & proinde ſtent quando ſtandum eſt, ſedeant quando ſedendum, tegant & detegant caput quando eſt tegendum vel detegendum, & ſernent ea, quæ chorus præſcribit ſeruanda ab aſſiſtentibus.

4 Ex hoc autem fit, quòd voluntaria diſtra-
ctio, confabulatio quoque non impediant,
quin ſatisfiat obligationi; quia non deſtruunt
moralem aſſiſtentiam, & communicationem
in oratione per aſſiſtentiam. Non enim aſſi-
ſtentia eſt talis, vt non compatiatur ſecum a-
liquas alias operationes: vt eſſet, recitare
alias preces, loqui &c. quia non requirit in-
5 ternam attentionem. Aduertete tamen opor-
tet, quòd confabulatio poteſt eſſe talis, vt de-
ſtruat moralem aſſiſtentiam: vt ſi nõ ſinat ſer-
uari apparentiam illã externam, quæ neceſſa-
ria eſt in aſſiſtente. Rurſus licet non impediat
ſatisfactionem aſſiſtendi, poteſt tamen eſſe
peccaminoſa, etiam mortaliter, ratione ſcan-
dali, aut grauis indecentiæ. Et proinde debet
eſſe modeſta, cum debita corporis compoſitio-
ne, ſubmiſſa voce, ne cenſeatur impedire ſatiſ-
factionem.

6 Rurſus etiam ſequitur, quòd non ſatisfaciat obligationi chori, qui, dum cantatur officium cantu muſicali, vagatur per Eccleſiam, aut etiam in certo loco ſtat, licet indutus veſtibus præſcriptis: vt ſuperpelliceo; quia cũ nõ aſſiſtat in loco deſignato ad aſſiſtendum, non cenſetur aſſiſtere. Imò qui ſtaret in choro ſeorſim ab alijs extra ſedilia, niſi id munus ipſius exigeret, neque cenſeretur aſſiſtere; quia cum aſſiſtentia, ad quam tenetur, non ſit priuata, ſed communis, non cenſetur aſſiſtere, niſi ſimul cum alijs in loco deputato aſſiſtat.

7 Ex quibus denique colligitur, quando poſſit percipere diſtributiones. Tunc enim poteſt, quando ſeruatur aſſiſtentia: cum ad ipſam ſolam, quando tali pacto cantatur officium, obligetur: ſecus autem, quando ipſa non ſeruatur. Per hanc tamen aſſiſtentiam non ſatisfacit obligationi recitandi officium; vnde debet ipſum recitare priuatim; nam hæc eſt diuerſa obligatio ab obligatione ſeruitij chori; & ideo non ſuppletur per id, quod inſeruiat choro per aſſiſtentiam.

An mercatores teneantur oſtendere Publicanis, ſeu Gabelarijs libros emptionum, & venditionum, ſi eos petant in ordine ad calculandas Gabelas &c.

Deciſio CCCCIX.

SVMMARIVM.

1 *Mercatores tenentur exhibere libros Gabelarijs ad liquidandas Gabelas debitas.*
2 *Gabelarÿ habent ius ad ea, quæ ſunt neceſſaria ad tollendas fraudes in ſolutione Gabelarum.*
3 *Mercatores tenentur reddere rationem de adminiſtratione mercium quatenus ſunt ſubiectæ Gabelæ.*
4 *Gabelarÿ non exercent completè ſuum ius in inſpiciendis mercibus pro exatione Gabelarum.*
5 *Si Gabelarius petat ſibi exiberi libros mercatorum, iudex tenetur ſatisfacere.*
6 *Princeps poteſt inſpicere libros mercatorum, vt videat an fraudauerint Gabelas.*

1 Reſp. teneri exhibere huiuſmodi libros: vt ex ipſis calculentur Gabelæ ſoluendę, & liquidò conſtet quid debeant ipſi mercatores. Et ita tenet Munnoz de Eſcobar. *cap.* 10. *de Ratiocinÿ adminiſt. num.* 78. & affert legem ita ſtatuentem apud Hiſpanos: vt habetur in l. 25. *tit.* 9. *lib.* 16. *Recop.*

2 Ratio autem eſt, Quia Gabelarij habent ius ad exactionem Gabelarum iuxta taxam Principis: & conſequenter ad omnia ea media, quæ ſunt neceſſaria, vt talis exactio ſine fraude procedat. Exhibitio autem prædictorum librorum eſt medium neceſſarium ad liquidandas Gabelas, & excludendam fraudem. Quod etiam confir. Quia fraus in ſolutione Gabelarum eſt contra ius Gabelariorum, quatenus eos priuat aliquo ipſis debito; Ergo cum poſſint repetere quod ſuum eſt, poſſunt etiam de iuſtitia petere quod ſibi exibeantur libri mercatorum; cum ſint neceſſarij ad inducendam debitam æqualitatem iuſtitiæ: cum ſine ipſis non poſſit liquidari quid debeant mercatores, vel non debeant.

3 Deinde. Adminiſtratores tenentur reddere rationem de adminiſtratione, exhibendo libros ratiociniorum; Ergo cum mercatores adminiſtrent merces, quæ ſubiectæ ſunt ſolutioni Gabelarum, poteſt ab ipſis exigi quòd rationem reddant talis adminiſtrationis: & oſtendant quòd rectè ſe geſſerint, nec defraudauerint id, quod debent; quod aliter fieri non poteſt, niſi per exhibitionem librorum.

4 Dices.

4 Dices. Gabelarios excreere ius ſuum in inſpiciendis mercibus, quando introducuntur, & aſportantur; & proinde non ſupereſſe ipſis aliquod aliud ius. Sed licet exerceant ius ſuum in inſpiciendis mercibus, quia tamen aliæ aſportari poſſunt, & importari clanculum, nec de ijs, quæ inſpiciuntur, verum precium explicari; ideo adhuc retinent ius ad illa media, quę ſunt neceſſaria ad liquidandum, quantum verè debeant mercatores.

5 Ex quibus colligitur. Quòd ſi Gabelarius petat coram iudice ſibi exhiberi huiuſmodi libros ad hunc effectum, teneatur iudex in fauorem ipſius ſententiam ferre; quia tenetur vnicuique reddere ius ſuum; habet autem Gabelarius ius ad inſpiciendos huiuſmodi libros. Vt iam conſtat ex dictis.

6 Secundò colligitur. Principes à fortiori habere ius ad inſpiciendos libros mercatorum; cum habeant ius ad exactionem Gabelarum, quod primò ipſis competit, & exercentes mercaturam tacito quodam pacto conueniant cum Principe de ſoluendis debitis Gabelis. Nam eo ipſo, quòd important, & aſportant merces, cenſentur conſentire ijs conditionibus, quas pro aſportatione, & importatione præſcribit ipſe Princeps; ſiquidem ad ipſum ſpectat dirigere aſportationem, & importationem: ſicut etiam poteſt prohibere, ne aſportentur, vel importentur.

An ſi Princeps inſpiciens libros mercatorum reperiat fraudatas eſſe Gabelas, & cogat ſoluere, poſſit ſibi retinere ſummam redactam; an vero debeat reſtituere conductoribus Gabelarum.

Deciſio CCCCX.

SVMMARIVM.

1 *Princeps recuperans Gabelas fraudatas non videtur poſſe ſibi eas retinere.*
2 *Quando poſſit ſibi eas retinere.*
3 *Conductores, & emptores Gabelarum computant redditus ipſarum, detracto quod ſolet defraudari, ideo minoris conducunt, aut emunt.*
4 *Quod ſolet fraudari in Gabelis eſt in præiudicium Principis.*
5 *Si adſit lex concedens Gabelarijs, vt poſſint liquidare Gabelas ex inſpectione librorum mercatorum, ſi quod fraudatum eſt recuperetur, debetur ipſis.*
6 *Talis lex dat ius ad id, quod defraudatur in ſolutione Gabelarum, Gabelarijs.*

1 Videtur Princeps non poſſe ſibi retinere illam ſummam, quæ in ſoluendis Gabelis defraudata fuit; quia dum Princeps vendit Gabelarijs, aut locat Gabelas, tradit ipſis totum ius, quod ipſe habet, atque adeo cedit totam illam ſummam, quæ colligi poteſt in exactione Gabelarum; & proinde habent ius etiã ad illud, quod defraudatur.

2 Exiſtimo, tamen quòd vbi non adeſt lex concedens Gabelarijs quòd teneantur Mercatores ipſis exhibere libros emptionum, & venditionum ad liquidandas Gabelas, poſſit Princeps ſibi retinere illam ſummam, quam ex inſpectione librorum reperit fuiſſe frandatam.

3 Ratio eſt, quia cum conductores, aut emptores Gabelarum ſciant committi fraudes varias in ſoluendis Gabelis, illas minoris emunt, aut conducunt: & computando quicquid poteſt fraudari, illud detrahunt redditui, qui ex Gabela percipi poteſt. Vnde fraudes cenſentur factæ in damnum Principis, non aut in damnum Gabelarij: vt notanr Syluester *verbo* Gabela 3. *quaſt*.9. Petrus Nauarr. *lib* 3. *de reſt.cap*. 1. *num*.247. Molina *diſp*.674. *De iuſt. & iure num*.10. Leſſius *lib*.2. *de Iuſt. & Iure cap*. 33. *dub*.10. *init*. Turrian. *tom*.2. *diſp*.46. *De Iuſt. & Iure dub*.3. *num*.2. Bonacina *diſp* 2. *De contract. quaſt*.9. *punc*.1. *num*.12. Bathelomæus à S. Fauſto *in Specul. confeſſar. diſput*.33. *quaſt*.37. Vega *par*.1. *ſum*. *cap*.15. *caſu* 10. Molfeſ. *tom*.2. *ſum. tract*.12. *cap*.22. *num*.142. & 143. Maldetus 2.2. *tract*.5. *cap*.9. *dub*.16. Diana *par*.2. *tract*. 16. *Reſol*. 14. *in fine*.

4 Cum igitur in locandis, aut vendendis Gabelis non veniat in computationem illud totum, quòd ſolet defraudari, & ſolùm habeatur ratio illius ſummæ, quæ ſolet colligi, ſequitur quòd id, quod ſolet defraudari, non fiat de iure Gabelariorum: cum non computent ipſum, ſed maneat ſub iure Principis; & proinde ſi recuperetur, pertineat ad ipſum.

5 Si verò adſit lex, vt in Hiſpania l. 25. *tit*.9. *lib*. 16. *Recop*. obligans mercatores ad exhibendos libros emptionum, & venditionum Gabelarijs pro liquidatione Gabelarum, tunc Princeps recuperans ſummam defraudatam, non poteſt eam ſibi retinere, ſed tenetur reſtituere Gabelarijs tanquam illud, quod eſt de iure ipſorum.

6 Ratio eſt, Quia prædicta lex dat ius Gabelarijs etiam ad illud recuperandum, quod in ſolutione Gabelarum defraudatur: & proinde ſupponitur cadere ſub venditionem, aut locationem: cum non poſſit dari facultas ad ea recuperanda, quæ iam ſunt facta de proprio iure

Digitized by Google

iure; vnde cum ſit de iute ipſorum, debet quoque ijs reſtitui.

An ad perfectam gratiam ſufficiat ſignatio ſupplicationis, an verò requiratur etiam expeditio litterarum

Deciſio CCCCXI.

SVMMARIVM.

1 *Ad perfectam gratiam non ſufficit ſignatio ſupplicationis, ſed requiruntur litteræ, ſecùndum Rotam.*
2 *Sufficit ſignatio ſupplicationis ex Rota.*
3 *Quæ cauſa efficiens gratiæ.*
4 *Quid præſtet expeditio litterarum ad conceſſionem gratiæ.*
5 *Quid clauſulæ in litteris conceſſionis appoſitæ.*
6 *In foro conſcientiæ poſſumus vti gratia conceſſa, ante expeditionem litterarum.*

1 QVòd non ſufficiat ſignatio ſupplicationis, ſed requiratur etiam expeditio litterarum, tenet Rota *deciſ.* 458. *Ex nouiſ.* inquiẽs quòd ante expeditionem litterarum eſt gratia quædam res informis, & imperfecta: quia in hac expeditione dantur executoriæ, & neceſſariæ clauſulæ apponuntur.

2 At ad perfectionem gratiæ ſufficere quòd ſignetur ſupplicatio, deſumitur ex Clement. *Dudum de Sepult.* & ex Cap. *Inſtitutionis* 25. *quæſ.* 2. & in Extrauag. *Etſi dominici, de pęna, & remiſ.* & tenet item Rota coram Burato *deciſ.* 110. *num.* 12. quæ eſt Maceratenſ. Prædij *die* 15. *Maij* 1615. vbi adducitur Caputaq. *deciſ.* 88. *num.* 2. *part.* 3. & Calciatenſis decimarum 2. *Maij* 1614. Maſcardus *de Probat. Verbo* Gratia *concluſ.* 845. Salas *diſp.* 17. *de Legib. ſect.* 2. *num.* 20. Suarez *lib.* 8. *de Legib. cap.* 2. *num.* 2. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 29. *nu.* 2. Molina *tom.* 3. *de Iuſt. diſp.* 599. *num.* 1. & alter Molina *lib.* 2. *de Primogenit. cap.* 7. *num.* 55. Nauar. *lib.* 2. *Conſil. tit. de Priuil. conſil.* 1. *num.* 1. & 2. *edit.* Bonacina *diſp.* 1. *de Legib. quæſ.* 1. *punct.* 4. *in fine.* Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 4. *de Priuil. punct.* 3. §. 1. *num.* 1. Mancinus *diſert.* 1. *Sacri iuris cap.* 8. *num.* 9.

3 Et fauet ratio; quia gratia non habet aliam cauſam efficientem, niſi voluntatem Pontificis, ſeu Principis; vnde hac poſita, & manifeſtata per ſcripturam, qualis eſt ſignatio ſupplicationis, habetur completa ipſa gratia; nã poſita cõpleta, & perfecta cauſa habetur complectus, & perfectus effectus.

4 Expeditio autem litterarum non continet aliquod complementum gratiæ, ſed tantùm authenticationẽ in foro fori, & inſeruiunt, vt auctoritatiuè conſtet de conceſſione.

5 Clauſulæ autem illæ, quæ apponuntur in litteris, non pertinent ad conceſſionem gratiæ, quaſi ſine ipſis non habeatur conceſſio, ſed ſicuti formulæ vſitatæ litterarum; ſunt enim formulæ explicationis conceſſionis, non autem forma conceſſionis: ſed ſupponunt conceſſionem factam iuxta formam ſupplicationis petitoriæ: quia ſignatio ſupplicationis facit, quòd intelligatur conceſſum, quicquid in ipſa petitum fuit: & pertinent tantùm ad ſtylum curiæ, quo conceſſio facta expediri, & explicari ſolet.

6 Ex quibus patet quòd poteſt quis vti ſibi gratia facta à Pontifice ante expeditionem litterarum, quantum ſpectat ad forum conſcientiæ; quia ante expeditionem habetur perfecta conceſſio; quæ licet non admittatur in foro fori, in foro tamen conſcientiæ valet; quia iam de ipſa conſtat apud tale forum.

An in diſpenſationibus, & facultatibus abſoluendi à reſeruatis, vel eligendi Confeſſarium, quas concedit Pęnitentiaria Romæ, ſit neceſſaria expeditio litterarum.

Deciſio CCCCXII.

SVMMARIVM.

1 *Non eſt neceſſe, vt ſemper litteræ expediantur quando pęnitentiaria concedit aliquas facultates abſoluendi, diſpenſandi, &c.*
2 *Quæ ſit praxis pęnitentiariæ.*

1 RESp. Non eſſe neceſſariam, ſed ſufficere ſi ſolo verbo concedatur; nulla enim adeſt lex, quæ requirat ſcripturam ad valorem huiuſmodi diſpoſitionis, quæ fit à pęnitentiaria; omnis autem diſpoſitio verbo fieri poteſt: vt tradunt communiter Gloſ. *in Cap.* 1. *Verbo* In ſcriptis *de Cenſib. in* 6. & latè Dec. *in Rubr. de Conſtitut. num.* 26. *in prima lectura.*

2 Et hoc ſeruatur in praxi. Nam multoties conceditur facultas abſoluendi, diſpenſandi, in votis, abſq. litteris: non ſolùm quando facultas Romæ executioni mandanda eſt, ſed etiam extra Vrbem; & ego pluries huiuſmodi facultatem, abſque litteris obtinui, etiam aliò tranſmittendam extra Vrbem.

An

An quando pęnitentiaria ſignauit ſupplicationem pro aliqua abſolutione, aut diſpenſatione, aut quauis alia facultate, quam concedit, poſſit quod conceditur mandari executioni, non expectando litterarum expeditionem, dummodò tamen notificetur ſignatio ſupplicationis.

Deciſio CCCCXIII.

SVMMARIVM.

1 *Facultas eligendi Confeſſarium non eſt neceſſe vt concedatur per ſcripturam.*
2 *Facultates, quæ conceduntur à pœnitentiaria, requirunt formam præſcriptam.*
3 *Per ſignationem ſupplicationis non ſunt completè conceſſæ.*
4 *Pro executione facultatum pœnitentiariæ non ſufficit ſignatio ſupplicationis, ſed requiruntur litteræ conſuetæ.*
5 *In litteris pœnitentiariæ multoties præſcribitur modus executionis; ideo ſemper expectandæ.*
6 *Facultas conceſſa ore tenus à Regente pœnitentiariæ non eſt conceſſa nomine tribunalis; & ideo conceſſio non requirit ſpecialem formam conceſſionis.*

1 HAnc caſum in terminis apud neminem reperi. Solùm nonnulli loquuntur de facultate in generali eligendi Confeſſarium conceſſa à Summo Pontifice, & docent quòd non ſunt neceſſariæ litteræ pro foro conſcientiæ: ſed ſufficit quòd ſignauerit ſupplicationem: vt poſſit quis vti facultate conceſſa. Ita inter alios Azor. 1.*par. l. 5. cap. 2. quæſt. 5.* in fine. Molina *tom. 3. de Iuſt. & Iure diſp. 599. num. 4.* Palaus 1. *par tract. 3. diſp. 4. de priuilegijs pun. 3. §. 1. num. 9.* Garzia *part. 16. de benefic. cap. 2. num. 330.* Fundantur in illo principio: Quòd ſcriptura non ſit neceſſaria ad gratiam, & priuilegium.

2 Quam doctrinam & ſi veram cenſeam exiſtimo tamen eſſe diuerſam rationem de litteris pœnitentiariæ, & facultatibus ab ipſo conceſſis. Huiuſmodi enim facultates non conceduntur à Principe, ſeu Summo Pontifice immediatè, ſed à delegato, vel ſubdelegato, qui eſt regens eiuſdem pœnitẽtiariæ ſubdelegatus à Summo Pœnitentiario. Et ideo ad conceſſionem requiritur forma præſcripta: quæ ſicut nec ponitur, nec auferri poteſt ab eodem Regente pœnitentiariæ: ita nec immutari poteſt; & proinde abſque prædicta forma non habetur conceſſio; quia ſicut facultas delegata eſt coarctata ad formam in exercitio, ita etiã conceſſio facta per talem facultatem delegatam, ſine qua non cenſetur conceſſio: quia non eſt in illa forma, ſub qua debet eſſe, ex præſcripto delegantis.

3 Deinde. Ad litteras pœnitentiariæ plures concurrunt, vt deputati vel à Summo Pœnitentiario, vel à Sede Apoſtolica: & ſinguli auctoritatiuè; nam alius ſignat ſupplicationem, alius ſubſcribit, alius ſigillat; & proinde gratia, ſeu facultas non eſt completè conceſſa per ſignationem ſupplicationis, ſed talis ſignatio eſt ſolum quædam incohatio conceſſionis.

4 Ex quibus colligitur expectandam eſſe expeditionem litterarũ pęnitentiariæ: nec ſufficere quod notificetur ſignatio ſupplicationis: quia facultas non poteſt executioni mandari, niſi ſic perfectè conceſſa.

5 Accedit etiam quòd in dictis litteris pęnitẽtiariæ præſcribitur multoties modus executionis: taxatur etiam pęnitentia aliquãdo, aut determinatur materia, in quam vota ſunt commutanda; & proinde cum hæc ante expeditionem, & exhibitionem litterarum ut ſciri poſſint, neque etiam facultas conceſſa executioni mandari poteſt modo præſcripto. Ex quo colligitur quòd non habeatur ſufficiens notitia ex ſola ſignificatione ſignationis ſupplicationis pro executione facultatis, quæ conceditur.

6 Nec obſtat, quòd aliquando regens pęnitentiariæ ore tenus concedat facultatem aliquam; quia tunc vtitur alio ſpeciali modo; & tunc cenſetur facultas completè conceſſa; quando autem ſignat ſupplicationem alia via procedit; & ideo tunc ſunt neceſſaria omnia, quæ ſunt præſcripta pro illo modo conceſſionis, & præſertim forma præſcripta pro illo modo conceſſionis; quia non conceditur tunc facultas nomine proprio, ſicut quando concedit ore tenus, ſed nomine Congregationis, ſeu tribunalis pęnitentiariæ: & ideo non cenſetur conceſſa facultas, niſi adſit forma conſueta.

An

An quilibet Confeſſarius ex ijs Religionibus, quæ fruuntur Priuilegio Gregorij XIII. poſſint aperire, & mandare executioni litteras ſacræ Pœnitentiariæ.

Deciſio CCCCXIV.

SVMMARIVM.

1 *Quibus dirigantur litteræ Pænitentiariæ.*

2 *Priuilegium Gregorij XIII. circa litteras Pænitentiariæ.*

3 *Quinam Confeſſarij ex priuilegio poſſint exequi litteras Pænitentiariæ.*

4 *Quibus Confeſſarijs non inſignitis Doctoratu poſſint Generales concedere facultatem exequendi litteras Pænitentiariæ.*

5 *Quæ ſcientia neceſſaria Confeſſario, vt poſſit exequi litteras Pænitentiariæ.*

6 *Generalis peccat mortaliter concedens non habili facultatem exequendi litteras Pænitentiariæ.*

7 *Quam diligentiam debeat adhibere Generalis, ne inhabili concedat hanc facultatem.*

8 *Peccat Confeſſarius exequens has litteras abſq; facultate, & executio eſt nulla.*

1 Litteræ ſacræ Pęnitentiariæ diriguntur Doctori in Theologia, vel in Sacris Canonibus, qui ſit Confeſſarius approbatus ab Ordinario. Vnde vt poſſint executioni mandari, requiruntur in executore de iure duæ conditiones; nempe, quòd ſit Confeſſarius approbatus ab Ordinario: & quòd habeat gradum Doctoratus vel in Theologia, vel in Sacris Canonibus.

2 Gregor. tamen XIII. conceſſit priuilegium Societati Ieſus, quòd etiam qui non ſunt inſigniti Doctoratu poſſint aperire has litteras; cum licentia P. Generalis, vel illorum, quos Generalis deputauerit pro hac licentia concedenda. Quo priuilegio gaudent ij omnes Regulares, qui habent communicationem priuilegiorum. Incipit autem Priuilegium *Exponi nobis nuper*: & fuit expeditum *ſub die 3. Aprilis anno* 1582. & refertur ad verbũ à Rodriq. *in Collect. Priuil. Bulla* 23. *ſub Greg. XIII.* & meminit Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 34. *num.* 11. Compendium *Priuileg. S. Hieron. Hiſpaniæ Tit. Confeſ* §. 2 Compend. *Priuileg. Fratrum Minorum Tit. Confeſſiones, & Confeſſores in Annotat. Capucini*, & Peregrinus noſter *in ſuo Compendio noſtrorum Priuileg. par.* 1. *Tit. Confeſſarius* §. 1.

3 Ex his autem conſtat, quòd non omnes Confeſſarij Religionum, quæ gaudent hoc priuilegio, poſſunt executioni mandare litteras Pęnitentiariæ: ſed ij ſolùm, qui obtinuerũt facultatem a Generali, vel deputatis ab ipſo; quia cum hoc totum fiat ex priuilegio, non poteſt ampliùs extendi, quàm extendat priuilegiũ, quod tamen requirit facultatem concedẽdam à Generali, vel deputatis.

4 Sed difficultas eſt, An poſſit Generalis vel ij, quos ipſe deputauerit, concedere hanc facultatem omnibus confeſſarijs. Reſp. poſſe omnibus concedere, ſi habeant ſufficientem doctrinam pro executione harum litterarum. Si verò non habeant, nequaquam poteſt concedere; quia quæ pertinent præſertim ad animam, non poſſunt committi non habenti capacitatem. Ideo enim Pontifex non conceſſit priuilegium confeſſarijs abſolutè, ſed ijs ſolùm, qui obtinuerint facultatem à Generali, vel à deputatis: quia voluit quòd ijs tantum hæc facultas concederetur, qui ſunt idonei pro huiuſmodi executione. Vnde ſi indifferenter omnibus concederetur, eſſet abuſus priuilegij: & facultas cõceſſa eſſet nulla; quia non niteretur in veritate priuilegij.

5 Quæres. Quanta ſcientia ſit neceſſaria in confeſſario, vt poſſit illi concedi facultas exequendi litteras Pęnitentiariæ. Reſp. nedum debere ſcire modum executionis, ſeu quem debet ſeruare in executione, pęnitentias imponere, & taxare, quo modo vota commutari debeant: ſed etiam debere eſſe instructum circa caſus reſeruatos, cenſuras, & irregularitates, materiam votorum, & circa omnia; ſuper quibus recurri ſolet ad Pęnitentiariam: quia niſi circa has materias inſtructus ſit, non poterit congruè eas tractare in exequendis litteris Pęnitentiariæ.

6 Ex quibus patet, quòd ſi Generalis, aut quilibet alius det hanc facultatem inhabili, peccat mortaliter, non ſolùm quia in re graui defraudat mentem Pontificis, qui conceſſit priuilegium: ſed etiam quia dat facultatem tractandi rem grauem ei, qui non eſt aptus, atque adeo abutitur priuilegio cum præiudicio Sedis Apoſtolicæ, & regiminis ipſius, quod exponit periculo notabilis deordinationis.

7 Et quia hæc eſt res grauis, tenetur Generalis, & qui deputati ſint, adhibere debitam diligentiam, ne concedant inhabili hanc facultatem: quando alioquin ipſius ſufficientiam non habent notam; alioquin tranſgrabunt munus ſuum in graui negocio, & peccabunt mortaliter.

8 Hinc. Si quis confeſſarius has litteras executioni mandet abſque debita facultate, non ſolùm executio erit nulla defectu poteſtatis, quæ tantùm commiſſa eſt Doctori, aut confeſ-

ſatio

ſario obtinenti facultatem à Generali, vel eius deputatis: ſed etiam peccabit mortaliter, quia vſurpabit ſibi in re graui iuriſdictionem, quæ ſibi non conuenit.

An Moniales poſſint introducere conſuetudinem, quæ apud ipſas habeat vim legis.

Deciſio CCCCXV.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſuadeat quòd Moniales poſſint inducere conſuetudinem.*
2 *Moniales non poſſunt introducere conſuetudinem.*
3 *Qui non habent poteſtatem condendi leges non poſſunt inducere conſuetudinem.*
4 *Mulieres non poſſunt inducere conſuetudinem; & cur.*
5 *Actus præter præſcriptũ in electione apud Moniales non inducit conſuetudinem.*
6 *Mulieres incipientes viuere in communitate non obligantur conſuetudinibus introductis, abſq; ſuperiorum approbatione.*
7 *Abbatiſſa non poteſt præcipere Monialibus quæ ſunt ſecundum meras conſuetudines.*
8 *Communitas Monialium eſt communitas imperfecta abſque forma.*

1 Videtur affirmatiuè reſpondendum, Quia faciunt ſpecialem communitatem ſeorſim à quacunque alia; omnis autem communitas poteſt introducere conſuetudines, quæ habeant vim obligandis.

2 De hoc tamen conſultus negatiuè reſpondi, & nunc iterum reſpondeo. Exiſtimo enim nullam conſuetudinem quocunque tempore longo firmatam poſſe intra monaſteria Monialium acquirere vim legis, ita vt obliget.

3 Qui enim non habent iuriſdictionem, & poteſtatem condendi leges, non poſſunt inducere conſuetudinem, quæ obliget per modum legis: Vt docent Bart. *conſil.* 136. Alexan. *conſil.* 173. *num.* 12. Roland. *qui teſtatur de communi conſil.* 5. *num.* 74. *&* 76. *l. b.* 1. Tiraquel. *tract. de Primogenis. quæſt.* 16. *num.* 2. Gregor. XV. *deciſ.* 262. *num.* 2. & alij. Et ratio manifeſta eſt, Quia conſuetudo ex ſe non habet vim obligandi; ſed debet ab eo accipere, qui poteſt obligare; ſolùm autem qui habet iuriſdictionem, & poteſtatem condendi leges poteſt obligare, imponendo nouas obligationes.

4 E contra autem communitas mulierum non eſt ex illis communitatibus, quæ habeat iuriſdictionem, & facultatem condendi leges, ſed ſecundum ſuam naturam ſubiecta eſt, & exigit extrinſecùs à quo regatur, &, iuxta Dei inſtitutionem, ſubiecta eſt viris. Vnde ex eò, quòd non habeat ius condendi leges, nec etiã poteſt inducere conſuetudinem: Vt inter alios docent Bart. *in l.* 1. *ff. De legib.* Abbas *conſil.* 53. *num.* 1. *par.* 2. & in Cap. *Cum tanto. num.* 8. *de Conſuet.* Bal. *in l. fin. De legib.* Socinus *conſil.* 7. *ver. Circa ſecundum in fine par.* 1.

5 Hinc fit. Quod ſi in electione Abbatiſsæ, aut quacunque alia electione, introduxerint aliquem actum præter ea, quæ præſcripta ſunt à Sacris Canonibus, aut ab ipſarum regula approbata, nunquam inducere poteſt rationem conſuetudinis, quæ habeat vim obligandi; quia nunquam fiet per actus obligatiuos, qui poſſint formare conſuetudinem, & ad vim legis reducere.

6 Secundò colligitur. Quòd ſi aliquæ mulieres incipiant de nouo viuere in communitate clauſtrali abſque aliqua regula approbata à Superioribus, vel cum regula imperfecta, quæ non præſcribat de omnibus, nihil, quod ſupra regulam approbatam introducatur, poſſe vllo vnquam tempore inducere rationem conſuetudinis obligantis: quia nunquam habebit vim ab ijs, qui poſſunt exercere iuriſdictionem communitatis.

7 Tertio colligitur: Abbatiſſæ poteſtatem, qua poteſt præcipere Monialibus in virtute obedientiæ ea, quæ ſunt ſecundum regulam, non ſe extendere ad ea, quæ ſunt ſecundum conſuetudines; quia cum conſuetudines non habeant vim obligandi, nec rationem legis: neque etiam Monialis, dum profitetur ſecundum regulam, ſe obligat per votum obedientiæ ad conſuetudines; quia ſe obligat tantùm ad ea, quæ habent rationem regulæ, atque adeo, quæ habent vim obligandi ex approbatione Superiorum.

8 Hinc quando *num.* 1. dicebatur, quòd Moniales faciunt intra clauſurã ſpecialem communitatem. Reſp. facere ſpecialem communitatem imperfectam, ſeu materialem; nam deeſt vera forma communitatis, nempe poteſtas, & iuriſdictio, quam ab extrinſeco debent ſumere; & ideo cum hæc forma non concurrat ad actus, quibus inducitur conſuetudo, nec etiam dat conſuetudini vim obligandi.

A quonam Capitulo, ſeu Prælato debeat Nouitius ad profeſſionem admitti, quando mittitur de vno in alium Nouitiatum prope finem anni probationis.

Deciſio CCCCXVI.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur dubium.*
2 *Ratio dubitandi.*
3 *Ad capitulum, in quo degit nouitius, pertinet admiſſio ad profeſſionem.*
4 *Qui acceptat emiſſam profeſſionem, debet etiam admittere.*
5 *Profeſſio quidam contractus.*
6 *Admittere ad profeſſionem eſt actus iuriſdictionis etiam reſpectu nouitij.*
7 *Cum nouitius de vno in alium nouitiatum tranſit, requiritur ante profeſſionem informatio Prælati, aut capituli prioris nouitiatus.*
8 *Sine prædicta informatione non poteſt admitti ad profeſſionem.*
9 *Tenentur Vocales & Prælatus ſequi talem informationem.*
10 *Abſque tali informatione profeſſio eſt nulla.*
11 *Quomodo à Trident. requiratur ante profeſſionem annus probationis.*

1 QVia poteſt Generalis, vel alius habens auctoritatem, transferre nouitium de vno in alium nouitiatum, etiam prope finem anni probationis, ex aliqua rationabili cauſa, ideo dubitatur à quonam ſit admittendus ad profeſſionem: An à Capitulo domus, ſeu Prælato, in qua de præſenti degit: An verò à Capitulo ſeu Prælato domus, è qua diſceſſit.

2 Ratio dubitandi eſt, Quia Capitulum, ſeu Prælatus domus, in qua de præſenti degit, non probauit illum per annum; vnde non videtur poſſe admittere ad profeſſionem. Econtra verò, ad Capitulum domus, ſeu Prælatum, è qua diſceſſit, non pertinet de nouitijs alterius nouitiatus.

3 Reſpondeo. Pertinere ad Capitulum, ſeu Prælatum domus, in qua de præſenti degit. Ita colligitur ex ijs, quæ docent Rodriquez *in Quæſt. Regul. tom. 3. quæſ. 9. ar. 2.* & Boia *par. 4. caſu 29. §. Attamen intra &c.*

4 Conuincitur ex eo, quòd decretum Capituli, ſeu Prælati de admittendo aliquo ad profeſſionem, eſt in ordine ad illam acceptandam, quando nouitius emiſerit; vnde eſt quædam incohatio acceptationis; ille autem debet admittere, qui acceptat: cum in ipſa acceptatione habeatur completa admiſſio. Prælatus autem domus, in qua nouitius de præſenti degit, acceptat; quia nouitius profitetur ſolemniter in manibus ipſius. Confir.

5 Profeſſio eſt per modum cuiuſdam contractus, in quo nouitius ſe tradit Religioni, & Religio ipſum acceptans ſe illi obligat. Ergo decretum de hoc contractu debet eſſe ab eo, qui ipſum exercet: quia in virtute ipſius decretum habet robur; nec poteſt vnus decernere quod alter non nomine ſui ipſius, ſed nomine proprio contrahat. Prælatus autem, in cuius manibus fit profeſſio, aut nomine proprio, aut etiam Capituli hunc contractum exercet.

6 Præterea. Admittere ad profeſſionem eſt actus iuriſdictionis, non ſolùm reſpectu Religionis, ita vt admittens debeat exercere iuriſdictionem in Religione, ſed etiam reſpectu nouitij in ordine ad illam ſubiectionem, quæ competit nouitio; quia ſupponit quòd nouitius ſe ſubiecerit in ordine ad profitendum. Ex hoc autem fit, quòd ſolùm à Prælato, & Capitulo domus, in qua degit, poſſit admitti; tum quia non eſt ſubditus Capitulo, & Prælato alterius domus; tum quia Prælatus, & Capitulum alterius domus non poteſt exercere iuriſdictionem in aliena domo; exerceret autem, ſi admitteret ad profeſſionem nouitium alterius domus.

7 Quia tamen, & ex natura rei requiritur informatio quò ad mores; cum non poſſit nouitius iudicari habilis ad profitendum, niſi mores ipſius noſcantur; & etiam iuxta decretum Trident. *ſeſſ. 26. cap. 16.* ideo ſpectat ad Capitulum, ſeu Prælatum domus, in qua maiorem partem nouitiatus duxit, informare Capitulum, ſeu Prælatum domus, in qua nouitius profiteri debet: & iuxta talem informationem iudicandum eſt de habilitate, vel inhabilitate nouitij.

8 Hæc autem informatio ita neceſſaria eſt, ſicut ſcrutinium neceſſarium eſt ad electionem; nam admittere ad profeſſionem eſt quædam electio, qua quis eligitur ad ſtatum Religionis: & huiuſmodi informatio eſt per modum ſcrutinij, quod debet præmitti; vnde abſque ipſa non poteſt nouitius admitti ad profeſſionem.

9 Vnde colligitur, Teneri Prælatum, & Vocales Capituli ſequi talem informationem ſub peccato mortali (niſi obſtet aliqua grauis cauſa: vt ſi ſuſpecta eſſet talis informatio, & cauſæ ſuſpicionis eſſent vehementes) niſi enim ſequeretur, faceret in re graui contra vtilitatem Religionis; quia ſe exponeret periculo admittendi indignum, & inhabilem, & etiam contra vtilitatem nouitij: quia ipſum quoq; exponeret periculo perditionis.

10 Inſuper colligitur, Irritam futuram profeſſionem,

feſſionem, niſi talis informatio præcedat. Concilium enim Trid. *ſeſſ. 25. c. 15. de Regul.* irritat omnes profeſſiones, quas non præceſſerit annus integer probationis ab habitu ſuſcepto.

11 Hæc autem probatio per totum annum non requiritur à Trident. vt materialiter, & mortuo modo ſe habeat: ſed vt formaliter influat in admiſſionem ad profeſſionem; quia finis legis eſt experiri nouitium, & cognoſcere, an ſit habilis pro Religione; niſi autem præcederet talis informatio, totum illud probationis tempus, in quo nouitius fuit in alio nouitiatu, materialiter, & mortuo modo ſe haberet, nec influeret aliquo modo, iuxta mentem Concilij, in admiſſionem ad profeſſionem; ſed perinde ſe haberet, ac ſi non præceſſiſſet; vnde non poſſet dici quòd præceſſiſſet integer probationis annus eo modo, quo requirit Concilium.

An Prælatus Regularis vti poſſit miniſterio Laicorum ad verberandum ſuos Religioſos correctionis gratia.

Deciſio CCCCXVII.

SVMMARIVM.

1 *Prælatum non poſſe, niſi per ſe ipſum, aut per alium Religioſum, vrgente neceſſitate, verberare ſubditum correctionis gratia.*

2 *Priuilegium, quòd poſſit per alium Regularem ſine neceſſitate.*

3 *Nullo pacto poſſe per Laicum, qui doceant.*

4 *Poſſe, ſi neceſſitas adſit, vti in hoc miniſterio Laici.*

5 *Lex ita cedit neceſſitati correctionis.*

6 *Eſt derogata per conſuetudinem apud curias Eccleſiaſticas. Et Prælati Regulares poſſunt hanc conſuetudinem ſequi, & vti miniſterio Laici.*

7 *Conſuetudo derogans Cap.* Vniuerſitatis *de non verberando per Laicum Clericos eſt approbata à Summo Pontifice.*

8 *Eſt conſuetudo rationabilis, & magis, quàm ius oppoſitum.*

1 Extat decretum Cœleſtini tertij in Capit. *Vniuerſitatis. de Sentent. Excommunicat.* decernentis, Prælatum Regularem debere per ſe verberare ſuum Religioſum correctionis gratia: & ſolùm poſſe verberare per alium vel Clericum, vel Monachum, ſi neceſſitas vrgeat; alioquin incurrere excommunicationem tàm ipſum, quàm eos, qui verberant eius mandato. Quod notant communiter Canoniſtæ in dictum Cap. Abbas, Zabarel. Io. Andr. Ancharan. Butrius, Hoſtienſ. Pauor. Socin. & alij.

2 Quia tamen nimis oneroſum erat Prælatis per ſe ipſos debere verberare ſubditos correctionis gratia, & exercere munus opprobrioſum: ideo Alex. VI. conceſſit Minoribus Sancti Franciſci quòd poſſint per alium percutere & verberare, etiamſi neceſſitas non vrgeat ſibi ſubditum. Quod inſuper confirmauit Leo X. declarans, quòd ille, cuius miniſterio vtitur Prælatus in verberando, debeat eſſe aliquis Regularis ſubditus. Et horum priuilegiorum meminit Rodriquez *tom. 2. Quæſ. Regul. quæſ. 20. ar.* 8. & participantur ab omnibus alijs Regularibus, qui habent communicationem priuilegiorum.

3 Ex quibus, patet quòd ſecluſa neceſſitate, non poſſint vti miniſterio Laicorum. An autem poſſint quando adeſt neceſſitas: quia nimirum non habent ſubditos, qui poſſint, aut apti ſint, aut velint: Negatiuè reſpond. Rodriquez *tom. 2. Quæſ. Regul. quæſ.* 20. *ar.* 8. & alter Rodriquez *in Compend. reſol.* 45. *num.* 8. Quòd etiam videtur ſentire Nauar. *cap.* 27. *Manual. num.* 86.

4 Quando tamen adeſt neceſſitas, poſſe Prælatum Regularem vti miniſterio laici ad verberandum ſubditum correctionis gratia, tenet Suarez 3. *par. tom.* 3. *diſp.* 22. *ſect.* 1. *num.* 43. Coninch. *diſp.* 14. *de Cenſur. num.* 190. *ver. Tertio Prælatus*. Barboſa *in Cap. Vniuerſitatis. de Sent. Excommunicat. nu.* 2. & videtur idem tenere Nauar. *conſil.* 42. *alias* 43. *de Sentent. Excommunicat. lib.* 5.

5 Ratio eſt, Quia finis legis non eſt eximere Religioſum à correctione, ſed illi ſeruare debitum decorem in recipienda correctione; vnde quando non poteſt ſeruari, non debet prætermitti correctio, ſed fieri eo modo, quo poteſt; quia magis intereſt bono communitatis, quòd corrigantur qui indigent, quàm quòd talis decus ſeruetur delinquenti; & concurrente delinquente cum communitate, non debet ipſe præferri. Deinde correctio delinquentis eſt ſecùndum ius magis ſtrictum, & arctiùs obligans: quia eſt ſecùndum ius diuinum naturale; & ideo debet ipſi cedere ius canonicum, quod ſolùm reſpicit quamdam decentiam ſeruandam ſtatui Clericali.

6 Addo etiam, Quòd huiuſmodi ius ſancitum in dicto Cap. *Vniuerſitatis. de Sentent. Excommunicat.* eſt derogatum per conſuetudinem; nam apud omnia tribunalia non ſolùm in Gallia, ſed etiam in Italia, & in alijs Prouincijs conſuetudo iam obtinuit quòd in curijs Eccleſiaſticis adhibeatur ſolùm miniſterium laicorum, etiam ad verberandum Clericos cauſa correctionis. Vnde etiam Regulares Præ-

lati poſſunt ſequi hanc conſuetudinem tanquam rationabilem, & tanquam habentem vim in maioribus tribunalibus; quorum motum debent ſequi ipſi Prælati Regulares tanquam membra minùs principalia fori exterioris.

7 Accedit etiam, quòd hæc conſuetudo cenſetur approbata à ſupremo legislatore, & præſumitur inducta ipſo approbante; ſi quidem exercetur in tribunalibus ipſius, etiam erga Regulares: vt ſunt tribunalia Inquiſitionis, & tribunal Vicarij de Vrbe ipſius Pontificis. Quando autem conſuetudo introducitur approbante ſupremo legislatore, ſimul etiam reuocatur lex; quia approbatio conſuetudinis eſt implicita reuocatio legis. Pro quo facit quod tradit Innocent. *in Cap. 1. ver. Item vbi Populi. de Conſuetud.* Bart. *in l. Omnes populi. ver. Expeditus. de Contrarijs ff. de Iuſt. & Iure.* Gloſ. *in Cap. Fruſtra diſt.* 8.

8 Quod autem talis conſuetudo ſit rationabilis. & proinde legitimè introducta, conſtat; quia pro tali à viris prudentibus habetur, & non eſt contra ius naturale, aut diuinum, atque non minùs fauet dignitati Clericorum, quàm faueat ius oppoſitum; quia non eſt minùs decens, & rationabile quòd Clerici non exerceant vile munus verberandi, quàm quòd Clericus non verberetur à laico correctionis gratia; Imò eſt magis indecens, quòd Clericus tale munus exerceat; quia cum ſit munus viliſſimorum hominum, & quod facit exercentes abominandos, eſt valde indecens quòd exerceatur à Clerico: & magis, quàm quòd Clericus verberetur à laico; quia verberari à laico non facit verberatum abominandum; vnde tanquam conſuetudo valde rationabilis, & legitimè iam præſcripta ſufficienter derogauit Cap. *Vniuerſitatis. de Sent. Excommunic.*

Quinam intelligantur nomine Monachi, quibus vti poteſt Prælatus ad uerberandos ſubditos, iuxta Cap. *Uniuerſitatis De ſentent. excommunicat.*

Deciſio CCCCXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Nomine monachi non comprehendi conuerſos, ita vt poſſint eſſe miniſtri Prælati ad verberandum ſubditos &c.*

2 *Comprehendi conuerſos, ſed non tertiarios alij docent.*

3 *Intelligi omnes conuerſos ex aliarum ſententia, quæ eſt tenenda.*

4 *Imò etiam tertiarij veniunt in hoc caſu nomine monachi.*

1 Difficultas eſt, an nomine Monachi veniant etiam conuerſi. Et negatiuè reſp. Sylueſt. *verbo* Excommunicatio 6. *num. 6. circa finem* quia agitur de fauore Clericorum, & ideo eſt ampliandus: vt poteſtas verberandi paucioribus, quò fieri poteſt concedatur: alioquin conuerſi vilipenderent Clericos.

2 Suarez autem *diſput. 22. de Cenſur. ſect. 1. num. 42.* & Rodriquez *in Compend. quæſt. Reg. Reſol. num.* 8. ait non comprehendi familiares tertiarios deputatos ad ſeruitium Religionis; quia hi non ſunt verè monachi, nec Religioſi.

3 At abſolutè intelligi omnes conuerſos docet Angel. *verbo* Excommunicat. 5. *num. 6.* & allegat conſuetudinem: quæ ita hoc ius interpretatur, quam ego vidi in praxi ſeruari, imò nec alios adhiberi ad hoc munus, quàm conuerſos.

4 Quod etiam debet extendi ad tertiarios; quia cum ipſi quoque vtantur habitu Religionis, & ſint addicti ipſi Religioni, & ſub obedientia Prælati, & viuant ſub regula, & gaudeant priuilegio canonis, veniunt appellatione monachi, quatenus in dicto text. ſumitur Monachus, nempe pro Regulari miniſtro Prælati: & tex. eſt ampliandus; quia in conceſſione miniſtri eſt in fauorem Prælatorum.

An Prælati Regulares poſſint vti miniſterio laicorum ad torquendos ſubditos.

Deciſio CCCCXIX.

SVMMARIVM.

1 *Non poſſe Prælatos Regulares vti laicis ad torturam ſubditorum, quidam docent.*

2 *Licet, ſtante neceſſitate, ex aliorum opinione.*

3 *Eſſe vſu receptum vti laicis ad torquendos Clericos, alij opinantur.*

4 *Licere hoc etiam Prælatis Regularibus erga ſuos ſubditos.*

5 *Nullum ius probibet quòd Prælati Regulares non vtantur laicis ad torquendum.*

6 *Officium torquendi eſt præter regulam, nec præcipi poteſt ſubdito à Superiori.*

7 *Soluitur obiectio: quia quando aliquid eſt ſecùndum regulam, non omne quod eſt neceſſarium ad ipſum eſt ſecùndum regulam.*

8 *Religioſi ſunt inhabiles ad torquendum.*

1 Nega-

1 NEgatiuè reſpond. Rodriquez *num.2. quaſ. Regul. quaſt. 20. art. 8.* & Hieronym. Rodriquez *in Compend. Reſol. 45. num. 8.* Nauarr. *cap. 27. Manual. nu. 86.* vbi ait: quòd licet conſuetudo torquendi per laicos excuſet à pœna excommunicationis, non tamen à culpa. Panorm. in Cap. *Vniuerſitatis* vbi etiam alij Canoniſtæ. *De ſent. excom.* Gloſ. *in cap. 3. §. Praesbiteri. 5. quaſt. 6.* Et fundantur in dicto Cap. *Vniuerſitatis.* vbi prohibetur Prælato verberare monachum per laicos.

2 Alij verò dicunt, quòd licet torquere per laicum, quando adeſt neceſſitas; quia nimirum non adſunt Religioſi apti ad torquendũ; & ſolùm in caſu graui (& alij etiam addunt, quod nunquam) debet Religioſus Prȩlatus deuenire ad hoc, vt vtatur laicis, & tormentis, quæ non niſi per laicos adhiberi poſſunt. Ita Rodriquez *in ſum. par. 4. cap. 155. num. 15.* qui addit in Hiſpania non adeſſe conſuetudinem adhibendi laicos, nec debere introduci. Alderet. *lib. 1. De Relig. diſcip. tract. cap. 17. num. 22.* Portel. *in dub. regular. tit.* Correctio fraterna *num. 49.*

3 Alij verò docent eſſe vſum receptũ torquendi Clericos per laicos: & generaliter loquuntur non diſtinguendo inter Regulares, & ſæculares. Ita Aufrer. *in Repet. Clemen. 1. De offic. ordinarij Reg. 3. Fallent. 2. tom. 9. tract. ſub titulo de poteſ. ſacul. ſuper Eccleſ.* Zerola *in Praxi Epiſcop. par. 1. Verbo* Excommunicat. cauſa efficiens. §. 8. Pegna *par. 3. direct. quaſt. 61. com. 9. §. Illud addit,* Simancas *tit. 65. num. 47.* Salzedo *in pract. c. 126.* Iulius Clar. *lib. 5. pract. quaſt. 64. numer. 25.* qui alios citat. Barboſa in Cap. *Vniuerſitatis De ſent. excom. num. 3.*

4 Abſolutè poſſe Regulares Prælatos vti miniſterio laicorum ad torquendos ſuos ſubditos, non ſolùm abſque pœna excommunicationis, ſed etiam abſque peccato, docent Nauarr. *com. 3. De Regularib. num. 52.* reducens hoc ad conſuetudinem: quæ cum ſit contra ius ſolùm humanum, excuſat etiam à culpa: licet *citato loco Manualis* doceat non excuſare à culpa. Suarez d. *3. par. tom. 5. diſp. 22. De cenſur. ſect. 1. nu. 44.* qui ait nullum adeſſe ius, quod hoc prohibeat. Coninch. *diſp. 14. de Cenſuris, num. 192. ver. Difficultas autem.*

5 Et hæc poſtrema opinio tenenda eſt; Quia re vera non adeſt aliquod ius hoc prohibens. Nam illud Cap. *Vniuerſitatis de ſent. excommunic.* ex quo ſolet deduci hæc prohibitio, non loquitur de tortura, ſed de verberatione, quæ fit correctionis gratia: quæ longè diuerſa eſt à tortura. Quia eſt actio correptiua, atque adeo proueniens à paterno affectu; vnde non eſt extra ordinem regularis diſciplinȩ. Tortura verò eſt actio iudicialis, non proueniens ex paterno affectu ſed ex rigore iuſtitiæ, nec eſt intra ordine diſciplinæ regularis; & proinde non adeſt identitas rationis, ita vt tex. poſſit ad ipſam extendi.

6 Adde etiam quòd cum Prælatus Regularis non poſſit cõſtringere ſubditos ad ea, quæ ſunt præter regulam, ſi ſubditi recuſarent exercere officium tortoris, non poſſet eos conſtringere ad exercendum (quia officium tortoris non eſt officium, quod pertineat ad ſtatum regularem, & ſit ſecundum regulam, ſed eſt officium lictoris vulgo Birri). Vnde ſi non poſſet vti laicis, careret neceſſarijs miniſtris ad exercendam iuſtitiam.

7 Nec dici poteſt quòd tale officium ſit ſecùndum regulam, quia eſt ſecundum regulam punire delinquentes, atque adeo etiam ea omnia, quæ requiruntur ad punitionem. Quia non ſequitur, quòd cum punitio ſit ſecùndum regulam, debeant etiam eſſe ſecùndum regulam omnia officia, quæ exercenda ſunt in ordine ad punitionem; nam etiam captura eſt ordinata, & neceſſaria ad punitionem, & tamen non debet fieri per ipſos Religioſos; quia non eſt officium concernens ſtatum ipſorum. Hoc ipſum aut contingit etiam in tortura, quæ non eſt officium ſpectans ad ſtatum Religioſum, imò valde indecens.

8 Accedit etiam, quòd, vt plurimum, Religioſi non ſunt periti in arte torquendi: & proinde quando neceſſaria eſſent tormenta grauiora, qualia ſolent adhiberi in curijs ſæcularium iudicum, & etiam Eccleſiaſticorum, ita exigente debiti grauitate, non poſſent aſſumi ad huiuſmodi miniſterium.

An dum aliqui tanquam ſocij eunt ad aggrediendum cum principali, ſi quis ex ipſis occidatur ab ijs, quos aggreſſi ſunt, cœteri ex aggreſſoribus contrahant irregularitatem.

Deciſio CCCCXX.

SVMMARIVM.

1 *Si quis ex ſocijs aggreſſoris occidatur ab aggreſſis, cæteri aggreſſores contrahunt irregularitatem, ſecundum aliquos.*
2 *Non contrahunt.*
3 *Irregularitas ex homicidio afficit tantùm occidentem vel phyſicè, vel moraliter.*
4 *Socij aggreſſoris nullo modo ſunt cauſa mortis illatæ alicui ex ipſis ab aggreſſo.*
5 *Nec etiam cauſa indirecta.*

Digitized by Google

1 DE caſu iſto nihil dicunt Doctores, quamuis paſſim ſoleat contingere. Ideo aliqui Recentiores conſulti affirmatiuam ſententiam tenuerunt; quia niſi ſocij irent cum principali ad aggrediendum, neq; etiam iret principalis: atque adeo non eſſent cauſa illius homicidij; dum autem eunt, ſunt cauſa: atq; adeo contrahunt irregularitatem.

2 Alij tamen Recentiores conſulti negatiuam ſententiam tenuerunt, quam ſanè non ſolùm probabiliorem exiſtimo, ſed etiam certam.

3 Ratio, quæ me, & hos recentiores mouit, eſt, Quia irregularitas ex homicidio afficie tantùm occidentem vel phyſicè, vel ſaltem moraliter; quia autem occidens ſe habet in genere cauſæ efficientis, ideo qui non eſt cauſa efficiens homicidij, non afficitur irregularitate. In caſu autem noſtro, qui comitantur aggreſſorem, non ſunt vllo pacto cauſa efficiens homicidij; quia non ſunt cauſa directa: cum tale homicidium ſit contra ipſorum intentionem; nec etiam cauſa indirecta: cum non faciant aliquid, ex quo tanquam ex cauſa ſequatur occiſio: quia tantùm aggrediuntur; aggreſſio autem non eſt cauſa occiſionis aggredientium.

4 Deinde. Non ſunt cauſa phyſica; quia non efficiunt illud homicidium, neque etiam cauſant aliquem effectum phyſicum, ex quo, tanquam ex cauſa, ſequatur illa occiſio, vt per ſe patet: quibus ſolis modis poſſunt eſſe cauſa phyſica. Neque ſunt cauſa moralis; quia neq. mandant, neque conſulunt, aut ſuadent aut aliquo modo mouent ad occidẽdum: neq. ratũ habent huiuſmodi homicidium: neq. in ipſum cõſentiũt aliquid comittendo, ex cuius omiſſione ſequatur; vnde nulla cõcurrũt ex ijs, quibus ſolet contrahi irregularitas, & quę faciũt, vt aliquo modo quis ſit cauſa homicidij.

5 Dices. Concurrere ad illud homicidium, quatenus aggrediuntur; nam aggrediendo faciunt, vt aggreſſi ſe defendant, & defendendo occidant; vnde ſaltem ſunt cauſa indirecta illius homicidij; ſufficit autem, vt quis contrahat irregularitatem, vt ſit cauſa indirecta homicidij, cum dat operam rei illicitæ. Sed ex hoc non ſequitur quòd ſint cauſa, etiam indirecta, in genere efficientis; quia aggreſſio non mouet efficienter ad defenſionem, ſed tantùm obiectiuè: quatenus eſt quoddam obiectum malum, quod vt malum mouet ad repellendũ; vnde neque directè, neque indirectè eſt effectiuum defenſionis. Vt autem cõtrahatur irregularitas, debet cauſari homicidium aliquo modo in genere efficientis. Et per hæc ſolutum manet etiam fundamentum oppoſitæ ſententiæ.

An qui baptizando cauſat mortem baptizandi, aut ipſam accelerat, ſit irregularis.

Deciſio CCCCXXI.

SVMMARIVM.

1 *Baptizatio vix poteſt cauſare, aut accelerare mortem.*
2 *Baptizans ſi cauſet, aut acceleret mortem, non fit irregularis.*
3 *Cur non fiat irregularis.*
4 *Irregularitatẽ non contrahit qui ſatisfacit præcepto, ſi inde ſequatur mors.*
5 *Baptizans etiam ſi putet ſe peccare in baptizando. quia poteſt ſequi mors, non fit irregularis ſi ſequatur.*
6 *Etiam ſi mors præuideatur ſequutura, ſi ſit præter intentionem, non contrahitur irregularitas.*

1 QVamuis vix contingere poſſit, quòd actus baptizandi cauſet, aut acceleret mortem: quia ablutio poteſt leuiter fieri cum aqua tepida, ita vt aut nullum, aut ſaltem leue nocumentum afferat: ſi tamen contingat caſus, aut ex aliquo extraordinario accidenti in baptiſmo occurrente contingat mors, dubitatur an baptizans contrahat irregularitatem.

2 Reſp. negatiuè cum Scoto *in 4. diſt. 5. quæſt. 3. §. Reſpondeo, non eſt.* Gabr. *diſt. 4. quæſt. 2. art. 3. dub. 3. §. ſed hic quæritur* Zambran. *in deciſ. caſuum occur. temp. mor. cap. 1. de Baptiſ. dub. 12. num. 16.* Diana *par. 5. tract. 3. de caſib. occurrent. tempore mor. Reſol. 8. in fine.*

3 Ratio eſt, quia non interuenit intentio occidendi: & mors ſeu accelaratio eſt per accidens reſpectu illius actionis, quæ eſt bona, & ordinata ad ſalutem baptizandi; vnde ſi adhibeatur debita diligentia, nulla interuenit culpa, atque adeo nec irregularitas.

4 Adde etiam, quòd baptizatio eſt actio debita ex præcepto charitatis; quando autem quis facit id, ad quod obligatur, non contrahit irregularitatem, etiam ſi inde ſequatur mors. ex Cap. *Cum homo.* 23. *quæſ.* 5. & ibi aſſignatur ratio: *Quia hæc cum accidunt, debemus eis humanum dolorem, non propter illa, ne accidant, rectè factorum reprimere voluntatem.*

5 Atque citati auctores volunt hoc habere locum etiam in illo caſu, in quo quis per conſcientiam erroneam putat ſe peccare baptizando in tali caſu; quia in re non eſt homicida, ſed tantùm ex conſcientia erronea; irregularitas autem non ponitur à iure delicto ſecùndum

Digitized by Google

cūdum conſcientiam erroneam, ſed delicto in re. Addunt tamen, quòd ſicut exiſtimat ſe peccare, ita debet ſe exiſtimare irregularem; quia debet conſequenter procedere; ſi tamen deponat conſcientiam erroneam, non indigebit diſpenſatione: quia reuera nunquam fuit irregularis.

6 Dices. Si præuideatur mors ſequutura ex baptiſmo, tunc ſi miniſtretur baptiſmus, mors erit voluntaria in cauſa, atque adeo volita. Ergo interueniet homicidium voluntarium, quod ſecum trahet irregularitatem. Reſpond. Quòd etiam ſi præuideatur, adhuc tamen eſt præter intentionem baptizantis, qui proinde adhibet totam diligentiam, ne mors ſequatur; nec actio baptizandi ordinatur ad mortem, ſed ad ſalutem ſpiritualem. Vnde non poteſt dici quòd talis mors ſit voluntaria baptizanti: quia nullo modo intenditur; nec etiam poteſt ipſi imputari, eoquòd non abſtineat ab aliquo, à quo debeat abſtinere; quia non eſt abſtinendum ab ijs, quæ ſunt de obligatione, quando præuidetur aliquod damnum inde ſecuturum. Vnde in Cap. *Cum homo* allato *Non debemus propter illa ne accidant rectè factorum reprimere voluntatem*. Er ideo cum nulla culpa interueniat, neque etiam contrahitur irregularitas.

An ſi ſacerdos in Miſſa ordinationis audiat verba conſecrationis eſſe ab alio completa, antequam ipſe compleat, debeat ipſe non vlterius progredi, an verò debeat complere.

Deciſio CCCCXXII.

SVMMARIVM.

1 *Quid in hoc caſu tradat* P. Diana.
2 *Eccleſia non intendit, quòd ſi quis ex ordinatis in Miſſa ordinationis audiat verba ab alio priùs completa, non proſequatur vlteriùs.*
3 *Eccleſia non poteſt velle quòd talis mutet in illo caſu intentionem.*
4 *Alioquin poſſet Epiſcopus ex intentione Eccleſia non conſecrare.*
5 *Audiens conſecrationem ab alio completam non tenetur non progredi.*
6 *Imò ſub mortali tenetur ipſe quoque complere.*
7 *Quia non minùs obligatur ad complendam conſecrationem, quàm ſi ſolus celebraret.*
8 *Actio conſecratiua requirit ſuam integritatem nedum ob effectum, ſed etiam vt ſit ſecùndum inſtitutionem Chriſti.*
9 *In Miſſa ordinationis Epiſcopus eſt principalis conſecrans, ordinati vt acceſſorij, & ſubordinati.*
10 *Faciunt omnes vnicam cauſam conſecratiuam, in qua Epiſcopus ſe habet vt forma.*
11 *Significationi verborum Epiſcopi eſt alligata ſignificatio verborum aliorum.*
12 *Quomodo verba aliorum ſiue paulò ante, ſiue paulò poſt completa cauſent effectum.*

1 PRo reſolutione huius caſus P. Diana *par. 5. tract. 14. reſol. 82.* tradit quod habetur in quibuſdam theſibus propoſitis in Collegio Romano Societatis Ieſu. Cuius ſumma eſt. Quòd omnes ſacerdotes, qui ordinantur, debent habere intentionem conſecrandi; quod quidem verum eſt ex inſtitutione Eccleſiæ. Secundò: quòd effectus conſecrationis non ſuſpenditur, donec omnes finierint verba proferre: eo quod ſit talis intentio conſecrantium; quia non eſt in poteſtate miniſtri ſuſpendere effectus ſacramentorum. Tertiò: non proferri verba ſacrilegè, eo quod ſit iam facta conſecratio ab alijs, qui priùs verba compleuerunt: quia vnuſquiſque habet veriſimilitudinem pronunciandi formam cum effectu conſecrationis. Et denique: Si quis audiat verba eſſe ab alio priùs completa, quàm ipſe compleat, ſpeculatiuè teneri non proſequi vlterius formam conſecrationis, ſaltem cum intentione conſecrandi: practicè verò tutius eſſe complere verba cum intentione faciendi id, quod tunc intendit Eccleſia.

2 Hoc vltimum mihi non poteſt placere. Quia Eccleſia præcipit quòd omnes proferant verba conſecrationis, non recitatiuè, ſed ſignificatiuè: atque adeo, quòd habeant intentionem conſecrandi; vnde monet quòd curent proferre ſimul cum Epiſcopo. Stante autem hac intentione Eccleſiæ, & præcepto, non poteſt Eccleſia habere intentionem quòd qui non complet ſimul cum alijs, non debeat vlteriùs proſequi; nam dum monet quòd ſimul proferantur, moneret etiam quòd quando ab alijs audiuntur completa, ſiſteretur, nec compleretur forma. Vnde intentio Eccleſiæ eſt quòd ſemper à quolibet forma conſecrationis compleatur.

3 Rurſus. Intentio quoque ipſius eſt quòd omnia cum eadem intentione compleantur; quia ſi vellet mutari intentionem, quando iam ab alijs ſunt completa, cum hoc ſit magni momenti, admoneret: ſicut monet in reliquis. Deinde. Non poteſt velle hanc mutationem intentionis; quia non poteſt velle quòd proferantur ſupra debitam materiam nomine Chriſti à miniſtro Chiſti, & non vt conſecratiua;

tiua; quia eo ipſo, quòd proferuntur nomine Chriſti à miniſtro ipſius, proferunrur vt ſignificariua; quia proferuutur ſacerdotalı modo, & ſecùndum poteſtatem, quæ eſt à Chriſto. Tunc autem quilibet ordinatus in illa actione ſe gerit vt repræſentans Chriſtum, & exercet poteſtatem nouiter acceptam. Vnde non poteſt Eccleſia velle quòd aliquis, cum in tota illa actioue repræſentet Chriſtum, nou proferar verba omnia nomine Chriſti, quæ iam nomine ipſius cœpit proferre. Hoc autem veller, ſi vellet mutari intentiouem.

4 Et abſurditas magis patet in Epiſcopo ordinante; quia ipſe quoque (cum ſit eadem ratio) deberet mutare intentionem, ſi audiret ſe ab aliquo præueniri in proſerendis verbis conſecrationis; vnde iu tali caſu ipſe ex intentione Eccleſiæ non conſecraret.

5 Ex quo fit, quòd quando quis audit verba conſecrationis ab alio compleri, priùs quàm ipſe compleat, non poſſit ſpeculatiuè teneri non progredi vlterius; quia non poteſt ſpeculatiuè obligari ad id, quod eſt contratium intentioni Eccleſiæ; quia cum intentio Eccleſiæ ſit ſecùndum rectam rationem, & ſit etiam intentio Chriſti: non poteſt adeſſe dictamen rectum de obligarione ad oppoſitum.

6 Addo etiam, quòd peccaret mortaliter, ſi non proſequeretur omnia verba; quia faceret iniuriam Chtiſto; nam proferret illa verba nomine Chriſti, & vt miniſter repræſentaus ipſum Chriſtum, & non cum ea intentione, cum qua vult omnia Chriſtus proferri, quando nomine ſuo proferruntur.

7 Præterea. Non minùs obligantur ſinguli ordinandi, quàm quilibet ſe ſolo celebrans; & quilibet de ſe debet præſtare totum quod eſt neceſſarium, vt fiat couſecratio, ſicut ſi ſolus celebraret. Ergo tenetur ſub peccato mortali complere verba cum eadem iutentione: alioquin non ſatisfaceret propriæ obligationi. Sic quando plures in choro cantant officium, etiam ſi aliquis priùs cęteris compleat verſiculum, tenentur cœteri quoque complere; & ſi pluries & pluries non complerent, ita vt omitteretur materia notabilis, qui omitterent non ſatisfacerent obligationi recitandi officium.

8 Accedit, Quòd actio conſecratiua nedum requirit ſuam integritatem, vt ponat effectum, nempe corpus, & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus: ſed etiam, vt ſit talis actio, qualis eſt inſtituta à Chriſto; & ideo qui inciperet, & nou compleret actionem conſecratiuam, nedum peccaret qnia ſacramentum fruſtraretur ſuo effectu: ſed etiam qnia faceret contra inſtiturionem Chriſti præſcribentis integritatem formæ. Ex quo fit, quòd licet in caſu noſtro ſacramentum non fruſtraretur ſuo effectu, quia poneretur ab alijs: ipſe tamen faceret contra inſtitutionem Chriſti, non perficiendo actionem couſecratiuam.

9 Vt autem tradita doctrina meliùs teneatur, Sciendum eſt quòd Epiſcopus ordinans eſt principalis conſectans: cęteri autem ſunt adiuncti, & acceſſorij. Ex quò fit quòd tanquam ipſi ſubordinati debeant ſequi motum eiuſdem; & quòd etiam actio conſecratiua vniuſcuiuſque ex intentione Eccleſiæ, quæ ipſos Epiſcopo adiungit, ſit ſubordinata actioni couſecratiuæ Epiſcopi: & proinde habeat ponere effectum cum dependentia ab actione couſecratiua Epiſcopi.

10 Ratione autem huius ſubordinationis, omnes illi conſecrantes, quamuis ſinguli ſeorſim ſint ſufficientes ad conſecrandum, conſtituunt vnam adæquatam cauſam conſecratiuam. Sicut enim ſunt cauſa moralis conſecrationis, ita etiam vniuntur in vnicam cauſam moralem; quia habentur per modum vnius, cum ordinentur omnes ad eamdem materiam conſecrandam, & ad eumdem effectum conſecrationis. In hac autem cauſa Epiſcopus, ſeu principalis conſecrans ſe habet veluti forma dans vnitatem, & motum: quia cœteri omnes ipſi adiunguntur vt acceſſorij.

11 Ex hoc autem fit, quòd ex inſtitutione Eccleſiæ ſignificatio formæ conſecrationis, quæ eſt vis operatiua, ſeu potiùs ipſa operatio quę eſt ab acceſſorijs, ſit adiuncta ſignificationi verborum principalis conſecrantis, & velutì ipſi alligata; vnde ducitur ab ipſa ad cauſandum; & ideo ponit effectum vt coniuncta ſignificationi principalis conſecrantis, & vt ſequens motum ipſius.

12 Et ideo ſiue verba paulò ante compleantur, quàm compleantur à principali conſecrante, ſiue paulò poſt, cenſentur eſſe moraliter ſimul, & conſtituere vnicam cauſam illius effectus, determinatam morali modo in ipſo principali conſecranre; & conſequenter quilibet moraliter concurrit ad effectum conſecrationis; quia ſignificatio verborum cuiuſlibet eſt vnita moraliter, & ſimul ſignificationi verborum principalis conſecrantis, ſiue in eſſe completo paulò ante præcedat, ſiue paulò poſt ſubſequatur; quia hoc paruum diſcrimen non tollit ſimultarem moralem. Corpus autem, & Sanguis Chriſti ponitur ſub ſpeciebus, quando primò completur ſignificatio verborum principalis conſecrantis, tanquam ea, cui omnes aliæ ſubduntur.

Au,

An ordinatus Sacerdos in Miſſa ordinationis debeat habere intentionem non conſecrandi, ſi compleat verba conſecrationis antequam cōpleantur ab Epiſcopo ordinante.

Deciſio CCCCXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Quam intentionem debeat habere ordinatus Sacerdos circa conſecrationem in Miſſa ordinationis, ſecundum Suarez.*
2 *Eccleſia intendit quòd ordinati intendant conſecrare in Miſſa ordinationis.*
3 *Ordinatus tenetur habere intentionem conſecrãdi ſimul cum Epiſcopo.*
4 *Non tamen conſecrat ſine Epiſcopo etiam ſi paulò ante ipſum compleat verba.*

1 SVarez 3.*par.tom.4.diſp.61. De Eucbariſ.ſect.3.in fine* cum Victoria ait Ordinatos Sacerdotes in Miſſa ordinationis debere habere intentionem vel conditionatam, nempe conſecrandi ſi ſimul cum Epiſcopo proferant verba: vel intentionem diſiunctam, nempe vel conſecrandi ſimul cum Epiſcopo ſi poſſunt, vel ſi non poſſunt, non conſecrãdi, ſed tantùm materialiter proferendi verba.

2 Sed ex dictis Deciſ. *præcedenti* conſtat, hoc non poſſe ſtare; Quia Eccleſia abſolutè vult quòd ordinati intendant conſecrare: alioquin non admoneret quòd curarent proferre verba ſimul cum Epiſcopo. Non licet autem Sacerdoti ordinato habere intentionem diſcrepantem ab intentione Eccleſiæ. Et ſi vellet quòd haberent huiuſmodi intentionem vel conditionatam vel diſiunctam, de hoc admoneret, cum ſit res magni momenti: ſicut admonet de cęteris.

3 Itaque tenetur ſub mortali ordinatus Sacerdos habere abſolutam intentionem conſecrandi ſimul cum Epiſcopo. Quia tenetur ſub mortali ſe conformare cum intentione Eccleſiæ. Eccleſia autem, ſicut eos deputat vt conſecrent ſimul cum Epiſcopo, ita etiam vult vt habeant intentionem conſecrandi ſimul cum ipſo.

4 Vnde non ſequitur inconueniens, quod inferebat Suarez; Quia etiam ſi aliquis ordinatus paulò ante compleat verba conſecrationis, quàm finiantur ab Epiſcopo, non tamen conſecrat ante Epiſcopum, ſed ſimul cum ipſo, quia verba ipſius & materialiter ſunt moraliter ſimul cum verbis Epiſcopi, & etiam formaliter, nempe ex intentione, qua determinantur, vt eorumdem ſignificatio ſit ſimul cum ſignificatione verborum Epiſcopi, & ipſi ſubordinetur.

An hoſpites apud nos Clericos Regulares gaudeant priuilegio Canonis *Si quis ſuadente Diabolo &c.*

Deciſio CCCCXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Quinam ſint hoſpites apud Clericos Regulares.*
2 *Hi hoſpites non gaudent priuilegio Canonis Si quis ſuadente &c.*
3 *Qui non eſt Deo dicatus, non poteſt, venire appellatione Clerici, vel Monachi.*
4 *Hoſpites Clericorum Regularium nondum ſunt Deo dicati.*
5 *Et ſi inſeruiant Eccleſiæ, & ſint ſub obedientia; quia hæc non præſtant ratione ſtatus.*

1 ANtequam aliquis admittatur ad habitum Religionis apud nos Clericos Regulares, & ad annum probationis, manet apud nos per aliquod tempus deferens quidē conſuetum habitum Religionis, nondum tamen verè ad ipſum admiſſus: & proinde vocatur hoſpes; & qui acceptantur vt Clerici hoc modo viuunt apud nos per quattuor menſes: vt experiantur modum viuendi regularem; vnde viuunt ſub diſciplina magiſtri nouitiorum; qui verò acceptantur vt Conuerſi, ſic manent per annos quinque. Difficultas ergo eſt, an gaudeant priuilegio Canonis.

2 Reſp. non gaudere. Vnde ſi quis in eos ſuadente Diabolo manus violentas imponat, peccabit quidem, ſed non incurret excommunicationem; quia priuilegium nullo modo poteſt ad ipſos extendi, quamuis amplè ſumatur.

3 Conceditur enim priuilegium Clericis, & Monachis: huiuſmodi autem hoſpites, niſi aliàs Clerici ſint, non veniunt appellatione Clerici, aut Monachi. Clericus enim, & Monachus quantumuis amplè ſumatur, non poteſt ſaluari, niſi perſona ſit aliquo modo Deo dicata. Clerici enim Deo dicantur dum ſumūt habitum Clericalem, ſicuti etiam Monachi; iuxta Cap. *Quiſquis*. 17. *quæſt*. 4. & Cap. *Duo ſunt*. 12. *quæſt*. 1. Et militat ratio, in qua fundatur Canon; quia eſt factum in fauorem perſonarum Eccleſiaſticarum, hæ autem ſunt Deo dicatæ.

4 At hi hoſpites non ſunt Deo dicati, quia adhuc

adhuc laici : & ſolum habent externum habitum Religionis: & proinde vocantur hoſpites, ad ſignificandum nondum eſſe admiſſos ad formalem habitum Religionis ; & eodem pactoſe habeat, ac ſi quilibet laicus veſtiret veſtes, quibus vtuntur Religioſi.

5 Dices. Eſſe Deo dicatos; quia ſunt acceptati ad Religionem, & inſeruiunt Eccleſiæ ſub obedientia Prælati. Reſp. acceptationem non facere quòd gaudeant priuilegio: vt conſtat quando nondum aſſumpſerunt habitum. Quod autem viuant vita regulari, & inſeruiant Eccleſiæ ſub obedientia Prelati, ſicùt non facit, quod ſint Religioſi, quia nondum ſunt admiſſi ad habitum Religionis : ita nec etiam quòd ſint Deo dicati ; Quia eſſe Deo dicatum dicit inſeruire Deo, & Eccleſiæ in aliquo ſtatu ex natura ſua ad hoc ordinato : ipſi autem inſeruiunt ſicut quilibet laicus, qui abſque electione ſtatus id faceret. Vnde nec ſunt in via ad Religionem ſicut ſunt nouitij ; quia nondum ſunt ingreſſi annum probationis, qui ducit ad Religionem, ratione cuius nouitij ſunt in via.

An ſufficiat conſenſus maiori partis Communitatis ad aliquid ſtatuendum, quando agitur de iure omnium & ſingularum perſonarum.

Deciſio CCCCXXV.

SVMMARIVM.

1 *Non ſufficit conſenſus maioris partis communitatis quando agitur de iure omnium, & ſingulorum.*
2 *Quomodo maior pars repræſentet totam communitatem.*
3 *An communitas poſſit derogare iuri ſingularum perſonarum.*
4 *Quando ſufficiat maior pars cum agitur de iure omnium & ſingularum perſonarum.*
5 *Bonum particulare debet cedere bono communi.*

1 NEgatiuè reſpon. Angel. *conſil. 267.* citans Innocent. *in Rubr. de conſuetud.* & Gloſ. *in l. 2. Ver. ſed Io. C. quæ ſit longa conſuet.* & ſequitur Moditius *in §. Plebis cit. dub. 53. numer. 1.* Volunt enim quòd requiratur omnium conſenſus.

2 Ratio autem eſt. Quia licet maior pars repræſentet totam communitatem, ita vt quod fit ab ipſa, cenſeatur factum à tota communitate. Cap. *Cum in cunctis.* & Cap. *Ex parte tua. De ijs quæ fiunt à maiori par.* Hoc tamen debet intelligi quò ad ea, ad quæ ſe extendit ius communitatis.

3 Ius autem communitatis non ſe extendit ad derogandum iuri ſingularum perſonarum: quia hoc eſt ius particulare proprium cuiuſque, quod non tranſit ſub dominium communitatis, quæ tantùm habet poteſtatem ſuper ea, quæ communia ſunt, ſeu in quibus omnes participant, aut quæ ipſi communitati addicta ſunt. Vnde cit. Cap. *Cum in cunctis*, ſtatuitur vt valeat quod maior pars conſtituit, niſi minor habeat quod rationabiliter opponat; quando autem derogatur iuri ſingulari perſonarum, habet minor pars, quod opponat.

4 Hoc tamen limitari debet, quando non vrget neceſſitas ſic ſtatuendi; quia tunc ſufficit maior pars, vt notant Bal. *in l. 2. circa finem C. quæ ſit longa conſuet.* & *in l. Etiam C. De exec. rei iud.* Bar. *in l. 4. §. Actor. ff. De re iud.* Gloſ. *in l. Aliud §. Refertur. ff. De reg. iur.* Fel. in Cap. *Cum dilecta De reſcriptis*, & plures alij ; & habetur ex cap. 1. & *fin. De ijs quæ fiunt à maiori par.*

5 Quando enim concurrunt bonum commune, & particulare; debet cedere particulare communi; quando autem ſtatutum eſt neceſſarium, quia non poteſt eſſe neceſſarium niſi exigente bono publico communitatis, concurrit bonum commune cum particulari, ſeu ius communitatis cum iure particulari, & ideo debet ius particulare cedere neceſſitati communitatis.

An quando requiritur conſenſus omnium, & ſingulorum de communitate, ſufficiat conſenſus omnium, & ſingulorum ex ijs, qui repræſentant communitatem.

Deciſio CCCCXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Quando requiritur conſenſus ſingulorum, ſufficit conſenſus ſingulorum repræſentantium communitatem.*
2 *Particula omnis reſtringitur ad idoneos.*
3 *Non omnes de communitate ſunt idonei vt exerceant iuriſdictionem.*
4 *Qui ſunt idonei, & non repræſentant communitatem à iure non computantur.*
5 *Omnes idoneos de communitate impoſſibile eſt conuenire in eandem ſententiam.*
6 *Si idonei à non idoneis eſſent omnes diſcendendi cauſarentur tumultus.*

1 Reſp.

1 RESp. ſufficere, ita vt non requiratur conſenſus cęterorum, qui non repræſentant communitatem.

2 Deſumitur ex l. *Vt gradatim* §. 1. *ff. De muner. & honor.* Gloſ. *Inſtit. De verbor. oblig.* §. *Sed hac ſolemnia, & in l. Qui certò De condit. indeb.* Bal. *in l. 1. C. De Fid. inſtruƐ.* & *in l. Cum virum C. De fideicomm.* & *in l. Procuratore C. mandati,* & *in Rubr. C. Qui accenſare non poſſint, prope finem* Alexand. *in l. 1. §. Nunciatio De ope. no. nun.* Salic. *in l. 2. C. De noua.* quatenus docent, quòd particula *Omnis* reſtringitur tantùm ad idoneos; ſi quidem vbi non eſt idoneitas, neque eſt capacitas, vt appellentur per particulam *Omnis*, cum non habeant id, quod eſt cauſa, vt cœteri appellentur.

3 At non omnes, qui ſunt in communitate, ſunt idonei, vt exerceant iuriſdictionem, & poteſtatem communitatis: vt patet de mulieribus, pueris, & ijs, qui non habent tantam capacitatem, vt poſſint percipere quod iuſtum, & æquum eſt; & ideo non requiritur eorumdem conſenſus.

4 Neque obſtat, quòd aliqui, qui ſunt in communitate, & non repræſentant communitatem, ſint idonei, quia cum difficilè ſit eos à non idoneis diſcernere, & conuocare, à iure non computantur, cum ſecùndum ipſum tota adminiſtratio communitatis ſit translata in eos, qui pro ipſa deputantur.

5 Deinde. Si omnium, qui ſunt idonei, conſenſus requireretur, nunquam aliquid poſſet decerni; quia impoſſibile eſſet quòd omnes conuenirent in eamdem ſententiam. quod vergeret in maximum damnum communitatis

6 Præterea; quia opus eſſet diſcernere non idoneos ab idoneis, cauſarentur tumultus; quia quilibet contenderet ſe idoneum eſſe; quod quàm incommodum eſſet communitati per ſe patet.

An quando ſacerdos accipit ſtipendium pro celebranda Miſſa in altari priuilegiato pro defunctis, ſatisfaciat obligationi celebrando in alio altari, & applicando Indulgentiam Plenariam, quã aſſequitur in virtute coronæ, vel medaliæ benedictæ.

Deciſio CCCCXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Non poſſe Miſſam altaris priuilegiati commutari cum Miſſa & alia Indulgentia Plenaria.*

2 *Per hanc commutationem non defraudatur aliquid petenti Miſſam &c.*

3 *Indulgentia Plenaria annexa coronæ non eſt minoris efficacia, quàm annexa altari.*

4 *Nec etiam minùs certa.*

5 *Obligatus ad Miſſam in altari priuilegiato ſatisfacit ſi celebret cum corona benedicta, & applicet Indulgentiam per modum ſuffragij.*

6 *Quid petatur, dum petitur Miſſa in altari priuilegiato.*

7 *Celebrans, & applicans Indulgentiam coronæ &c. pro Miſſa in altari priuilegiato non violat fidem, etiam ſi promiſerit in altari priuilegiato.*

1 NEgatiuè reſpondet Bonacina *tom. 1. diſp. 4. de Euchar. quæſ. vlt. punƐ. 7. §. 4. num. 5. in fine.* Homobonus *traƐ. 4. de Exam. Eccleſ. cap. 13. quæſ. 123.* Gauantus *in Rubr. Miſſalis tit. 12. num. 5.* Diana *par. 1. traƐ. 14. reſol. 29.* Quia hic fidem violat cum detrimento alterius, quia magis prodeſt Miſſa celebrata in altari priuilegiato, quàm breuis oratio priuilegio calculi, quo putat è pœnis purgatorij animam eripere.

2 At libenter intelligerem, in quo conſiſtat hæc defraudatio. Qui enim petit Miſſam in altari priuilegiato pro defuncto, duo petit: & ſacrificium, & obtentionem Indulgentiæ Plenariæ per modum ſuffragij pro tali anima; & petit hæc duo vt media ad obtinendam liberationem illius animæ è pęnis purgatorij. Hęc autem duo præſtat ſacerdos; nam celebrat pro illa anima, & illi applicat Indulgentiam Plenariam per modum ſuffragij; vnde & habentur eadem media, & idem finis.

3 Nec poteſt dici quòd illa Indulgentia ſit minoris efficaciæ: quia eſt ſimiliter Plenaria per modum ſuffragij; conceſſa in virtute eiuſdem poteſtatis, nempe illius, quam habet Vicarius Chriſti, & in virtute eorumdem meritorum Chriſti ſumpta de theſauro eodem Eccleſiæ.

4 Nec item dici poteſt quòd ſit minùs certa; quia tunc Indulgentia eſt omnino certa, quando prouenit à poteſtate certa, qualis eſt illa, quæ eſt in Vicario Chriſti, & diſpenſatur ſecùndum inſtitutionem, & finem, pro quo Chriſtus inſtituit theſaurum Eccleſiæ, qui fuit liberare animas de pœnis purgatorij, & condonare, mediante Indulgentia, pœnas debitas. Vnde ſiue Pontifex concedat hanc Indulgentiam celebranti in tali altari, vel celebranti cum corona benedicta, ſemper interuenit eadem poteſtas diſpenſandi; & diſpenſatio fit ſecùndum finem, & inſtitutionem Chriſti; vnde Indulgentia quoque habet eamdem certitudinem; & materialiter ſe habet altare, vel corona: nec conferunt ad effectum intentum.

5 Itaq;

5 Itaq; tenendum eſt cum Fraxineto *de Oblig. Sacerd. &c. ſect. 4. concluſ. 4. §. 9. num. 2. in Edit. octaua*. Alphonſo de Leone *de Offic. & Poteſt. Confeſſar. tempore Iubilai par. 3. num. 29.* Puteo *de Fructu ſacrif. Miſſa lib. 3. diſp. 3. quaeſ. 2. num. 10.* ſatisfacere obligationi. Quod etiam docent Megal. *in Varijs Reſolut. tom. 2. reſol. 187. num. 20.* Marchinus *tract. 3. de Sacram. Ordin. par. 2. cap. 24. num. 8.* Diana *par. 4. tract. 4. reſol. 40.*

6 Non enim fraudat intentionem petentis Miſſam, quia ſoluit quod ipſe intendit; non enim aliud intendit, dum petit Miſſam in altari priuilegiato, niſi quod illud ſacrificium habeat annexam Indulgentiam liberantem de purgatorio; quia quod celebretur Miſſa in tali altari non eſt intuitu altaris, ſed intuitu Indulgentiæ: vnde altare materialiter ſe habet, nec cadit per ſe ſub intentionem.

7 Hinc neque violat fidem; quia promittens Miſſam in altari priuilegiato, non aliud promittit, quàm Miſſam coniunctam cum Indulgentia Plenaria per modum ſuffragij; nam promittit in altari priuilegiato, quatenus habet priuilegium vt celebratio Miſſæ ſit adiuncta cum diſpenſatione meritorum Chriſti per modum ſuffragij; hoc autem priuilegium eſt etiam annexum coronæ benedictæ, cum qua qui celebrat pro defunctis ex opere operato liberat animam de Purgatorio; vnde exhibet quod promiſerat, ſicut ſi quis petenti aureum, illum promitteret, non violaret fidem ſi non daret illum ipſum, ſed alium eiuſdem valoris, & impreſſionis.

An qui promiſſit Miſſam in tali altari priuilegiato, ſatisfaciat obligationi celebrando in alio altari, & applicando Indulgentiam coronæ &c.

Deciſio CCCCXXVIII.

SVMMARIVM.

1. *Qui promiſit Miſſam in tali Altari determinato non ſatisfacit celebrando in alio cum applicatione indulgentia.*
2. *Hoc verum eſt, ſi Miſſa ſint ordinaria pro ſtatututis diebus.*
3. *Qui ſuſcipit obligationem, ſuſcipit ſecundum menſuram intentionis obligantis.*
4. *Si Miſſa ſint manuales ſatisfacit qui celebrat in alio Altari cum applicatione indulgentiæ.*
5. *Cur petantur Miſſa in determinato Altari priuilegiato.*

1 NEgatiuè reſp. Fraxinet. *De Obligat. Sacer. ad celebrandas Miſſas ex ſect. 4. concluſ. 4. §. 9 nu. 3. in editione octaua*. Quia dum quis determinatè petit in tali Altari habere aliquem ſpecialem finem, nempe vel honorem Altaris, vel commodum populi, vel aliquem alium: & ſequitur Rubeus *lib. 3. De fruct. & applicat. Sacrif. &c. Diſp. 3. quaeſt. 2. num. 10.*

2 Ego autem diſtinguerem. Vel enim loquimur de Miſſis ordinarijs pro aliquo tempore continuo celebrandis, ſiue quotidie, ſiue in certis diebus, & tunc puto Sacerdotem teneri ad celebrandum in præfixo Altari, & aliter non ſatisfacere obligationi, niſi fortè ratione paruitatis materiæ excuſetur; quia nimirum vna vel altera vice ex aliquo notabili cumulo dierum, in quibus tenetur celebrare, in alio altari celebret. Quia tunc conſtat, quod præfigens Miſſam in determinato altari aliquid aliud intendit præter ipſam Miſſam. Quod etiã tenet Diana *par. 4. tract. 4. Reſol. 40.* Marchin. *tract. 3. De Sacram. ordin. par. 2. cap. 24. num. 8. in fine*.

3 Quia autem intendit obligare iuxta menſuram, & exigentiam ſuæ intentionis, ideo qui ſuſcipit obligationem, ſecundum eandem menſuram ſuſcipit: & proinde tenentur correſpondere intentioni obligantis.

4 Si verò loquamur de Miſſis manualibus, quæ in dies ſingulos ſolent exigi, etiam ſi pluries ſimul ab vno aliquo exigantur, in aliquo altari determinato, Sacerdos ſatisfaciet celebrando in alio altari, & applicando Indulgentiam plenariam per modum ſuffragij.

5 Sunt enim huiuſmodi Miſſæ aduentitiæ, & non addictæ cultui alicuius ſpecialis loci, & in tantum exiguntur in tali altari, in quantum dans ſtipendium putat habere maiorem vim ad liberandas animas, ſi celebrentur in illo altari. Quòd ſi perſuaderet ſibi non habere maiorem vim, quàm ſi celebretur in alio altari, etiam non priuilegiato cum applicatione Indulgentię, contenti eſſent quòd celebrarentur in quocunque altari cum applicatione talis Indulgentiæ: ſicut ego experientia doctus ſum, pluries enim contigit aliquos petentes Miſſas in tali altari priuilegiato, contentos fuiſſe quòd in quocunque alio celebrarentur, cum applicatione Indulgentiæ, cum audierunt æqualiter prodeſſe animabus Purgatorij. Vnde habemus interpretatiuam voluntatem, quòd petentes Miſſas in determinato altari priuilegiato contenti ſint Miſſa celebrata in alio altari cum applicatione Indulgentiæ: & ideo Sacerdos ſic celebrans ſatisfaciet obligationi, etiam ſi promiſerit celebrare in tali altari priuilegiato.

An

An Rectores Eccleſiarum poſſint concedere facultatem ſacerdori obligato celebrare in ſua ipſorum Eccleſia, vt alibi celebret.

Deciſio CCCCXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Rectores Eccleſiæ non poſſunt commutare vltimas voluntates circa celebrationem Miſſarum.*
2 *Quando non poteſt celebrari in loco conſtituto, non eſt neceſſaria diſpenſatio.*
3 *Rectores Eccleſiæ poſſunt concedere licentiam alibi celebrandi obligatis celebrare in ipſa.*
4 *Ex quo capite teneatur ſacerdos celebrare in loco conſtituto.*
5 *Inſtituens Miſſam in aliqua Eccleſia, aut altari celebrandam, ita inſtituit, vt ſit ſub diſpoſitione rectoris Eccleſiæ.*
6 *Rectores Eccleſiæ acceptant Miſſas celebrandas in propria Eccleſia ſaluo proprio iure.*
7 *Commodum populi ex celebratione eſt ſub diſpoſitione Rectoris Eccleſiæ.*
8 *Concedens Rector licentiam alibi celebrãdi Cappellano, non immutat vltimã voluntatem &c.*

1 VIdetur negatiuè reſpondendum, quia ij, ad quos pertinet regimen Eccleſiæ, non habent facultatem commutandĩ vltimas voluntates, nec relaxandi obligationes voluntariè aſſumptas; vnde cum quis tenetur celebrare in tali Eccleſia, vel altari ex teſtamento, vel ex aliqua alia inſtitutione, non poſſunt rectores Eccleſiæ relaxare talem obligationem, etiam ſi dum celebrat alibi applicaret ſacrificium.

2 Bonacina *tom. 1. diſp. 4 De Euchar. quæſt. vlt. punc. 7. §. 4. num. 4.* docet, poſſe Epiſcopum ex iuſta cauſa diſpenſare, vt Sacerdos alibi celebret, quando nimirum in loco conſtituto celebrari non poteſt. Verùm ſi in loco conſtituto celebrari non poteſt, nõ video qua diſpenſatione opus ſit, cum ipſa impotentia eximat ſacerdotem ab obligatione, cum nemo ad impoſſibile obligari poſſit.

3 Loquendo igitur de ijs, ad quos pertinet regimen Eccleſiæ, Exiſtimo quòd ex rationabili cauſa poſſint concedere facultatem celebrandi in alio loco, dummodo tamen ſacrificium applicetur, non ſecus ac ſi celebraretur in loco conſtituto.

4 Moueor; quia qui inſtituit, quòd Miſſa celebretur in tali Eccleſia, vel altari duo intendit, nimirum fructum ſacrificij, & cultum Eccleſiæ, ſiue altaris, & commodum populi ſaltẽ multoties, quod percipit ex tali cultu. Ratione autem primi non magis ſacerdos tenetur celebrare in hoc, quam in illo loco, cum ſemper idem ſit fructus ſacrificij: vnde tenetur ſolùm ratione poſterioris.

5 Quia autem hic cultus eſt in ordine ad honorem, & ſeruitium Eccleſiæ, quæ à ſuis rectoribus regitur, qui etiam diſponunt de cultu, & ſeruitio eiuſdem Eccleſiæ (cum hoc pertineat ad munus ipſorum) ideo quando teſtator, aut quiuis alius, qui inſtituit talẽ cultũ conſequentem ex celebratione Miſſæ, cenſetur inſtituere, vt velit eſſe ſub diſpoſitione illius, ad quem pertinet diſponere, & ordinare cultum Eccleſiæ; quia non debet præſumi, quòd velit diſponere, & ordinare cultum in aliena Eccleſia independenter ab ijs, ad quos pertinet de iure diſpoſitio; hoc enim eſſet ſibi vſurpare alienum ius.

6 Rurſus. Quando Rectores Eccleſię acceptant in propria ipſorum Eccleſia huiuſmodi cultum cenſentur acceptare ſaluo iure ipſorum de diſponendo, & ordinando tali cultu: quia non præſumitur quis velle ſe priuare proprio iure, niſi de tali priuatione conſtet. Hinc, vt habentes talẽ cultum ſub propria diſpoſitione, poſſunt ex rationabili cauſa concedere licentiã Sacerdoribus obligatis ad celebrandum, celebrandi in alio loco.

7 Nec obſtat, quòd populus priuetur tali commodo; quia cum commodum huiuſmodi ſit quid acceſſoriũ cultui diuino exhibito per celebrationem Miſſæ, eo ipſo quòd cultus eſt vt principale ſub diſpoſitione Rectoris Eccleſiæ, eſt etiam acceſſorium, nempe commodum.

8 Neque Eccleſiæ Rector commutat vltimas voluntates, aut relaxat obligationem aliquam, ſed diſponit de modo celebrandi iuxta interpretatiuam voluntatem teſtatoris, aut illius, qui impoſuit obligationem: vt iam conſtat ex dictis.

Ad quemnam ſpectet determinare diem, atq; horam celebrandi quando Sacerdos tenetur celebrare, ſed non quotidie, in Eccleſia, quæ non ſit ſui iuris.

Deciſio CCCCXXX.

SVMMARIVM.

1 *Ad Rectorem Eccleſiæ pertinet determinare Cappellano diem, & horam celebrandi, quan-*

do non determinatur ab inſtitutore.

2 *Inſtitutor non determinans diem, & horam celebrandi relinquit diſpoſitioni Rectoris Eccleſiæ.*

3 *Cappellanus tenetur inſeruire Eccleſiæ, nō autem debet ſibi vſurpare ius in ipſa.*

1 Contingit inſtitui ab aliquo duas, vel plures miſſas in hebdomada in aliqua Eccleſia ab aliquo Cappellano eligendo, abſque eo, quòd determinētur dies hebdomadæ. Dubium ergo eſt, an Cappellanus poſſit celebrare quo die voluerit, & qua hora: an verò pertineat ad Rectorem Eccleſiæ determinare diē, & horam. Cui difficultati reſp. Pertinere ad Rectorem Eccleſiæ determinare diem, & horam, & Cappellanū teneri ſequi talem determinationem.

2 Ratio eſt, quia Cappellanus tenetur adimplere totam obligationem, quam ſuſcipit, atque adeo totam intentionem, quam habuit inſtitutor Miſſarū. Inſtitutor autem voluit, quod Miſſæ celebrentur in tali Eccleſia, vel altari ob cultum illius, atque adeo pro ſeruitio Eccleſiæ; vnde reliquit diſpoſitionem diei, & horæ Rectori Eccleſiæ, tanquam illi ad quem ſpectat moderari ſeruitium Eccleſiæ: alioquin non voluiſſet ſeruitium Eccleſiæ; quia ſi hora, & die incompetenti celebraretur, nullum Eccleſia ſentiret commodum, aut ſeruitium. Deinde non potuit aliter diſponere: quia non potuit ſibi vſurpare ius de diſponendo cultu Eccleſiæ: quod feciſſet, ſi determinaſſet.

3 Deinde Cappellanus ſuſcipiens huiuſmodi obligationem, non acquirit ius circa ea, quæ pertinent ad Eccleſiam, in qua eſt celebranda Miſſa, ſed obligationem inſeruiendi eidem Eccleſiæ: vnde debet, tanquam obligatus inſeruire, ſequi directionem Rectoris Eccleſiæ, non autem vſurpare ſibi ius quò ad ea, quæ pertinent ad cultum Eccleſiæ; quod præſtaret, ſi vellet ſibi determinare diem, & horam celebrandi.

An ſi quis omittat ſupplere cęremonias, & ſolemnitates prætermiſſas in priuato baptiſmo, mortaliter peccet.

Deciſio CCCCXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Qui omittit ſupplere cæremonias omiſſas in priuato baptiſmo non peccat mortaliter ſecūdum aliquos.*

2 *Peccat mortaliter, quia omittit publicam profeſſionem fidei.*

3 *Debet fidelis publicè acceptari ab Eccleſia.*

4 *Conſuetudo declarat eſſe mortale has cæremonias non ſupplere.*

1 Non peccare mortaliter, ſecluſo contemptu, docet Poſſeuin. *cap. 6. de Officio Curati num. 23.* quam doctrinam refert Diana *par. 5. tract. 3. de Caſibus occurrentib. tempore mortis reſolut. 6. in fine.* An autēm approbet non ſe explicat.

2 Sed nullo pacto hæc doctrina ſequenda eſt. Huiuſmodi enim ſolemnitates, & cœremonię faciunt quòd profeſſio fidei, aggregatio inter fideles, & acceptatio intra gremium Eccleſię, quæ fit in priuato baptiſmo priuato modo, euadat publica; vnde eas omittere eſt omittere publicam profeſſionem fidei, & publicam acceptationem intra gremium Eccleſiæ, & aggregationem publicam inter fideles; quæ procul dubio eſt res grauis circa profeſſionem Religionis Chriſtianæ; atque adeo abſq; peccato mortali omitti non poteſt.

3 Præterea. Sicut tenetur quiſque ſub peccato mortali publicè profiteri fidem Catholicam, quam ſuſcepit, ita etiam tenetur ſub peccato mortali præſentare ſe Eccleſiæ: vt publicè acceptetur inter fideles; quia in hoc conſiſtit prima publica profeſſio fidei, ad quam vnuſquiſque tenetur.

4 Atque hæc obligatio ſub mortali oritur non ſolùm ex natura rei, quatenus quod omitteretur eſſet aliquid graue concernens profeſſionem fidei: ſed etiam ex conſuetudine; quæ cum ſit optima legum interpretatrix, declarat hanc obligationem eſſe grauem: cum vnuſquiſque infallibiliter eam ſeruet, exiſtimans omnino ſeruandam eſſe ſub graui culpa.

An, qui ratione metus emiſit profeſſionem inualidam, poſſit reclamare elapſo quinquennio, ſi adhuc poſt profeſſionē emiſſam durauit metus.

Deciſio CCCCXXXII.

SVMMARIVM

1 *Decretum Tridentini circa reclamationem pro nullitate profeſſionis.*

2 *Videtur poſt quinquennium non eſſe locum reclamationi, etiā ſi toto quinquennio duret metus.*

3 *Durante metu non currit quinquennium conceſſum pro reclamatione.*

4 Quando

4 *Quando non poteſt dari præſumptio ratificationis profeſſionis, non currit quinquennium.*

5 *Quando Tridentinum neget audientiam profeſſo reclamanti poſt quinquennium.*

6 *Qui dimittit habitum Religionis prætextu nullitatis profeſſionis, non debet audiri, niſi reaſſumat habitum.*

7 *Durante metu toto quinquennio non adeſt præſumptio iuris de ratificatione profeſſionis.*

8 *Quinquennium conceſſum à Tridentin. incipit, quando ceſſat metus, ob quem fuit inualida profeſſio.*

9 *Quæ declarationes à Sacra Congregat. in hac re emanauerint.*

10 *Regularis prætendens nullitatem profeſſionis non expedit vt maneat in Religione.*

1 TRident. *ſeſſ. 25. cap. 19. de Regul.* concedit profeſſis Regularibus ſpacium quinq; annorum ad reclamandum contra validitatem profeſſionis. Hoc autem quinquennium incipit à die profeſſionis vt ibid. determinat Concilium. Quòd ſi infra dictum ſpacium quis non reclamauerit, præſumitur ratificaſſe profeſſionem alioquin inualidam, nec debet amplius audiri. Difficultas autem eſt, quid ſi per quinquennium præſcriptum duret metus.

2 Et videtur reſpond. non poſſe reclamare; quia Concil. inquit, *Non audiatur niſi intra quinquennium*. Item, *Nullatenus ad allegandam quamcunque cauſam admittatur*; vnde negando audientiam, excludit probationem cuiuſcunq; cauſæ, atque adeo etiam metus durantis. Deinde Concil. tranſacto quinquennio præſumit profeſſionem ratificatam, atq; hęc præſumptio eſt iuris, & de iure: quia Concil. fundatum in hac præſumptione decernit Regularem non eſſe audiendum, ſed debere ſtare profeſſioni. Contra autem præſumptionem iuris non datur probatio: vt cum pluribus docet Maſcar. *de Probat. concluſ.* 1228. *num.* 7. & *concluſ. ſequent. num.* 5. 6. & 7.

3 Tenendum tamen eſt; quod poſſit reclamare elapſo quinquennio, & debere audiri, & admitti eius probationem. Ita tenet Sanchez cum alijs quos citat *lib. 7. de Matrimon. diſp.* 37. *num.* 22. exiſtimans debere reſtitui in integrum aduerſus quinquennij lapſum; pro quo plura affert, & expendit. Sed ego puto non eſſe opus reſtitutione in Integrum, ſed de iure illi competere reclamationem; quia durante metu, ratione cuius fuit inualida profeſſio, non currit quinquenniũ pręſcriptum ad reclamandum: vt notat Rota apud Burat. *deciſ.* 205. *num.* 30. Rodriquez *tom. 3. Quæſt. Regul. quæſ.* 17. *ar.* 16. Zerola *in Praxi par.* 1. *Verbo* Profeſſio §. 1. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 4. *quæſ.* 10. Beia *par.* 4. *caſu* 14. Flamin. *de Reſignat. lib.* 13. *quæſ.* 5. *num.* 45. & *ſequętib.* Spinus in *Speculo Teſt. gloſ.* 12. *princip. num.* 62. Portel. *Verbo* Profeſſio *num.* 42.

4 Ratio autem eſt. Quia Tridentinum concedit quinquennium ad reclamandum: & ſi non reclametur infra dictum tempus, præſumit profeſſionem ratificatam: quia præſupponit, quòd ſpacium quinquennij ſit liberum Regulari ad reclamandum, ſi vult reclamare, & ad oſtendendam inualiditatem ſuæ profeſſionis. Quòd ſi non daretur præſumptio quòd ratificaſſet profeſſionem, non poſſet iuſtè conſtringi, vt remaneret in ſtatu Regulari. Durante autem metu non habet locum talis præſumptio; quia non plus valet ratificatio facta mediante ſilentio, quàm valeat ipſa profeſſio facta ex vi metus; vnde ſicut ſtante metu præſumitur profeſſio ipſa inuoluntaria, ita durante eodem metu debet haberi pro nulla, & inuoluntaria quæcunque ratificatio, quæ ex ſilentio præſumi poteſt.

5 Ad id, quod in contrarium allatum eſt *num.* 2. Sanchez *ſupracit.* plura affert, vt oſtendat quòd illa verba Concilij Tridentini *Non audiatur* non excludunt reſtitutionis beneficium conceſſum à iure, ſed tantùm remedia ordinaria appellationis &c. Mihi autem dicendum videtur, quòd Tridentinum loquatur ſupponendo quòd ſit elapſum quinquennium, in quo potuerit reclamare, & in quo præſumi poſſit ratificata profeſſio per ſilentium; non autem quando non poteſt haberi huiuſmodi præſumptio, vt in caſu noſtro, vt conſtat ex dictis *nu. præcedenti*.

6 Quando autem Concilium ait *Nullatenus ad allegandam quamcunque cauſam admittatur*. non loquitur in caſu noſtro: ſed de eo, qui ante quinquennium ſub prætextu quòd profeſſio fuerit inualida dimittit habitum, & relinquit Religionem; vult enim, quod priùs reaſſumat habitum, & poſtea admittatur ad cauſas nullitatis allegandas; alioquin vult agendum cum ipſo pro vt cum apoſtata: vt etiam notat Sanchez *ſupracit.*

7 Cum autem in eodem *num.* 2. dicitur, quòd contra præſumptionem iuris non admittitur probatio: & quòd præſumptio Concil. Trident. eſt præſumptio iuris. Reſp. eſſe quidem præſumptionem iuris, quandò verè adeſt præſumptio quòd ratificata fuerit profeſſio; & ideo ponit Tridẽtinum hanc præſumptionem vt iuris, & de iure: quia præſumit, quòd in illo quinquennio per ſilentium ſit ratificata profeſſio; vnde quando non poteſt præſumi ratificatio, vt in caſu noſtro, vt conſtat ex dictis, ceſſat etiam præſumptio iuris; nam quando affirmatio eſt cauſa affirmationis, etiam negatio eſt cauſa negationis, inquit Philoſophus.

8 Ex quibus colligitur, Quòd quinquennium conceſſum à Tridentino ad reclamandum pro

inualiditate profeſſionis, debet computari à die, quo ceſſat metus; & ideo ſi merus duret poſt quinquennium, quia durat cauſa ipſius: adhuc concedendum eſt aliud quinquennium poſt metum ceſſatum, in quo poſſit reclamare: aut ſi ceſſat intra quinquennium, tunc debet incipere beneficium quinquennij conceſſum. Ratio eſt, quia beneficium quinquennij conceſſum à Concilio reſpicit capacitarem nulliter profeſſi; vnde tunc cenſetur concedi quando ipſum recipere poteſt; ita vt ſit in poteſtate ipſius vel reclamare, vel ſilentio conualidare profeſſionem ſaltem in foro exteriori, & exhibere præſumptionem ratificationis; durante autem metu non poteſt recipere beneficium iuris: quia ſi metus effecit quòd profiteretur contra ſuam voluntatem, multò magis faciet quòd non reclamet; vnde nec poterit exhibere præſumptionem ratificationis.

9 Neque obſtat quòd dicatur Sacram Congregationem Concil. Triden. interpretum declaraſſe: Non eſſe audiendum eum, qui prætendit toto quinquennio duraſſe vim, aut metum: ſed eſſe conſulendum Summum Pontificem; quia oppoſitum quoque declaraſſe traditur in nouis declarationibus, ex Bibliotheca Bellarmini *in Obſeruationib. doctrina ver.* A die profeſſionis. *ad cap. 19. De regular. ſeſſ. 25. Concil. Trident.* & ita etiam poſtea tenuit Rota Romana in vna Neapolitana *pro Monialibus de Lofredo coram Orano.*

10 Et hoc eſt magis expediens Religionibus; quia Regularis eo deueniens vt prætendat nullam fuiſſe ſuam profeſſionem, quia inuitus intra clauſtra manet, ſemper moleſtias affert Religioni, nec quicquam boni ab ipſo expectari poteſt: & vtilius eſt Religioni quòd dimittatur, ſi poteſt dimitti.

An, qui emiſit votum Religionis, ſatisfaciat aſſumendo habitum Equitum Hieroſolymitanorum.

Deciſio CCCCXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Qui emiſit votum Religionis, non ſatisfacit aſſumendo habitum Equitum Hieroſolymitanorum.*

2 *Oppoſitum tenent alij.*

3 *Et approbatur, quia Equites Hieroſolymitani sũt verè Religioſi.*

4 *Quanam ſit materia voti Religionis.*

5 *Regularis vita ad ſubſtantialem ſtatum Religionis eſt quid acceſſorium.*

6 *Qui vouet Religionem in communi poteſt quamlibet eligere.*

1 NEgatiuè reſpondent Corduba *in ſum. qu.* 148. Sanchez *tom. 1. in Decal. lib. 4. cap. 16. num. 12.* Hieronym. Rodriquez *in Compend. quaeſt. Regul. Reſol. 190. num. 13.* Bartholom. à S. Fauſt. *lib. 1. Theſauri Relig. quaeſt.* 181. Sperel. *deciſ. 21. numer. 61.* quia promittens Religionem intendit promittere ſtatum viuentium in communi alienum à tumultu, faſtu, & curis ſæcularibus.

2 Oppoſitum tamen tenent Arragon. 2. 2. *De Iuſt. & Iure quaeſt.* 88. *art.* 11. Azor. 1. *par. lib. 13. cap. 4. quaeſt.* 4. Sayrus *lib. 6. Clauis Reg. capit. 7. num.* 10. Barboſa *De Appellat. verb. Vtrius. iur. ſignif. Appellat.* 233. *num.* 8. Rodriquez *tom. 2. ſum. cap. 97. num. 8.*

3 Hæc poſterior ſententia mihi præferenda videtur; quia, vt inquiunt citati auctores, Religio Equitum Hieroſolymitanorum eſt vera Religio: quia emittunt tria vota eſſentialia Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, quæ conſtituunt ſubſtantiam Religionis, vt conſtat ex formula profeſſionis ipſorum, quæ habetur in lib. *Stabilimentorum eiuſdem Religionis tit. 2. conſuet. ſeu ſtabilim.* 1. & habetur ex Cap. *Cum & plantare. Extra de priuileg.* & tradunt communiter DD. tam Theologi, quàm Canoniſtæ, præſertim Monera *De Conter. iud. cap. 10. num.* 387. Ceual. *trac. de Cognit. per viam violent. par. 1. quaeſt. 148. num. 19. ver. Qua conclus.* Bobadil. *lib. 2. Polit. cap. 19. num.* 11. Sperel, plurimos alios referens *deciſ. 21. num.* 8.

4 Qui autem vouet Religionem habet pro materia voti ſubſtantiam Religionis, ſeu ſtatum Religioſum, qui conſiſtit in eo, quòd perſona Deo dicetur ſpeciali obligatione aſſumpta per vota; vnde cenſetur adimplere votum ſi aſſumat in ſe ſubſtantiam Religionis; quia adimplet id, quod vouendo per ſe intendebat.

5 Vita autem in communi ſeorſim à tumultu & curis ſæcularibus ſub quibuſdam Regulis, ſe habet vt quid acceſſorium ad ſubſtantialem ſtatum Religionis: & ideo non cadit per ſe ſub materia voti, ſed ſolùm quatenus trahitur à principali.

6 Quia autem, qui vouet Religionem in communi relinquit ſibi liberam electionem huius, vel illius Religionis, idcirco non cenſetur vouere vitam Regularem in communi, niſi ex ſuppoſitione quòd eligat Religionem, quæ illam trahat ſecum vt acceſſorium; quia non eſt materia voti, niſi ex acceſſu ad ſubſtantiam Religionis. quia tamen habet ita vouens plenam libertatem eligendi, non tenetur eligere

Reli-

Digitized by Google

Religionem; quæ trahat ſecum hoc acceſſorium; ſed poteſt eligere Religionem Equitum prædictorum.

An, qui emiſit votum Religionis poſſit acceptare Epiſcopatū antequam adimpleat votum.

Deciſio CCCCXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Emiſſo voto Religionis non poteſt quis acceptare Epiſcopatum, antequam impleat votum.*
2. *Vnde hoc deducitur.*
3 *Probabilius eſt, poſſe acceptare, commutando votum in ſtatum Epiſcopalem.*
4 *Non frangitur votum, quando in melius commutatur.*
5 *Status Epiſcopalis eſt perfectior ſtatu Religioſo.*
6 *Ex natura rei licet compenſare minus cum maiori, quando creditor eſt ipſe Deus.*
7 *Non eſt neceſſe, vt id melius, in quod mutatur, votum, contineat minus bonum.*
8 *Sufficit, ſi ſtatus Epiſcopalis ſecundum ſe præciſè ſit melior, vt poſſit votum Religionis in ipſum cum mutari.*
9 *In votis per ſe perpetuis poteſt fieri commutatio in melius, propria auctoritate.*
10 *Status Epiſcopalis, vt ordinatus ad alios, requirit maiorem perfectionem, quam ſtatus Regularis.*
11 *Secundum ſe eſt expetibilis in ordine ad propriam ſalutem.*
12 *Poteſt eſſe materia voti abſoluti.*
13 *Senſus Cap.* Per tuas. De voto.

1 NEgatiuè reſpondent ferè omnes, qui de hoc agunt, aſſerentes debere priùs ingredi Religionē, & implere votum. Ita Hoſ. in Cap. *Per tuas nu. 2. De voto.* Io. Andr. *ibid. n. 6.* Cardin. *ibid. num. 1. obiect. 4.* Idem Hoſt. *in ſummit. De voto §. Et vtrum à voto. num.* 14. Abulenſ. *quæſt. 94. in cap. 30. Num.* Syluest. *verbo* Religio 2. *quæſt. 20. & verbo* Votum. 3. *in fine.* Angelus *verbo* Votum 2. *num.* 12. Tabiena *verbo* Epiſcopus *quæſt. 7. num.* 3. Armilla *num.* 10. Naldus *verbo* Votum 2. *nu.* 51. *ver. Cur autem* Caiet. 2. 2. *quæſt. vlt. art. 3. dub. 2. circa ſolut.* 1. Maior *in 4. diſtin. 38. quæſt. 6. ad* 4. Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 16. quæſt. 3. & cap. 22. quæſt. vlt.* Reginald. *libro 18. Praxis Foro pœnit. num.* 382. Sanchez *tom. 1. ſum. in Decal. cap. 17. num.* 5. Suarez *tom. 3. de Relig. tract. 7. lib.* 1. De *ſtatu perfect. cap. 19.* vbi plura congerit, vt oſtendat non eſſe commutationem voti in melius. Rodriquez *in Compend. quæſt. Regul. Reſol. 190. num. 14 ver. Verum hæc.* Corduba *in ſumma Hiſpana quæſt.* 153. Miranda *tom. 1. Manual. Prælator. quæſt. 20. artic. 9.* Riccar. *in 4. diſt. 38. ar. 5. quæſt. 1. ad 3.* Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 1. Theſauri Relig. qu. 183. edit. Neapolit. & lib. 5. quæſt. 38. in eadem edit.* Barboſa *in Collect. num. 4. in dict. Cap. Per tuas.*

2 Præcipuum fundamentum huius ſent. habetur ex Cap. *Per tuas De voto* vbi Innocent. 3. cuidam electo Epiſcopo, qui antea erat ligatus voto Religionis, & infra duos menſes promiſerat adimpleturum, reſpondet *Conſulimus, vt ſi tuam deſideras ſanare conſcientiam, regimen reſignes Eccleſiæ, & reddas Altiſſimo vota tua. Quòd ſi poſt modum Capitulum Eccleſiæ te duxerit eligendum, electionem de te factam recipere poteris.* Vnde cum agatur de ſanatione conſcientiæ, non tantùm Pontifex dat conſilium, ſed declarat etiam obligationem illius, quem etiam antea vocauerat voti tranſgreſſorem. Deinde, Strictior eſt vita Regularis, quàm Epiſcopalis: cum in hac non adſint vota; vnde eſt aliqua etiā perfectio in vita regulari quæ non eſt in ſtatu Epiſcopali: & ideo votum Religionis impletum addit aliquam perfectionem ſtatui Epiſcopali; quare non datur mutatio, nec compenſatio vnius per alterum.

3 Oppoſitam ſententiam tenent Abbas *in dictum Cap. Per tuas num. 6. De voto.* Anton. *ibid. num. 7.* Henr. *numer.* 3. Henriquez *lib. 10. De Sacram. Ordinis cap. 32. in fine* Rodriquez *tom. 2. ſum. cap. 6. num.* 6. quam & ego cenſeo probabiliorem; & proinde poſſe abſque vllo ſcrupulo aliquem obſtrictum voto Religionis aſſumere Epiſcopatum, abſq; eo quòd ingrediatur Religionem; Quia cenſendum eſt ſatisfacere Deo per exhibitionem ſui ipſius pro miniſterio præſtantiori, & quòd ſit in maiorem Dei gloriam.

4 Moueor, Quia non frangitur votum, quando in melius commutatur, ſeu meliùs adimpletur; vnde licet ipſum propria auctoritate commutare in melius: vt deſumitur ex Cap. *Scripturæ. de Voto.* & ex Cap. *Peruenit. de Iure iurando.* & ex Cap. *Licet. de Regul.* vbi conceditur tranſitus à laxiori ad ſtrictionem Religionem, quia fit commutatio in melius: etiam non obtenta licentia à Prælato. Et traditur communiter tàm à Theologis, quàm à Canoniſtis, quos recenſet, & ſequitur Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 49. num.* 4. Quia in tali commutatione non exercetur iuriſdictio, ſed exhibetur abundantior ſolutio; quam nobis conſtat Deum approbare, quia ſemper vult quod
5 melius eſt. Status autem Epiſcopalis eſt magis perfectus, quàm Regularis: tum quia re-

quirit maiorem charitatem, cum non tàm ſibi Epiſcopus, quàm ouibus incumbere debeat: tum quia aſſumit maiorem obligationem, & magis ſe Deo dedicat, cum debeat tanquam bonus paſtor animam ſuam ponere pro ouibus ſuis: tum quia eſt magis vtilis Eccleſiæ, atque adeo cedit etiam in maiorem Dei gloriam.

6 Præterea. Ex natura rei ſecùndum prudentis iudicium licet compenſare minus cum aliquo maiori, nec facta tali compenſatione cenſetur violari promiſſio; vnde non violaret promiſſionem Pontifex ſi poſt promiſſionem canonicatus daret Epiſcopatum; nec Chriſtus dicitur non ſatisfeciſse obligationi, quam ſuſceperat, de ſatisfaciendo Patri pro genere humano, quia abundantiùs ſatisfecerit, quàm teneretur ratione obligationis ſuſceptæ; Ergo qui habet votum Religionis poterit ſatiſfacere obligationi, compenſando cum ſtatu meliori, qualis eſt Epiſcopalis.

7 Atque hinc reijci poſſunt quæ ſolent reſponderi. Nam cum dicitur, quòd tunc tantùm eſt licita mutatio voti in melius, quando hoc melius eſt eiuſdem generis: vt quando vna Religio commutatur in ſtrictiorem. Hoc manifeſtè eſt falſum. Quia omnia vota ceſſant per profeſſionem in Religione, licet ſint diuerſi generis: vt habetur ex dicto Cap. *Scripturæ De voto*, & tradunt communiter; vnde etiam votum ieiunij rectè commutatur in votum copioſæ eleemoſynæ; Quia vt valeat commutatio, ſufficit ſi militet eadem ratio: vt nimirum aliquid maius exhibeatur; quia Deus ſemper approbat quod melius eſt.

8 Si dicas: quòd votum Religionis impletum aliquam perfectionem addit ſtatui Epiſcopali, quam talis ſtatus ſecum non affert. Quicquid de hoc ſit. Reſp. Quòd non debet comparari ſtatus Epiſcopalis cum illa maiori perfectione, quam habet ex ſtatu regulari, cum ſtatu Epiſcopali ſine hac perfectione; quia non fit commutatio inter ipſos; ſed comparari debēt quæ commutantur: nempe ſtatus Regularis, & ſtatus Epiſcopalis. Hic autem eſt longè perfectior. Vt autem rectè procedat hæc commutatio, ſufficit ſi in quod fit, penſatis omnibus, ſit maius bonum, iudicio prudentis viri: ita vt cenſeatur aliquid maius exhiberi Deo; nam ſemper militat ratio, ob quam eſt licita propria auctoritate talis commutatio.

9 Tertiò. Reſpondet Suarez cum Caietan. In votis per ſe perpetuis non poſſe fieri commutationem in melius, niſi minus includatur in maiori. Sed hoc eſt petere principium; quia limitatur commutatio, vt excludat ſolum noſtrum caſum: quia non eſt alius ſtatus perfectior Regulari, niſi Epiſcopalis. Deinde: ratio, ob quam militat commutatio voti in maius, valet etiam in votis perpetuis, ſeu de re perpetua; quia ſi loco illius exhibeatur alia perpetua excellentior, & melior cenſetur vberior ſolutio; vnde non eſt neceſſaria iuriſdictio quę exerceatur.

10 Quartò reſpondet idem Suarez cum alijs. Quod Epiſcopatus eſt ſtatus perfectionis acquiſitę, Religio vero eſt ſtatus perfectionis acquirendę: vnde ordinatur ad propriam perfectionem, Epiſcopatus vero ad perfectionem alienam; vnde non eſt materia voti abſoluti, nec per ſe expetibilis in ordine ad propriam ſalutem; & ideo non poteſt in ipſum commutari Religio. Sed neque hæc reſponſio eſt melior. Quia eo ipſo, quòd Epiſcopatus eſt ſtatus perfectionis acquiſitæ, & ordinatur etiam ad alienam, exigit maiorem perfectionem in Epiſcopo, quàm ſtatus Religionis in Religioſo; quia dum debet procurare alienam ſalutem, etiam cum diſpendio propriæ vitæ, debet habere magnam charitatem erga proximum, iuxta illud: *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis*: & conſequenter etiam erga Deum. Vnde fit commutatio in melius tam reſpectu Dei, quam

11 reſpectu commutantis: Et cum ſit ſtatus conducens nedum alios, ſed etiã ipſum Epiſcopum ad propriam ſalutem medijs excellentiſſimis operibus charitatis, non video cur non ſit expetibilis, per ſe loquendo, in ordine ad propriam ſalutem: cum omne bonum in ordine ad aliquid, ſit expetibile in ordine ad ſe ipſum. Quòd ſi per accidens non eſt expetibilis ratione difficultatum, & periculorum annexorum, id non tollit quin ſit excellentiſſimus ſtatus, in quem alius inferior poſſit commutari: præſertim quia cum ſit ſtatus reſpiciens alienam perfectionem, ſupponit etiam propriam, ex qua aliena procedat; & ideo ſi non adſit propria, debet acquiri; & proinde compenſatur ſtatus Religioſus ſecundùm perfectionem, quam ponit in Religioſo.

12 Et cum ſtatus Epiſcopalis ſit bonus abſolutè, & cedat in maiorem gloriam Dei, quàm ſtatus Regularis, non video, cur non ſit materia voti abſoluti, & cur non poſſit aliquis vouere ſe velle procurare ſalutem animarum mediante officio paſtoris, ſi ad ipſum aſſumatur. Vnde ſolum non eſt materia voti abſoluti quatenus dependet ab aliena voluntate; quod tamen habet locum etiam in voto Religionis; quia requiritur acceptatio dependens à voluntate Prælatorum.

13 Ad tex. autem ex Cap. *Per tuas. de Voto.* omiſſis varijs reſponſionibus, quæ ſolent afferri. Reſp. Quòd Pontifex non dicit, quòd votum Religionis non poſſit commutari in ſtatum Epiſcopalem, ſed ſolùm nolens confirmare electionem in Epiſcopum illius electi,

reſp.

reſp. quòd cum iam ſit factus voti tranſgreſſor (quia infra promiſſum tempus illud non impleuerat) conſulit, vt implendo votum ſuam conſcientiam ſanet, quam iam vulnerauerat non implendo votum infra ſibi præſcriptum tempus. Non enim fieri poteſt commutatio talis voti in ſtatum Epiſcopalem, niſi habeatur talis ſtatus: qui non habetur, niſi accedat confirmatio Pontificis; vnde ſi Pontifex nolit confirmare, debet votum Religionis impleri; quia commutatio non habet effectum. Pontifex ergo noluit confirmare ob ſcandalum; quia notum erat quòd is vouerat Religionem, & quòd in manibus Epiſcopi Gratianopolitani promiſerat ſe votum impleturum infra duos menſes poſt reditum ab Apoſtolica Sede, & quòd erat elapſum tempus prædictum, nec votum impleuerat, fortaſſe vt expectaret electionem in Epiſcopum; & ideo reſpondet quòd conſulit vt ſanet ſuam conſcientiam, implendo votum, tacitè dicens ſe nolle confirmare. Quod colligitur, quia Pontifex dicit *Per tuas nobis litteras intimaſti*. hoc enim verbum indicat petitionem alicuius quaſi debiti, vt erat confirmatio; Deinde quia etiam ſubdit Pontifex *Super quo à nobis tuæ ſaluti poſtulas prouideri*. nempe mediante confirmatione. Denique quia in Epiſt. quæ eſt *93. lib. 4. Editionis Toloſatis*, habet Pontifex *In hoc tibi gratiam facientes quòd ſi Capitulum eiuſdem Gebenenſis Eccleſiæ te poſtmodum canonicè duxerit eligendum, concedimus, vt electionem recipias taliter de te factam*. Quaſi dicat, nunc nolumus tuam electionem confirmare; hanc tamen gratiam faciemus, ſi poſtquam votum impleueris, fueris electus. Altera autem ratio *num. 2.* allata ſoluta eſt ex dictis.

An ſi Nouitius dum profitetur nolit expreſsè expirare vota, quæ habet, adhuc expirent ipſo nolente.

Deciſio CCCCXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Vota omnia expirant per profeſſionem.*
2 *Non expirare, quando profitens non vult expirare, qui teneant.*
3 *Expirant tamen. Profeſſio ipſo iure extinguit priora vota.*
4 *Voluntas quòd non expirent priora vota in profeſſione eſt fruſtratoria, & irrita.*
5 *Quando voluntas, quòd vota non expirent, ſit ratificatio ipſorum.*

1 Vota omnia expirant per ſolemnen profeſſionem: vt communiter omnes docent cum D. Th. 2. 2. *quæſ.* 88. *ar.* 2. *ad* 1. & habetur ex Cap. *Scriptura. de Voto*. quia mutatur vnus ſtatus in alium perfectiorem, & gratiorẽ Deo; & ideo ceſſant quæ erant prioris ſtatus. Sed quid, ſi profitens expreſsè nolit expirare?

2 Syluester *Verbo* Votum *4. quæſ. 7. diſt. 3.* Sanchez *lib. 9. de Matrim. diſp. 39. num. 45.* Portel. *in Dub. Regular. Verbo* Votum *num. 1. in fine* aſſerunt non expirare. Quia cum votum pendeat à voluntate vouentis, dum non vult expirare, illa de nouo ratificat.

3 Oppoſitum tamen eſt tenendum: nimirum expirare, etiam ſi Nouitius expreſsè nolit quòd expirent. Quod licet ſub his terminis non doceant Doctores, videntur tamen tenere, dum tradunt, quòd huiuſmodi vota extinguntur ipſo iure. Sic Gloſ. *Cap. Monacho Verbo* Vouerit 20. *quæſ.* 4. Abbas *Cap. Peruenit 2. nu. 1. de Iureiurando.* Palud. *in 4. diſt. 38. quæſ. 4. ar. 1. concluſ. 6.* & alij, quos citat, & ſequitur Sanchez *lib. 5. in Decal. cap. 5. num. 36.*

4 Ratio autem eſt; Quia dum quis emittit profeſſionem habet voluntatem efficacem ſe obligandi per vota Religionis, & conſequenter vult etiam totum id, quod præſtat profeſſio ex natura ſua; vnde cum ex natura ſua extinguat priora vota, vult etiam huiuſmodi extinctionem; vnde voluntas in oppoſitum eſt voluntas fruſtratoria; quia facto ipſi contradicit, quo etiam ipſam reddit irritam. Sic ſi quis proijceret aquam ſuper ignem, & nollet extingui, iſta volitio eſſet fruſtratoria, & irrita; quia facto ipſo eam irritaret.

5 Ad id, quod affertur in oppoſitum *numer. 2.* Reſp. Tunc ratificari vota quando quis non vult expirare, quando talis voluntas habet ſuum effectum, & non redditur irrita, & fruſtratoria ab alia potentiori voluntate, quę inferat factum contrarium; in caſu autem noſtro infert.

An iuramentum mulieris cum ſeptima manu propinquorum quòd nõ fuerit coniuncta viro ſit ſufficiens probatio legitima in ordine ad diſpenſandum in publica honeſtate.

Deciſio CCCCXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Declaratur caſus.*
2 *Ex cohabitatione voluntaria præſupponitur matrimonium conſumatum.*

3 Non

3 *Non reclamare infra duos menſes, dat præſumptionem conſumationis matrimonij.*

4 *Ex concubitu coniugum præſumitur copula perfecta.*

5 *Iuramentum mulieris cum ſeptima manu &c. eſt legitima probatio pro diſpenſando in publica honeſtate.*

6 *Hæc præſumptio diluit præſumptionem ex voluntaria cohabitatione, & concubitu &c.*

7 *Si vterque coniux poſt triennium affirmet cum iuramento, & cum ſeptima manu propinquorum &c. tollitur omnis præſumptio potentiæ.*

8 *Minus requiritur ad diſpenſandum in publica honeſtate, quàm ad diſſoluendum matrimonium.*

9 *Vna præſumptio tollitur per aliam.*

1 VT caſus melius teneatur, diſtinctiùs proponā. Catharina nupſit Titio, cum quo non potuit carnaliter coniungi ob impotentiā illius: moritur Titius; petit ipſa diſpenſari in publica honeſtate, vt poſſit nubere cum Franciſco fratre Titij; conceditur facultas à Sede Apoſtolica, & committitur Ordinario, cum clauſula tamen *Si ipſi conſtiterit per legitimas probationes, quòd mulier non fuerit carnaliter coniuncta cum Titio iam defuncto.* Quæritur modò, an iuramentum mulieris cum ſeptima manu propinquorum, vel in ipſorum defectu, vicinorum, ſit legitima probatio.

2 Ratio dubitandi eſt, Quia matrimonium præſumitur à iure conſumatum ex cohabitatione voluntaria coniugum per aliquod tempus Cap. *Si quis accepit.* 33. *quæſ.* 1. Maſcard. *Verbo* Copula *num.* 11. Cepolla *Conſil. Ciuili* 3. 4. & 5. Decius *conſil.* 277. *num.* 4. *in fine.*

3 Rurſus Cap. 1. *de Frigid.* Vbi Innocent. *in fine.* Præpoſit. *num.* 8. Gloſſa *in dictum Cap. Si quis* 33. *quæſ.* 1. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 109. *num.* 3. Si vxor infra duos menſes voluntariè cohabitans non reclamet, præſumitur matrimonium conſumatum.

4 Item ex concubitu coniugum præſumitur copula perfecta Cap. *Litteris. de Præſumpt.* & Cap. *Præterea. de Teſtib.* vbi Gloſſa *Verbo* Conſcios, vnde non videtur habere locum prædicta probatio.

5 Reſpondendum tamen eſt. Probationem prædictam eſſe ſufficientem, & legitimam, vt poſſit executioni mandari diſpenſatio in publica honeſtate. Ita habetur ex Cap. *Laudabilem.* & Cap. *Fin. de Frigidis &c.* Et eſt conformis reſponſio iſta doctrinæ, quam tradunt Hoſtienſ. *cap.* 1. *in fine de Frigidis &c.* Innocent. *num. vltimo.* Abbas *num.* 5. Ancharan. *num.* 11. Præpoſit. *nu.* 8. *ver. Vltimo quæro.* Neuus *num.* 7. *in fine, & num.* 13. Brunel. *de Sponſalib. concluſ.* 28. *limitat.* 1. *num.* 13. Sanchez *lib.* 7. *de Matrimon. diſp.* 108. *num.* 5. videlicet poſſe præſumptionem ex cohabitatione euacuari per aliam fortiorem.

6 Quod contingit in caſu propoſito, tota enim præſumptio in contrarium fundatur in voluntaria cohabitatione, & concubitu coniugum; hæc autem præſumptio diluitur per iuramentum fœminæ ſolius, quando non adeſt vir, & per iuramentum ſeptimæ manus propinquorum, vel vicinorum bonæ famæ. Et ratio eſt, quia ſeptima manus declarat illam cohabitationem fuiſſe cum talibus circumſtantijs, vt non ſolùm dederit præſumptionem carnalis copulæ, ſed etiam generauerit conceptum, quòd eſſet ſine copula; vnde declaratur inhabilis ad præſumptionem pro copula: quæ cum ceſſet, ſtandum eſt iuramento fœminæ: cum nihil obſtet, quominùs credatur veritatem dicere: cum vnicuique credendum ſit, niſi aliquid obſtet. Confir. Ablata præſumptione in contrarium fœmina remanet ſicut ſi non cohabitaſſet; tunc autem, ſi iuramento affirmaret, ſe non habuiſſe copulam cum marito, crederetur affirmanti. Septima autem manus facit, ac ſi non præceſſiſſet cohabitatio; quia deſtruit præſumptionem ex ipſa.

7 Præterea, Si poſt triennium cohabitationis vterque coniux iuramento affirmet impotentiam cum ſeptima manu propinquorum, ſeu vicinorum bonæ famæ, ſi non adſint propinqui, tollitur omnis præſumptio potentiæ, & poteſt ſeruatis ſeruandis diſſolui matrimoniū Cap. *Fraternitatis.* & Cap. *Fin. De Frigidis &c.* & docent Abbas *dicto Cap. Fin. num.* 2. Neuus *num.* 3. Goffred. *in ſum. tit. De frigid. num.* 8. Anton. *cap.* 2. *num.* 2. Monal. *in ſum. De Matrim. tit. de impoſſibil. coeundi* Turrecrem. 33. *quæſt.* 1. In ſum. *artic.* 1. *numer.* 9. Roſella *Verbo Diuortium num.* 4. Syluester *quæſt.* 20. *num.* 23. Nauarr. *lib.* 4. *conſil. tit. De frigid. conſil.* 1. *num.* 3. Vgolin. *de Matrimon. capit.* 19. *num.* 1. Maſcard. *De probat. concluſ.* 819. *numer.* 8. & alij. Et ex Theologis D. Thom. *in* 4. *diſt.* 34. *in fine expoſit. litteræ* Scot. *quæſt. vnica circa finem* Palud. *quæſt* 2. *ar.* 3. *concluſ* 3. *num.* 10. Supplemen. Gabr. *quæſt. vnica artic.* 2. *propoſ.* 2. Soto *quæſt. vnica art.* 2. D. Antonin. 4. *par. tit.* 1. *cap.* 12. §. 3. *circa finem.* Sanchez *lib.* 7. *de Matrimon. diſput.* 108. *numer.* 7. & alij.

8 Hoc autem à fortiori ſufficiens eſt in caſu præſenti; quia ſi ſeptima manus cum iuramento coniugum ſufficit ad tollendam præſumptionem potentiæ, atque adeò copulæ, non obſtante voluntaria cohabitatione, & concubitu coniugum, quando agitur de diſſoluendo matrimonio; multò magis ſufficiet quando non eſt ſoluendum matrimonium, ſed iam morte alterius coniugis eſt ſolutum; & tunc ſufficit iuramentum vnius; quia de vno tantùm agitur.

9 Ex his autem conſtat non obſtare quæ allata ſunt

ta ſunt

ta ſunt *num.* 2. 3. *&* 4. quia probant tantùm adeſſe præſumptionem de copula ex voluntaria coniugum cohabitatione, & concubitu; hæc autem præſumptio, vt diximus, euacuatur per ſeptimam manum.

An qui iniuria afficitur, poſſit dicere contumelioſo *Mentiris*.

Deciſio CCCCXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Secùndum ius ciuile licet dicere contumelioſo* Mentiris.
2 *Etiam in conſcientia, quando iniuria non poteſt depelli verbis minùs aſperis.*
3 *Abſolutè licet dicere contumelioſo* Mentiris.
4 *Iniuria non poteſt depelli, niſi oſtendendo contumelioſum mentitum fuiſſe.*
5 *Parum refert, quod his vel illis verbis dicatur contumelioſum non dicere verum.*
6 *Non ſufficit ad depellendam iniuriam dicere, quòd contumelioſus fallatur.*
7 *Contumelioſus, infert maculam honori, quum ſcit ſe non debere inferre.*
8 *Verbum* Mentiris *adhibitum ad propulſandam iniuriam, non infert iniuriam.*
9 *Verbum* Mentiris *eſt ex natura ſua propulſatiuum iniuriæ.*
10 *Quando cenſeatur recepta iniuria.*

1 ID eſſe licitum ſecùndum ius ciuile deſumitur ex l. *Quæ omnia* ibi *Dicat dominum mentiri*. Et infra *Ferendus pudorem ſuum purgans* ff. *De procur.* & l. *Quicum* ibi. *Si ab eo petitus retorſit, ignoſcendum eſt ei, ſi voluit ſe vlciſci prouocatus* ff. *De Bonis libert.* & tradit Bart. *in l. Quæ omnia. num.* 1. *ff. De procur.* Farinac. *in Prac. Crimin. part.* 2. *quaſt.* 125. *de Homicid. par.* 7. §. 4. *num.* 526. Bal. *conſil.* 45. per totum *lib.* 4. quam ſequitur Franciſcus *Corona* apud Criſpolitum *in caſibus Militar. poſt caſum* 12. *num.* 12. *ſui voti* quia hoc non eſt aliud, quàm vim vi repellere.

2 An autem id liceat in conſcientia Reſpon. Petrus Hurtad. *De fide, ſpe, & charit. tom.* 2. *diſp.* 170. *ſect.* 14. §. 116. *& ſequentib.* id eſſe licitum, quando iniuria non poteſt depelli verbis minùs aſperis; ſecus autem quando poteſt depelli: Quia non poſſumus eligere grauius damnum proximi ad noſtra damna propulſanda, quando non eſt neceſſarium; vnde quando poteſt depelli contumelia ſine hoc damno, non poſſumus ipſum eligere.

3 Abſolutè tamen id eſſe licitum docent Sà *verbo* Infamare *num.* 4. Arragon. 2. 2 *quaſt.* 70. *art.* 3. *concluſ.* 3. Valent. *tom.* 3. *diſput.* 5. *quaſt.* 16. *punc.* 3 Sayr. *lib.* 12. *Clauis Reg. cap.* 4. *num.* 12. *& ſequent.* Felin. *in Cap. Dilecti. num.* 10. *De except.* Pitigian. *in Pract. Crimin. Canon. in* 3. *ſubſtant. ind. cap.* 4. Peregrin. *quaſt.* 3. *de Duel. num.* 1. *ver. Quartò,* & *num.* 6. *ver. quartum* Sotus *lib.* 5. *De Iuſt. & Iure quaſt.* 9. *art.* 3. *paulò ante reſp. ad* 1. idem Franciſcus *Corona* apud Criſpoltum *citato Voto num.* 16. Vbi etiam alios citat. Valent. *tom.* 3. *diſp.* 5. *quaſt.* 16. *punc.* 3. *ver. Poteſt autem.* Et hanc ſententiam tenendam puto.

4 Moueor autem, Quia non poteſt depelli iniuria, niſi verba contumelioſa reijciantur, vt falſa, & oſtendatur falsò nobis irrogari contumeliam; nam cum verba illa neceſſariò aut ſint vera, aut falſa, niſi reijciantur vt falſa, & falsò dicta, afficimur contumelia: quia tament vt veraciter dicta: Eo ipſo autem, quòd reijciuntur vt falſa, & falsò dicta, declaramus contumelioſum fuiſſe mentitum quocunque modo id fiat; vnde neceſſarium eſt tractare vt mendacem, & ipſum vt talem declarare: vt depellatur contumelia.

5 Et licet hoc fieri poſſit diuerſis modis, quorum vnus ſit minor altero; hoc tamen non pertinet ad ſubſtantiam rei, ſed tantùm ad modum quemdam accidentalem, qui non variat propulſationem iniuriæ; quia ſiue dicam *Nō dicis verum*, ſiue *Non eſt verum quod mihi obijcis* idem eſt ac ſi dicam *Mentiris*. Et cum neceſſe ſit quòd ad propulſandam iniuriam publicam mihi falsò obijciatur vitium, quod in contumelia exprimitur, neceſſe eſt etiam vt oſtēdam contumelioſum non dicere verum; parum autem refert quòd his, vel illis verbis hoc dicam; quia ſemper idem eſt quod dico: & proinde eodem modo præiudicat contumelioſo. Nec teneor imitari manſuetudinem Chriſti, qui Ioan. 8. reſpondidit Phariſęis: *Ego Dæmonium non habeo*, cum ipſi dixiſſent: *Dæmonium habes*. nam hoc fuit exemplum virtutis, non autem præceptum.

6 . Dices. Poſſe me dicere contumelioſo quòd fallitur & falſum dicit, oſtendendo mihi non conuenire illam contumeliam: & ipſum quoq. non mentiri, ſed decipi. Reſpon. ad depellendam contumeliam hoc non ſufficere. Quia contumelia non ſolùm continet verba iniurioſa, ſed etiam, vt prouenientia ex animo iniuriandi: vt habetur ex l. *Illud* §. 1. *ff. De iniur. & l. ſi non conuitij C. eodem.* & tradunt Bal. *conſil.* 120. *in fin. lib.* 3. *& conſil.* 277. *&* 443. *lib.* 5. Cępol. *conſil.* 70. *in fine* Roland. *conſil.* 11. *num.* 53. *lib.* 3. Crauet. *conſil.* 9. *num.* 29. Menoch. *conſil.* 107. *num.* 8. *lib.* 2. *& conſil.* 1197. *num.* 1. *& ſequent. lib.* 12. Per id autem, quòd dicatur decipi, & dicere falſum, non depellitur complerè

iniuria;

iniuria; quia non declaratur quòd verba iniurioſa proueniant ex animo iniurioſo, ſeu iniquo; quia animus non poteſt per errorem eſſe iniurioſus, ſed debet cum malitia proferre verba iniurioſa: & ideo non poteſt eſſe iniuria abſque mendacio.

7 Quòd ex eo declaratur. Quia iniuria eſt macula quædam honoris, qua apud communem æſtimationem maculatur. Vel ergo honor apparet cum tali macula apud homines: & tunc verba exprimentia illam maculam non eſſent iniurioſa; quia non deturparent honorem; nam exprimerent communem cõceptum. Vel non apparet cum tali macula; & tunc contumelioſus per verba iniurioſa inurens honori talem maculam, mentitur, quia dicit animo iniuſto eſſe illam maculam in honore, quæ non eſt: & præſumitur loqui aliter, ac ſentit, quia loquitur contra communem ſenſum, cui in externo tenetur ſe conformare: & ideo dum non vult ſe conformare, vult loqui aliter ac cognoſcit ſe debere loqui; in quo conſiſtit mendacium.

8 Deinde. Verbum iſtud *Mentiris*, quando adhibetur ad propulſandam iniuriam, non eſt de ſui natura iniurioſum, ſed defenſiuum honoris: ſicuti ictus adhibitus ad retundendum alium ictum aggreſſoris, non eſt de ſe ordinatus ad occiſionem, ſed tantùm ad defenſionem: & per accidens eſt ſi occidat. Vt enim verba inferant iniuriam debent prouenire ab animo iniuriandi: vt cum pluribus diximus *nu.* 7. qui debet eſſe animus iniquus reſpiciens ad iniuſtum; quando autem quis dicit contumelioſo *Mentiris* id dicit ex animo defendendi proprium honorem; vnde non eſt animus iniquus, ſed reſpiciens id, quod iuſtum eſt. Et proinde etiam Andræas Alciatus *in Conſil. de Duel. num.* 12. *in tomo* 12. *Tract.* & Socinus Iunior *in eodem tom. conſil.* 1. *de Duel. num.* 12. docent per hoc verbum *Mentiris* dictum contumelioſo non inferri ſed propulſari iniuriam; & proinde erit licitum in quocunque caſu ad propulſandam iniuriam.

9 Ad id, quod affertur in contrarium *num.* 2. reſp. non eligi grauius damnum, ſi eligatur verbum *Mentiris* ad propulſandam iniuriam, ſed eligi illud medium, quod eſt ex natura ſua ordinatum ad illam propulſandam; quod ſi infert aliquod damnum contumelioſo, id eſt per accidens. Vt iam dictum eſt.

10 Quod ſi dicas defenſionem eſſe contra iniuriam, quam aduerſarius vult inferre, non autem contra iniuriam, quam iam intulit; nam tunc non eſt ampliùs defenſio, ſed vindicta; iniuria aut verbalis eo ipſo quòd profertur, eſt illata. Reſp. Eſſe quidem illatam, quantum eſt ex parte inferentis; non tamen eſſe receptam; quia non cenſetur recepta iniuria niſi quando maculat honorem; & non maculat honorem, niſi iniuria affectus quaſi in ipſam conſentiat. Vnde quando verbis depellit non admittit in proprio honore effectum iniuriæ.

An liceat contumelioſo obijcere crimina ad depellendam iniuriam.

Deciſio CCCCXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Non licet obijcere contumelioſo crimina ad propulſandam iniuriam.*
2 *Niſi talis obiectio ſit neceſſaria ad perſuadendum, quòd mentiatur.*
3 *Rurſus niſi crimina ſint notoria.*

1 Reſp. negatiuè cum Soto *lib.* 5. *de Iuſt. & iure quaſ.* 9. *ar.* 3. paulò ante *reſp. ad* 1. Hurtado *in* 2. 2. *diſp.* 170. *ſect.* 14. §. 120. Quia obiectio criminum eſt aliqua infamatio, quæ non eſt medium per ſe ordinatum ad depellendam verbalem iniuriam, quæ, quæcunque ſit, depelli poteſt per verbum *Mentiris*. Vnde obijcere crimina, non eſſet depellere iniuriam, ſed vlciſci.

2 Limitanda eſt tamen hæc doctrina quando verbum *Mentiris* eſt ſufficiens ad depellendam iniuriam, ita vt adſtantes ſibi perſuadeant, quòd contumelioſus mentiatur; quòd ſi ſecus contingat, tunc licebit obijcere illa crimina, quæ proſunt ad perſuadendum adſtantibus quòd contumelioſus mentiatur: vt notat etiam Hurtad. *citat.*

3 Rurſus etiam limitari debet, Vt locum non habeat, quando crimina ſunt ita publica, vt iam eius famam apud communem conceptum denigrauerint; quia tunc ſi obijciantur, non læditur in honore, ſed tantùm quadam obiectione ſuæ ipſius turpitudinis retunditur audacia, qua profert verba contumelioſa: & oſtenditur adſtantibus, quòd verba ipſius nihil ſunt facienda, tanquam illius, qui nullius eſt æſtimationis.

Digitized by Google

An liceat obijcere contumelioſo crimē occultum ad propulſandam iniuriam, & conſeruandum proprium honorem, & famam.

Deciſio CCCCXXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Licet obijcere contumelioſo crimina occulta, quando hoc eſt neceſſarium ad propulſandam iniuriam.*

2 *Quod eſt contra iuſtitiam ſit licitum quando eſt neceſſarium ad defenſionem propriam.*

3 *Vim vi repellere licet, etiam quando vis eſt verbalis.*

1 Reſp. affirmatiuè cum Moſcoſo *in ſum. tra. 8ae. 11 cap. 3. num. 19.* Quod tamen deber intelligi, quando obiectio huiuſmodi criminum eſt neceſſaria ad propulſandam iniuriam, & vtilis. Quod tunc contingeret, ſi per hoc oſtendatur, non eſſe habendam aliquam rationem illius, quòd contumelioſus dicit.

2 Ratio eſt, quia licet obijcere crimen occultum ſit contra iuſtitiam, quatenus eſt contra famam proximi: ceſſat tamen eſſe contrà iuſtitiam quando ſit neceſſarium ad propriam defenſionem. Et ſicut licet occidere ſit contra iuſtitiam, poſſum tamen occidere quando hoc eſt neceſſarium ad meam vitam conſeruandā: ita etiam ad propriam famam, & honorem conſeruandum poſſum alterius famam, & honorem lædere, quando hoc eſt medium vtile, & neceſſarium: non obſtante quòd de ſe ſit contra iuſtitiam.

3 Semper enim valet quòd *vim vi repellere licet* l. *Vt vim ff. De Iuſt. & Iure* vbi Bolognet. *num. 95.* docet hoc debere intelligi nedum de vireali, ſed etiam de verbali; quia ius naturale non minùs concedit ſe defendere contra verba, quàm contra facta; ſiquidem concedit vniuerſalem defenſionem propriæ perſonæ, & eorum, quæ pertinent ad perſonam; & ideo licitum erit adhibere vim conſiſtentem in verbis deijciendo contumelioſum à ſtatu proprij honoris, obijciendo crimina occulta, quando hoc erit neceſſarium ad conſeruandum proprium honorem.

An liceat dicere contumelioſo *Mentiris* quando in contumelijs obijcit vera crimina occulta.

Deciſio CCCCXL.

SVMMARIVM.

1 *Licet dicere contumelioſo* Mentiris *quando obijcit crimina occulta, licet vera.*

2 *Mendacium non ſolùm quò ad dictum, ſed etiam quò ad modum dicendi.*

3 *Quod occulta crimina proximi non ſint euulganda, nemo poteſt ignorare.*

1 Reſp. affirmatiuè cum Bannes 2. 2. *quæſt. 64. art. 7. dub. 4. ver. Ad argumenta* quarte-nus docet eſſe licitam defenſionem contra obijcentem vera crimina, ſed occulta, non obſtante morte ipſius. Vnde à fortiori debet id ſentire de defenſione per verbum *Mentiris.* Idem tenet, Hurtad. *De Fide. Spe. & Char. tom. 2 diſp. 170. ſect. 14 §. 121.* Vnde quotieſcunque contumelioſus obijcit crimina occulta, quæ euulgando mortaliter peccat, quocunque modo illa ſciuerit, licet ei dicere *Mentiris.*

2 Re vera enim is talis mentitur, ſi non quò ad rem dictam, ſaltem quo ad modum dicendi. Mendacium enim conſiſtit in eo, quòd aliter loquamur, ac ſentimus; vnde ſi ego putem falſum aliquid, quod re vera ſit verum, & ipſum proferam vt verum, adhuc mentior; quia loquor aliter ac ſentio. In caſu autem noſtro obijciens vera crimina ſed occulta, aliter loquitur, ac ſentit; quia ſentit non eſſe euulganda, & tamen ea euulgat.

3 Dices. Fieri poſſe quòd ignoret ſibi in illo caſu eſſe tacenda illa crimina. Reſp. Non poſſe hoc ignorare; quia præceptum charitatis de diligendo proximo ſicut ſe ipſum, cum ſit inſitum à natura, non poteſt ignorari: & conſequenter, nec etiam quòd non ſint facienda proximo quæ nobis nolumus fieri. Nemo autem vellet ſua occulta crimina euulgari. Et licet contingere poſſit quòd non aduertat: hoc ſibi imputare debet; quia tenetur aduertere, & abſtinere ab ijs, quæ ſunt contra iuſtitiam: atque ſufficit quòd cognoſcat illam euulgationem eſſe noxiam proximo: quod certè cognoſcit; alioquin illam non vſurparet ex animo iniuria afficiendi.

An ad propulſandam iniuriam liceat occidere contumelia afficientem.

Deciſio CCCCXLI.

SVMMARIVM.

1 *Licere occidere ad propulſandam iniuriam verbalem, qui doceant.*
2 *Conuitians eſt inuaſor proprij honoris, qui pluris ſit quàm facultates.*
3 *Non licet occidere, nec vulnerare ob propulſandas iniurias verbales.*
4 *Occiſio, & vulneratio nunquam ſunt neceſſaria ad propulſandas iniurias verbales.*
5 *Iniuria verbalis ſolis verbis propulſari poteſt.*
6 *Etiam ſecùndum leges Duelli.*
7 *Occiſio, & vulneratio non ſunt media apta ad propulſandas iniurias verbales.*

1 AFfirmatiuè reſpondent Petrus Nauarra *lib. 2. de Reſtitut. cap. 3. num.* 382. Bonacina *diſp 2. de Contract. quaſ. vlt. ſect. 1. punc. 10. num.* 7. qui etiam alios citat, qui tamen non loquuntur de iniuria, quæ conſiſtit in ſolis verbis, ſed quando quis inuadit vel fuſte, vel alapa. Item hoc tenent Io: de Eſcobar *par. 1. de Purit. & Nobilit. probat. quaſt. 1. Gloſ. 4. num.* 14. Strouerſdorf *quaſt. 64. de Iuſt. & Iure art. 7. concluſ.* 5. Baldel. *lib 3. Moral. Theol. diſp. 24. num.* 24. Limitant tamen ad contumelias atroces, & quando alia ratione vitari non poſſunt.

2 Horum fundamentum eſt: quia licet occidere inuaſorem propriorum bonorum ad ea conſeruanda, quando aliter conſeruari non poſſunt. Ergo cum conuitians ſit inuaſor proprij honoris, qui pluris æſtimatur, multò magis licebit eum occidere, quando aliter proprius honor conſeruari non poteſt.

3 Verum hanc opinionem nullam puto habere probabilitatem: & proinde oppoſitam exiſtimo certam. Quam tradunt Filiucius *tractat. 29. cap. 3. quaſt. 7. num.* 49. Leſſius *lib. 2. de Iuſt. & Iure cap. 9. num.* 78. Binſeld. *ſect. 15. De iniurijs & damno &c. cap. 1. quaſt. 9. concluſ.* 4. Azor. *tom. 3. lib. 2. cap. 1. quaſt.* 17. Molfeſ. *tom. 1. ſum. tract. 11. cap. 19. num.* 74. Petrus Hurtad. *in 2. 2. De Spe, & Charit. diſp. 170. ſect. 15. §. 123. & ſequent.* Diana *par. 5. tract. 4. de Homicid. Reſolut.* 12. Syluius autem 2 2. *quaſt. 64. art. 7. quæſito 9. concluſ.* 2. putat aut nullum, aut rariſſimum eſſe caſum, in quo liceat occidere ob defenſionem ſolius honoris. Itaque tenendum eſt, nec licitum homicidium, nec etiam inflictionē uulneris ad propulſandum conuitium quantumuis graue in quocumque caſu.

4 Ratio eſt, Quia quæ ſunt prohibita, vt ſunt homicidium, & inflictio vulneris, præſertim lege diuina naturali, non poſſunt eſſe licita, niſi aliquando vrgēte neceſſitate; vnde etiam Auctores oppoſitæ ſententiæ hoc ipſum tenent: aſſerentes tunc ſolùm eſſe licitum homicidium, quando eſt neceſſarium; vnde etiam per ipſos, ſi non erit neceſſarium, neque erit licitum. Et eadem eſt ratio de vulneratione. Nunquam autem eſt neceſſarium: imò nec poteſt eſſe neceſſarium homicidium, aut vulneratio ad propulſandam contumeliam, & iniuriam conſiſtentem in verbis.

5 Cum enim iniuria illata conſiſtat in ſolis verbis, etiam per ſola verba propulſari poteſt & ſicut armorum ictus propulſantur obiecto ſcuto, ita verborum iniuria propulſatur obiectis alijs verbis, quæ tueantur honorem in eo, in quo iniuria lædit. Verba enim iniurioſa lædunt ſolam extrinſecam exiſtimationem, & honorem, quatenus ponunt in publico conceptū iniuriantis, qui deſtruit honorem, & æſtimationem, & indicat vitium aliquod oppoſitum excellentiæ, ob quam eſt debitus honor: vt cum alicui dicitur *Eſſe mendacem* deſtruitur honor debitus ex veracitate, & indicatur habere vitium oppoſitum. Quia tamen hæc deſtructio ſit per ſola verba: atque verba non magis poſſunt deſtruere, quàm conſeruare honorem, ideo ſi verbis deſtructiuis honoris opponantur verba conſeruatiua eiuſdem, non erit opus alia propulſatione; quia non magis ſtandum eſt in formando conceptu verbis illius, qui iniuria afficit, quàm illius, qui ſuum honorem defendit. Et proinde ſemper ſufficiūt verba ad propulſandam iniuriam verborum.

6 Atque hoc etiam verum eſt ſecundum ipſas leges duelli: Vnde Cardanus *De Prudentia ciuili cap.* 111. docet: Quod ſi quis alicui conuiciando, improbum dicat, ſufficienter repellitur iniuria reſpondendo *Ego vndequaque vir probus ſum*. Et quando quis præoccupando dicit, *Mentiris*, ſufficienter depellitur iniuria reſpondendo *Es improbus*. Et quod per Verbum *Mentiris* depellatur omnis iniuria verborum docent Iacub. de Caſtillo *lib. 4. de Duello cap. 1. num. 2. 3. & 4. tom. 12. Tractat.* Andræas Alciatus *eodem tom. Tract. in Conſil. De ſingulari certamine num.* 18. Socin. Iunior *conſil. 1. De duel. tom. 12. Tract.* Itaque neque etiam ſecundum leges duelli eſt aliquid aliud neceſſarium ad depellēdas iniurias verbales, quàm verba ipſa.

7 Ad id, quod affertur in oppoſitum Reſpon. quòd ideo licet occidere ad defendendas proprias facultates, quando aliter ſeruari non poſſunt; quia tunc occiſio eſt medium vtile, nā illa mediante ſeruantur facultates; occiſio autem

tem ex natura ſua nunquam poteſt eſſe medium aptum ad propulſandas iniurias verbales, nec ad tuendum proprium honorem; per id enim quòd contumelia affectus occidat eũ, à quo afficitur, nec oſtendit falſam fuiſſe contumeliam illatam, nec quòd non fuerit dignus contumelia; & proinde occiſio non facit quòd non remanear læſus in honore, non ſecus ac ſi nõ occidiſſet. Solùm per occiſionem vlciſcitur contumeliam; vltio tamen non eſt licita priuata auctoritate.

An vir honoratus poſſit occidere ſibi dicentem *Mentiris*.

Deciſio. CCCCXLII.

SVMMARIVM.

1 *Virum honoratum poſſe occidere, qui ſibi dicit* Mentiris, *qui doceat*.
2 *Iniuria* Mentiris *non videtur poſſe propulſari per verba*.
3 *Non licet occidere ſibi dicentem* Mentiris.
4 *Per occiſionem non retunditur iniuria verbalis, nec per vulnera &c.*
5 *Omnis iniuria verbalis verbis propulſari poteſt*.
6 *Etiam ſecùndum leges Duelli*.
7 *Iniuria* Mentiris *non reddit irritam propulſationem verbalem iniuria*.

1 AFfirmatiuè reſp. Strouerſdorſ. *de Iuſt. & Iure quaſ. 64. ar. 7. concluſ. 5.* quando hæc iniuria eſt valde probroſa. Quod etiam poſſet confirmari; quia hæc iniuria eſt tanti probri, vt nullis alijs verbis depelli poſſit; vnde Andræas Alciatus *in Conſil. de Singulari certamen. nu. 18. quòd habetur in tom. 12. Tractat.* ait, quòd verbum *Mentiris* inferr tam atrocem iniuriam, quæ nullis verbis purgari poſſit, ſed
2 ſolo facto, ideſt armorum violentia. Quod etiam videtur fundari in ratione; quia eſt talis iniuria, vt lædat honorem veracitatis: & proinde quicquid reſpondeatur non eſt ſufficiens ad propulſandam iniuriam, cum per ipſam iniuriam illatam irrita fiat omnis propulſatio, ſi quidem cenſetur prouenire à mendace, qui etiam dum propulſat iniuriam mentiatur; & proinde nulla ſit propulſatio; nam ſi reſpondeat *Ego ſum vir probus*, aut *Mentiris tu ipſe*. omnis huiuſmodi reſponſio tã quam mentientis reſponſio nullã habebit vim. Ergo cum liceat defendere proprium honorẽ, licebit ipſum occidere: cum ſolis verbis defendi non poſſit.

3 Tenendum tamen eſt. Non licere viro quantumuis honorato, occidere eum, qui ſibi dicit contumelioſè *Mentiris*. Ita etiam tenent Azo *par. 3. lib. 2. cap. 1. quæſt. 17.* Diana *par. 5. tract. 4. de Homicid. Reſol. 13. ver. Sed merito*.

4 Ratio eſt, Quia per id, quòd occidat, aut vulneret, vlciſcitur quidem iniuriam acceptã, ſed non repellit; quia non impedit quin inferatur; ſicuti è contra ſi quis diceret iniurias contra verberantem non faceret quin verberaretur; nec etiam contra iniuriam conſeruat ſuum honorem; quia homicidium eſt in diuerſo genere, nec oſtendit occidentem non eſſe illum, qui per iniuriam pronunciatur; dum enim per iniuriam dicitur *Mentiris*; occidendo non oſtendit ſe non mentiri; Ergo cum occiſio, aut vulneratio, aut quæcunque alia percuſſio non ſit medium aptum ad depellendam hanc iniuriam, nec etiam poteſt eſſe medium licitum; quia hæc non ſunt licita, niſi quando ſunt apta, & neceſſaria pro defenſione.

5 Et cum huiuſmodi iniuria ſit tantùm verbalis, oportet vt etiam in genere verborum habear ſuam propulſationem; quia verba non plus poſſunt offendere, quàm defendere: Atq; ſi cæteræ iniuriæ verbales propulſantur per hæc verba *Non dicis verum*, aut *Mentiris* ſufficienter etiam propulſabitur huiuſmodi iniuria *Mentiris*, ſi reſpondeatur aliquid, quo oſtendatur, quod ipſe falsò inferat talem iniuriam: v.g. ſi dicatur quod *Ebrius ſit*, quòd *ſtultus ſit*, quod *Ipſe verum non dicat*, quia per hoc vltimum eadem iniuria reflectitur in eum, qui illam infert; cætera autem declinant ipſam iniuriam.

6 Atque hoc ipſum etiam verùm eſt ſecùndum ipſas leges Duelli; Vnde idem Andræas Alciatus *citato conſil. de Duello* mitigat quod dixerat, docens quòd iniuria iſta *Mentiris* retunditur obiectis grauioribus delictis. Et Cardanus *de Prudent. Ciuili cap. 111.* habet *Quòd ſi quis præoccupet dicendo Mentiris, nec ille iniuriam dixerat, ſufficit reſpondere, quòd ſit improbus: relataq; eſt iniuria; nec iuuat eum ſi denuo repetat Mentiris: ſed iniuriam accepit; quia lex, & communis hominum conſenſus fauet referenti.*

7 Ad id autem, quod in oppoſitum allatum eſt, Reſp. Huiuſmodi iniuriam *Mentiris* tollere omnem veracitatem ab affecto iniuria, ſi ve vniuerſalis proferatur, & ſi recipiatur: quando autem per alia verba ſtatim propulſatur; quia non recipitur, ſed reijcitur, non reddit irritam propulſationem iniuriæ, quæ ſtat in ſuo robore; quia non magis ſtandum eſt verbis illius, qui iniuria afficit, quàm illius, qui afficitur; imò cum is, qui iniuria afficitur innocẽs ſit, & tractet ſuam propriam defenſionem, ipſi potius fauet communis opinio tanquam habenti meliorem cauſam: atque adeo pluris ſunt eiuſdem verba, quàm illius, qui iniuria afficit.

An qui aliquem vera contumelia affecit ſed occulta, teneatur dicere ſe mentitum fuiſſe, vt læſo ſatisfaciat.

Deciſio CCCCXLIII.

SVMMARIVM.

1 *Afficiens contumelia vera, ſed occulta, tenetur dicere, ſe fuiſſe mentitum: vt ſatisfaciat.*

2 *Dicere ſe mentitum, non eſt dicere ſe peccaſſe, ſecùndum communem loquendi modum.*

3 *Quomodo qui vera, ſed occulta contumelia afficit, poſſit dicere ſe mentitum fuiſſe.*

4 *An poſſit dicere, ſe dixiſſe falſum, & an ſufficiat, vt ſatisfaciat.*

5 *Tenetur iurare; ſe fuiſſe mentitum, ſi eſt neceſſarium, vt fidem acquirat.*

1 Affirmatiuè reſp. Henriquez *in Compend. Caſuum Moral. cap. 9. num. 7.* Quia inquit ipſe, idem eſt dicere ſe mentitum fuiſſe, ac dicere ſe peccaſſe; nam peccatum dicitur mendacium, iuxta illud Pſal. 7. *Perdes omnes, qui operantur mendacium.*

2 Sed licet opinio placeat, non tamen ſatisfacit. Quia ſecùndum communem modum loquendi, dicere ſe mentitum non eſt dicere ſe peccaſſe: & ideo cum verba debeant vſurpari ſecùndum communem modum loquendi, quando ſecùndum communem modum loquendi non valet quòd ſit mentitus, nec etiam dicere poteſt, ſe eſſe mentitum; quia hoc dicendo mentiretur.

3 Poteſt ergo dicere, ſe fuiſſe mentitum; quia reuera mentitus eſt; nam locutus eſt cum diſcrepantia à proprio conceptu: in quo conſiſtit mendacium. Habebat enim conceptum quòd non poterat obijci in contumelia aliquid occultum, & nihilominus obiecit; vnde locutus eſt cum diſcrepantia à proprio conceptu, ſeu à proprio ſenſu; & ideo mentitus eſt.

4 Atque hinc fit, quod non poſſit dicere *Se dixiſſe falſum*, aut *Non dixiſſe verum*; nam in hoc mentiretur, quia referretur ad rem dictam (quæ non eſt falſa, ſed vera) non autem ad modum loquendi, in quo ſolùm mentitus eſt. Imò ſi poſſet dicere, non ſatisfaceret læſo; nam ipſum non ſolùm dicto offendit, ſed etiam animo; quia dixit ex animo iniuria afficiendi. Vnde debet fateri non ſolùm non eſſe verum quod dixit, ſed etiam iniquum animum, cum quo dixit; quod non facit, niſi dicat ſe fuiſſe mentitum; quia mendacium prouenit ex animo iniquo; quia eſt cum cognitione diſcrepantiæ locutionis ab interno ſenſu.

5 Quòd ſi ei fides non adhiberetur, tenetur iurare, ſe mentitum fuiſſe. Quod de eo, qui per contumeliā obijcit falſa, docet Henriquez *citatus*. Sed debet extendi ſimiliter ad eum quoque, qui vera obiecit, ſed occulta; tenetur namque delere omnino contumeliam, & iniuriam illatam: & non poteſt delere, niſi fidem inueniat quòd mentitus ſit; vnde cum verè poſſit dicere ſe mentitum fuiſſe, debet ad fidem acquirendam adhibere etiam medium iuramenti, ſi ſit neceſſarium.

An teſtimonium extraiudiciale poſſit, à iudice admitti, dummodo de ipſo iudicialiter conſtet.

Deciſio CCCCXLIV.

SVMMARIVM.

1 *Explicatur caſus, & proponitur ratio dubitandi.*

2 *Teſtimonium extraiudiciale quando poſſit admitti.*

3 *Morti proximus cenſetur verum dicere.*

4 *Vir timoratæ conſcientiæ cenſetur habere curam ſuæ ſalutis.*

5 *Iudex acceptans confeſſionem extraiudicialem illius, qui veridicus habetur, prudenter ſe gerit.*

6 *Nullum adeſt periculum foro ſi acceptentur confeſſiones extraiudiciales moraliter vera.*

7 *In his confeſſionibus non eſt maius periculum deceptionis, quàm in teſtibus.*

8 *Quando iudex peccet non acceptans extraiudicialem confeſſionem.*

1 Vt caſus facilior ſit. Supponitur quòd producantur plures conteſtes, qui iuramento affirment ſe audiuiſſe Petrum aliquid dixiſſe. Quæritur an in tali caſu confeſſio Petri ſit admittenda in foro externo. Ratio dubitandi eſt, quia talis confeſſio cum non ſit in iudicio ab ipſo Petro iuramento confirmata, ſuſpecta eſt an ſit colluſoria.

2 Reſpondetur. Quamuis regulariter non poſſit admitti, poteſt tamen, quando non eſt in præiudicium tertij, admitti aliquando: cum videlicet concurrunt tales circumſtantiæ, vt poſſit prudenter iudicari verum dixiſſe.

3 Hæc deciſio, quamuis non ſub his amplis terminis, ſed tantùm de eo, qui eſt morti proximus, habetur ex l. *vltima C. Ad legem iuliam repetun.* & traditur à Gram. *conſil. 65. num. 1. & not. 3. numer. 4.* Care. *in Praxi* §. *Circa quartum num.*

num.122.& num.356.Cacher. deciſ. Pedemont. 79.num.20. Bal. conſil.25. numero.1.Ancharan. conſil.157.Marſil.conſil. 109. numer. 30. & 31. Caſtrenſ.conſil.201.Boer.deciſ.105.num.6.Cephal.conſil.276. num.30. volum.2. Maſcard. de Probat. concluſ. 1074. num.1. qui etiam alios allegat.

4 Sed hoc extendi debet etiam ad alios caſus cum Sanchez diſp. 109. de Matrimon. num. 15.Soto in 4.diſt.34. quæſt. vnica art.2. Si enim morti proximus cenſetur verum dicere, quia putatur habere curam ſuæ ſalutis, eadem ratione etiam vir, qui alias habetur timoratæ conſcientiæ, cenſendus eſt habere curam ſuæ ſalutis, & nolle mentiri præſertim in re graui. Quod etiam ex alijs circumſtantijs confirmari poteſt: vt ſi nullam habeat occaſionem mentiendi, aut colludendi, & feriò loquatur.

5 Confir. quia fieri poteſt quòd talis confeſſio ſit viri, qui pro veridico vniuerſaliter habeatur, & quòd ſimul concurrant aliæ præſumptiones, & indicia, quæ oſtendant confeſſionem fuiſſe veram; tunc autem iudex poteſt illam acceptare; quia prudenter ſe gerit.

6 Deinde. Eſt priuilegium fori quòd non teneatur acceptare niſi iudiciales confeſſiones: non tamen per hoc fit quòd non poſſit, quando ſunt tales, vt moraliter cenſeantur veræ; quia ex hoc nullum ſequitur præiudicium fori, cuius finis eſt ſecundùm veritatem indicare; quod poteſt aſſequi abſque morali periculo deceptionis, ſi admittat huiuſmodi confeſſiones: imò conducunt ad iudicandum ſecùndum veritatem. Ergo quotieſcunque non cenſentur in præiudicium fori, eo quòd cenſeantur veræ, poſſunt admitti.

7 Quod rurſus declaratur ex eo, quòd non eſt minus periculi in confeſſionibus iudicialibus, quò ad deceptionem, quàm in iſtis; nam experientia docet plures falſum teſtari, & tamen forum non reijcit huiuſmodi teſtimonia: Ergo neque debet reijcere confeſſiones huiuſmodi extraiudiciales, propter periculum deceptionis.

8 Ex his colligitur, iudicem peccare contra charitatem, qui enim præiudicio alterius non vult acceptare aliquam huiuſmodi confeſſionem; quia licet non teneatur acceptare ex iuſtitia (quia non eſt confeſſio facta intra forum, atque adeo nemo habet ex vi illius ius ad forum: vnde non peccat contra iuſtitiam) Cum tamen poſſit prudéter acceptare, peccat contra charitatem; quia in re graui, reijciendo talem confeſſionem, facit alteri quod ſibi non vellet fieri. Atq; adeo peccatum eſt mortale.

An peccent Mercatores, dum iurant, quòd merces pluris ipſis ſtant, vtendo æquiuocatione, vt ad precium iuſtum deueniant.

Deciſio CCCCXLV.

SVMMARIVM.

1 *Mercatores peccant iurantes merces ſibi pluris ſtare: vt ad iuſtum precium deueniant.*
2 *Non peccant.*
3 *Tale iuramentum non eſt malum ex aliquo capite.*
4 *Ordinatur ad confirmandam veritatem.*
5 *Verba æquiuocationem continentia poſſunt æquiuocè vſurpari ſecùndum communem acceptionem.*
6 *Quæ ſit intentio ſic iurantis.*

1 Affirmatiuè reſpond. Syluester Verbo Iuramentum 3. quæſ. 2. Tolet. lib. 4. cap. 21. num. 9. quia cum liberè & ſponte iurent, debent vti verbis ſecùndum communem ſignificationem.

2 Oppoſitum tamen eſt tenendum cum Leſſio lib. 2. de Iuſt. & Iure cap. 42. dub. 9. num. 46. ver. Reſpondeo. Io. Henriquez in Compendio Caſuum Moral. cap. 5. num. 32.

3 Ratio eſt quia iuramentum nec eſt ex obiecto malum (cùm non ſit falſum, vt ſupponitur, ſtante æquiuocatione) nec etiam ex fine; quia non ordinatur ad decipiendum, ſed ad obtinendum iuſtum precium: quod eſt quid licitum; & proinde ordinari poſſunt ad ipſum omnia media licita, quæ non ſunt de ſe mala. Nec iuramentum temerè fit; quia ſupponitur neceſſitas pro obtinendo iuſto precio.

4 Dices. Fieri contra propriam inſtitutionem; nam eſt inſtitutum pro confirmanda veritate. Reſp. non detorqueri à confirmanda veritate, atque adeo nec à propria inſtitutione; quia adhuc confirmat verum; nam ſupponitur eſſe verum quod dicitur, licet æquiuocum: alioquin iuramentum eſſet falſum.

5 Ad rationem alterius opinionis Reſp. Verba æquiuocationem continentia, etiam ſecùndum communem acceptionem ſignificare æquiuoco modo; & ideo ſecùndum communem acceptionem vſurpantur quando vſurpantur in aliquo ex ſenſibus, quem poſſunt habere. Et quamuis audiens formet conceptum diuerſum ab eo, quem vult loquens exprimere, non tamen iuramentum ordinatur ad decipiendum; quia iurans vult tantùm inducere ad ſoluendum iuſtum precium.

6 Dicés. Iurans ideo iurat cum tali æquiuocatione, quia vult inducere ementem ad credendum oppoſitum illius quod eſt, nempe quòd merces tanti ipſi ſteterint, cùm reuera tanti non ſteterint; quia niſi hoc crederet, non poſſet inducere ad iuſtum precium, nam mediante hoc conceptu inducitur: Ergo iurans etiam ordinatur ad decipiendum. Reſp. iurantem non poſſe hoc intendere: alioquin iuraret falſum, & non cum æquiuocatione. Solùm ergo intendit iurare verum, ſed verbis æquiuocis, ex quibus poſſit formari conceptus diuerſus; vnde reſpectu ementis tantùm intendit dare occaſionem, vt ſi vult, ſibi perſuadeat quòd merces ſteterint ipſi tanti, cum re vera non ſteterint. Nec intendit mediante illa perſuaſione iuſtum precium: ſed ſolùm ſtante illa perſuaſione, quæ poteſt ſequi ex tali iuramento, ratione intellectus ementis determinantis verba, & accipientis in tali ſignificatione, intendit illa vti ad obtinendum iuſtum precium. Sic etiam Deus permittens peccatum, non intendit ipſum peccatum vt medium ad punitionem; ſed ita permittit, vt ſi homo poſtea peccet ex ſua libertate, vtatur peccato ad punitionem.

An qui recitando Diuinum Officium voluit multo tempore paginas, vt quærat Pſalmos &c. ſatisfaciat.

Deciſio CCCCXLVI.

SVMMARIVM.

1 *Qui multo tempore voluit paginas, vt quærat Pſalmos &c. dum recitat Diuinum Officium, non ſatisfacit.*
2 *Probabilius eſt quòd ſatisfaciat.*

1 Reſp. negatiuè Henriquez *in Compend. Caſuum moral. cap. 29. num. 20.* etiam ſi fiat in ordine ad recitationem; quia hoc totum poterat præueniri, & alioquin ſecum affert diſtractionem.

2 Sed hanc opinionem exiſtimo nimis ſcrupuloſam; tum quia etiam ſi hoc cauſaret diſtractionem, non tamen impediret debitam attentionem; tum quia quærere Pſalmos &c. eſt quid acceſſorium recitationi Officij; vnde cum acceſſorium ſequatur naturam principalis, qui attendit acceſſorio in ordine ad principale, cenſetur attēdere principali; tum quia non poteſt in hoc inſumi tantum temporis, vt cenſeatur pars notabilis reſpectu totius recitationis. Et ideo tenendum puto, quòd hoc non obſtet ſatisfactioni recitationis.

An ſi quis recitando Diuinum Officium, vacet alteri rei, quæ non impediat debitam attentionem, ſatisfaciat obligationi recitandi.

Deciſio CCCCXLVII.

SVMMARIVM.

1 *Vacans alteri rei non impedienti attentionem debitam, & ſimul recitans Officium, ſatisfacit.*
2 *Talis vacatio non tollit aliquid, quod ſit preceptum.*
3 *Eſt tamen contra decentiam recitationis.*
4 *An ſit peccatum irreuerentiæ.*
5 *Quæ ex habitu fiunt non impediunt ſatisfactionem in recitando Officium Diuinum.*

1 Reſpon. affirmatiuè Caietan. *2. 2. quæſt. 83. art. 13. in reſp. ad 3.* Syluius *eodem artic. concluſ. 7. ver. Si petas* Maior *in 4. diſt. 15. quæſt. 7.* Sotus *lib. 10. de Iuſt. & Iure quæſt. 5. artic. 5.* Nauarr. *cap. 13. ſum. num. 49.* Medina *lib. 1. ſum. cap. 14. §. 11.* Sanchez *lib. 7. conſil. moral. capit. dub. 32. num. 2.* Moſcoſus *in ſum. tractat. 8. cap. 3. num. 3.*

2 Et ratio eſt Quia quando alius actus exercitus ſimul cum recitatione Diuini Officij nō impedit debitam attentionem, non tollit aliquid, quod ſit à præcepto præſcriptum; quia iam habetur recitatio cum neceſſaria attentione: quæ ſola exiguntur à præcepto; vnde ſi quis ſe veſtiendo recitet Officium, ſatisfaciet præcepto.

3 Et hanc ſententiam puto probabilem, ſed non ad praxim reducendam, niſi vrgente aliqua neceſſitate; quia licet ſaluet adimpletionem præcepti, non tamen illam decentiam, quæ eſt debita, quando quis vacat ſeruitio Dei: & valde diſſonum eſt loqui cum Deo mediante Oratione, & alteri rei vacare.

4 Dices. Quicquid ſit, an ſatisfaciat, peccaret tamen mortaliter ob irreuerentiam erga Deū, ſicut ſi quis loquens cum Principe aliud opus exerceret, irreuerenter ſe haberet. Reſp. non adeſſe irreuerentiam ſubſtantialem, et notabilem; quia eſt diſpar ratio de Principe; nam illud opus exercitum coram Principe non eſſet in obſequium ipſius; & ideo adeſſet irreuerentia; omnia autem opera, quæ non ſunt precca-

peccaminoſa, ſaltem ex generali tatione ſunt in obſequium Dei: quia omnia ſunt opera ipſius, & ordinata ad ipſum, iuxta illud Prouer. 16. *Omnia propter ſemet ipſum operatus eſt Dominus.*

5 Ex his fit, omnia, quæ ex habitu fiunt, non impedire ſatisfactione recitandi Officium; quia cum habitualiter fiant, non requirunt ſpecialem attentionem; vnde nec impediunt neceſſariam pro recitatione. Deinde vt notat Sanchez *citat.* habenda eſt ratio habilitatis vniuſcuiuſque, vt poſſimus agnoſcere, quæ impediant debitam attentionem, & quæ non, ex ijs, quæ non ſolent ex habitu fieri.

An ſcholaris, cuius ſcientia eſt notoria, doctorari poſſit abſque præuio examine.

Deciſio CCCCXLVIII.

SVMMARIVM.

1 *Cur neceßarium præuium examen ad Doctoratum.*
2 *Scholaris, cuius ſcientia eſt notoria, poteſt doctorari abſque præuio examine.*
3 *Medium non eſt neceſſarium ad finem legis quando finis habetur ſine ipſo.*
4 *Ex fine ſumitur menſura obligationis legis.*
5 *Quàm notoria debeat eße ſcientia ſcholaris, vt poſſit doctorari ſine examine.*
6 *Regulares poſſunt doctorari abſque præuio examine, quando ſcientia eſt notoria.*
7 *Hinc non ſufficit vt ſit nota ijs, qui habent ius doctorandi, ſed etiam cæteris.*

1 Ratio dubitandi eſt, Quia Doctoratus debet fieri ſecùndum præſcriptum legum; ſuper quibus, cum ſolus Princeps poſſit diſpenſare, videtur neceſſarium præuium examen: alioquin ij, ad quos pertinet doctorare, facerent in re graui contra legem, atque adeo peccarent: cum non poſſit dici quòd ſuper ipſa diſpenſent.

2 Nihilominus dicendum eſt Poſſe doctorari abſque præuio examine. Ita Decius *in cap. Conſtitutis* 2. *num.* 3. *De Appellat.* Moditius *in* §. Plebiſcitum *dub.* 54. *num.* 12.

3 Ratio eſt. Quia leges præſcribunt præuium examen ad Doctoratum, vt conſtet Doctorantibus an ſcholaris habeat ſufficientem doctrinam pro Doctoratu; vnde finis legis eſt experiri ſufficientiam ſcholaris. Quia autem in lege attenditur finis, qui ſi habeatur abſque medio præſcripto à lege, non eſt neceſſe vti tali medio: cum non ſit præſcriptum ſecùndum ſe, ſed ſolùm in ordine ad obtinendum finem: ideo cum ſcientia & ſufficientia ſcholaris notoria ſit, non eſt opus adhibere præuium examen, cum abſque ipſo finis legis habeatur.

4 Neque hoc eſt diſpenſare in lege, neque facere contra legem, ſed operari attendendo finem legis; & ex fine ſumere interpretationem, ſeu menſuram ipſius quò ad obligationem: vt videlicet non obliget ad media, quando ſine ipſis finis intentus haberi poteſt.

5 Sed inquiret aliquis quantum debeat eſſe notoria ſcientia, & ſufficientia ſcholaris: & an ſufficiat vt nota ſit Doctorantibus. Reſp. ſufficere quidē vt nota ſit Doctorantib. ad hoc vt non faciant contra legem: non tamen ſufficere ad vitandum ſcandalum, quod poſſet ſumi exiſtimando quòd omitterent examen ad tegendam inhabilitatem ſcholaris. Vnde debet etiam pluribus alijs eſſe nota: vt manifeſtum ſit rationabiliter omitti examen.

6 Et hoc locum habet etiam inter Regulares, qui gaudent priuilegio doctorandi; nam apud ipſos quoque eadem eſt neceſſitas præmittendi examen: nempe ad notificandam ſufficientiam doctorandi; vnde ſi aliàs nota ſit, non eſt neceſſarium examen. Et hoc debet intelligi tam reſpectu Generalis, ſeu Prouincialis cōmittentium examen, quàm reſpectu illorum, quibus committitur.

7 Attamen non ſufficit, quòd ipſis nota ſit ſufficientia Doctorandi, ſed alijs quoque debet eſſe nota: vt tollatur ſcandalum, quod oriri poſſet ex ſuſpicione quòd inhabilis admitteretur; præſertim quia examen præuium inſtitutum eſt, vt, ſicut doctoratus eſt gradus publicus, ita etiam publica fiat habilitas illius, cui gradus confertur.

An ſi maritus prohibeat vxori eleemoſynas, poſſit adhuc vxor eas facere.

Deciſio CCCCXLIX.

SVMMARIVM.

1 *Vxor poteſt facere moderatas eleemoſynas, etiā prohibente marito.*
2 *Vxor eſt habenda vt ſocia, non vt mancipiū: & ei ſunt debita neceſſaria ad ſtatum.*
3 *Etiam ſi vxor nil habeat, de quo poſſit diſponere poteſt facere modicas eleemoſynas.*
4 *Etiam ſi maritus valde contriſtaretur, & iraſceretur de dictis eleemoſynis.*

Si vxor habeat bona propria, poteſt dictas eleemoſynas adhuc facere de bonis mariti, etiã ipſo inuito.

1 RESp. Moſcoſus *in ſum. tract. 11. cap. 4. num. 13.* Quòd cum maritus prohibet vxori facere eleemoſynas, cenſetur tantùm prohibere magnas, & extraordinarias, non autem paruas, & moderatas. Quòd ſi has quoque prohiberet, non eſſet audiendus, tanquam malus Chriſtianus.

2 Quam doctrinam probabilem puto, contra Henr. in Cap. *Cum ex eo. De Pœnit.* Lup. *De Palat. Rub. in in Rep. Cap. Per veſtras. in rubrica.* Nauarr. *Cap. 17. Manual. num. 153.* Quia vxor non eſt habenda tanquam mancipium, ſed tanquam ſocia eiuſdem vitæ ciuilis; vnde non poſſunt ei denegari quæ pertinent ad conuenientem ſtatum ipſius: alioquin maritus faceret contra iuſtitiam; nam habet ius exigendi à marito quæ neceſſaria ſunt pro ſuo conuenienti ſtatu.

3 Quod etiam intelligi debet, etiam ſi vxor nihil de ſuo habeat, de quo poſſit ad libitum diſponere; quia ſi habet, poteſt etiam de ipſo facere extraordinarias eleemoſynas, imò & totum in eleemoſynas erogare; quia iam habet dominium liberum non ſubiectum voluntati mariti.

4 Sed quid, ſi maritus valde contriſtaretur, & iraſceretur reſciens quòd vxor faciat, ſe inuito, prædictas modicas eleemoſynas. Reſp. debere in hoc caſu celare maritum, quantum fieri poteſt; quòd ſi contingat maritum id reſcire, non per hoc tenetur vxor abſtinere à prædictis eleemoſynis; quia non tenetur cedere iuri ſuo, ſed ſolo marito imputari debet, & eius prauæ, & iniuſtæ voluntati tota triſtitia, & iracundia.

5 Rurſus. Si vxor habeat aliqua bona, de quibus ad libitum poſſit diſponere, poteſt adhuc de bonis mariti facere prædictas moderatas eleemoſynas, etiam ipſo inuito. Neque enim, quia habet bona ſpecialia, tenetur cedere ijs, quæ ſibi de iure debita ſunt à marito: qualia ſunt omnia neceſſaria ad conuenientem ſtatum: in quibus computantur modicæ eleemoſynæ: & maritus irrationabiliter inuitus eſt. Hoc autem intelligi debet, niſi vxor aliter conuenerit cum marito; nam ratione conuentionis cenſetur cedere iuri ſuo.

An peccet Religioſus vtendo veſtimentis prophanis.

Deciſio CCCCL.

SVMMARIVM.

1 *Religioſus vtens veſtimentis prophanis peccat mortaliter.*
2 *Non poteſt præſumere licentiam tacitam Superioris.*
3 *Excuſatur ratione paruitatis materiæ.*

1 RESp. peccare mortaliter, atque adeo eſſe in continuo peccato mortali; Vt ſpecialiter tenet Henriquez *in Compend. Caſ. Moral. cap. 38. num. 47.* Nomine autem veſtimentorum prophanorum intelliguntur ea, quæ ſunt propria ſæcularium, vt veſtimenta ſerica, aut auro ornata, aut quæcunq; alia, quæ non deceant ſtatum, & paupertatem Religioſam.

2 Ratio autem eſt, quia huiuſmodi veſtimenta ſunt contra paupertatem, & ſtatum Religioſum; vnde Religioſus in re graui facit contra proprium ſtatum regularem, & votum paupertatis. Nec poteſt habere præſumptam licentiam Superioris; tum quia Superior non videt huiuſmodi veſtimenta, cum occultentur veſtibus regularibus ſuperpoſitis: tum quia non poteſt præſumi illa licentia, quam non poteſt Superior concedere; non poteſt autem concedere licentiam quò ad ea, quæ ſunt contra ſtatum religioſum.

3 Excuſari tamen poterit ratione paruitatis materiæ; vt ſi nimirum parum excedant ſtatum Religioſum tàm ratione materiæ, quàm ratione ornamentorũ: aut ſi non omnia ſed aliquid minùs principale de veſtimẽtis tale ſit: vt eſſent tibialia, cingula, & alia huiuſmodi: dummodo tamen in his quoq; non ſit notabilis exceſſus; in hoc enim caſu non cenſerem peccare mortaliter, ſed ſolùm venialiter.

An ſi Religioſus per duos, vel tres dies retineat apud ſe pecuniã, quam poſtea eſt ſoluturùs, peccet mortaliter.

Deciſio CCCCLI.

SVMMARIVM.

1 *Religioſus retinens apud ſe per aliquot dies pecuniam ſoluendam, non peccat mortaliter.*

2 *Reti-*

Digitized by Google

2 *Retinere apud ſe pecuniam præcisè non eſt contra votum paupertatis.*
3 *Nec ſe exponit periculo, vt cenſeatur proprietarius.*

1 NEgatiuè reſpondent Euſeb. de Herrera *deciſ.* 5. *num.* 7. Henriquez *in Compend. Caſ. Moral. cap.* 38. *num.* 42. quod ego quoque probabile puto.

2 Ratio eſt, quia non facit aliquem actum, qui ſit contra votum paupertatis. Suppono enim, quod in diſpoſitione talis pecuniæ non violetur paupertas: ſed ſolùm interueniat illa retentio, quæ de ſe, præſcindendo ab vſu, dominio, & proprietate, non eſt contra votum paupertatis; quia eſt tantum actus quidam materialis non habens formam contrariam voto.

3 Dices. Se exponere periculo, quòd ſi talis pecunia apud ipſum reperiatur, cenſeatur proprietarius. Reſp. non ſe exponere huiuſmodi periculo; quia poteſt facilè oſtendere, quæ nam pecunia ſit, & quomodo nec dominium, nec diſpoſitionem propriam ſupra ipſam exercuerit, atque adeo non contraxerit peccatum proprietatis.

An damnum alterius ſequens ex actu licito proprio ſit voluntarium.

Deciſio CCCCLII.

SVMMARIVM.

1 *Damnum alienum, ex actu licito proprio ſequens, non eſt voluntarium.*
2 *Exercens actum licitum vtitur iure ſuo.*
3 *Si damnum per ſe ſequatur ex actu proprio licito, eſt voluntarium.*
4 *Actus ſit illicitus ſi damnum alterius per ſe ex ipſo ſequatur.*
5 *Si damnum per ſe non ſequatur ex actu licito, non eſt voluntarium, etiam ſi prævideatur ſecuturum.*

1 NEgatiuè reſpondent Caiet. 1. 2. *quæſ.* 20. *ar.* 5. Corneius *tract.* 4. *quæſ.* 6. *diſp.* 1. *dub.* 9. *num.* 26. & idem debent tenere, qui cenſent effectum, qui ſequitur ex omiſſione, non eſſe voluntarium, niſi inteteedat obligatio non omittendi. vt Nauar. *in ſum. Prælud.* 6. *num.* 4. Medina 1. 2. *quæſt.* 6. *art.* 3. & *quæſt.* 71. *art.* 5. Aluarez *diſp.* 35. Monteſin. *diſp.* 9. *quæſt.* 5. Vaſquez *diſp.* 24. *cap.* 3. Lorca *ſect.* 1. *de Actibus humanis diſp.* 2. Conrad. *quæſt.* 6. *art.* 3. Caraſa. *diſp.* 3. *num.* 24. Curiel. *dub.* 2. §. 3. *concluſ.* 1. Sayr. *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. & 3. & *cap.* 6. *num* 9. D. Antonin. 1. *par. tit.* 4. *cap.* 3. §. 2. Viguer. *cap.* 3. §. 4. *init.* Almain. 1. *Moral. cap.* 1. *in fine* Philiar. 2. *par. ſum. lib* 4. *cap.* 18. & alij plures. Si enim, præciſa obligatione non omittendi, effectus ſequens ex omiſſione non eſt voluntarius ſecùndum iſtos: ſimiliter nec effectus ſequens ex actu poſitiuo, quem quis non tenetur omittere, erit voluntarius: cum militet eadem ratio.

2 Fundamentum huius doctrinæ eſt, Quia dum quis facit actum licitum, vtitur iure ſuo; quod habet ſupra exercitium actus; Quòd autem inde proueniat damnum, eſt præter intentionem ipſius, atque adeo eſt omnino illi inuoluntarium; quia cum ſit præter intentionē, non prouenit ab ipſius voluntate.

3 Limitanda eſt tamen huiuſmodi doctrina, vt vera ſit; vt nimirùm tunc ſolùm habeat locum, quando damnum non ſequitur per ſe ex actu poſitiuo; alioquin ſi per ſe ſequatur, erit voluntarium indirectè ob illam connexionem cum actu poſitiuo per ſe & directè voluntario; nam tunc voluntas erit cauſa illius, quia erit cauſa actus, vnde per ſe conſequitur.

4 Imò, ſi damnum per ſe ſequatur, neque actus erit licitus, quia licet alioquin licitus, eo ipſo tamen, quòd per ſe infert damnum alterius, euadit illicitus: atque adeo adeſt obligatio vitandi ipſum. Vnde non ſumus amplius in caſu de actu licito.

5 Sed, adhibita hac limitatione, amplianda eſt: quòd locum habeat, etiam ſi damnum prævideatur futurum; quia cum non ſequatur per ſe, ſed aliunde habeat ſuam cauſam, imputatur illi, qui eſt cauſa ipſius, non autem illi, qui exercet actum licitum, cui per accidens connectitur damnum alterius; quia iſte vtitur ſuo iure, exercendo actum licitum.

An teneatur reſarcire damnum ſequutum ex omiſſione qui omittit contra debitum non omittendi.

Deciſio CCCCLIII.

SVMMARIVM.

1 *Omittens cum debito non omittendi, tenetur reſarcire damnum inde ſequens, ſecundum aliquos.*
2 *Horum fundamenta ex Iure Canonico.*
3 *Omittens impedire damnum, quod tenetur impedire, facit contra officium ſuum.*

3 Omit-

4 *Omittens cum debito non omittendi, non tenetur reſarcire damnum inde ſequens.*
5 *Obligatio reſtituẽdi eſt tantùm ex læſione iuſtitiæ.*
6 *Quando damnum ſequens ex omiſſione ſit reſarciendum.*
7 *Quando conſentiens malo ſit puniendus.*
8 *Non indicans furtum domino inquirenti, præſumitur reus furti.*
9 *Auctor delicti, etiam ſi ipſe non committat, pari pœna punitur.*
10 *Omittens paſcere fame pereuntem, eſt homicida.*
11 *Qui tenetur corrigere, & non corrigit, ipſi imputatur malum.*
12 *Quando omiſſio eſt contra officium debitum ex iuſtitia inducit obligationem reſarciendi damnum ſequens.*

1 ESſe reſarciendum, abſolutè & ſine vlla limitatione Reſp. Caiet. *in Sum.* Verbo *Reſtitutio* Riccar. *in* 4. *diſt.* 15. *quæſ.* 5. *quæſtiun.* 4.

2 Afferuntur pro hac ſententia non nulli tex. nempe Cap. *Notum* 2. *quæſ.* 1. Vbi dicitur *Facientem, & conſentientem par pœna conſtringit.* Cap. *Qui cum fure* De *Furtis*, vbi dicitur *Reus eſt furti, qui furti conſcius poſſeſſore quærente non indicet*, & Cap. *ſicut dignum* §. *Illi etiam* De *homicidio*, vbi habet Quod *quando ex captione ſequitur homicidium par pœna debetur ijs, qui acceſſerunt animo capiendi, & occidendi, etiam ſi manus non iniecerint.* & Cap. *Paſce Diſt.* 86. vbi damnatur vt homicida, qui potuit paſcere fame morientem, & non pauit. Et cap. *Facientis, eadem Diſt.* vbi tex. habet *Negligere cum poſſis deturbare peruerſos, nihil aliud eſt, quam fouere.*

3 Præterea, qui omittit impedire damnum, quod tenetur impedire, facit contra officium ſuum, & eſt cauſa indirecta damni, quod ſequitur proximo. Ergo tenetur ad reſarciendum.

4 At non obligari ad reſarciendum damnum, niſi faciat contra iuſtitiam, eo quòd ex iuſtitia teneatur impedire, deſumitur ex D. Th. 2.2. *quæſ.* 62. *ar.* 7. *ad* 3. Adrian. *Quodlib.* 11. *quæſ.* 1. & *in* 4. *tract. de Reſt. quæſ.* 1. *in fine* Soto 4. *de Iuſt. & iure quæſ.* 7. *ar.* 3. Io. Medina *q.* 9. *de Reſt.* Idẽ tenet Sylu. *Verbo* Reſtitutio 3. *q.* 5. Sà *ibid. num.* 1. Sum. Corona *par.* 2. *cap.* 5. *num.* 11. Azor *tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 16. *quæſ.* 2. Couarru. *par.* 2. §. 3. *num.* 5. Cornelius 1.2. *tract.* 4. *diſp.* 2. *dub. vltimo concluſ.* 3.

5 Et habet hæc doctrina ſolidum fundamentum; nam obligatio reſtituendi ordinatur ad ponendum iuſtum, & æqualitatem ablatam; vnde ſupponit quòd ille, qui tenetur reſtituere, fecerit aliquid contra iuſtitiam, per quod abſtulerit æqualitatem, & iuſtum; & ideo ſi non peccat contra iuſtitiam, quantumcumq; inde ſequatur damnum, non tenetur ad reſarciendum.

6 Eſt autem ad notandum, Quod quando quis tenetur ex officio non omittere, & ex omiſſione ſequitur damnum, vt conſurgat obligatio reſtituendi non ſufficit quòd teneatur ex iuſtitia ad non omittendum, ſed neceſſe eſt, vt obligatio iuſtitiæ ſe extendat ad manutenendum id, ex quo conſequitur damnum: atque adeo quòd ſit de non omittendo aliquid ordinatum ad arcendum damnum; alioquin ſicut non faceret contra iuſtitiam reſpectu illius perſonæ, quæ damnificatur, ita nec ſubiret obligationem reſarciendi damnum, vt induceret iuſtum, quod ab ipſo abſtulerit. Sic ſi Petrus omitteret ſoluere quod debet Paulo, & ex hoc ſequatur damnum Frãciſco, eo quòd Paulus non potens exigere pecuniam à Petro, nequit ſoluere debitum Franciſco: non tenetur Petrus reſarcire damnum Franciſci: quia non habet obligationem iuſtitiæ ad ipſum: atque adeo reſpectu ipſius non facit aliquid contra iuſtitiam, ſed tantùm habet ad Paulum.

7 Ad primum tex. ex Cap. *Notum num.* 2. allatum Dicitur quòd tantùm intendit quòd conſentiens puniendus eſt pari pœna; pœna autem correſpondet peccato: at obligatio reſarciendi damnum eſt aliquid ſupra pœnam, & correſpondet violationi iuſtitiæ. Deinde Debet intelligi de eo, qui directè conſentit; quia per directum conſenſum fit auctor principalis mali: ſecus autem de eo, qui faciendo aliquid aut omittendo, indirectè tantùm conſentit.

8 Alterius autem tex. ſenſus eſt quòd qui non indicat furtum poſſeſſori inquirenti, reus eſt furti quò ad præſumptionem: quia cum teneatur reuelare, non reuelando præſumitur quòd participet in furto, non ſic qui indirectè eſt cauſa damni.

9 In Cap. autem *ſicut dignum* oſtenditur quòd auctori delicti, etiam ſi ipſe non committat, debetur æqualis pœna; nam qui accedit animo occidendi, & ex hoc acceſſu ſequitur homicidium, eſt auctor illius; non ſic autem qui omittit aliquid facere, ex quo ſequitur damnum; quia licet peccet ſi teneatur non omittere, cum non faciat contra iuſtitiam, non ſubit obligationem reſarciendi, ſicut qui infert damnum.

10 Caput autem *Paſce* ſolùm decernit quòd qui poteſt paſcere fame pereuntem, & non paſcit, ſit cauſa mortis illius: indirectè tamen, dum omittit implere præceptum charitatis; non antè quòd obligetur ad aliquod damnum reſarciendum; quia tunc tantùm ex homicidio conſurgit huiuſmodi obligatio, quando

eſt

Digitized by Google

eſt directè volitum: quia tunc peccatur contra iuſtitiam.

11 Quod verò affertur ex Cap. *Facientis* debet intelligi ſecùndum ſubiectam materiam: ibi enim eſt ſermo de Prælatis, qui cum poſſint corrigere errores, non corrigunt: vt notat etiam Gloſsa; vnde extendi poteſt tantùm ad eos, qui ex officio tenentur impedire errorea, ſi enim omittant impedire ipſis quoque imputantur. An autem, quando ſequitur alienum damnum, teneantur reſarcire, videndum eſt an ex iuſtitia teneantur impedire.

12 Ad rationem autem *num.* 3. allatam Reſp. Non ſufficere ad inducendam obligationem reſarciendi damnum, facere contra officium ſuum; ſed opus eſſe, vt hoc officium ſit debitum ex iuſtitia in ordine ad arcendum damnum; quia ſimpliciter facere contra officium ſuum non eſt lædere iuſtitiam. Nec eſt cauſa indirecta damni; quia damnum non ſequitur per ſe ex omiſſione, ſed per accidens, & aliunde habet ſuas cauſas: & ideo nec indirectè ſit aliquid contra iuſtitiam.

An ſi Beneficiarius prætermittat per octo aut decem dies recitationem Officij, teneatur ad reſtitutionem fructuum correſpondentium.

Deciſio CCCCLIV.

SVMMARIVM.

Omittens recitare Officium per octo, aut decem dies in anno, imò etiam per vnum tenetur ad reſtitutionem fructuum.

2 *Quomodo Pius V. aſſignet reſtitutionem fructuum ex omiſſione Officij.*

3 *Qui per vnum aut duos dies omittit Officium in anno, non tenetur ad reſtitutionem.*

4 *Nec qui per octo, aut decem.*

5 *An hæc opinio ſit probabilis.*

6 *Quid contra ipſum faciat.*

1 AFfirmatiuè reſp. Sylnius 2. 2. *quæſ.* 83. *ar.* 3. *concluſ.* 4. Quia Pius V. aſſignat in ſuo motu proprio etiam reſtitutionem fructuum pro omiſſione vnius horæ, nempe partem proportionatam, quæ recitationi talis horæ correſponderet. Vnde multò magis iuxta decretum ipſius eſſet reſtitutio facienda, ſi Officium omitteretur per octo, aut decem dies.

2 Sed poſſet reſponderi quòd Pontifex ibi aſſignat portionea fructuum reſtituendas pro omiſſione cuiuſcunque horæ: ita vt ſi nimirum contingat pluries eaſdem horas omitti, ita vt ex frequenti omiſſione conſurgat notabilis omiſſio, tunc ſit facienda reſtitutio iuxta proportiones ibi aſſignatas; non autem quòd velit pro omiſſione vnius tantùm horæ eſſe faciendam reſtitutionem, aut pro quacunque omiſſione non notabili.

3 Ideo Sotus *lib.* 10. *de Iuſt. & Iure quæſ.* 5. *ar.* 6. *in dub. poſt concluſ.* 4. *ver. Quod ergo conſilium &c.* Ortiz *cap.* 3. *Sum. num.* 22. cenſent quòd omittere per vnum aut duos dies in anno Officium, non inducat obligationem reſtitutionis.

4 Alij verò extendunt vſque ad decem dies; ita vt ſi in toto anno decem diebus omiſerit recitare ſiue interpolatè, ſiue ſucceſſiuè, non teneatur ad aliquid reſtituendum. Ita Medina *in Sum. lib.* 1. *cap.* 14. §. 11. Regula 4. *circa recitat. Officij.* Ludouicus Lopez *tom.* 1. *cap.* 145. Io. à Cruce *par.* 1. *Direct. Conſcient. præcep.* 3. *ar.* 3. *dub.* 6. *concluſ.* 3. *in fine.* Io. Henriquez *in Compend. Caſuum Moralium cap.* 29. *nu.* 30. Quia nemo prudens priuat ſeruum mercede, ſi per octo, aut decem dies ceſſauit ſeruire; vnde multò minùs priuabitur beneficiarius, cum ſit ſeruus liberaliſſimi Domini. Quam opinionem refert P. Diana *par.* 2. *tract.* 12. *reſol.* 34. ſed tamen ipſe nihil decernit.

5 Hæc opinio probabilis eſt ab extrinſecò, conſiderando auctoritatem Doctorum, qui eam tradunt; & etiam quia nititur fundamento non contemnendo; nam octo, vel decem dies reſpectu totius anni ſunt parua materia: cum neque ad trigeſimam ſextam partem pertingant: quæ proportio, imò etiam maior pars, ſolet haberi pro parua materia: vt in audienda Miſſa, in exercendis operibus ſeruilibus in die feſto, in recitando Diuino Officio, & in alijs huiuſmodi.

6 Econtra; ſi ſeruus abſque vllo impedimento, & abſque tacita, aut expreſſa licentia Domini ceſſaret ſeruire per decem dies in anno, cenſeretur notabiliter violare ſeruitutem debitam: & dignus eſſet qui reijceretur à ſeruitio: quod multò magis videtur habere locum in eo, qui tenetur ratione beneficij recitare Officium; quia in hoc inſumitur modica pars diei cum magna vtilitate, quando beneficium eſt pingue. Vnde neque ipſe in hoc aliquid decerno. Prima tamẽ ſententia valde admodum conformis videtur menti Pij V. & obligationi qua tenemur erga Deum: cuius liberalitas non debet eſſe fundamentum noſtræ ingratitudinis.

Digitized by Google

An, ſi ignorans ſe teneri ad aliquam reſtitutionem pauperibus faciendam, faciat aliquas eleemoſynas, poſſit poſtea eas applicare pro tali reſtitutione.

Deciſio CCCCLV.

SVMMARIVM.

1 *Qui eleemoſynas erogauit ignorans ſe teneri ad reſtitutionem fructum beneficij, quando cognoſcit obligationem, poteſt facere compenſationem.*

2 *Faciens eleemoſynam habet intentionem ſatisfaciendi omnibus debitis.*

3 *Qui facit eleemoſynam quando tenetur reſtituere fructus beneficij, habet voluntatem interpretatiuam reſtituendi, & quomodo.*

1 Affirmatiuè reſpondet Sanchez *lib. 2. conſil. Moral. cap. 4. dub. 121. num. 3.* & ait, hanc eſſe opinionem Doctorum Recentiorum; vnde cum ſecundum ipſum teneatur quis reſtituere fructus beneficij, ſi ſtante tali obligatione erogauit eleemoſynas, cum cognoſcit de ſua obligatione poteſt debitum compenſare illis eleemoſynis.

2 Mouetur, quia eleemoſynæ non repugnat ratio debiti, quando non eſt debita ex aliqua ſpeciali lege iuſtitiæ illi met, cui fit; vnde qui habet debita incerti domini, quæ tenetur dare pauperibus, ſi det extremè indigenti ſatisfaciet etiam præcepto ſubueniendi ipſi. Quia autem faciens eleemoſynas habet virtualem intentionem ſatisfaciendi omnibus debitis, quantum poteſt, ideo cenſetur ſatiſfacere etiam debito reſtituendi fructus, & conuertendi in vſus pauperum; quia ſi noſſet huiuſmodi debitum, vellet pro ipſo ſatisfacere: vnde quando cognouit, poteſt facere compenſationem.

3 Reſoluitur ergo hæc opinio in illud principium theologicum: quòd ſufficit voluntas interpretatiua ad cauſandum voluntarium; vnde quia ſtante obligatione reſtituendi fructus, & applicandi in eleeymoſinas, qui tunc facit eleemoſynas habet voluntatem interpretatiuam per illam eleemoſynam reſtituendi fructus: ideo cenſetur ſatisfacere obligationi reſtituendi, & tanquam ſi ſatisfecerit, poteſt, quando occurrit cognitio obligationis, facere compenſationem. Voluntas autem interpretatiua ex eo colligitur, quòd quilibet prudenter agens priùs vult ſatisfacere ijs, quæ ſunt de obligatione, quam præſtare ea, ad quæ non tenetur; & ideo ſi interrogaretur, an ſi cognouiſſet propriam obligationem, voluiſſet illa eleemoſyna ſatisfacere, certè reſponderet, quòd procul dubio habuiſſet talem intentionem.

An peccet, qui non obſeruat iuramentum factum ſuper obſequijs exhibendis vulgò *complimenti*.

Deciſio CCCCLVI.

SVMMARIVM.

1 *An peccet non ſeruans iuramentum de præuentione in honore.*

2 *Iuramentum præuenientium ſe honore eſt in fauorem alterius, qui poteſt cedere iuri ſuo.*

3 *Iurans ſe non permiſſurum, ſibi exhiberi talem honorem, iurat in fauorem alterius.*

4 *Etiam quando perſona, cum qua agit, eſt longè eminentior.*

1 Solent quidam dum quærunt ſe inuicem in obſequijs vulgo *complimenti* vincere, iurare, quòd v.g. prior non intrabit cubiculum, aut de aliquo alio huiuſmodi. Difficultas autem eſt, an peccent non obſeruando huiuſmodi iuramentum. Reſp. Moſcoſus *in Sum. tract. 13. cap. 3. num. 5.* Non peccare ſi non adimpleant iuramentum, ſequutus Caiet. 2. 2. *quaſ. 89. ar. 7. dub. 2. ver. Ad ſecundum autem dubium* Armil. *verbo Iuramentum num. 11.* Tabien. *verbo Iurare quaſ. 10. num. 11.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 4. quaſ. 4.* Valent. 2. 2. *diſp. 6. quaſ. 7. punc. 3. ad 3.* Sayr. *lib. 5. Clauis Reg. cap. 5. num. 14.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 3. de Iuram. cap. 17. num. 9.* Leſſius *lib. 2. de Iuſt. &c. cap. 42. dub. 4. num. 22.* Sanchez *lib. 3. in Decal. cap. 9. num. 18.* qui etiam alios citat.

2 Eius fundamentum eſt, Quia iuramentum eſt in fauorem alterius, qui poteſt cedere iuri ſuo; vnde cedendo non tenetur qui iuramento ſe obligauit ſeruare iuramentum, quia iam relaxatur quod tenebatur facere.

3 Adeſt tamen difficultas. Quia non ſemper qui iurat, iurat de aliquo præſtando, quòd ſit in fauorem alterius, ſed etiam aliquando de non admittendo aliquo, quod ſit in ſui commodum: vt quando iurat quòd non permittet quòd hæc vel illa obſequia, vulgo *complimenti* ſibi exhibeantur; tunc autem non militat ratio allata. Reſp. in hoc quoque caſu iuramentum eſſe in fauorem alterius; quia iurans, quòd non permittet ſibi exhiberi talia obſequia, id facit, vt oſtendat ſe magni facere eum,

re eum, qui vult ipſa exhibere; & proinde illa obſequia reſpuere eſt aliqua ſpecies obſequij, quod cedit in honorem alterius: & ideo militat eadem ratio.

4 Sed licet hoc verum ſit, quando ex hoc iuramento reſultat alteri aliquis honos: ſecus tamen quando nõn reſultat: vt quando eſt perſona longè eminentior. Reſp. quando perſona, cum qua agimus eſt longè eminentior, non debere fieri has contentiones: ſed eſſe vt fauores acceptandum quicquid in hoc ipſa benignè exhibet. Si tamen inferior iuret, adhuc militat eadem ratio; nam tale iuramentum eſt in ordine ad obſequium ſuperioris perſonæ, quamuis non ſit congruum, & proportionatum; vnde dum perſona ſuperior illud non admittit, non tenetur ſeruare iuramentum. Poſſet etiam dici, quod iuramentum, non tenet, vt pote de aliquo inordinato, & quodam potius contra debitam reuerentiam illius perſonæ.

An vt ſtuprum puellæ oppreſſæ violenter non imputetur ad culpam, teneatur clamare, & facere quodcunque poteſt ad violentiam repellendam.

Deciſio CCCCLVII.

SVMMARIVM.

1 *Puella vi oppreſſa ſi non repellit vim quocunque modo poteſt, ſtuprum illi imputatur, ſecundùm communem.*
2 *Valet quando adeſt periculum conſentiendi.*
3 *Secluſo periculo conſenſus, & aliòquin immineat damnum, non tenetur exteriùs reſiſtere.*
4 *Exterior reſiſtentia ob quem finem neceſſaria puellæ vi oppreſſæ.*
5 *Solus actus exterior ſacrificandi eſt prohibitus.*
6 *Puella vi oppreſſa non conſentit exteriori conſenſu ſi non reſiſtat.*
7 *Nec illi ſtuprum eſt voluntarium ex eo, quòd exterius non reſiſtat.*
8 *An huiuſmodi doctrina conſulenda.*
9 *Bonum in ea conſulenda.*

1 COmmuniter reſpon. imputari ad culpam, niſi faciat quantum poteſt ad repellendam violentiam, clamando & alia præſtando, quæ ſibi poſſibilia ſunt; quia etiam ſi non cõſentiret in ſtuprum, voluntariè tamen omitteret ea, quibus poſſet ſtuprum impedire: & proinde eſſet illi ſtuprum indirectè voluntarium. Ita Caietan. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 4. §. *Ad huius dubij euidentiam* Azor. *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 9. *quæſt.* 3. Valent. 1. 2 *diſp.* 2. *quæſt.* 1. *puncto* 3. §. *penult.* Quod ſi hoc non obſtante adhuc violetur: immunis eſt à peccato, dummodo tamen non conſentiat actu voluntatis.

2 Hæc doctrina certa eſt, quando adeſt in puella periculum conſentiendi; quia conſenſus in ſtuprum prohibetur præcepto negatiuo, quod ſemper & omni tempore obligat; & conſequenter adeſt obligatio faciendi omnia poſſibilia, & ſuſtinendi omne damnum, etiam mortis, potius quàm violare præceptum; quia in hoc caſu concurrunt Deus & creaturæ, quibus ipſe debet præferri: & ideo offenſa ipſius eſt vitanda, nulla habita ratione rerum creatarum; alioquin Deus non præponeretur rebus omnibus creatis.

3 At ſi non adſit periculum conſenſus, & immineat puellæ aliquod graue damnum vel in corpore, vel in fama, vel in bonis, ſi actu exteriori repellat violentiam, & reſiſtat; Exiſtimo quòd tunc non teneatur actu exteriori reſiſtere. Ita etiam docet Gomez de Amefcua *lib.* 2. *de Poteſt. in ſeipſum cap.* 5. *num.* 14. Corneius 1. 2. *tract.* 4. *diſp.* 2. *dub. vltimo. Ver. Dico ſecundò.* Et proinde ſufficit ſi tantùm adhibeat illam reſiſtentiam, quam commodè poteſt.

4 Moueor autem, quia exterior illa reſiſtentia non eſt neceſſaria ad euitandum conſenſum: quia abſque ipſa poteſt non conſentire; ſed ſolùm ad tuendum proprium corpus ab iniuria illata; præceptum autem tuendi proprium corpus ab huiuſmodi iniuria non obligat cum tanto diſcrimine; quia eſt præceptũ affirmatiuum, quod non obligat, niſi quando ſeruari poteſt abſque magno incommodo.

5 Si obijcias, Quòd ille quoque, qui cogitur ſacrificare idolis, poſſet actu externo ſacrificare, dummodo voluntate non conſentiat ſacrificio. Reſp. eſſe diſparem rationem; quia actus ipſe exterior ſacrificandi prohibetur præcepto negatiuo tanquam oppoſitus virtuti confeſſionis exterioris fidei: at reſiſtere exteriori actu opprimenti eſt ex præcepto poſitiuo. Deinde. Aliud quoque diſcrimen interuenit; quia actus exterior ſacrificandi ſe habet per modum actionis: & ideo præſumitur voluntaria, quia niſi ſit omnino violenta, debet eſſe ab aliquo actu voluntatis. At non reſiſtere, cum non ſe habeat per modum actionis, ſed ſit omiſſio, & ſolùm interueniat actus opprimentis, non eſt neceſſe vt interueniat aliqua voluntas oppreſſæ; ſed ſe habet tantùm paſſiuo modo in receptione illius violentiæ.

6 Quod ſi inſtes. Quia ex parte puellæ interueniret

Digitized by Google

nenitet actus externus conſentiens ſtupro, qui adhuc eſt prohibitus; quia non ſolùm actus interni mali, ſed etiam externi prohibentur. Reſp. Quòd neque interueniat actus iſte externus conſenſus; nam conſenſus externus habetur per aliquam externam actionem, quæ correſpondeat actui externo: in caſu autem noſtro non habetur aliqua actio externa: quia puella merè patitur; imò habetur actio oppoſita conſenſui; cum reſiſtat, quantù commodè fieri poteſt.

7 Et ſi rurſus vrgeas. Quòd in hoc caſu non haberet voluntatem efficacem contrariam violationi; quia de ratione voluntatis efficacis eſt vt ponat omnimodam reſiſtentiam: atque adeo oppreſſio non eſſet inuoluntaria, ſed voluntaria, ſaltem ex aliqua ſuppoſitione: quia non datur medium inter voluntarium, & inuoluntarium. Reſp. Ex hoc ſequi tantùm, quòd ſit illi voluntaria permiſſiuè; quia voluntarium aliud eſt poſitiuum, & aliud permiſſiuum. Nullo autem pacto eſt voluntaria morali modo, ſeu imputatiuè; quia neque conſentit, neque tenetur cum tanto diſcrimine repellere omni modo poſſibili violentiam; atque adeo non ei imputatur ſi non repellat: ſed ſolùm tenetur non conſentire.

8 Quæres, an huiuſmodi opinio conſulenda ſit. Negatiuè reſp. Corneius loco *ſupra citat. ver. Ex quo ſequitur.* ſed eſſe conſulendum, vt omnis conatus adhibeatur, etiam cum diſcrimine vitæ; quia adeſt maximum periculum conſentiendi. Verùm oppoſitum exiſtimo: & adeſſe maius periculum conſentiendi, ſi dicatur quòd tenetur omni conatu reſiſtere cum diſcrimine cuiuſcunque damni; quia tunc ponuntur plura motiua, quæ poſſunt trahere ad conſenſum; nam adeſt vita, quæ ponitur in diſcrimine, aut fama, aut bona temporalia, quæ ne amittantur mouebunt ad conſenſum. quod ſi conſulatur quòd non tenetur cum graui diſcrimine toto conatu reſiſtere, ceſſant huiuſmodi motiua; & facilius eſt quòd cohibeat conſenſum, præſertim ſi applicet voluntatem ad illam continuam reſiſtentiam, quam commodè facere poteſt.

9 Deinde. Cum ſit opinio probabilis, non video, cur non poſſit conſuli; præſertim quia oppoſitum, tanquam nimis durum & rigidum, poteſt facilè reſpui, & dare locum peccato; Cum enim ex eo, quòd ſit opinio probabilis, ſit conformis rectæ rationi: dum conſulitur, aliquid conſonum rectæ rationi conſulitur: & dum ad minora obligat, facilitat obſeruantiam præcepti negatiui non conſentiendi in ſtuprum.

An iuramentum factum contra ſimplicem promiſſionem valeat, & obliget ad ſui obſeruationem.

Deciſio CCCCLVIII.

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum contra ſimplicem promiſſionem non valet.*
2 *Non implere promiſſa ſemper peccatum.*
3 *Nec valet iuramentum, ſi ſit de aliquo contrario ſimplici promiſſioni.*
4 *Etiam ſi promiſſio obligaret tantùm ſub peccato veniali.*
5 *Vt iuramentum non obliget, debet ſimplex promiſſio eſſe valida.*
6 *Quando iuramentum ſeruari debeat quantum poteſt.*
7 *Explicatur tex. Cap.* Veniens de Iuramento.

1 RESp. non obligare, quia inualidum eſt, vt docent Couarruuias *de Pactis 2. par. §. 2. num. 4. ver. Cæterum.* Syluester *Verbo* Iuramentum 4. *quæſ. 12.* Angelus *Verbo* Iuramentum 5. *num. 14.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 6. quæſ. 1. & 2.* Sanchez *lib. 3. in Decal. cap. 9. num. 26.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 2. de Iuramento cap. 19. num. 10.* Moſcoſus *in Sum. tract. 13. cap. 4. num. 5.* & alij contra Innocent. *in Cap. Veniens de Iure iurando.*

2 Et deſumitur ex dicto Cap. *Veniens de Iure iur.* & ex Cap. 22. *quæſ.* 1. Ratio autem eſt; Quia non implere promiſſa eſt contra ius naturale; vnde ſemper eſt peccatum; Qui ergo iurat contra promiſſionem ſimplicem, iurat aliquid illicitum; & ideo non tenet iuramentum, nec ad aliquid obligat.

3 Quod etiam verum eſt, etiam ſi iuramentum non ſit directè de non ſeruanda promiſſione, ſed de aliquo contrario obſeruationi promiſſionis; quia ſimiliter implicitè iuratur de non ſeruanda promiſſione, & non poteſt adeſſe intentio de ſeruando tali iuramento, niſi adſit virtualiter, ſeu implicitè intentio de non ſeruanda promiſſione. Aduertendum tamen eſt, quòd vt iuramentum non valeat, quādo iuratur aliquid contrarium promiſſioni, debet quod iuratur eſſe talis conditionis, vt ex natura ſua non extinguat obligationem promiſſionis; quia ſi extinguit, valet & obligat: vt ſi quis facta promiſſione de matrimonio, iuraret ingredi Religionem.

4 Et hæc doctrina valet, etiam ſi promiſſio obligaret tantùm ſub peccato veniali; nam adhuc iurans haberet pro obiecto aliquid illicitum;

Digitized by Google

eitum; nam adhue peccatum veniale eſt quid illicitum.

5 Limitanda eſt tamen cum Sanchez *citat.* vt habeat locum tradita doctrina, quando ſimplex promiſſio valida eſt; quia ſi ex aliquo capite non obligat, quodcunque illud ſit, ſicut ceſſat ratio, ob quam iuramentum eſt inualidum, ita etiam manet in vigore eiuſdem obligatio.

6 Dices. Iuramentum ſeruari debet quantum poteſt ſine præiudicio conſcientiæ ob eiuſdem reuerentiam; in tali autem caſu poterit ſeruari iuramentum, & ſatisfieri promiſſioni per aliquid æquiualens. Reſp. iuramentum ſeruari debere, quantum poteſt, quãdo eſt verum iuramentum; quando verò non eſt validum, non eſt verum iuramentum: quia licet inuocetur Deus in teſtimonium, non tamen ipſe aſſiſtit, quando iuramentum eſt de illicito, quia non aſſiſtit illicitis.

7 Inſtat tamen Innocent. ex dicto Cap. *Veniens de iuramento* vbi Põtifex præcipit, quòd ſi mandatum ſit contrarium iuramento priùs rectè facto, declaretur inualidum. Vbi cum antea fuerit facta ſolùm mentio de promiſſione, Pontifex meminit iuramenti, quaſi cenſeat quòd ſi fuiſſet ſolùm ſimplex promiſſio, valeret iuramentum ſubſequutum, in cuius virtute fuerat factum mandatum. Sed reſp. Pontificem reſpondere quęſtioni ſibi propoſitæ. Quęſtio autem erat, an ſtandum eſſet mandato ſibi facto in virtute iuramenti, quo iurauerat ſtare mandatis, quando tale mandatum contrarium erat obligationi ipſius mandatarij. Et reſpon. Pontifex, quod ſi mandatum eſt contrarium priori iuramento licitè facto, non eſt ipſi ſtãdum. Quando autem Pontifex affert rationem adductam, ait *Verum quia idem A. qui dicti ducis eſt conſiliarius, & in iure ſuo multis Eccleſijs, quarum eſt aduocatus, ex promiſſo tenetur adeſſe, nequaquam taliter iurauiſſet, ſi mandatum illud ſibi contrarium præſciuiſſet.* Vbi faciens mentionem de promiſſione, & poſtea committens, vt declaretur nullum mandatum ſi ſit cõtrarium priori iuramento, iam ſupponit quòd promiſſio, quæ obſtabat executioni mandati, ſit cum iuramento. Vnde in antiquis Codicibus ſit mentio de iuramento, vbi narratur prior obligatio; habetur enim. *Ex iuramento, & promiſſo tenetur adeſſe.* & ita etiam compilat argumẽtum vulgati codicis: nimirum quòd poſterius iuramentum non valet in præiudicium prioris. Vnde ceſſat totum argumentum Innocentij.

An iuramentum contra ſimplicem promiſſionem incipiat obligari ſi ceſſet obligario ſimplicis promiſſionis.

Deciſio CCCCLIX.

SVMMARIVM.

1 *Ceſſante obligatione ſimplicis promiſſionis, iuramentum contra ipſum incipit obligare, ſecundum aliquos.*

2 *Non incipit obligare.*

3 *Iuramentum inualidum numquam habet vim obligandi.*

4 *Quod ab initio non eſt validum, nunquam fit validum.*

5 *Diſcrimen inter iuramentum inualidum, & validum quando eius materia ſit illicita.*

6 *An iuramẽtum contra ſimplicem promiſſionem obliget, ſi ceſſauit illius obligatio quando iuratur, ſi iurans ignorat ceſſaſſe.*

7 *An quando iurans cognoſcit ſe iuraſſe eo tempore, in quo obligatio ſimplicis promiſſionis ceſſauerat, teneatur implere iuramentum.*

1 Affirmatiuè reſp. Nauarr. *cap. 12. Manual. num. 89.* & deſumitur ex Couaru. 4. *Decret. 1. par. cap. 4. §. 1. num.* 10. quia ſicut iuramentum de re licita ceſſat obligare ſi euadat illicita: ita etiam iuramentum de re illicita, (vt contingit quando eſt cõtra ſimplicem promiſſionem) incipiet obligare ſi fiat licita; quod continget, ſi ceſſet obligatio ſimplicis promiſſionis.

2 Oppoſitum tamen tenendum eſt cum Sanchez *lib. 1. De Matrimon. diſp. 50. num. 6.* & *lib. 3. in Decal cap. 9. num. 26.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 2. de iuramen. cap. 19. num. 15.* & deſumitur ex Abbat. in Cap. *Placuit numer. 4. De conuerſ. coniug.* quatenus docet, quòd promiſſio facta tẽpore inhabili non obligat tempore habili. Et facit pro hoc dictũm Cap. *Placuit* & Cap. *Quidam De conuerſ. coniug.*

3 Ratio autem eſt. Quia obligatio non inducitur, quando non habet cauſam, per quam inducatur; vnde nec per iuramentum induci poteſt, niſi adſit iuramentum; in noſtro autem caſu licet adſit iuramentum materiali modo, non tamen adeſt ſecundum uim obligatiuam; quia enim non ſit validum, nec etiam habere poteſt vim obligatiuam; imò cum iuramentum ſit nullum, non eſt verum iuramentum; vnde nec etiam habere poteſt verum effectum. Et ideo cum non ſuccedat aliud iuramentum, quando ſimplex promiſſio ceſſat obligare

non conſurget ex vi prioria iuramenti aliqua obligario.

4 Er habet locum in præſentl caſu regula vtriuſque iuris: quòd Non fit validum tractu temporis quod ab initio validum non fuit; vt habet Regula *Non firmatur De regulis iuris in 6.* & Regula. *Quod ab initio ff.* item *De regulis iuris.* Vnde ſi ſemel iuramentum eſt inualidum, non poteſt fieri validum, quando ceſſat obligare ſimplex promiſſio; fieret autem validum ſi tunc inciperet obligare.

5 Nec eſt eadem ratio de iuramento valido ab initio, quod ceſſat obligare, ſi res, de qua eſt, fiat illicita; quia hoc eſt ſecùndum ipſius naturam; nam de natura iuramenti eſt, vt obliget, quandiu durat materia: ceſſante autem materia ceſſareriam obligario. At non eſt ſecùndum naturam iuramenti, vt quando eſt inualidum, fiat poſtea validum ex mutatione facta in materia; quia eſt contra naturam cuiuſcunque effectus, qui per ſe requirit aliquam cauſam, quòd ſi ſemel cauſa fruſtretur ſuo effectu, ſequatur poſtea abſque eo, quòd de nouo ponatur cauſa. obligatio autẽ iuramenti eſt aliquia effectus, qui per ſe requirit intentionem ſe obligandi.

6 Adhuc tamen difficulras ſupereſt, quid dicendum ſi tempore iuramenti ceſſauit obligatio promiſſionis ſimplicis, ſed tamen qui iurat contra ipſam, ignorat ceſſaſſe. *Reſp.* iuramentum eodem pacto ſe habere, ac ſi obligatio non ceſſaſſet; adhuc enim cenſerur eſſe de re illicita; quia obiectum ſpecificat actum ſecùndum quod eſt in cognitione operantia; vnde ſi obiectum de ſe bonum apptehendatur vt malum, reddet actum malum. Quia igitur in tali caſu iurana non cognoſcit ceſſaſſe obligarionem ſimplicis promiſſionia, ideo dum iurat aliquid contra ipſam, iurat inualidè: quia iurat aliquid, quod apud ſe illicitum eſt. Sic qui putaret eſſe illicitum occidere aggreſſorem ad ſui defenſionem, ſi iuraret ſe occiſurum, inualidè iuraret.

7 An autem, quando cognoſcit quòd tempore iuramenti ceſſauerat obligatio promiſſionia ſimplicis, teneatur implere iuramentum tanquam factum de re, quæ erat licita. *Reſp.* negatiuè: ob eamdem regulam iuris, de qua *num.* 4. quod non fit validum tractu temporia, quòd ab initio fuit inualidum. Fuit enim inualidè iuratum, quia fuit iuratum de re tanquam illicita apud ipſum iurantem, licet alioquin eſſet licita. Et eodem pacto res ſe habet, ac ſi fuiſſet facta mutatio in materia iuramenti; nam fuit facta apud ipſum iurantem. Non obligatur autem, vt diximus, iuramẽto, quando res priùs illicita fit licita.

An Canonicus excuſetur à reſidentia ex eo, quòd publicè Theologiam doceat.

Deciſio CCCCLX.

SVMMARIVM.

1 *Canonicus Theologiam docens excuſatur à reſidentia, ſi adſit inopia Magiſtrorum.*
2 *Abſolutè excuſatur ſecùndum alios.*
3 *Quid circa hoc decernat Tridentinum.*
4 *Cur abſolutè excuſetur à reſidentia.*
5 *An etiam Canonicus legens Canones excuſetur à reſidentia.*

1 EXcuſari à reſidentia, atque adeo poſſe percipere fructus, docent Vaſquez *Opuſ. De benefic. cap. 4. art. 2. dub. 2. num.* 187. Moneta *par. 2. De diſtribut. quæſt.* 10. Bonacina *diſput.* 5. *De onere, & obligat. Beneficior punc. 5. num.* 16. Et habetur ex Cap. *Super ſpecula. De magiſtris* Limitant tamen prædicti Auctores, vt locum habeat, quando adeſt inopia Magiſtrorum; Quod videtur conforme dicto Cap. *Super ſpecula* Dum enim non reſident docendi gratia, dicuntur abeſſe ex iuſta cauſa.

2 At abſolutè excuſari à reſidentia tradit Vincent. Vinyals *in Apologia pro neceſſaria Parochorum reſidentia num.* 57. Quod videtur fundari in Concil. Trident. *ſeſſ. 5. cap. 1. de Refor. in fine*, dum abſolutè decernit, publicoa Doctores poſſe percipere fructus; nec reſtringit ad eoa, qui docent ex inopia aliorum
3 Magiſtrorum. Et quamuis loquatur de Magiſtria, qui legunt ſacram ſcripturam, per hos tamen Magiſtroa intelligit etiam Magiſtros Theologiæ; nam antea loquens de his ipſis Magiſtris, & lectione inſtituenda, vocat lectionem Theologiæ: habet enim: *Et vbi tam exigua eſt cleri, & populi multitudo, vt Theologiæ lectio in eis haberi commodè non poſſit &c.* Et infra dum hortatur Principea, vt in publicis ſcholis hanc ſcripturæ lectionem introducant, ait: *Ad catholicæ fidei defenſionem, & incrementum, ſanæque doctrinæ conſeruationem, & propagationem inſtituatur.* Ex quibus conſtat quòd loquitur de lectione ſcripturæ, non qua explicetur liber aliqnis illius, ſed qua dogmata fidei explicentur, & ſtabiliantur. quod eſt proprium Theologiæ.

4 Abſolutè ergo puto, Canonicum excuſari à reſidentia, ob lectionem publicam Theologiæ; quia ſemper præſumi poteſt, quòd quando eligitur ad aliquam cathedram, eligatur ob raritatem, habita ratione omnium circum-

ſtantiarum

ſtantiarum, nempe ſtipendij, honoris, quam ſecum affert cathedra &c. eligitur enim ſemper qui melior cenſetur: & ideo rarus eſt in ſuo ordine, quia cœteri inferioris doctrinæ & habilitatis cenſentur. Adde quòd Capit. *Super ſpecula* de quo *num.* 1. abſolutè loquitur, nec limitat, quando adeſt raritas Magiſtrorum; nam quando ponit particulam *Ob raritatem* refert ad excuſationem, quam ſolebant prætexere, ne irent ad publicas ſcholas: quia erant rari Magiſtri; non autem ad exemptionem à reſidentia. Et ratio vniuerſalis militat; quia eſt magis vtile Eccleſiæ docere theogiam, quam reſidentia Canonici.

5 Et hoc extendi debet cum Auctoribus *nu.* 1. citaris ad eos, qui docent ius canonicum; quia cum hoc quoque ſit neceſſarium ad regimen Eccleſiæ, militar eadem ratio maioris vtilitatis; & quia Cap. *Super ſpecula* vniuerſaliter loquitur de ijs, qui publicè docent.

An Regularis, qui non conuincitur, poſſit à Prælato puniri.

Deciſio CCCCLXI.

SVMMARIVM.

1 *Poſſe corrigi Regularem à Prælato, quando non conuincitur, qui doceant.*

2 *Regularem non conuictum non poſſe puniri tradit* Sotus.

3 *Prælatus non poteſt auferre miniſterium ſubdito &c. quando de delicto non conuincitur.*

4 *Quæ de ſe non inferunt grauamen ſubdito, poſſunt inferre ratione circumſtantiarum.*

5 *Correctio regularis non habet locum, quando non conſtat de delicto regulariter puniendo.*

6 *Quando ſubditus non conuincitur, non poteſt Prælatus adhibere aliquid medicinale.*

7 *Medicina infert grauamen inquiſito non conuicto, ratione circumſtantiæ.*

8 *Quando ex ſola ſuſpicione poſſit adhiberi medicina.*

9 *Prælatus poteſt conditionatè corrigere ſubditum, quando non conuincitur.*

10 *Prælatus poteſt ſubditum non conuictum regulariter punire ſi habeat certam ſcientiam.*

11 *Vt poſſit Prælatus adhibere remedia cum ſubdito, ſufficit ſi ipſi ſit nota neceſſitas.*

12 *Remedia iniuſta non poſſunt ordinari ad bonum communitatis.*

1 RESpondet Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 10. *cap.* 12. *num.* 38. Poſſe in tali caſu Prælatum adhibere ſecretam correptionem ad terrorem, & medicinam; mutare de loco in locum, auferre miniſterium, quod pendet ex voluntate ipſius Prælati, ſi tamen poſſit fieri abſque infamia. Fundamentum eſſe poteſt; quia hęc omnia ordinantur in bonum Religionis, & ipſius ſubditi; vnde nedum non ſunt contra iuſtitiam, ſed potiùs ſunt ſecùndum charitatem.

2 Soto autem *Relect. de tegen. ſecreto. num.* 2. *quæſ.* 4. *concluſ.* 8. abſolutè reſpondet Non poſſe Prælatum punire: Ex communi fundamento; quòd debeat procedere ſecùndum allegata, & probata.

3 Dico primò. Non poſſe Prælatum auferre miniſterium, aut mutare ſubditum de loco in locum, etiam ſi hæc dependeant ab ipſius voluntate, quando non conuincitur: aut aliquid aliud huiuſmodi præſtare circa ipſum.

4 Ratio autem eſt; Quia licet hæc omnia, quantum eſt de ſe, non inferant grauamen ſubdito, quia tenetur ſubiacere voluntati, & diſpoſitioni Superioris: concurrente tamen tali circumſtantia, quòd fuerit inquiſitus, aut ſuſpectus, magnum grauamen inferunt; quia videntur intuitu delicti inferri; atq; adeo ſunt quædam confirmatio delicti, quæ iniuſta eſt, dum de ipſo non conſtat.

5 Dices. Hæc, aut alia huiuſmodi eſſe per modum pœnitentiæ regularis: & ideo non requirere, quòd ſubditus remaneat conuictus. Sed contra. Quia pœnitentia quoque regularis ſupponit delictum, quod regulari modo puniri debeat; vnde ſi non adſit delictum certum, adhuc infert grauamem: quia punitur de eo Regularis, de quo non conſtar an debeat puniri. Confir. Communiter Doctores docent, non eſſe adhibendam correptionem fraternã, quando de peccato non conſtat. Ergo multò minùs debet adhiberi pœnitentia regularis; quia hæc malus grauamen infert.

6 Dico ſecùndum Neq. Prælatum poſſe adhibere reprehenſionem ad terrorem, aut aliquid aliud medicinale, quando ſubditus non conuincitur.

7 Hoc deducitur ex eo, quòd ſiue reprehenſio, ſiue quæcunque alia medicina adhibeatur in tali caſu, grauamen infert: quia adhibetur intuitu culpæ, de qua tamen non conſtat; & per talem medicinam adhibitam declaratur quòd ſubditus indigeat, atq; adeo quòd culpam commiſerit, aut quòd diſpoſitus ſit ad committendum; atque adeo indigeat medicina præſeruatiua; hæc autem omnia ſunt contra bonam exiſtimationem, atque adeo contra iuſtitiam. Confir. Quilibet habet ius ad conſeruandum bonum nomen etiam apud Superiorem: & ideo non poteſt Superior ipſum deponere, niſi de contrario ei conſtet; deponit autem, quando corrigit ſubditum; quia

rarione correptionis oſtendit ſe ſentire, commiſſam illam culpam à ſubdito; atque adeo non poteſt hoc præſtate quando ſubditus non eſt conuictus; quia iniuſtè priuat de eo, quod tenetur conſeruare.

8 Quòd ſi dicas; ſufficere ſuſpicionem, vt poſſit Superior adhibete medicinam reſpectu ſubditi. Reſp. Id ſolùm habere locum, quando medicina non eſt odioſa ſubdito: quia tunc nullum ei infert grauamen; ſecus autem quando eſt odioſa; quia tunc infert grauamen, & eſt pœnalis, quia eſt contriſtatiua. Vnde tunc ſuſpicio tranſit in ſententiam; quod iniuſtè fit; quia ſententia debet fundari in certa ſcientia: quia debet eſſe ſecuta, nec expoſita periculo inferendi grauamen; & ideo non poteſt ratione ſuſpicionis inferri aliquid pœnale, etiamſi ſit per modum medicinæ.

9 Dico Tertiò. Poſſe Prælatum, quando ſubditus non conuincitur, adhibere correptionem conditionatam, qua hortetur ad reſcipiſcendum, ſuppoſito quòd errauerit. Hoc enim pacto nullum infertur grauamen; quia monitio non tranſit abſolutè in correptum, ſed tantùm conditionatè: ſi nempe in ipſo adſit demeritum: & tunc iuſta eſt; & ſi non adſit non tranſit. Et hoc pacto poteſt admonitio obtinere eumdem effectum emendationis, ac ſi abſoluto modo fieret.

10 Hæc autem omnia, quæ dicta ſunt, debent intelligi, ſi Prælatus non habeat certam ſcientiam de errore commiſſo. Quia ſi habeat: Dico Quartò. Poſſe Prælatum corrigere ſubditum, & etiam aliqua pœnitentia regulari punire, ita tamen vt totum occultè fiat, ſi error ſecretus ſit: & ſolum publicè poſſit corrigi, quando error publicus eſt.

11 Ratio eſt, Quia cum ad Prælatum ſpectet regimen ſubditorum, nedum habet ius corrigendi errantes, ſed etiam tenetur adhibere ea remedia ſalutaria, quæ neceſſaria ſunt; vnde vt poſſit adhibere, ſufficit ſi ſibi conſtet, quod neceſſaria ſint; quia in regendis ſubditis debet ſequi ſcientiam propriam, nec tenetur ſequi ſcientiam publicam acquiſitam per proceſſum. Vnde nullum fit grauamen ſubdito, ſi Superior erga ipſum fungatur munere ſuo.

12 Hine patet ad fundamentum primæ ſententiæ. Quando enim ea inferuntur abſque certa ſcientia demeriti, vel ex proceſſu, vel priuata Superioris, inferunt grauamen ſubdito; & ideo cum iniuſta ſint, neq; ordinari poſſunt ad bonum ſiue communitatis, ſiue ſubditorum.

An pactum, vel iuramentum de non accuſando, ſeu denunciando obliget.

Deciſio CCCCLXII.

SVMMARIVM.

1 *Pactum & iuramentum de non accuſando valet, ſecùndum aliquos, quò ad præterita.*

2 *Pactum non valet, ſed tantùm iuramentum in cauſa non ciuili, ſecùndum alios.*

3 *Valet quando non adeſt præceptum, aut conſilium de accuſando, aut denunciando: ſecus quando adeſt.*

4 *Tale pactum, aut iuramentum nunquam valet vtpote impeditiuum maioris boni.*

5 *Accuſatio, & denunciatio ordinantur ex natura ſua ad bonum communitatis.*

1 PRima opinio tenet, quòd valeat, & obliget reſpectu peccati præteriti, ſecus autem reſpectu peccati in futurum perpetrandi; quia non debet dari anſa peccandi, ſicut daretur ſi tale pactum de peccato in futurum valeret. Ita Gloſ. *in Cap. Quemadmodum de Iureiurando.* Angelus *Verbo* Accuſatio *num. 6.* & alij.

2 Secunda opinio tenet quòd nec in materia ciuili, nec in criminali valeat pactum abſque iuramento; iuramentum autem ſemper valere in materia ciuili tam de peccato præterito, quàm de futuro. ſecus autem in cauſa criminali. Ita Panorm. in Cap. *Quemadmodum De iureiurando.*

3 Tertia verò opinio docet, Quod quando accuſatio, ſeu denunciatio eſt de præcepto, vel conſilio nunquam valet pactum, ſeu iuramentum, ſiue ſit de peccato præterito, ſiue de futuro; quia iuramentum de non adimplendo præcepto, ſeu conſilio eſt nullum. Valere autem, quando non adeſt præceptum, vel conſilium de accuſando, vel denunciando, quocunque modo ſe habeat accuſatio, vel denunciatio; quia tunc iuramentum, aut pactum non eſt impeditiuum maioris boni. Ita Syluester *verbo Accuſatio quæſt. 6.* Sanchez *lib. 6. Conſil. Moral. cap. 1. dub. 29. num. 3. &* 4. vbi aſſerit ita etiam ſentire doctos Recentiores.

4 At mihi probabilius videtur, ſicut etiam quibuſdam doctis viris, quos ſuper hoc conſului: nunquam tale pactum, aut iuramentum valere, tanquam illud, quod ſemper eſt contra bonum commune, & proinde impeditiuũ illius; & quia bonum communitatis eſt præferendum bono priuato, ideo ſemper erit impeditiuum maioris boni.

5 Terti-

5 Pertinet enim ad bonum cōmunitatis quòd 1
delicta, quæcumque illa ſint, puniantur; quia
ſemper lædunt debitum ordinem communitatis; vnde impedire punitionem intuitu vtilitatis perſonæ priuatæ eſt impedire maius bonum: & proinde quicquid ordinatur ad impediendam punitionem eſt impedititiuum maioris boni; tale autem pactum, ſeu iuramentum ordinatur ad impediendam punitionem: quia impedit accuſationem, aut denunciationem, hoc fine, vt tollatur medium, per quod deueniri poteſt ad punitionem. Et licet non ſemper adſit obligatio accuſandi, ſeu denunciandi, ſemper tamen accuſatio, & denunciatio ex ſui natura ordinatur ad bonū communitatis. Sic etiam licet non adſit obligatio ſeruandi conſilia, ſemper tamen eſt maius bonum illa ſeruare; & ideo iuramentum contra ipſa non valet, vt impedititiuum maioris boni.

An Parochi poſſint inſeruire Epiſcopo in officio Vicarij, Viſitationis, & alijs huiuſmodi officijs.

Deciſio CCCCLXIII.

SVMMARIVM.

1 *Parochi, ſecundum aliquos, poſſunt inſeruire Epiſcopo in officio Vicarij, Viſitationis &c.*
2 *Non poſſunt inſeruire.*
3 *Declarationes Sacræ Congregationis ſuper hac materia.*
4 *Parochi non debent relinquere munus proprium, vt alteri inſeruiant.*
5 *Poſſunt Parochi inſeruire Epiſcopo in his muneribus per illos duos menſes, qui ipſi conceduntur à Tridentino.*
6 *Si item poſſint ſimul reſidere, & hæc munera exercere.*

1 Difficultas eſt, An ita poſſint exercere hæc officia, vt excuſentur à reſidentia. Et affirmatiuè reſpon. Hoieda *De incompatibilib. beneſic. cap. 17. num. 29. caſu* 8. Sylueſter *verbo Reſidentia num. 7.* qui citat Cap. *Iubemus De conſecrat. diſt. 1.* & Cap. *Cum paſtoris 2. quæſt. 7.* qui tamen tex. nihil ipſum iuuant: quia in ipſis tantùm habetur quòd, Epiſcopus debet habere apud ſe Clericos, & Sacerdotes, non tamen loquuntur de ijs, qui tenentur reſidere.

2 Tenenda eſt igitur negatiua ſententia; Quòd non poſſint Parochi, relinquendo reſidentiam, exercere huiuſmodi munera. Quam tradunt Gonzalez *Reg. 8. Gloſ. 6. num.* 255. Sã *verbo* Reſidentia *num.* 1. Poſſeuinus *cap. 1. de offic. Curati num.* 12. Garzia *part. 3. de Beneſic. cap. 2. num. 40. & ſequentib.* Riccius *deciſ. 502. num. 1.* Sanctarel. *quæſt. 3. Variar num. 49.* Filiucius *tract. 41. cap. 6. quæſt. 6.* Barboſa *par. 3. De offic. & poteſt. Epiſc. Allegat. 53. num. 86.* Bonacina *tom. 1. diſp. 5. De onere, & obligat. Beneſic. punc. 5. num.* 14. Vincent. Vinyals *in Apolog. pro neceſ. reſid. Parochor. num. 47.*

3 Et hoc ipſum habetur ex varijs declarationibus Sacræ Congregat. *Super Concil. Trident*, quarum meminit Garzias *citat.* & recenſentur in Collect. *ipſarum ex Bibliotb. Cardin. Bellarm. ad ſeſſ. 23. cap. 1. de Reformat.* Nec obſtat quòd eadem Congregat. aliàs declarauerit quòd poſſit Epiſcopus vti in Viſitatione opera Parochi ad quattuor menſes: vt notat idem Garzias *num.* 43. quia, vt ipſe quoque aduertit, correcta fuit hæc declaratio per alias declarationes, quæ ſubſequutæ ſunt.

4 Ratio autem eſt. Quia reſidentia Parochorum eſt admodum neceſſaria; & ideo abſque neceſſitate non debet diſpenſari; nec debent Parochi relinquere munus proprium, vt alteri inſeruiant in munere incompatibili cum proprio, quando alij poſſunt idem munus obire.

5 Ex his autem fit, quòd in his muneribus poſſint Parochi inſeruire Epiſcopo per illos duos menſes, quibus Trident. *ſeſſ. 23. cap. 1. de Reformat.* concedit poſſe non reſidere; quia non prohibetur Parochis hæc munera exercere, ſed ſolùm quatenus impediunt debitam reſidentiam.

6 Rurſus ſi contingeret poſſe Parochos aliqua ex his muneribus exercere, & ſimul etiam reſidere: tunc poſſent in illis ob eamdem rationem inſeruire Epiſcopo. Et ſi vtrumque excederet ipſorum vires poſſent adhibere coadiutores; quia etiam ſi non ſint impediti alijs muneribus, poſſunt Parochi reſidentes adhibere hos coadiutores.

An ſi Parochialis Eccleſia diſtet tantùm ab vrbe tribus, aut quattuor milliaribus, cenſeatur Parochus reſidere, ſi maneat in vrbe, & diebus feſtis ſe ad Eccleſiam transferat.

Deciſio CCCCLXIV.

SVMMARIVM.

1 *Parochus non reſidet ſi maneat in vrbe, & Parochia diſtet ſolùm per tria, aut quattuor milliaria.*

2 *Finis reſidentiæ.*

3 *Nec ſatisfacit debito reſidentiæ, etiam ſi crebro accedat ad Eccleſiam Parochialem.*

1 RESP. negatiuè. Et ita declaraſſe ſacram Congregationem *ſuper Concil. Trident.* habetur ex Garzia 3. *par. De Benef. cap. 2. num. 179. Declar.* 17. & tenent Barboſa *De offic. & poteſt. Epiſcopi par. 3. allegat. 53. num.* 74. Bonac. *Diſp. 5. De onere, & obligat. Benef. punc. 1. num. 4. in fine* Vincent. Vinyals *in Apolog. neceſ. Paroch. reſidentia num.* 43. Beia 4. *par. caſu 21. ver. Non tamen.*

2 Neq. enim reſidet, qui extra locum reſidentiæ eſt, præſertim quando nec ita facilè accedere poteſt, aut vocari: ſicut nec ſedet qui extra ſedem eſt. Reſidentia enim ideo præcipitur, vt aſſiſtat proprijs ouibus aſſiſtentia paſtorali; & proinde debet manere in loco ſuæ iuriſdictionis; quia cum aſſiſtat per iuriſdictionem debet illam habere in actu primo proximo, vt poſſit illam exercere; quod non contingit quando non eſt in proprio loco iuriſdictionis.

3 Et hoc habet locum, etiam ſi identidem ad Parochialem Eccleſiam accedat; neque enim huiuſmodi acceſſus ſufficit vt dicatur reſidere; nam potiùs habet ſedem extra Parochiam. nec ſufficit talis acceſſus ad finem, pro quo requiritur reſidentia; nam cum finis reſidentiæ ſit aſſiſtere proprijs ouibus, vt poſſint ſubminiſtrari quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, hoc non habetur ſufficienter per id, quod Parochus frequenter ad Eccleſiam Parochialem accedat: vrgere enim poteſt neceſſitas quando non adeſt. Et hoc eſſet potiùs viſitare Parochiam, quàm in ipſa reſidere.

An ſi Parochus à Parochiæ ambitu parum diſtet ſatisfaciat obligationi reſidendi.

Deciſio CCCCLXV.

SVMMARIVM.

1 *Parochus parum diſtans ab ambitu Parochiæ cenſetur reſidere, ſecundum aliquos.*

2 *Oppoſitum declarauit ſacra Congregatio.*

3 *Eſſe quocunque modo extra parochiam impedit reſidentiam neceſſariam pro munere Parochi.*

4 *Reſidentia quò ad permanentiam localem extra Parochiam non admittit paruitatem materiæ.*

1 AFfirmatiuè reſp. Beia *par. 4. Caſuum conſcient. caſu 21. ver. Et ſi dubites &* ſequitur Bonacina *diſp. 5. De onere & obligat. Benefic. punct. 1. num. 4.* Et addit Beia quòd ille cenſetur reſidere, qui non diſtat vltra miliare Italicum à confinio Parochiæ. Quia qui parum diſtat, nihil diſtare videtur: & hæc diſtantia non cauſat damnum notabile, ſeu incommodum.

2 Obſtat tamen declaratio Congregat. *ſuper Concil. Trident.* vt refertur *ad Cap. 1. de Reformat. ſeſſ. 23. in Collect. ex Biblioth. Cardinal. Bellar.* In qua decernitur, quòd Parochus cogatur habitare in domo Eccleſiæ, quam ſi non habet, ſaltem in viciniori loco intra Parochiam; ſecus perdat fructus. Qua declaratione ſtante non video quomodo habere locum poſſit prædicta opinio.

3 Accedit etiam ratio; Quia morati extra Parochiam impedit munus Parochi præſertim ſi ſit per vnicum miliare Italicum; quia notabiliter impedit ne poſſit accurrere ad repentinos caſus, & neque ad ipſos vocati; vnde ſi ita abeſſet, contingeret plures mori ſine ſacramentis. Illa autem reſidentia eſt neceſſaria, & ſub præcepto, quæ exigitur vt munus parochiale poſſit commodè exerceri, & abſq; notabili detrimento ſubditorum.

4 Nec ratio dictæ ſententiæ vrget; quia licet diſtantia per vnum miliare videatur paruitas materiæ; in præſenti tamen caſu non habet locum; nam quando decernuntur termini a iure, non datur paruitas materiæ reſpectu talium terminorum; vnde licet dies reſpectu vnius anni ſit paruitas materiæ, ſi tamen deſit ſexto decimo anno, non poteſt quis emittere profeſſionem; & in ſimili banniti non poſſunt ingredi loca, à quibus eiecti ſunt, etiam per vnum miliare; alioquin incurrunt pœnas. Parochis autem ſunt præſcripti termini reſidentiæ, nempe intra Parochiam. Sic etiam Epiſcopus non cenſeretur reſidere, etiam ſi parum à confinio diœceſis abeſſet; quia non poſſet in illo loco exercere ſuum munus iuriſdictionale.

An infideles peccent peccato infidelitatis, cum dicunt ſe eſſe Turcas, aut alterius ſectæ, quam profitentur.

Deciſio CCCCLXVI.

SVMMARIVM.

1 *Cum infidelis dicit ſe eſſe infidelem, videtur profiteri ſuam ſectam.*

2 Cum

Digitized by Google

2 *Cum infidelis dicit ſe eſſe infidelem, non peccat peccato infidelitatis.*
3 *Manifeſtare peccatum proprium cum complacentia, eſt malum ratione complacentiæ.*
4 *Dicere ſe eſſe Turcam, non eſt profiteri illam ſectam.*
5 *Quando Catholicus dicens ſe eſſe Catholicum, cenſeatur profiteri ſuam fidem.*
6 *Quid dicendum de Hæretico, quando dicit ſe eſſe Caluiniſtam: an peccet.*

1 RAtio dubitandi eſt, quia videntur tali confeſſione profiteri ſuam falſam Religionem: profiteri autem falſam Religionem eſt peccatum.

2 Reſp. cum Coninch. *diſput.* 15. *de Fide dub.* 3. *num.* 69. Non eſſe peccatum. Ratio eſt, Quia cum quis interrogatur, an ſit infidelis, & reſpondet ſe eſſe, cum reuera ſit, ſolùm manifeſtat veritatem quò ad Religionem, quam ſequitur; non eſt autem peccatum illam manifeſtare, licet peccatum ſit eam ſequi. Sic neque peccat, quando quis detegit ſua peccata debito modo, quando detegenda ſunt: vt contingit in confeſſione.

3 Verùm poſſet quis obijcere. Detegere ſua peccata cum complacentia de ipſis eſt peccatum; Ergo etiam manifeſtare falſam Religionem; quia ſemper adeſt aliqua complacentia circa ipſam. Reſp. Manifeſtare ſua peccata cum complacentia non eſſe peccatum ratione manifeſtationis, ſed ratione complacentiæ. Hæc autem complacentia regulariter non intercedit, quando Turca dicit, ſe eſſe Turcam. Quod ſi intercedat, ſi ſit deliberata complacentia, erit peccatum: quia erit quædam interna profeſſio illius religionis falſæ.

4 Hinc patet ad rationem dubitandi; neque enim dicere ſe eſſe Turcam, aut alterius falſæ ſectæ eſt profiteri religionem Mahumetanam, aut aliam falſam: ſed ſolùm eſt manifeſtare veritatem interroganti; ſic nec Catholicus profitetur Religionem Catholicam, quando dicit ſe eſſe Catholicum. Nec fit iniuria infideli, quando dicitur eſſe infidelis; quod ſignū eſt non adſcribi ipſi nouum peccatum; vnde nec nouum peccatum committit quando dicit ſe eſſe infidelem.

5 Poſſet tamen aliquis inſtare. Quando Catholicus interrogatur an ſit Catholicus, & dicit ſe eſſe Catholicum, profitetur ſuam fidem: vnde ſi negaret, Fidem quoque negaret; Ergo cum infidelis dicit ſe eſſe infidelem, profitetur ſuam infidelitatem. Reſp. tunc ſolùm Catholicum profiteri Fidem ſuam dicendo ſe eſſe Catholicum, quando ita interrogatur, vt interrogatio petat exteriorem confeſſionem Fidei, ſecus autem quando petit ſolam manifeſtationem Fidei; nec eſt eadem ratio de negatione; quia hæc nedum tollit manifeſtationem Fidei, ſed etiam ipſam profeſſionem, ſaltem quò ad externam apparentiam.

6 Hoc autem, quod diximus, debet extendi etiam ad hæreticum, cum dicit ſe eſſe Caluiniſtam, aut alterius ſectæ; quia ſimiliter ipſe quoque tantùm manifeſtat veritatem de ſecta, quam ſequitur.

An poſſit iudex compellere partes ad compoſitionem.

Deciſio CCCCLXVII.

SVMMARIVM.

1 *Iudex non poteſt cogere partes ad compoſitionem.*
2 *Cogere litigantes ad compoſitionem eſt contra iuſtitiam.*
3 *Poſſe cogere, quando iura ſunt dubia, nonnulli docent.*
4 *Etiam in hoc caſu cogere ad compoſitionem eſt impedire ius partium.*
5 *Poteſt iudex, quando lis eſt dubia, componere partes per ſententiam.*

1 REſp. negatiuè; etiam ſi ſit ſupremus iudex. Vt tradunt Syluester *Verbo* Iudex 1. *quæſ.* 7. alios citans. Angel. *num.* 4. Armil. *ibid. & eodem num.* Tabiena *num.* 2. & deſumitur ex l. 1. *ff. de Nou. oper. nunc.*

2 Et ratio euidens eſt; quia nemo poteſt facere iniuſtitiam; eſt autem iniuſtitia impedire ius alterius; quia idem eſt ac ipſum priuare iure proprio; iudex autem cogens partes ad compoſitionem, impedit ius ipſarum: quia prohibet, ne illud proſequantur.

3 An autem quando lis eſt longa, & difficilis, & iura vtriuſq. partis dubia, poſſit iudex compellere partes ad compoſitionem, affirmatiuè reſpondent Doctores *citati num.* 1. Item Panorm. *in Cap. Fin. de Tranſact.* quos ſequitur Sanchez *lib.* 6. *Conſil. Mor. cap.* 1. *dub.* 25. *nu.* 2.

4 Hoc tamen mihi difficile videtur. Quia militat hìc quoque eadem ratio; nam quamuis iura vtriuſque partis ſint dubia, & lis difficilis, adhuc partes habent ius ad proſequendam litem, & vtraque poteſt vti iure; ſi ergo iudex cogit ad compoſitionem, impedit ius ipſarum, prohibendo ne ipſum proſequantur: quod eſt contra iuſtitiam.

5 Itaque probabile mihi videtur, quòd ſolùm per modum ſententiæ poſſit componere partes; quia ſic ſeruat ipſis ius, quod habent proſequendi litem vſque ad ſententiam; & ipſe

vtitur

vtitur iure ſuo, ferendo ſententiam de compoſitione. Oportet tamen quòd ipſe determinet compoſitionem proportionatam iuribus vtriuſque partis; alioquin ſi relinqueret decernendam partibus, eas relinqueret cum lite, & eſſet ſolùm cogere ad compoſitionem; non autem decidere litem.

An, quando litigantes ſunt perſonæ inſignes, & timetur graue ſcandalum, poſſit iudex ad compoſitionem compellere.

Deciſio CCCCLXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Poteſt iudex cogere partes ad compoſitionem, quando timentur ſcandala.*

2 *Cogere partes ad compoſitionem ſemper impedit ius partium.*

3 *Quod eſt malum ex obiecto nunquam poteſt eſſe licitum ob bonum finem.*

4 *Quando ius particulare cedat bono communitatis.*

5 *Non poteſt iudex cogere partes ad compoſitionem ob ſcandala, quæ timentur, ſed alio modo debent ſcandala præueniri.*

1 RESP. affirmatiuè Sanchez *lib. 6. Conſil. Mor. cap. 1. dub. 5. num. 3. in fine.* & citat Perez *lib. 4. Ordin. tit. 8. l. 1.* Quia hoc pacto conſulit paci, & tranquilitati Reipublicæ.

2 Hæc tamen doctrina mihi difficilis videtur; quia, ſi loquamur de inductione ad compoſitionem per adhortationem, hoc ſemper præſtari poteſt à iudice, ſiue litigantes ſint potentes, ſiue non: & ſiue timeatur ſcandalum, ſiue non timeatur; quia ſemper compoſitio eſt opus bonum, cum ſit tale ex obiecto, & conducat ad conſeruandam charitatem. Si verò loquamur de inductione poteſtatiua, qua auctoritatiuè cogit partes, vt ſe componant: tunc vrget difficultas quòd impediat ius partium, prohibendo ne ſua iura proſequantur. quod ex obiecto ſuo eſt quid iniuſtum, atque illicitum.

3 Nec dici poteſt quòd fiat licitum ratione finis, & vt neceſſarium ad tranquilitatem Reipublicæ; quia, cum non ſint facienda mala, vt eueniant bona: quod ex ſuo obiecto eſt malum non poteſt adhiberi ad finem bonum: nec finis bonus facit bonum quod ex obiecto eſt malum; prohibere autem alteri ius proprium eſt ex obiecto malum; & ideo non fit licitum ob finem bonum tranquillitatis Reipublicæ; quia adhuc retinet ſuam diſcrepantiam ad regulas rectæ rationis.

4 Solùm videtur dicendum quòd ius particulare cedat bono communitatis: & proinde poſſit iudex in tali caſu cogere partes ad compoſitionem; quia non prohibet ius ipſarum, cum cedat exigentiæ Reipublicæ. Sed neque hoc dici poteſt; quia licet ius particulare cedat iuri communitatis, quando ſimul concurrunt, hoc tamen ſolùm habet locum, quando non poſſunt ſtare ſimul, ſeu non poteſt vtrumque ſeruari; tunc enim neceſſe eſt quòd ius inferius cedat ſuperiori: ſecus autem quando vtrumque ſeruari poteſt. In caſu autem noſtro vtrumque ſeruari poteſt: quia ſeruare vnicuique ius proprium ſtat cum bono Reipublicæ: imò ordinatur ad ipſius conſeruationem, & alioquin ſcandala, quæ timentur ex proſecutione litis, & alia pericula præueniri poſſunt, & alio modo impediri.

5 Itaque ex nullo capite apparet licitum eſſe cogere partes ad compoſitionem ob vitanda ſcandala in Republica: quia vnicuique ius ſuum reddendum eſt. Quod præſertim verum eſt quādo vna pars præualet contra aliam quò ad ius: quia eſſet manifeſta iniuſtia non ſeruare illi ius propium, & non ferre ſententiam in ipſius fauorem, cum ius exigat ferri.

An Clerici poſſint expellere confugientes ad Eccleſias, & alia loca immunia.

Deciſio CCCCLXIX.

SVMMARIVM.

1 *Clerici non poſſunt expellere confugientes ad loca immunia.*

2 *Confugæ habent ius ad loca immunia.*

3 *Non poſſunt confugæ impediri, ne recipiantur in locis immunibus.*

4 *Confugæ habent ius ad omnia loca immunia.*

5 *Clerici & Regulares nequeunt expellere confugas à monaſteriis, & alijs locis immunibus.*

6 *Confugæ non poſſunt in Eccleſia aliqua exercere ob reuerentiam, ideo indigent alio loco immuni.*

1 RESP. negatiuè, ſed debent ſuſcipere defenſionem confugæ. Vt habetur ex Cap. *Miror.* Cap. *Reum.* Cap. *Id conſtituimus.* Cap. *Definiuit.* Cap. *Sicuti antiquitus 17. quæſt. 4.* & Cap. *De raptoribus. 36. quæſt. 1.* & Cap. *Inter alia De immu-*

immunitate Eccleſiarum, & l. *Præſenti. C. De his, qui ad Eccleſ. confug.*

2 Rario eſt, quia dans immunitatem alicui loco, dat etiam ius omnibus, qui indigent confugiendi ad ipſum; Ergo qui expellit priuat confugam iure ſuo, atque adeo facit contra iuſtitiam.

3 Atque hoc etiam extendendum eſt ad eos, qui quomodocunque impediunt ne confugæ recipiãtur in locis immunibus, quia impediunt ius confugientis in re graui: atque adeo mortaliter peccant.

4 Neque obſtat quòd poſſit confuga ad alia loca immunia confugere (qua ratione moti nonnulli ſolent expellere, aut non recipere) quia cum omnia gaudeant immunitate, habet ius ad omnia: ita vt à nullo poſſit expelli, aut impediri, ſed ſit in poteſtate ipſius eligere, quem libuerit, tanquam omnia ſibi conceſſa, ad quæ confugere poſſit.

5 Ex quibus colligitur quòd Clerici & Regulares nequeant expellere confugas à domibus gaudentibus immunitate, aut a conuentibus reijciendo ipſos ad Eccleſiam; quia cum etiam conuentus, & dictæ domus gaudeant immunitate, habent ius non ſolùm confugiendi ad Eccleſias, ſed etiam ad dictas domus, & conuentus; & ideo non poſſunt priuari ſuo iure, quia quod eſt conceſſum à ſuperiori, nequit auferri ab inferiori: quando autem conceditur immunitas alicui loco, conceditur ius cuicunque confugiendi ad ipſum.

6 Quod præſertim verum eſt; quia ob reuerentiam Eccleſiæ non poſſunt in ipſa aliqua fieri, quæ neceſſaria ſunt ad vitæ conſeruationem, vt cibum capere, dormire, & alia huiuſmodi: & ideo neceſſe eſt, vt concedatur locus confugientibus, in quo poſſint hæc abſque irreuerentia exerceri. Atq. ob hanc cauſam Imperatores conceſſerunt certum ſpatiũ extra Eccleſiam, in quo confugæ hæc exercerent, vt conſtat ex l. *Pateant. C. De his, qui ad Eccleſ. confug.* & notat Ritherſtuſius *De iure Aſil. cap. 7. num. 7.*

An ſi confugæ non ſeruent debitam reuerentiam Eccleſię, aut in alijs locis immodeſtè ſe gerant, poſſint expelli.

Deciſio CCCCLXX.

SVMMARIVM.

1 *Quid agendum, quando confugæ non ſeruant Eccleſiæ debitam reuerentiam.*

2 *Clerici debent impedire irreuerentiam Eccleſiæ.*

3 *Si confugæ turbant quietem monaſteriorum, & domuum immunium, poſſunt expelli.*

4 *Priuilegium loci non debet eſſe in diſpendium ipſius.*

5 *Ius conſeruandi quietam propriam habitationem præualet iuri confugarum ad loca immunica.*

6 *Confugæ poſſunt expelli, quando non ſe gerunt vt confugæ.*

1 QVando confugæ non ſeruant debitam reuerentiam Eccleſiæ, vt ſi in illa dormiant, cibum ſumant, aut quid ſimile gerant, moneri debent à Clericis quòd ad hæc præſtanda extra Eccleſiam ſe conferant, nempe ad circumiacentia loca immunia; quòd ſi renuant obedidere, etiam cum violentia cogi debent: vt ſtatuitur in l. *Pateant* §. *proinde C. De ijs, qui ad Eccleſ. confug.*

2 Quia, vt ibid. dicitur; *Præferenda humanitati Religio eſt*. Et cum ad Clericos ſpectet cura Eccleſiarum, pertinet etiam ad ipſos impedire ne Eccleſiæ irreuerenter habeantur. Et ita docet Nauar. *in ſum. Bullar. tit. De Immunit. numer.* 40. aſſerens ita declaraſſe ſacram Congregat. & Farinac. *cap. 2. de Immunit. num.* 40.

3 Sed quid, ſi confugæ in monaſterijs immodeſtæ ſe gerant, aut in alijs locis immunibus, ita vt turbent quietem, & damnoſi ſint diſciplinæ regulari? poterunt ne ab his locis expelli? Reſp. in tali caſu poſſe expelli abſque eo quòd expellentes incurrant aliquas pœnas.

4 Quod ex eo colligitur, Quia immunitas eſt priuilegium loci: & proinde non debet eſſe cum damno ipſius, & eorum, ad quos locus pertinet; quia vt habetur in Cap. *Quod ob gratiam. De regulis iuris in 6.* Quod conceditur in fauorem, non debet in diſpendium retorqueri: quod contingeret, ſi confugæ ſuis immodeſtijs præiudicarent habitatoribus loci immunis. Vnde tunc cenſendum eſt præualere ius ipſorum conſeruandi propria loca cum debita quiete.

5 Ius enim conſeruandi ſibi propriam habitationem abſque turbatione eſt ius naturale: quia habitatio eſt vnum ex proprijs bonis: & lex naturalis dat ius ad illa conſeruanda; vnde debet ipſi cedere ius, quod habent confugæ ad illa loca: & proinde expelli poſſunt quando inferunt damnum, & moleſtiam habitatoribus.

6 Et hoc etiam ex alio capite verum apparet: Quia Eccleſia fauet confugientibus ad ipſius protectionem: & proinde qui confugit debet ſe gerere tanquam ſupplex, & implorans protectionem: & ſi non taliter ſe gerat, non eſt dignus protectione; vnde ſi eſt iniurius ijs,

qui

Digitized by Google

qui eius protectionem debent ſuſcipere, non ſe gerit tanquam confuga, & ideo poteſt ipſi à rectoribus Eccleſiæ denegari locus confugij.

An ſi confugæ non habeant vnde ſubſtententur, debeant ab Eccleſia ſubſtentari.

Deciſio CCCCLXXI.

SVMMARIVM.

1 *Confugiens ad Eccleſiam debet ex proprio ſubſtentari, ſi habet.*
2 *Si non habet, debet ſubſtentari ab Eccleſia.*
3 *Dummodo non poſſit laborando manibus ſibi victum quærere.*
4 *Rectores Eccleſiæ poſſunt cogere confugas, vt laborent manibus ad victum ſibi quærendum.*
5 *Debent confugæ reſarcire expenſas Eccleſiæ, aut dare cautionem de reſarcienda.*

1 SI confuga habeat propria bona, vnde ſubſtentari queat, debet ſelpſum ex ijs ſubſtentare: nec Eccleſia habet aliqnam ogligationem ſubſtentandi; quia ijs conceditur tantùm ius immunitatis. Si tamen non habeat præſtò bona propria, tunc tenebitur Eccleſia ſupplere: ipſe tamen manebit obligatus ad compenſandas expenſas, ſecundùm doctrinam D. Th. *Quodlib.* 5. *ar.* 17. quia tunc præſumitur Eccleſia velle ſubuenire præſenti indigentiæ, non autem abſolutè ſubſtentare.

2 Quod ſi non habet vllo modo vnde ſubſtentetur, debet ſubſtentari ab Eccleſia, ad quam confugit: vt docent Panor. *in cap. Inter alia num.* 28. *De immunit. Eccleſ.* Archidiacon. *in Cap. Definiuit.* 17. *Quæſt.* 4. vbi etiam Hugo. Angelus *verbo* Immunitas *quæſt.* 22. Syluester *verbo* Immunitas 3. *num.* 5. Io. Igneus *in l.* 1. *num.* 47. Peregrin. *cap.* 13. *De immunit. num.* 12. Farinac. *De immunit. cap.* 19. *num.* 296. qui plures alios citat. Quia ſe habent tanquam pauperes, quibus Eccleſia, ſeu perſonæ eccleſiaſticæ tenentur ſubuenire. Vnde ſi adſit aliquid deputatum pro vſu pauperum, poterunt de ipſo ſubminiſtrari neceſſaria: ſi verò non adſit, debent perſonæ Eccleſiaſticæ de ſuo ſubuenire.

3 Hoc tamen limitandum eſt, vt ſolùm valeat, quando confugæ non poſſunt manibus laborando ſibi victum quærere; quia ſi poſſunt, debent hoc pacto ſibi prouidere, cum non debeant eſſe oneroſi Eccleſiæ; nec priuilegium immunitatis debet eſſe occaſio ociandi; quod tamen intelligi debet, ſi aliàs confuga ſit ſolitus manibus laborare.

4 Vnde Rectores Eccleſiæ poterunt hos cogere, vt manibus laborent, vel in Eccleſia, vel in Conuentu, vel in alijs locis immunibus, inſeruiendo fabricæ, aut alteri operi, quando non poſſent alio modo ſibi victum quærere; quia cum Eccleſia ſubminiſtret alimenta, poteſt etiã ab ipſis in compenſationem operam ipſorum exigere.

5 Ex quo fit quòd poſſunt Rectores Eccleſiæ inſtare, vt confugæ reſarciant expenſas pro ipſis factas, aut dent cautionem de reſarciendo, antequam exeant de loco immuni; alioquin recuſare poſſent eos dimittere. Neq; enim debet Eccleſia detrimentum pati ex beneficio præſtito. Quod tamen debet intelligi, niſi Eccleſia liberaliter ſubſtentaſſet; quia tunc non ſunt reſarciendæ expenſæ.

An ſubditus contra propriam conſcientiam erroneam teneatur obedire Superiori.

Deciſio CCCCLXXII.

SVMMARIVM.

1 *Subditus contra propriam conſcientiam erroneam tenetur obedire Superiori, ſecùndum aliquos.*
2 *Non tenetur.*
3 *Neque tenetur ad præceptum Superioris deponere conſcientiam erroneam.*
4 *Poteſt tamen peccare ob nimiam pertinaciam.*

1 AFfirmatiuè reſpondent D. Bonauent. in 2. *diſtin.* 39. *artic.* 1. *quæſt.* 3. *ad vltimum.* Alenſ. 2. *par. quæſt.* 160. *memb.* 3. *artic.* 2. Azor. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. *quæſt.* 10. Vaſquez 1. 2. *diſput.* 61. *cap.* 1. Caſtr. Palaus *par.* 1. *tract.* 1. *diſput.* 1. *puncto* 6. *num.* 4. Non quia debeat operari contra conſcientiam erroneam; ſed quia contingit rarò inuincibiliter errare; vnde præſumendum eſt pro Superioris præcepto, & deponenda conſcientia erronea, atque obediendum.

2 At oppoſitum docent D. Thom. *in* 2. *diſtin.* 39. *quæſt.* 3. *art.* 3. *ad* 3. Medina 1. 2. *quæſt.* 19. *artic.* 6. *quæſt.* 3. *poſt explicat. art.* quia conſcientia erronea obligat in virtute præcepti diuini, quatenus dictat hoc vel illud eſſe præceptum à Deo; præceptum autem diuinum præualet præcepto Superioris.

3 Neque

3 Neque tenetur ad præceptum Superioris deponere conſcientiam erroneam; quia reſpectu ipſius eadem eſt ratio, ac de conſcientia vera: eo quòd putet eſſe conſcientiam veram; non tenetur autem deponere conſcientiam veram; vnde neque etiam erroneam: alioquin, ſi obligaretur ad deponendam erroneam, cum non deſcernat inter ipſam, & veram, deberet vniuerſaliter obligari ad deponendam conſcientiam ſiue veram, ſiue erroneam, quotieſcunque eſt contraria præcepto Superioris. quod tamen eſt falſum.

4 Ex alio tamen capite contingere poteſt quòd peccet: ob nimiam pertinaciam; ſinimirum à viris prudentibus & doctis moneatur de errore; tunc enim ſaltem dubitare poteſt, & debet, quòd habeat conſcientiam erroneam, atque adeo debet aut illam deponere ſequendo admonitionem, aut ſaltem meliùs inquirere; vnde ſi pertinaciter adhæreat ſuæ opinioni, peccabit. Quod præſertim verum eſt, ſi ſit rudis, aut non valde doctus.

An Epiſcopi poſſint abeſſe à propria diæceſi vltra tres illos menſes conceſſos à Trident.

Deciſio CCCCLXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Si Epiſcopus vltra tres menſes abſit à Diæceſi per quindecim dies, non peccat mortaliter.*
2 *Nec etiam Parochus.*
3 *Quindecim dies ſunt parua materia reſpectu totius anni.*
4 *Paruitas materiæ vltra tempus conceſſum à Trident. non habet locum in reſidentia.*
5 *Tempus conceſſum à Trident. pro abſentia à reſidentia debet accipi moraliter.*

1 RESp. Vincent. Vinyals *in Apolog. Pro neceſſaria Parochor. Reſidentia num.* 47. Decem, vel quindecim dies abſentiæ vltra tempus conceſſum à Trident. non videri tempus per ſe ſufficiens ad mortale; quia eſt modicum tempus, quod non videtur moraliter conſiderabile.

2 Quod etiam intelligit de Parocho; qui tamen, ait, non excuſatur, ſi vltra bimeſtre conceſſum procraſtinet reſidentiam, per viginti, aut triginta dies.

3 Quam doctrinam in eo rectè procedere exiſtimo, quòd habita ratione paruitatis materiæ non ſit mortale abeſſe à reſidentia per decem, aut quindecim dies vltra tempus à Concilio Tridentino conceſſum; nam decem, aut quindecim dies in comparatione totius anni eſt quid modicum, nec talis abſentia ſecùndum ſe conſiderata eſt magni momenti.

4 Quia tamen Concilium taxat tempus, in quo concedit Epiſcopis, & Parochis non reſidere, & hoc per modum indulgentiæ: videtur in dicto tempore includi totum id, quod rationabiliter indulgeri poteſt, nec extra ipſum habere locum paruitatem materiæ; quia iam videtur Concilium habuiſſe rationem illius, ſicut & aliorum motiuorum, ex quibus indulgeri poſſet aliqua abſentia à reſidentia, & omnibus ſupputatis, conceſſiſſe Epiſcopis tres menſes, & duos Parochis. Paruitas autem materiæ non poteſt pluries in eadem re commutari. Vnde ex hoc capite non cenſerem excuſari à mortali, ſi vltra tempus conceſſum abeſſent per quindecim dies à reſidentia, aut etiam decem.

5 Tempus tamen conceſſum à Tridentino tam Epiſcopis, quàm Parochis non debet ſumi mathematicè, ſed moraliter; quia cum ſimus in ordine ad effectum moralem reſidentiæ, debet tantùm illud computari, quod eſt ſecùndum moralem æſtimationem alicuius conſiderationis; vnde exceſſus vnius, vel duorum, vel etiam trium dierum ſupra tempus conceſſum, non putarem exceſſum, cuius eſſet habenda ratio; cenſeri enim poſſet non excedi terminos temporis conceſſi moraliter computati.

An liceat alicui deſiderare mortem ob hæreditatem obtinendam, vel ob aliquod aliud commodum.

Deciſio CCCCLXXIV.

SVMMARIVM

1 *Non licet deſiderare mortem alicuius ob commodum temporale, ſecùndum Nauar. & alios.*
2 *Licet deſiderare mortem naturalem.*
3 *Quodnam ſit obiectum huius deſiderij, & quomodo ſit bonum.*
4 *Mors ſolùm vt eſt ſecùndum diſpoſitionem diuinam, in tali caſu deſideratur.*
5 *Quomodo non anteponatur commodum temporale vitæ proximi.*

1 NEgat Nauarr. & ait hoc ipſum omnes ſentire; vt habet in *Manuali cap.* 15. *num.* 10. Quòd in eo fundari poteſt; quia vita proximi

ximi debet præferri non ſolùm diuitijs ſed etiam cuicunque commodo proprio temporali: & ideo optare mortem proximi ob tale commodum eſt peccatum contra charitatem.

2 Oppoſitum tamen, loquendo de deſiderio inefficaci, & de morte naturali, ita tamen vt nihil fiat in ordine ad ipſam cauſandam, Deſumitur ex Sà *verbo* Charitas *num*.8. Azor. 1. *par.lib.3.cap.12.quæſt.*2. Io. Sanchez *diſp.2. Selectar. num.9.* Caſtr. Palao *par.1. moral.Theol. tract.6.de Charit.diſp.4. punct.2.n.*11. qui etiam citat Bonacinam: quod tamen apud ipſum non potui reperire.

3 Quam poſteriorem ſententiam veram puto, ſi debito modo accipiatur. Obiectum namque huius actus non eſt malum. Eſt enim commodum ſequens ex morte: quod eſt bonum, & conforme rectæ rationi, vt ſupponitur, & ipſa mors, vt medium conducens ad tale commodum, & ſequens ex cauſis naturalibus, atque adeo vt diſpoſitam à Deo. Vnde non eſt aliud, quàm deſiderare quòd Deus diſpoſuerit talem mortem, vt medium ad aſſequendum talem finem; & proinde totum obiectum complacentiæ eſt aliquod bonum, quia eſt aliquid diſpoſitum à Deo, a cuius diſpoſitione nihil niſi bonum, & conforme rectæ rationi procedere poteſt.

4 Vnde quando deſidero alicuius mortem ob meum commodum, nil aliud interuenit niſi complacentia conditionata de alicuius morte, ex ſuppoſitione quòd ſit diſpoſita à Deo. Cum enim dico vellem Petrum mori, vt hæres ipſius fiam: nihil aliud intendo niſi quòd talis mors, ſi eſſet quantociùs diſpoſita à Deo, eſſet mihi obiectum complacentiæ, non tanquam malum Petri, ſed tanquam occaſio mei commodi: & ideo mors eſt obiectum deſiderij non abſolutè ſed tãtùm ex ſuppoſitione quòd ſit diſpoſita à Deo. Quod non eſt deſiderare malum proximo, ſed, ſuppoſito quòd ſit illud habiturum, gaudere de ipſo, vt de cauſa mei boni. Sic etiam Deus gaudet de peccato, ex ſuppoſitione quòd ſit futurum, quatenus eſt occaſio alicuius boni.

5 Ad id, quod affertur *num.*1. pro prima ſententia. Reſp. quòd in tali caſu non anteponitur commodum proprium temporale vitæ proximi, ſed eſt vti, quò ad deſiderium, morte proximi ad commodum proprium, ex ſuppoſitione quòd à Deo ſit cauſanda. Vnde ſolùm eſt contra charitatem deſiderare efficaciter, & abſolutè mortem proximi, atque adeo applicare media ad executionem pro obtinendis commodis temporalibus. Hoc enim eſſet velle inferre mortem.

Quidam Chriſtianus fingens ſe eſſe Turcam petijt baptizari, eo fine, vt obtineret certam promiſſionem ſolitam aſſignari Turcis venientibus ad baptiſmum, quæritur an debeat abiurare.

Deciſio CCCCLXXV.

SVMMARIVM.

1 *Chriſtianus ſe fingens infidelem, & petens iterum baptizari ob commodum temporale debet abiurare de vehementi.*
2 *Probabilius eſt non debere vllo modo abiurare.*
3 *Abiuratio non habet locum, vbi ſaltem non eſt ſuſpicio de hæreſi.*
4 *Finis rebaptizationis ob commodum temporale tollit ſuſpicionem de hæreſi.*

1 DE hoc caſu conſultus *P.Diana* reſpond. Se nihil de hoc apud Doctores repetiſſe: ſibi tamen videri neceſſariam abiurationem de vehementi, ob reiterationem baptiſmi; nã videtur, & præſumitur de hoc malè ſentire; vnde ad purgandam ſuſpicionem, & præſumptionem debet indici abiuratio.

2 Oppoſitum tamen cenſuerunt alij viri docti ſuper hoc conſulti, nempe non eſſe neceſſariam abiurationem ſiue de vehementi, ſiue de leui: Quæ opinio mihi probabilior videtur; quia factum ipſum euacuat ſuſpicionem quòd malè ſentiat de fide.

3 Cum enim abiuratio ſit deteſtatio hæreſum, ij tantùm abiurare debent, qui aut in hæreſi fuerunt; aut de ipſa ſuſpecti ſunt: vt notant Pen. 3. *par. Direct. com.40. ver. His ita poſitis* Farinac. *quæſt.194. de hæreſi.* §. 2. *num.* 24. in caſu autem noſtro nulla adeſt ſuſpicio de hæreſi: quia non petijt iteratum baptiſmum quia ſupponeret poſſe reiterari: ſed vſus eſt tali iteratione, quam cognouit malam, vt medium ad obtinendum commodum temporale.

4 Neque in foro externo adeſt præſumptio, aut ſuſpicio quòd malè ſentiat; quia finis declarat intentionem, & euacuat omnem ſuſpicionem. Non enim habet locum ſuſpicio, quando conſtat de oppoſito: in caſu autem noſtro conſtat petijſſe iterationem baptiſmi ex fine commodi temporalis, atque adeo fuiſſe limitatam intentionem petentis, vt non ſentiret malè de fide, ſed ſolùm vt male operaretur: quia intentio non ſe magis extendit, quàm ſe extendat motio finis.

An

An quando teſtamentum eſt minùs ſolemne poſſint hæredes pro Cappellania inſtituenda ex voluntate teſtatoris, eum non præſentare, quem teſtator voluit prima vice præſentari.

Deciſio CCCCLXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Teſtamentum minùs ſolemne non obligat hæredes ad præſentandum pro prima vice Cappellanum, quem teſtator nominauit pro Cappellania inſtituenda.*
2 *Tenendum tamen quòd obliget.*
3 *Teſtamentum minùs ſolemne valet quò ad cauſas pias.*
4 *In foro conſcientiæ quò ad cauſas pias valet diſpoſitio teſtatoris quocumque modo innoteſcat hæredibus eius voluntas.*
5 *Quando teſtamentum valet quò ad inſtitutionem Cappellaniæ, valet etiam quo ad inſtitutionem Cappellani.*
6 *Teſtamentum ad cauſas pias coram duobus teſtibus valet etiam quò ad legata non pia.*

1 CAſus accidit anno præterito; & de hoc conſulti quidam reſponderunt non teneri hæredes præſentare eum, quem teſtator præſentari voluit pro prima vice; quia nimirum teſtamentum defectu ſolemnitatis erat nullum; vnde non obligabat ad præſentandum nominatum à teſtatore.

2 Ego vero cenſui teneri hæredes ad præſentandum eum prima vice, quem teſtator nominauerat; quod contuli cum viris doctis, qui & ipſi eiuſdem ſententiæ fuerunt.

3 Licet enim teſtamentum non haberet omnes requiſitas ſolemnitates, vt abſolutè valeret, & proinde eſſet minùs ſolemne, valebat tamen, quo ad legata pia, vt habetur ex Cap. *Relatum* 1. *De teſtament.* & docent communiter Gloſ. *ibid.* Sylueſter *Legatum* 4. *quæſt.* 10. Nauarr. *Cap.* 17. *Manual. num.* 117. Lopez *par.* 2. *Inſtruct. Conſcient. cap.* 14. Couar. in Cap. *Cum eſſes. num.* 6. *De teſtam.* & in dict. *Cap. Relatum* alios referens. Clarus §. *Teſtamentum q.* 6. & 57. Guido Papa *deciſ.* 543. Menoch. *quæſt.* 80. *De præſumpt.* Molſeſ. *tractat.* 13. *ſum. cap.* 2. *num.* 135. Sanchez *lib.* 4. *conſil. moral. cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 1. Sufficit namque ſi voluntas teſtatoris vltima vt certa innoteſcat in fauorem ipſius animæ, ad quam concernunt legata pia, tanquam adiuuantia ad æternam ſalutem conſequendam.

4 Imò quò ad forum conſcientiæ non ſunt neceſſarij duo teſtes, ſed ſufficit ſi quomodocunque innoteſcat hæredi voluntas teſtatoris, ſiue per ſchedulam manu teſtatoris ſcriptam, ſiuè quocunque alio modo. Et ita tenet Menoch. *conſil.* 163. *num.* 10. *lib.* 2. & *conſil.* 224. *lib.* 3. Lazar. *De monit. ſect.* 3. *quæſt.* 6. *num.* 36. Rota *in nouiſ. deciſ.* 74. *par.* 2. Et facit. Authent. *De teſtament. imperfect.* §. *Nos igitur colum.* 8. *tit.* 8. *Nouel.* 107.

5 Vnde cum in caſu noſtro valeat teſtamentum quò ad fundationem Cappellaniæ, tanquam diſpoſitio ad cauſam piam, valet etiam quò ad diſpoſitionem præſentationis Cappellani pro prima vice; quia hoc continetur in vltima voluntate de Cappellania erigenda, tanquam illius vltimæ voluntatis pars; vnde aut tota voluntas eſt nulla, aut tota valida, præſertim quia acceſſorium ſequitur principale, vnde ſi eſt valida voluntas de inſtitutione Cappellaniæ, erit etiam valida de præſentanda pro prima vice tali perſona.

6 Quod etiam ex eo confirmatur; quia ſi teſtamentum ſit factum quo ad cauſas pias coram duobus teſtibus valet etiam quò ad legata non pia; quia principale trahit ſecum accidentia. Authent. *cit. De teſtament. imperfect.* §. *Si tamen col.* 8. *tit.* 8. *Nouel.* 107. & tradit cum pluribus Couar. in Cap. *Relatum* 1. *num.* 2. *De teſtament.* ergò valebit etiam diſpoſitio de præſentatione Cappellani tanquam quid annexum cum diſpoſitione de Cappellania.

An rector vnius Parochialis prohibere poſſit Rectori alterius, ne faciat proceſſiones eadem die, qua ipſe facit.

Deciſio CCCCLXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Rector Parochialis non poteſt impedire alteri Rectori, ne faciat proceſſiones in propria Parochia.*
2 *Quilibet Rector Parochialis habet ius ad proceſſiones faciendas.*
3 *Rector vnius Parochialis non poteſt ſe immiſcere in iis, quæ ſunt alterius Parochialis.*
4 *Sufficit exercere aliquod ius, vt retineatur ius ad omnia.*
5 *In proceſſione cuiuslibet Parochialis poteſt ſeruari decretum Trident. de ſolemnitate proceſſionis.*

1 RESp. non poſſe neq. quò ad forum externum, neque quò ad forum conſcientiæ. Vnde hoc attentans peccat grauiter contra iuſtitiam; quia perturbat iura alterius Rectoris. Et quò ad forum exterius ita deciſum fuit à Rota *apud Buratum* vt habetur in deciſ. ipſius *Decis. 43. num. 1.* & in *Cæſar augustana dedicationis* 18. *Decemb.* 1618. *coram Manzanedo.*

2 Ratio autem eſt, Quia quilibet Rector Parochialis habet ius ad omnia Parochialia exercenda in ſua Parochia: quorum vnum eſt, proceſſiones facere. Si igitur aliquis attentat impedire poſſeſſiones, attentat ipſum priuate proprio iure, atq; adeo farit contra iuſtitiã.

3 Deinde. Nemo poteſt ſe ingerere in ijs, quæ ſunt alterius Parochiæ. Cap. *Nullus alterius*, & Cap. *Nullus primas 9. quæſt. 2.* Item non debent Eccleſiæ, & Parochiæ confundi, nec Rector vnius ſe immiſcere in ijs, quæ ſunt Rectoris alterius. Cap. *Episcopi eodem tit.* Si autem Rector vnius Parochiæ, vellet prohibere proceſſionem Rectori alterius, ſe immiſceret in ijs, quæ ſunt alterius Rectoris, & confunderentur iura.

4 Nec obſtat quòd attentans prohibere ſit in poſſeſſione faciendi proceſſionem in illa die, alter verò non conſueuerit facere; nam per hoc non eſt derogatum iuri, quod habet faciendi proceſſiones; quia eo ipſo quòd retinet in communi ius Parochiale, exercendo aliqua Parochialia, retinet omnia iura, quæ ſibi competunt; ſufficit enim aliqua exercere, vt omnia retineantur: vt tradunt Innocent. in Cap. *Dilectus. num. 3. ver. Poſſeſſorem de Cappell. Monach.* Cardinalis *ibid. quæſt.* 11. Boich. *num. 11. ver. ſequitur.* Ioann. Andr. *num. 7. & 8. ver. Ex prædictis.* Anchatan. *num.* 21. Abbas. *num. 19. ver. Nec obſtat.*

5 Nec etiam obſtat decretum Tridentini *ſeſſ. 13. cap. 5.* quòd Proceſſiones, in quibus circumfertur corpus Chriſti, debeant eſſe cum ſolemnitate, & frequentia populi: quia hoc ſaluari poteſt in qualibet Parochia, cum ad id ſufficiant ipſi Parochiani.

An in ſimonia detur paruitas materię, quæ excuſet à mortali peccato.

Deciſio CCCCLXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Quinam doceant dari in ſimonia paruitatem materiæ excuſantem à mortali.*

2 *Nullo pacto admitti poteſt paruitas materiæ excuſans à mortali in ſimonia.*

3 *In aliquibus peccatis non attenditur materia, ſed formalis diſſonantia ad rectam rationem.*

4 *Quelibet ſimonia etiam in paruitate materiæ ponit grauem deordinationem.*

5 *Ignorantia inuincibilis excuſat à mortali in ſimonia.*

6 *Quomodo minima materia in ſimonia trahat ſecum grauem offenſam Dei.*

7 *Senſus Cap.* Et ſi quæſtiones De ſimonia.

1 AFfirmatiuam ſententiam tenent Reginal. *tom. 2. Praxis Fori pænit. lib. 23. cap. 15. num. 219.* Molina *tom. 1. tractat. 2. diſpat. 92. num. 3.* Gordon. *lib 8. Theol. Moral. quæſt. 7. cap. 3. num. 7.* Riccius *tom. 2. deciſ. Curiæ Episcop. Neapol. deciſ. 28. num. 7.* Bonacina *diſp. 10. de Legib. quæſt. 2 punt. 8. §. incid. num. 3.* Lambert. *lib. 1. de iure patronat. par. 2. quæſt. 4 art. 3. in fine.* Quam ſentent. putat probabilem etiam Diana *par. 5. tractat. 5. de paruit. materiæ Reſol. 2. ver. Non deſinam.* Motiuum horum auctorum eſt, Quia non videtur minima ſacra materia trahere ſecum grauiſſimam Dei offenſionem tantopere à Patribus exaggeratam: cum etiã intra latitudinem Religionis ſint alia peccata ſolùm venialia ex paruitate materiæ. Et afferunt etiam Cap. *Et ſi quæſtiones de ſimonia.*

2 Ego vero nullo pacto puto probabilem hanc ſententiam, ſiſtendo in ſimonia circa ea, quæ ex iure diuino vendi prohibẽtur. Vnde tenendum eſt nunquam in his ſimoniam euadere peccatum veniale; cum D. Antonin. *2. par. tit. 1. tit. 5. §. 6.* Nauarr. in *Extrauag. De dotis & accept. pro ins. Notab. 10. num. 20. §. Perqua omnia,* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 3. num. 5. & ſequent.* Sanchez *lib. 1. ſum. in Decal. cap. 4. num. 1.* Vgolin. *tract. de ſimon. tabul. 1. cap. 17. num. 3.* Layman. *lib. 4. tract. 10. cap. 8. num. 4. ver. Addit Nauarr.* Molfeſ. *tom. 1. ſum. tract. 8. cap. 8. num. 67.* Palao *par. 1. tract. 2. diſp. 2. punc. 7. num. 4.* Sancio *diſp. 16. ſelect. de Sacram. num. 14.* Graff. *cap. 4. de caſib. reſeruat. numer. 18.* Baldel. *tom. 1. Theol. Moral. lib. 13. diſp. 14. num. 12.* Alphon. de Leone *de offic. confeſſar. par. 1. Reſol. 7. num. 36.* Homobono *vol. 2. Conſult. moral. par. 5. Reſp. 139.* Villalobos *par. 2. ſum. tractat. 37. difficult. 16. num. 2.*

3 Ratio eſt, Quia ſimonia ſemper eſt grauis ex obiecto ſuo formali, & ſemper continet grauem diſſonantiam ad rectam rationem. Sunt enim quædam peccata, quæ ſemper ex obiecto ſuo grauia ſunt: vt odium Dei: in quibus non attenditur materia, ſicut attenditur in furto, & in alijs ſimilibus peccatis: ſed eſſe formale, ſecundum quod diſcrepant à recta ratione; quod ex natura ſua eſt tale, quòd

ſemper

ſemper fundat grauem, & notabilem diſcrepantiam; quia importat illam indiuiſibiliter, atque adeo ſemper totam, & integram difformitatem.

4 Hoc autem contingit in ſimonia; cuius turpitudo, & diformitas in eo conſiſtit, quòd id, quod eſt gratia Dei, & excedens omne precium & contractum humanum, ſubijciatur precio, & humano contractui: vnde conſurgit iniuria Dei, quia præuertitur modus adminiſtrandi gratias ipſius, quem ipſe præſcripſit. Atque hæc iniuria ideo eſt grauis, & notabiliter contra rectam rationem: quia per ipſam deſtruitur modus, quo ſpiritualia, & gratiæ Dei debent adminiſtrari: atque adeo tollitur tota diſpoſitio adminiſtrationis. Hoc autem contingit ſtante quacunque paruitate materiæ ſiue ex parte precij, ſiue ex parte rei, quæ ſubijcitur precio; quia ſemper deſtruitur modus adminiſtrationis, qui eſt magni momenti: & ideo ſemper ſimonia importat integram difformitatem, & grauem diſcrepantiam ad rectam rationem; quia ſemper res ſpiritualis ponitur intra ordinem rerum vendibilium.

5 Solum ergo committens ſimoniam excuſari poteſt a peccato mortali ratione ignorantiæ inuincibilis; quæ ſi ſit peccaminoſa venialiter, ſimonia quoque ratione ſuæ cauſæ erit tantum peccaminoſa venialiter: vt notat etiam Gordonius *ſupracit.* pro prima ſententia.

6 Hinc ſolutum manet quod pro priori ſententia afferebatur. Materia namque minima ſacra trahit ſecum grauiſſimam indignationem Dei, & reddit peccatum tantopere deteſtatum à Patribus; quia non conſideratur in ipſa paruitas, ſed diſpoſitio diuina quò ad diſpenſationem, & adminiſtrationem: quæ ſecundum ſe totam deſtruitur dum res non vendibilis contra ordinationem diuinam ponitur intra ordinem rerum vendibilium.

7 Tex. autem ex Cap. *Et ſi quæſtiones De ſimonia* loquitur quando titulo doni datur aliquid modicum, quod non eſt ſufficiens ad mouendum animum, vt conferatur aliquid ſpirituale; vnde non facit ad propoſitum.

An paruitas materiæ excuſet à peccato mortali in ſimonia, quæ eſt de iure Eccleſiaſtico poſitiuo.

Deciſio CCCCLXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Paruitas materiæ excuſat à mortali in ſimonia prohibita de iure Eccleſiaſtica, ſecundũ aliquos.*

2 *Non excuſat.*

3 *Licet pretium ſit exiguum, res tamen vendita eſt ſemper magni momenti.*

4 *Semper in hac ſimonia inuertitur ordo adminiſtrandi has res.*

5 *Cur paruitas materiæ in hac ſimonia locum non habeat.*

1 Affirmatiuè reſp. Merolla *tom.* 1. *diſp.* 2. *cap.* 4. *dub.* 7. *difficul.* 1. *num.* 114 & à fortiori ij omnes, qui abſolutè putant paruitatem materiæ in ſimonia excuſare à mortali. Cum enim in hac ſimonia ſit permutatio temporalis pro temporali prohibita ab Eccleſia ex motiuo Religionis, & peccatum ex genere ſuo mortale fiat veniale ex paruitate materiæ: ita etiam dicẽdum eſt quò ad hanc ſimoniam; præſertim quia ceſſat ratio, ob quam in ſimonia iure diuino prohibita paruitas materiæ non excuſat à mortali: nimirum irreuerentia irrogata rei ſpirituali.

2 Tenendum tamen eſt, quòd neq. in hac ſimonia detur paruitas materiæ excuſans à mortali. Quod eſt conforme ijs auctoribus, quos Deciſ. *præcedenti num.* 2. pro poſteriori ſententia attulimus.

3 Neq. enim paruitas materiæ interuenire poteſt ex parte rei, quæ prohibetur precio vendi; quia Eccleſia non prohibet precio vendi; niſi res magnæ conſiderationis, & quæ de ſe non poſſunt ratione paruitatis non computari. Ex parte autem precij, licet adſit paruitas materiæ, non excuſat à peccato: quia non facit quin tota res prohibita vendi ſubijciatur precio: atque adeo quin peccatum adequatè contrarietur prohibitioni, & dicat integram, & completam transgreſſionem præcepti.

4 Deinde, Eccleſia, dum præcipit quòd huiuſmodi res non ſint vendibiles, eas conſtituit in eo ordine, in quo ſunt ſpirituales: & vult quòd adminiſtrentur ſicut adminiſtrantur ſpiritualia; vnde quando venduntur & emuntur, deſtruitur totaliter huiuſmodi diſpoſitio Eccleſiæ, & extrahuntur ab illo ordine, in quo conſtitutæ ſunt: etiam ſi ex parte precij adſit paruitas materiæ. Quod certè eſt quid valde graue, & proinde ſemper importat peccatum mortale.

5 Ex quibus patet quomodo paruitas materiæ non habeat locum in ſimonia; quia nimirum ſemper attenditur formale turpitudinis, non autem quantitas materiæ: & in formali turpitudinis habetur ſemper grauis diſſonantia ad rectum rationem nempe inuerſio ordinis præſcripti ab Eccleſia. Vndè militat proportionaliter eadem ratio, quæ valet in ſimonia prohibita de iure diuino; nam in vtraque deſtruitur ordo integer adminiſtrationis harum rerum.

An in foro exteriori paruitas materiæ excuſet à ſimonia.

Deciſio CCCCLXXX.

SVMMARIVM.

1 *Paruitas materiæ facit vt in foro exteriori non præſumatur ſimonia.*
2 *Quando precium eſt longè inferius re tradita, rationabiliter non præſumitur venditio.*

1 RESp. affirmatiuè cum Pariſ. *De confident. quæſ. 27. num. 95.* Villalobos. *par. 2. Sum. tract. 37. difficult. 16 num. 1.* Rota *apud Burat. Deciſ. 445. num. 3.* Quod etiam videtur ſentire Nauar. *de dat. & prom. pro inſt. vel grat. num. 20.* Et deſumitur ex Cap. *Et ſi quæſtiones. De ſimonia.* vbi dicitur non commiſiſſe ſimoniam eum, qui dedit equum Cardinali; quia cum eſſet diues, equus erat quid modicum reſpectu illius. Quod tamen intelligi debet, niſi in foro externo conſtet de ſtudioſa voluntate emendi, & vendendi.

2 Ratio autem eſt, quia forum exterius procedit rationabiliter; & ideo iudicat tantùm ſecundum dictamen rationis; ratio autem non dictat quòd interueniat venditio & emptio, ſeu commutatio, quando res vna eſt longè inæqualis alteri, & ab ipſa exceditur: vt contingit quando precium, aut quod eſt precio æſtimabile, eſt quid modicum.

An paruitas materiæ excuſet à ſimonia in foro interiori, quando non adeſt pactum.

Deciſio CCCCLXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Punctus difficultatis.*
2 *Paruitas materiæ, ſecluſo omni pacto, excuſat à ſimonia etiam in foro conſcientiæ.*
3 *Cur quiſque cenſeri debeat rectè operari, quando actio poteſt eſſe bona.*

1 COntingere frequenter poteſt quòd quis det alteri aliquid modicum, & accipiat ab ipſo aliquid ſpirituale, vel quod iure eccleſiaſtico poſitiuo eſt prohibitum vendi, abſque tamen aliquo pacto, ſeu conuentione: ita vt in foro externo non præſumatur ſimonia. Quæritur ergo, an etiam in foro interno excuſetur à ſimonia: non quidem ex paruitate materiæ; nam ſaltem peccaret venialiter, & interueniret ſimonia licet leuis: ſed quia tenera nulla adſit ſimonia.

2 Reſp. paruitatem materiæ excuſare à ſimonia etiam quò ad forum conſcientiæ: ita vt non cenſeatur interuenire, niſi adſit pactum de dando illo modico pro precio. Deſumitur ex Cap. *Et ſi queſtiones De ſimonia.* Nam ibi cum quidam dediſſet equum Cardinali, à quo eiuſdem frater erat accepturus pallium; quia equus cẽſebatur quid modicum reſpectu dantis, & accipientis, concludit Pontifex: *Non tamen Eccleſia Romana interpretari conſueuit accipientem in his delinquere, vel donantem.* Si igitur in tali caſu non committitur delictum ſecùndum iudicium Romanæ Eccleſiæ, neque etiam committitur aliquod peccatum: quia cum Romana Eccleſia ſe gerat nedum vt iudex fori externi, ſed etiam vt paſtor animarum, atque adeo vt iudex conſcientiæ, ſi quis non delinquit ſecùndum iudicium Romanæ Eccleſiæ, neque etiam delinquit ſecùndum forum conſcientiæ; quia iudicium Romanæ Eccleſiæ principalius reſpicit conſcientiam.

3 Et fundatur etiam in ratione. Nam vnuſquiſque intendit prudenter operari in quacunque actione: quia nimirum mouetur ad operandum ſaltem virtualiter ab vltimo fine, qui de ſe, mouet tantùm ad actiones rectas, & prudentes, & ſolùm ad actiones malas ex coniunctione finis particularis; vnde quælibet actio cenſenda eſt recta, & prudens quantum eſt capax, quando poteſt eſſe talis, & non deflectitur ab ordine ad finem vltimum ab aliquo fine particulari. In caſu autem noſtro cum non interueniat pactum, per quod illud modicum detur pro precio, cenſendum eſt dari eo modo, quo licitè poteſt dari, nempe titulo meræ donationis gratuitæ; quia talis actio debet cenſeri ſtare ſub ordine ad vltimum finem, dum non adeſt à quo deflectatur à tali ordine. Quod tunc contingit quando quis dat non cogitans quo titulo det; quia implicitè dat eo titulo iuſto; quo poteſt.

An iudex poſſit ex iuſta cauſa denegare audientiam.

Deciſio CCCCLXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Iudex ſecundum ius ciuile poteſt denegare audientiam, ex iuſta cauſa.*

2 Index

Digitized by Google

2 *Index ratione officij tenetur dare audientiam, & petens habet ius ad ipſam.*

3 *Iudex etiam ſecùndum conſcientiam poteſt denegare audientiam, ex iuſta cauſa.*

4 *Iuſta cauſa facit vt iudex non teneatur dare audientiam.*

5 *Recurſus ad tribunal indebitum eſt iuſta cauſa denegandi audientiam.*

6 *Iudex licet poſſit, non tamen tenetur negare audientiam, nec pars acquirit ius ad denegationem.*

7 *Quanam ſit cauſa iuſta denegandi audientiam.*

1 POſſe denegare ſibi non obtemperanti, vel ex alia iuſta cauſa, nedum in cauſa, quæ agitur ſed etiam in alia diuerſa, loquendo quò ad forum externum & ſecùndum ius ciuile, deſumitur ex l. *Sed & ſi per prætorem* §. *Ait prætor. in fine ff. Ex quibus cauſis maior.* Gloſ. *ibid.* Bald. *num.* 2. Bar. *in l.* 1. *num.* 7. *ff. Si quis Iudici non obtem.* Alber. *in l. Iuſiurandum & ad pecunias* §. *ait prætor ver. Ita.* Iaſ. *num.* 2. *ver. Inter cæteros ff. De iure iurando.* Rota *apud Burat. Deciſ.* 446. *num.* 1. Quia nimirum iuſta cauſa facit quòd iudex in deneganda audientia rationabiliter procedat.

2 Sed difficultas eſt, an poſſit denegare ſecùndum conſcientiam, ita vt denegando non peccet. Et ratio dubitandi eſt, quia iudex tenetur ex officio audientiam dare petentibus, & qui ea indigent, habent ius ad ipſam; quia iudices ſunt conſtituti à Republica vt ſeruent iuſtitiam inter ſubditos, atque adeo ſunt deputati in commodum eorumdem. Atque eo ipſo quòd quis acceptat officium iudicis, ſe obligat ad dandam audientiam petentibus; vnde ſi non dat, videtur facere contra iuſtitiam, & propriam obligationem.

3 Reſp. tamen. Poſſe iudicem, etiam ſecùndum conſcientiam, audientiam denegare, concurrente iuſta cauſa tam quò ad vnã quàm quò ad aliam cauſam, etiam ſi cauſa denegandi audientiam ſe teneat ex parte vnius cauſę; & non alterius.

4 Ratio eſt, Quia iudex tenetur dare audientiam iuxta formam iuris tanquam miniſter eiuſdem iuris; vnde etiam qui petit habet ius ſolùm ad petendum ſecùndum eamdem formam; & ideo concurrente rationabili cauſa, ob quam poſſit denegari audientia, ceſſat debitum iudicis, & ius petentis; forma namque iuris præſcribit debitum dandi audientiam, quando rationabiliter denegari non poteſt; quando vero ex iuſta cauſa poteſt denegari, ſi denegetur non fit aliquid contra rectam rationem, atque adeo nec contra debitum, aut ius alterius; quia ratio non eſt contra rationẽ, & conſequenter nec contra debitum, aut ius; nam debitum & ius ſunt aliqua ratio.

5 Ex quibus colligitur. Quod ſi quis, dum pendet cauſa apud iudicem, recurrat ad tribunal indebitum, poſſit iudex ipſi denegare audientiam non ſolùm in eadem cauſa, ſed etiam in diuerſa; quia per talem recurſum indebitum priuat ſe iure, quod habet ad audientiam petendam; nam recurrendo ad indebitos iudices, ſubtrahit ſe iudicio competentium iudicum; vnde ipſi quoque liberi remanent, vt poſſint petenti rurſus audientiam denegare; Vt pluries Rota *Romana* cenſuit, & præſertim apud Buratum dicta *deciſ.* 446. *num.* 2. vbi etiam hoc ipſum aliàs Rotam ſenſiſſe recenſetur.

6 Colligitur ſecundo, Quòd licet poſſit iudex audientiam denegare, non tamen ad id tenetur; vnde nec parti acquiritur aliquod ius, ratione cuius poſſit adſtringere iudicem ad illam denegandam: vt optimè notat Ferentillius *in Annot. ad dictam* 446. *deciſ. Burati num.* 12. cum Tiburtina *Caſtri fideicomm. de Vrſinis* 10. *Februar.* 1620. *coram Vbaldo ſeniori.* Et ratio eſt. Quia iuſta cauſa denegandi audientiam fundantur in eo, quòd iudex patiatur aliquod pręiudicium, ratione cuius eximitur ab obligatione dandi audientiam; ex eo autem quòd iudex patiatur præiudicium, non acquiritur ius parti; quia proprium præiudicium meum non dat ius alteri; vnde ſemper poteſt iudex nõ habere rationem proprij præiudicij, & dare audientiam.

7 Quòd ſi quæras, quænam ſit iuſta cauſa, ob quam iudex poſſit denegare audientiam. Reſpond. id eſſe determinandum ſecùndum prudens arbitrium iudicis: vt docent Ioann. de Imola *in l.* 1. §. *fin. num.* 14. *ff. ſi quis iud. non obtemp.* Francus *deciſ.* 71. *numer.* 5. quos ſequitur Rota *apud Burat.* dicta *deciſ.* 446. *num.* 3. Poteſt autem tradi generalis regula; Quòd ſemper adſit iuſta cauſa, quando iudex quò ad ea, quæ pertinent ad munus ſuum, paſſus eſt aliquod notabile pręiudicium ab eo, qui petit audientiam. Dum enim petens audientiam intulit præiudicium iudici tanquam iudici, non ſe geſſit, ſicut ſe debet gerere qui petit audientiam; vnde nec iudex tenetur ſe gerere vt iudicem erga petentem; & ideo poteſt denegare exercitium proprij officij.

An ſi iudex ex cauſa iuſta deneget audientiam, acquiratur ius parti, vt non poſſit ampliùs ipſa inuita concedi.

Deciſio CCCCLXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Iudex negans audientiam videtur dare ius parti, vt non poſſit ampliùs ipſa inuita concedere.*

2 *Ex denegata audientia nullum ius acquiritur parti, vt arbitrio iudicis non poſſit ampliùs concedi.*

3 *Denegatio audientiæ non eſt in fauorem partis, ſed ipſius iudicis.*

1 VIdetur affirmatiuè reſpondendum; quia denegata audientia, cauſa expediri debet iuxta ea, quæ iam ſunt allegata, aut ſaltem non debet vlterius progredi; vnde videtur contrariæ parti acquiri aliquod ius, ratione cuius præiudiciale ſit rurſus audientiam dari.

2 Sed tenendum eſt, quod nullum ius acquiratur parti, atque adeo poſſe iudicem, vt libuerit, rurſus denegatam audientiam concedere. Quod ſequitur ex eo, quòd tenuit Rota Romana *in Tiburtina Caſtri fideicom. 10. Februar. 1620. coram Vbaldo Seniori.* dum docuit quòd nulla actio, aut exceptio competit parti ex eo quòd poſſit iudex denegare audientiam, vt notat etiam Ferentil. *in adnot. ad Deciſ. 446. Burati*, vt iam diximus. Si enim denegata audientia, acquireretur aliquod ius parti, antequam denegaretur ex eodem capite, ex quo poſſet denegari, conueniret actio parti, & poſſet inſtare quòd denegaretur; quia cauſa, quæ poteſt dare ius, poteſt etiam dare actionem; denegatio autem audientiæ daret ius, quatenus fieret ex iuſta cauſa; vnde ſicut hęc iuſta cauſa daret ius, mediante veluti ſententia iudicis, daret etiam actionem.

3 Ratio autem eſt, quia denegatio audientiæ non fit in fauorem partis, ſed tantùm in fauorem iudicis, qui vtitur iure ſuo in manutenenda dignitate proprij officij, mediante aliqua veluti punitione, quæ conſiſtit in denegatione audientiæ: ex eo, quòd petens deliquerit circa acta iudicij. Vnde neque transfert aliquod ius ad dictam partem, cum neque ſit ex aliquo motiuo, quod faueat parti, ſeu cauſæ ipſius. Et ideo, cum nullum ius acquiratur parti, remanet in arbitrio iudicis vt poſſit de nouo audientiam concedere abſq; vlla iniuria partis.

An quando ſunt plures iudices, poſſit aliquis eorum ſe abſtinere à iudicando in aliqua cauſa.

Deciſio CCCCLXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Etiamſi ſint plures iudices, non poteſt aliquis ſe eximere à iudicando.*

2 *Iudex eſt obligatus ad iudicandum in quacunq; cauſa.*

3 *Niſi conſuetudo ſit in contrarium.*

4 *An ſtante tali conſuetudine poſſit aliquis quando cauſa eſt incœpta coram ipſo ſe eximere à ſententia ferenda.*

1 NEgatiuè reſp. Io: Petrus Fontanella *deciſ. 1. num. 7. & 8.* citans Io: de Caſtil. *in Deciſ. 94. Sicil. num. 1.* aſſerentem hanc eſſe communem ſententiam Theologorum, & Canoniſtarum, & Anton. Fabr. *in ſuo Cod. lib. 3. tit. 4. Ne quis in cauſa ſua &c. defin. 1.* Quia nimirum officium iudicis non eſt voluntarium, ſed neceſſarium.

2 Quod quidem eſt conforme ad principia iuſtitiæ; quando enim quis ſuſcipit officium iudicis, ſe obligat communitati ad illud exercendum; vnde tenetur ex iuſtitia ratione obligationis aſſumptæ in quacunque cauſa ſuum munus præſtare; & nolens præſtare facit contra iuſtitiam in re graui, atque adeo mortaliter peccat; & eo magis, ſi accipiat ſalarium à communitate.

3 Hoc tamen limitandum eſt, quando non adeſt conſuetudo in contrarium. Quia ſi adſint multi iudices, vt in Senatu, ita vt vno, aut altero deficiente remaneat corpus, & conſuetudo teneat quòd non ſemper omnes, & ſinguli interueniant, ſed frequenter aliqui abſint, tunc qui ſe eximit ab aliqua cauſa iudicanda, non peccat, quia non facit contra ſuam obligationem; nam quando ſuſcipit munus iudicandi, cenſetur ſuſcipere ſecùndum conſuetudinem, atque adeo ſe obligare ſolùm ſecùndum menſuram conſuetudinis; vnde etiam Romæ Eminentiſſimi Cardinales non ſemper interueniunt Congregationibus, in quibus ſunt iudices.

4 Difficultas tamen eſt. An etiam poſſit quis ſe eximere à iudicando, quando cauſa eſt iam coram ipſo incœpta. Videtur enim negatiuè reſpondendum; quia iam partes habent ius acquiſitum ad completum iudicium, atq; adeo ad ſententiam. Sic etiam confeſſarius, poſtquam incœpit audire pœnitentem, tenetur

perficere

perficere confeſſionem, niſi pœnitens obicem ponat. Nihilominus, ſtante tali conſuetudine, etiam cœpta cauſa, poteſt ſe eximere à iudicando; Quia cauſæ non agitantur coram hoc, vel illo iudice, neque coram omnibus ſingillatim ſumptis, ſed coram toto corpore; vnde partes non acquirunt ius pro complemento cauſæ in ordine ad iudices ſingillatim ſumptos, ſed ſolùm in ordine ad totum corpus, vnde totum corpus tenetur complere cauſam. Sic iidem Eminentiſſimi Cardinales non ſemper omnes interueniunt ad ſingulas cauſas, quæ coram ipſis in Congregationibus cœptæ ſunt: alioquin opus eſſet quòd ſi aliquis iudex ægrotaret, non poſſent perfici cauſæ coram ipſo incœptæ.

An poſſit Princeps immittere Satellites aut milites in loca immunia, vt ob metum confugæ inde diſcedant.

Deciſio CCCCLXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Declaratur caſus.*
2 *Poteſt Princeps ſecundum aliquos mittere lictores, aut milites in loca immunia, ad quæ rei confugerunt.*
3 *Nullo pacto poteſt.*
4 *Reus confugiens ad Eccleſiam non poteſt obſideri.*
5 *Nec vllum genus nocumenti inferri ipſi.*
6 *Nec indirectè cogi, vt inde exeat.*

1 PRopoſitum fuit cuidam Principi quòd ob vitandas controuerſias cum Eccleſiaſticis circa eos, qui confugiunt ad loca immunia, quando vellet aliquem capi, mitteret milites aut ſatellites in eadem loca, vt ibi commorarentur; Quia nimirum confuga timens ibi cõmorari cũ militibus, aut ſatellitibus, inde diſcederet, & ſic poſſet detineri: & fuit dubitatum, an hoc eſſet contra immunitatem confugæ.

2 Atque reſponſum fuit à quibuſdam, hoc non eſſe contra immunitatem; quia nec extrahitur reus à loco immuni, nec ipſi aliqua vis infertur, neque prohibetur, quominus fruatur immunitate loci; ſed tantùm fit aliquid, vnde ipſe occaſionem ſumit diſcedendi à loco immuni: quod dat commoditatem vt poſſit capi.

3 Verùm hæc reſponſio nullo pacto ſuſtineri poteſt. Vnde dico eſſe contra immunitatem Eccleſiæ, & fieri reo graue præiudicium: & teneri Principem aut iudicem, ſi reus capitur, eum reſtituere Eccleſiæ.

4 Ratio eſt, quia Reus confugiens ad Eccleſiam, non poteſt obſideri; quia obſidio eſt quædam ſpecies incarcerationis, vt habetur ex l. *Præſenti. C. De his qui ad Eccleſ. conf.* & tradunt communiter præſertim Panorm. in Cap. *Inter alia num. 13. De immunit. Eccleſ.* Igneus *l. 1. ff. Ad Senatuſconſult. Syllan.* Couar. *lib. 2. Variar. reſol. cap. 20. num. 17. ver. 31.* Anton. Gomez *tom. 3. Variar. Reſol. cap. 1. tit. quando Reus gaudeat. num. 1.* Farinac. *par. 1. pract. crimin. quæſt. 28. num. 9.* Immittere autem milites, aut ſatellites in locum immunem eſt quædam obſidio, imò maior obſidio: præſertim ſi talem incutiat terrorem, vt ſit cauſa quòd reus inde aufugiat.

5 Deinde. Nullum genus nocumenti inferri poteſt confugientibus ad loca immunia. Ex Concil. Tolet. 12. *cap.* 10. & refertur in Cap. *Definiuit. 17. quæſt. 4.* Immittere autem milites, ſiue ſatellites in locum immunem, vt inde diſcedat confuga, eſt ei valde nocere; quia indirectè cogitur ad relinquendum locum ſecuritatis, quod eſt ei valde præiudiciale.

6 Denique. Hoc eſſet eludere totam immunitatem Eccleſiarum; quæ cum ſit conceſſa, vt reus confuga ſecurus ſit, non ſolùm non eſſet ſecurus, quia pateretur vim moralem, ſed etiam indirectè cogeretur exire; vnde etiam indirectè priuaretur beneficio immunitatis. Et per hæc ſoluta manent, quæ dicebantur pro oppoſita ſententia; nam re vera inferretur vis moralis, & priuaretur indirectè immunitate.

An, ſi reus extractus è manibus ſatellitum, confugiat ad Eccleſiam, ſit reſtituendus curtæ ſeculari, quę fuit iniuſtè priuata.

Deciſio CCCCLXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Reus violenter ereptus curiæ ſæculari, ſi confugiat ad Eccleſiam, non eſt reſtituendus ſecundum Dianam.*
2 *Eius motiua.*
3 *Eſt reſtituendus.*
4 *Iniuſta ſpoliatio non priuat dominum dominio.*
5 *Iniuſtè ſpoliatus habet ius ad repetendum, quod ſuum eſt, nec ab aliqua lege poteſt impediri.*

6 Reus,

6 *Reus, quo curia iniuſtè ſpoliatur, remanet ſub dominio curiæ.*

7 *Priuilegium de immunitate non dat Eccleſia quòd poſſit impedire ius alienum.*

8 *Ratio, ob quam Eccleſia iniuſtè ſpoliata, eſt in priſtinum reſtituenda, valet etiam reſpectu curiæ ſæcularis.*

9 *Vt reus gaudeat immunitate, debet confugere liber nedum phyſicè, ſed etiam moraliter.*

10 *Quando reus ſe eripit è manibus curiæ, cur poſſit ab Eccleſia protegi.*

11 *Bulla Gregoriana non obſtat reſtitutioni rei curiæ ſæculari iniuſtè ſpoliatæ.*

12 *Alia eſt ratio de reo ducto à lictoribus per Eccleſiam, ac de eo, qui confugit ad ipſam ereptus è manibus curiæ.*

1 NOn eſſe reſtituendum tradit Diana *par. 6. Reſol. Moral. in tract. ſeu propugnaculo de Immunit. Eccleſ. Reſol. 25. ver. Sed hanc ſententiam.* qui ait oppoſitam ſententiam eſſe prorſus reijciendam, & eſſe puniendos Epiſcopos, ſi eam in praxi ſequantur. Sed quàm rationabiliter id dicat, & quo fundamento hunc terrorem incutiat Epiſcopis, conſtabit ex dicendis.

2 Probat. Reus confugiens ad Eccleſiam debet gaudere immunitate eiuſdem. Cap. *Inter alia de Immunit.* Cap. *Definiuit 17. quæſ. 4.* Et l. 2. *C. de his, qui ad Eccleſiam confugiunt.* vbi omnibus abſolutè, & ſine vlla diſtinctione conceditur immunitas. Talis autem reus liber confugit ad Eccleſiam. Et cum lex non diſtinguat, nec nos debemus diſtinguere; pro qua regula plures citat. Secundò, Reus, qui ſe exemit è manibus ſatellitum, gaudet immunitate, & non eſt reſtituendus. Ergo gaudebit etiam, ſi ab alijs eximatur; quia in vtroq; caſu liber, & non captiuus confugit. Et plures non ignobiles Doctores tradunt quòd ſi reus vinctus, & in manibus curiæ intret Eccleſiam, adhuc gaudet immunitate. Tertiò, In Bulla Gregoriana excluduntur rei, qui non poſſunt gaudere immunitate Eccleſiaſtica, & non excluduntur iſti, de quibus agimus. Ergo cum verba Bullæ non ſint amplianda, nec extendenda, nec limitanda, aut declaranda, ſed intelligenda prout ſonant, non debent reſtitui, & excludi ab immunitate.

3 Oppoſitum tamen tenet Nouarius *in Sum. Bullar. tit. de Immunit. num.* 14. & ait ſe hanc ſententiam ad praxim deduxiſſe, dum eſſet Vicarius in Vrbe Caſtellanateuſi; & adducit Francum *deciſ. 709. num 3.* alioquin Eccleſia nollet cum alijs illam iuſtitiam ſeruare, quæ ſecum præcipit alios ſeruare.

4 Hanc poſteriorem ſententiam prorſus veram exiſtimo, vt pote irrefragabili fundamento firmatam: atque adeo in tali caſu teneri Eccleſiam reſtituere reum curiæ ſæculari. Et deducitur ex duobus principijs certiſſimis legis naturalis. Quorum primum eſt, quòd iniuſta ſpoliatio non priuat dominum iure, & dominio rei, qua ſpoliatur: alioquin non eſſet iniuſta; & proinde per furtum nunquam dominus amittit dominium rei furto ſublatæ.

5 Alterum principium eſt. Quòd nemo ſibi poteſt retinere rem alieni iuris, ſed tenetur reſtituere domino. Quod præſertim verum eſt, ſi dominus contradicat tali retentioni. Ex his autem principijs fit quòd iniuſtè ſpoliatus habeat ius ad repetendum quod ſuum eſt, nec poſſit ab aliquo impediri: & quòd habens rem, ei qui eſt iniuſtè ſpoliatus, teneatur reſtituere: præſertim ſi ad ipſum ſpectet, vt ad iudicem manutere iuſtitiam. Nec vlla lex, ſiue diuina, ſiue naturalis, ſiue humana poteſt oppoſitum ſtatuere: alioquin non eſſet lex, ſed iniquitas, quia ſtatueret iniuſtum. Et quòd diuina, aut humana hoc non ſtatuat, patet, quia non contrariantur principijs legis eiuſdem naturalis.

6 In caſu autem noſtro curia ſæcularis iniuſtè ſpoliatur reo: quia ſpoliatur per vim ab ijs, qui non habent poteſtatem. & per captionem ipſum fecerat ſui iuris, & dominij; vnde non obſtante hac iniuſta ſpoliatione retinet ius, & dominium ſupra reum; & proinde poteſt ipſum repetere apud quemcunque ſit, & non poteſt à quocumque impediri ne repetat: Vnde Eccleſia illum habens apud ſe, tenetur reſtituere: alioquin faceret contra iuſtitiam, & foueret iniuſtam ſpoliationem, non ſecus ac qui haberet apud ſe rem furatam, & nollet reſtituere proprio domino, foueret furtum.

7 Nec iuuat priuilegium Eccleſiæ de immunitate; quia hoc conſiſtit tantùm in eo, quòd poſſit protegere reos: non autem quòd poſſit protegere iniuſtitiam, & facere contra principia legis naturalis nolendo reddere alteri quod ſuum eſt; vt faceret, ſi nollet reddere reum curiæ, quo iniuſtè ſpoliata eſt. Neque enim priuilegia, quæcumque illa ſint, poſſunt habere pro obiecto rem iniuſtã: vt eſſet quòd alter non recuperaret ius ſuum: alioquin non eſſent priuilegia ſed tyrannicæ proſcriptiones alieni iuris. Vnde tunc Eccleſia poteſt protegere reum, quando non eſt ſub iure, & dominio curiæ, & confugit ad ipſius protectionem.

8 Hinc valet argumentum Nouarij: Eccleſia iniuſtè ſpoliata reo, eſt reſtituenda; ergo etiam curia ſæcularis eſt reſtituenda quando iniuſtè reo ſpoliatur; quia militat ex parte vtriuſque eadem ratio, nempe quòd ſemper vnicuique ius ſuum eſt reſtituendum. Nec valet reſponſio Dianæ, quòd ſit diſpar ratio, quia Eccleſia non ſpoliauit iudicem violen-

ter,

Digitized by Google

ter, ſicut iudex ſpoliat Eccleſiam; nam obligatio reſtituendi non prouenit ex ſola violenta ſpoliatione, ſed quia tum Eccleſia ſit iniuſtè ſpoliata, retinet ſemper ſuum ius ad protegendum reum; vnde etiam curia ſæcularis debet reſtitui, quia ſtante iniuſta ſpoliatione non ceſſat ius ipſius ſupra reum. Vnde quæro à P. Diana, an ſi aliquis, qui non eſſet de curia, extraheret reum violenter ab Eccleſia, & ſtatim ac eſt extractus caperetur à curia ſæculari, teneretur Curia ſæcularis ipſum Eccleſiæ reſtituere? Certe reſpondebit, quòd tenebitur reſtituere: quia Eccleſia eſt iniuſtè ſpoliata. Cur ergo in caſu noſtro non tenebitur Eccleſia reſtituere, cum curia ſit iniuſtè ſpoliata?

9 Ad primum Reſp. Quòd reus confugiens ad Eccleſiam gaudet immunitate, quando eſt in ſtatu, quòd poſſit protegi ab Eccleſia: vt autem ſit in tali ſtatu debet eſſe liber non ſolùm phyſicè, ſed etiam moraliter: alioquin nō poteſt protegi: nam protectio non eſſet actio pietatis, ſed actio iniuſta. Quando autem reus confugit ad Eccleſiam violenter ereptus è manibus curiæ, licet ſit liber phyſicè, non tamen eſt liber moraliter; nam cum iniuſtè eripiatur, non priuatur curia ſuo iure: & ideo remanet adhuc reus ſub iure, & dominio ipſius: quo Eccleſia non poteſt priuare curiam iniuitam.

10. Ad 2. Eſſe diſparem rationem de reo, qui ſe eripit è manibus curiæ, at de eo, qui ab alio violenter eripitur; nam qui ſe eripit, vtitur iure ſuo, quod habet ad fugiendum: & proinde ſi fugit, ceſſat dominium, & ius curiæ ſupra ipſum; quia licet curia habeat ius ad ipſum capiendum de nouo, non tamen habet ſupra ipſum actuale dominium tanquam ſupra rem ſuam: quia fuga iuſto titulo facta caſſat hoc dominium; ideo ſi protegatur ab Eccleſia, non protegitur iniuſta ſpoliatio, neque prohibet quòd curia non recuperet quod ſuum eſt: ſicut prohiberet, ſi protegeret iniuſtè ereptum è manibus curiæ: quia iniuſta ſpoliatio non caſſat dominium curiæ.

11 Ad 3. Bullam Gregorianam agere de delictis, quorum qui ſunt rei, non gaudeant immunitate Eccleſiæ; & ſtando in ijs, quæ in illo argumento afferuntur de non diſtinguendo, quando lex non diſtinguit, & ſequendo verba Bullæ vt ſonant, ſine limitatione, aut ampliatione, deducitur ſolùm quod talis reus ſi non commiſit delictum ex exceptis, non eſſet tradendus curiæ ſæculari ratione delicti; non autem quòd non ſit tradendus ratione iuris, & dominij, quod curia retinet ſupra ipſum tanquam iniuſtè ſpoliata. Non enim Bulla prohibet, nec prohibere poteſt, ne alicui ius ſuum reddatur. Et agit de reis, qui poſſunt confugere ad Eccleſiam, & quos poteſt Eccleſia protegere, ſi confugiant: & ex his aliquos excipit ob grauitatem criminum: reus autem violenter ereptus è manibus curiæ non poteſt protegi; ne fiat actio ab Eccleſia iniuſta. Vnde eſt in alio ordine.

12 Quòd autem addebatur in 2. argum. quòd ſecùndum aliquos reus ductus à lictoribus per locum immunem gaudet immunitate. Quicquid de hoc ſit, non valet paritas; nam ſi in tali caſu gauderet immunitate, deberet curia ſibi imputare quòd duxiſſet reum in locū immunem; vnde ipſa ſibi caſſaſſet dominium, & ius ſupra reum, non autem fuiſſet ab aliquo iniuſtè ſpoliata; & ideo Eccleſia protegendo reum, non prohiberet quin aliquis recuperaret, quod ſuum eſt, nec faceret alicui iniuſtitiam, ſicut faceret in caſu noſtro. Videat ergo P. Diana, quo fundamento aſſerat hanc ſententiam eſſe prorſus reijciendam, & Epiſcopis terrorem incutiat, ne ipſam amplectantur.

An ſi conſuetudo ſit rei grauis, & difficilis, & communiter ſeruetur à populo cenſenda ſit introducta cum animo ſe obligandi.

Deciſio CCCCLXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Quid requiratur, vt conſuetudo habeat vim legis.*
2 *Qui tradant conſuetudinem habere vim legis, quando eſt rei grauis, & difficilis, & communiter ſeruatur.*
3 *An hæc doctrina ſit vera.*
4 *Conſuetudo quòd adhibeatur in teſtamento minor numerus teſtium, quàm ſeptem, an valeat.*
5 *Non ſemper conſuetudo rei grauis, & difficilis, & communiter ſeruata inducit obligationem.*

1 Conſuetudinem introduci debere cum animo ſe obligandi, vt habeat vim legis, docent communiter tam Theologi, quàm Iuris vtriuſque Doctores. Vt enim habeat vim legis debet participare conditiones ipſius: quarum vna eſt: quòd ſit inſtituta à legiſlatore ad obligandum populum; vnde conſuetudo quoque debet eſſe introducta ad ſe obligandum, vt participet hanc conditionem: alioquin non obligabit, nec acquiret vim legis; quia actus volun-

voluntarij non plus operantur quàm velint operari. l. *Voluntariè. C. De excuſ. tut.* & l. *Fin. C. Ne vxor pro mar.*

2 Quòd autem conſuetudo ſit introducta cum animo ſe obligandi, quando eſt rei grauis, & difficilis, & communiter ſeruatur à populo, tradunt Suarez *lib. 7. de legib. cap. 15. num. 13.* Palaus *tom. 1. Theol. Moral. tract. 3. diſp. 3. punc. 2. §. 3. num. 13.* Gordonius *tom. 1. Theol. Moral. lib. 2. quæſt. 14. cap. 4. num. 16.* Præpoſit. *in 1. 2. q. 97. dub. 1. num. 7.* Megal. *in Prompt. verbo* Conſuetudo *num. 5.* Diana *par. 6. tract. De conſuetud. Reſol. 11.*

3 Sed hoc non videtur verum. Quia dantur conſuetudines, quæ habent vim legis, quæ non ſunt de re graui, aut difficili, & quæ non communiter ſeruantur: vt eſt conſuetudo quòd pater filio impuberi eligat ſepulturam; hæc enim electio non eſt res grauis, aut difficilis, nec ab omnibus ſeruatur; & tamen habet vim legis; quia dat patri ius eligendi.

4 Sic etiam conſuetudo quòd adhibeatur minor numerus teſtium, quàm ſeptem in teſtamento, valida eſt: vt tradit Bart. *in l. omnium C. De teſtament.* Et ratio eſt, quia quò ad ſolemnitatem actus attenditur conſuetudo regionis l. 1. *in fine ff. De ventre inſpiciendo.* Atque hæc conſuetudo habet vim legis; nam conſuetudo æquiparatur ſtatuto. l. *Omnes populi.* Vbi *Legibus vel moribus ff. De Iuſt. & Iure* vbi Doctores; & tamen non eſt de re difficili, nec ab omnibus ſeruatur.

5 Deinde. E contrario poteſt introduci exercitium alicuius virtutis in aliqua communitate, quod ab omnibus communiter ſeruetur, quod ſit difficile: ita tamen vt deuotio, aut pietas ſuperet difficultatem: & quod etiam ſit res grauis; quia nimirum valde conferat ad ædificationem fidelium populorum: vt ſi v. g. omnes de communitate conferrēt in commune decimam partem ſuorū redituum pro alendis pauperibus, aut pro aliquo alio opere pio, tunc concurrerent omnes conditiones, quas requirunt ſupradicti Doctores; & tamen conſuetudo illa non obligaret; quia quæ fiunt ex liberalitate, non inducunt obligationem; nam proueniunt ex libera voluntate, quæ cum liberaliter operetur, non intendit ſe obligare. Tum quia exercitium huiuſmodi virtutum, non obligat, per id, quòd continuò exerceantur.

An ſi viri timorati malè ſentiant, de ijs, qui non obſeruant conſuetudinem, aut populus communiter ſcandalizetur, ſit ſignum fuiſſe introductam cum animo ſe obligandi.

Deciſio CCCCLXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Quando viri timorati malè ſentiunt de tranſgredientibus conſuetudinem, ſignum eſt quòd obliget, ſecùndum aliquos.*

2 *Non eſt verum ſignum.*

3 *Vnde poſſit oriri ſcandalum, quando non ſeruatur conſuetudo, quæ non obligat.*

4 *An diuturnitas conſuetudinis indicet eam obligare.*

1 Affirmatiuè reſpondent Sanchez *lib. 7. De legib. cap. 15. num. 13.* Palaus *tom. 1. trac. 3. diſp. 3. punct. 2. §. 3. num. 13.* Præpoſ. *1. 2. quæſt. 97. dub. 1. num. 7.* Gordon. *lib. 2. Theol. Moral. quæſt. 14 cap. 4 num. 16. ver. Poſtrema,* & alij.

2 Oppoſitum tamen tenendum eſt cum Megalio *in Promptuario verbo* Conſuetudo *num. 5.* quia contingit, timoratos viros malè ſentire, & populum ſcandalizari etiam de ijs, qui non ſeruant conſuetudines, quæ tamen minimè obligant. Sic ſcandalum daret qui nunquā recitaret Salutationem Angelicam, quando datur ſignum commune: qui nunquam ſe aſpergeret aqua benedicta in ingreſſu Eccleſiæ, & alia huiuſmodi non præſtaret, quæ ex ſola pietate, & deuotione fiunt abſque vlla obligatione.

3 Et ratio eſt, quia hoc ſcandalum generari poteſt aliunde, quàm quia non ſeruetur conſuetudo; vnde viri timorati malè ſentirent de eo, qui prædictas conſuetudines non ſeruaret, non quia cenſerent peccare ex eo, quod non ſeruaret conſuetudinem; ſed quia arguerent animum malè diſpoſitum erga opera bona, & parum curantem de ijs, quæ conducunt ad ſalutem. Vnde cum ſcandalum aliunde oriri poſſit, quàm ex non obſeruatione conſuetudinis, & non proueniat ex eo, quòd conſuetudo non obſeruetur, niſi manifeſtum ſit conſuetudinem obligare: ideo ex hoc non poteſt colligi, an conſuetudo inducta ſit animo ſe obligandi.

4 Ex quibus colligitur, quòd multò minùs ex diuturnitate colligi poteſt quòd conſuetudo obliget, & inducta ſit cum animo ſe obligandi, vt

Digitized by Google

di, vt vult Gordon. *citat. ſupra num.* 1. Quia prædictę conſuetudines ſunt immemorabiles, & tamen non obligant.

An, ſi Superiores, & Magiſtratus reprehendant, & puniant non ſeruantes conſuetudinem, ſit ſignum quòd fuerit inducta cum animo ſe obligandi.

Deciſio CCCCLXXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Quando Magiſtratus reprehendunt, & puniunt tranſgreſſores conſuetudinis indicat quòd obliget.*
2 *Difficultas cur hæc doctrina non ſit ſemper vera.*
3 *Priùs debet cognoſci an conſuetudo obliget, quàm quòd Magiſtratus puniant tranſgreſſores.*

1 AFfirmatiuè reſpondent, Suarez *lib.* 7. *de Legib. cap.* 15. *numer.* 13. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 3. *punc.* 2. §. 3. *num.* 13. Præpoſit. 1. 2. *quæſ.* 97. *ar.* . *dub.* 1. *num.* 7. Gordon. *lib.* 2. *Theol. Moral. quæſ.* 14. *cap.* 4. *num.* 16. *ver. Poſtremò.* Megal. *in Prompt. Verbo* Conſuetudo *num.* 15. Diana *par.* 6. *tract. de Conſuetud. reſol.* 11.

2 Verùm obſtat quòd ſtante ſententia eorum, qui volunt dari aliquas leges, quæ obligent ſolùm in foro exteriori, non autem in foro conſcientiæ, atque ſolùm ad pœnam, & non ad culpam, non poteſt ex hac doctrina colligi quòd conſuetudo obliget in foro conſcientiæ, ſed ad ſummum in foro exteriori: vnde non eſt doctrina vniuerſalis ad dignoſcendam obligationem conſuetudinis.

3 Deinde. Magiſtratus & Superiores non poſſunt procedere ad puniendos eos, qui non obſeruant conſuetudinem, niſi conſtet quòd conſuetudo ſit inducta cum animo ſe obligandi; & ideo punitio tranſgredientium conſuetudinem non facit innoteſcere obligationem conſuetudinis, ſed ſupponit cognitam: & proinde aliunde debet colligi quòd conſuetudo ſit inducta cum animo ſe obligandi.

An ſi materia conſuetudinis multum conferat ad vtilitatem Reipublicæ, cenſenda ſit introducta conſuetudo cum animo ſe obligandi.

Deciſio CCCCXC.

SVMMARIVM.

1 *Conſuetudo eſt introducta cum animo ſe obligandi, ſi eius materia conferat multum Reipublicæ. ſecùndum aliquos.*
2 *Difficultas, ob quam hæc doctrina non eſt vera.*
3 *Quæ fiunt ex mera libertate nunquam inducunt obligationem, etiam ſi frequentia ſint.*

1 AFfirmatiuè reſp. Suarez 7. *de Legib. cap.* 15. *num.* 13. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 5. *punct.* 2. §. 3. *num.* 13. Præpoſit. 1. 2. *quæſt.* 97. *ar.* . *dub.* 1. *num.* 7. Gordon. *lib.* 2. *Theol. Moral. quæſ.* 14 *cap.* 4. *num.* 16. *ver. Poſtremo.* Megal. *in Promptuario Verbo* Conſuetudo *nu.* 15. Diana *par.* 6. *tract. de Conſuetud. reſol.* 11. & alij.

2 Sed hæc doctrina difficultatem patitur; quia ſunt plura, quæ etiam ſi plurimùm vtilia ſint Reipublicæ, non tamen inducunt obligationem, etiam ſi ex conſuetudine fiant. Sic plurimùm vtile eſt Reipublicæ quòd erigantur hoſpitalia pro curandis infirmis: quòd erigantur Montes Pietatis ad mutuandum pauperibus; & licet ex conſuetudine Montes Pietatis, & hoſpitalia ſubueniant pauperibus ex contributione ciuium, non tamen contrahitur obligatio ad manutenendum Montes Pietatis, aut hoſpitalia. Sic etiam exercitium cuiuslibet virtutis eſt plurimum vtile Reipublicæ: & tamen, etiam ſi fiat ex conſuetudine, non inducit obligationem.

3 Ratio autem eſt, quia quæ fiunt ex mera libertate non inducunt obligationem etiam ſi frequenter, & ex conſuetudine fiunt, nam obligatio ſicuti eſt quoddam vinculum ligans voluntatem, ita neceſſe eſt vt proueniat ab aliqua virtute ligandi; dum autem voluntas merè liberè ſe mouet, neque ſe ligat quia in libertate non eſt vinculum, neque operatur vt ab aliquo ligata: alioquin non operaretur ex mera libertate ſua.

An

Quid, & qualis ſit animus ſe obligandi, qui dat vim legis conſuetudini.

Deciſio CCCCXCI.

SVMMARIVM.

1 *Animus ſe obligandi dans vim legis conſuetudini debet eſſe communis.*
2 *Tacitus conſenſus communis ſe obligandi à quibus poſſit cauſari, & à quibus non poſſit.*
3 *Tacitus conſenſus ſe obligandi in conſuetudine debet eſſe publicus.*
4 *Quomodo cum ſit tacitus, & ſingularium perſonarum, ſit etiam publicus.*
5 *Quodnam motiuum poſſit inducere hunc tacitum conſenſum.*
6 *Vnde debeat prouenire animus ſe obligandi in conſuetudine, & quænam ſit eius radix.*
7 *Conſuetudo, quæ habet vim legis, debet participare conditiones legis.*
8 *Lex debet eſſe neceſſaria, & quomodo.*
9 *Quid, & qualis ſit animus ſe obligandi, qui dat vim legis conſuetudini.*
9 *Vnde cognoſcatur conſuetudinem obligare.*
10 *Conſuetudo, quæ priùs obligabat, poteſt ceſſare obligare; & vnde cognoſcatur quòd ceſſauerit.*

1 QVia conſuetudo, vt habeat vim legis, debet eſſe communis, ideo vt acquirat talem vim, debet animus ſe obligandi eſſe communis, & non aliquorum tantùm; vnde debet conſurgere quidam tacitus communis conſenſus, quo communiter ſe obligent.

2 Eſt autem difficile, imò moraliter impoſſibile quòd in ijs, quæ vnicuique voluntaria, & merè libera ſunt, conſurgat tacitus conſenſus communis apud omnes ſe obligandi; vnde nunquam contingit quòd aliqua communitas ex tacito conſenſu ſe obliget ad aliquod ex conſilijs euangelicis, quæ merè liberè obſeruantur; quia nimirum tacitus conſenſus debet cauſari ab aliquo motiuo, quod communiter inducat ad tacitè conſentiendum; quod non poteſt aliunde ſe tenere, quàm ex parte obiecti; cum non adſit extrinſeca perſona ſuadens, & quæ omnino liberè fiunt non habeant vim cauſandi communiter hunc tacitum conſenſum. Ideo oportet quòd tale motiuum ſe teneat ex parte obiecti, & conſequenter obiectum conſuetudinis ſit tale, vt poſſit ipſum communiter cauſare. Quod fieri non poteſt, niſi differat ab ijs, quæ omnino liberè fiunt.

3 Quod præſertim verum eſt, quia talis conſenſus non debet eſſe priuatus, & ſingularis, ſed publicus, & communis; nam priuatus conſenſus vnius non poteſt redundare in alios, & multò minùs in poſteros; ſed afficit tantùm priuatam perſonam; & ideo etiam ſi omnes, & ſinguli conſentirent priuato conſenſu, non obligarent communitatem; quia ex quibuſcunque conſenſibus priuatis non poteſt conſurgere publicus; cum ſit alterius ordinis. Communitas autem, cum ſit publica, non poteſt obligari niſi conſenſu publico.

4 Hinc autem fit, quod ad fundandum animum ſe obligandi requiratur tacitus conſenſus eorum, qui ſunt de communitate: non prout ſunt priuatæ perſonæ, ſed prout ſunt membra communitatis, & tanquam eorum, ad quos pertinet conſeruare bonum publicum; pertinet enim ad membra cooperari bono totius corporis. Quia namque conſuetudo debet habere vim legis, debent qui eam introducunt imitari legislatorem, & reſpicere ad bonum communitatis, ſicut ipſe reſpicit in legibus ſanciẽdis. Et proinde tanquam membra communitatis habere animum ſe obligandi in ordine ad bonum publicum; quia ita exigat bonum communitatis, cui tenentur cooperari.

5 Et ex hoc conſtat quodnam ſit motiuum, quod poteſt inducere tacitum conſenſum, quo communiter conſentient ad ſe obligandum in ordine ad conſuetudinem. Eſt enim exigentia boni publici. Quia enim vnicuique à natura impreſſum eſt, quod ad ipſum, tanquam ad membrum communitatis, ſpectat ipſam conſeruare, & eiuſdem bono cooperari, ideo ſtatim ac ipſi offertur quòd bonum communitatis hoc vel illud exigit, naſcitur in ipſo quoddam iudicium rationis, dictans hoc vel illud eſſe faciendum: quia ita exigit bonum communitatis.

6 Sequitur autem ex hoc, Quòd animus ſe obligandi non debeat eſſe omnino ex libertate prouenienS, ſicut eſt animus ſe obligandi in promiſſione, aut voto: ſed debeat radicari in ipſo obiecto, ſeu materia conſuetudinis, quæ ſit talis, vt exigat, membra communitatis ſe obligare. Ratio eſt, quia ſicut conſenſus debet eſſe à membris communitatis, vt talia ſunt; ita etiam animus ſe obligandi debet eſſe membrorum, vt talia ſunt. Et quia membra non mouentur niſi vt partes corporis, atque adeo niſi ex motione finis totius corporis; ideo animus ſe obligandi, vt ſit publicus, & vt membrorum communitatis, debet cauſari à fine communitatis, nempe à bono ipſius: & ideo materia conſuetudinis debet eſſe talis, vt bonum communitatis exigat quod membra ad ipſam ſe obligent, vt ad eam, quæ cenſetur neceſſaria ad bonum communitatis.

7 Quod etiam ex eo patet, quia conſuetudo, quæ habet vim legis, non differt à lege quò ad

ſubſtan-

ſubſtantiam, ſed eſt lex non ſcripta; & ideo debet habere eaſdem conditiones ſubſtantiales, quas habet lex: alioquin non poſſet operari eoſdem effectus, præſertim obligationis; quia cum obligatio ſit oneroſa, non poteſt induci niſi ex rationabili cauſa; & ideo debet habere eam conditionem, ob quam lex rationabiliter obligat.

8 Inter conditiones autem, quas requirit lex, & ob quam rationabiliter obligat, præcipua eſt, quòd ſit neceſſaria, ſeu de materia neceſſaria habita ratione boni publici. Ita habetur ex Cap. *Erit autem. diſt. 4.* vbi Gloſ. *verbo Neceſſaria.* inquiens: *Quia nonniſi inſtante neceſſitate ius ſtatui debet*, & ex Cap. *Regulæ diſt. 29.* Et ratio eſt, quia lex dum ligat, oneroſa eſt, & aggrauat libertatem auferendo aliquod ius in ordine ad plenum vſum ipſius; hoc autem ius non poteſt auferri, niſi ita exigente bono communi, cui ſubordinatur libertas; & ideo materia legis debet eſſe neceſſaria pro bono communi: alioquin ſi præter exigentiam ipſius aggrauaretur libertas, non teneret ligamen; quia non teneretur libertas cedere iuri ſuo: & lex iniuſtè aggrauaret, quia id faceret abſque ſufficienti motiuo.

9 Ex his autem conſtat quid, & qualis ſit animus ſe obligandi dans conſuetudini vim legis. Nihil enim aliud eſt, quàm iudicium practicum dictans quòd id quod per conſuetudinem inducitur, nedum ſit bonum, ſed etiam neceſſarium pro communitate: & proinde debere executioni mandari. Vnde eſt animus publicus; quia eſt eorum, qui ſunt de communitate, quatenus vt membra communitatis reſpiciũt bonum commune. Hinc ad cognoſcendum, an conſuetudo ſit inducta cum animo ſe obligandi, videndum eſt, an materia ipſius ſit neceſſaria pro bono communitatis: & proinde, an fuerit amplexata cum dictamine de neceſſitate ipſius pro bono communitatis: & ſi hæc non concurrant, concludendum, eſt quòd non ſit inducta cum animo ſe obligandi

10 Colligitur ex dictis; Quod poſtquam aliqua conſuetudo introducta eſt cum animo ſe obligandi, poſſit decurſu temporis cenſeri nõ ampliùs obligare, licet obſeruari ſoleat: vt cõtingit etiam in legibus, quæ debent aliquando abrogari, quia inutiles, & non neceſſariæ ſunt. Vt autem cognoſcatur, quando conſuetudo ceſſauerit obligare, reſpiciendum eſt ad id, quod induxit communitati animum ſe obligandi, an ceſſauerit; quia ſi ceſſauit id, propter quod communitas cenſuit deberi induci conſuetudinem, nempe neceſſitas materiæ conſuetudinis pro bono publico, cenſendum eſt etiam ceſſaſſe obligationem conſuetudinis, quia iam ceſſauit finis adæquatus ipſius.

An Indulgentiæ, quæ alicui conceduntur à Summo Pontifice applicandæ imaginibus, coronis, &c. poſſint in alterum transferri, à quo applicentur.

Deciſio CCCCXCII.

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio affirmatiua quòd Indulgentiæ applicandæ poſſint in alium transferri.*
2 *Delegatus à Summo Pontifice poteſt ſubdelegare.*
3 *Qui accipit facultatem ab alio, quàm à Summo Pontifice, applicandi Indulgentias, non poteſt eam in alium transferre.*
4 *Petens Indulgentias nomine alterius, hic non ille poteſt ſubdelegare.*
5 *Si Pontifex concedens benedictiones dicat nolle ab alio applicari poſſe, quàm ab eo, cui conceduntur, an adhuc poſſint applicari.*
6 *Gratiæ extenduntur ad ampliſſimum effectum iuxta formam iuris communis.*
7 *Priuata voluntas legiſlatoris non derogat legi.*

1 Reſpondetur affirmatiuè, dummodo in cõceſſione à Summo Pontifice non ſit aliter cautum, ſed ſtando in iure communi. Qui enim tales Indulgentias applicandas accipit non ſolùm accipit ipſas Indulgentias, ſed etiam facultatem eas applicandi cuinam materiæ voluerit; vnde cenſetur ad hoc munus delegatus.

2 Quia autem delegatus à Summo Pontifice poteſt rurſus delegare Cap. *Fin. De officio iud. deleg.* & Cap. *Cum cauſam. De appellat.* ideo cum ſit delegatus ad tales Indulgentias applicandas, poteſt alium ſubdelegare, qui eas nomine ſuo applicet cuinam materiæ placuerit.

3 Ex hoc autem ſequitur, quòd ille, qui ab alio, quàm à Pontifice accipit talem facultatem, nõ poſſit in alium transferre Indulgentias applicandas: quia ex vi ſubdelegationis terminatur in ipſo facultas; & tunc valet regula: quòd delegatus non poteſt delegare.

4 Quòd ſi quis petat à Pontifice has Indulgentias, ſeu benedictiones applicandas nomine alterius: tunc quia intelliguntur conceſſæ perſonæ, cuius nomine petuntur, ideo iſte, non verò qui petit, cenſetur delegatus; & proinde ipſe, & non qui petijt, poterit alterum ſubdelegare.

5 Maior difficultas eſt, An ſi, dum Pontifex concedit huiuſmodi Indulgentias, dicat velle, vt à nullo alio, quàm ab ipſo, cui concedit,

applicentur, poſſint nihilominus applicari ab alio, dummodo ad ipſum ab obtinente tranſmittantur. Reſp. in hoc caſu concurrere voluntatem priuatam Pontificis cum iure communi; nam ratione iuris communis poſſunt huiuſmodi benedictiones, vt vidimus, ad aliũ tranſmitti, hoc autem prohibetur per voluntatem priuatam Pontificis; quia autem priuata voluntas non præualet legi, & proinde ipſi non derogat: ideo, ſaluo tamen meliori iudicio, cenſerem poſſe adhuc ad alium tranſmitti, à quo applicentur: attendendo ad ius commune.

6 Quia enim gratiæ extenduntur iuxta formam iuris communis, vt conſequantur effectum, quem poſſunt, ampliſſimum (Rota *deciſ.* 458. *ex nouis*) ideo prima facultas applicandi huiuſmodi benedictiones, cum ſit quædam gratia, debet extendi, vt ſit ea maxima, quæ poteſt eſſe ſecùndum formam iuris communis; & ideo cum ſecundum formam iuris communis poſſit alteri communicari, non obſtante priuata illa declaratione Pontificis, adhuc poterit communicari.

7 Quòd autem priuata illa voluntas non deroget in hoc iuri communi, ex eo patet, quia non eſt voluntas legiſlatoris; & ideo non æquiualet voluntati publicæ, qua lex ſancitur. Ex quo etiam fit, quòd non procedat ex tota illa conſultatione, quæ neceſſaria eſt pro lege ſancienda, & conſequenter quòd non ſit tanti ponderis, quanti eſt voluntas publica legis; & proinde debet cedere tanquam inferioris ordinis, & relinquere in ſuo robore ius commune.

An, qui habet Indulgentias, ſeu benedictiones applicandas, mortuo Pontifice concedente, poſſit illas applicare: an verò expiret facultas applicandi.

Deciſio CCCCXCIII.

SVMMARIVM.

1 *Non poſſe benedictiones, mortuo Pontifice concedente, applicari, quæ ſuadeant.*
2 *Delegatio ſpirat morte delegantis.*
3 *Mortuo Pontifice, benedictiones ab ipſo conceſſæ poſſunt adhuc applicari.*
4 *Delegatio per modum gratiæ, ſeu quæ ſequitur ad gratiam, non ſpirat morte delegantis.*
5 *In conceſſione benedictionum delegatio eſt acceſſoria.*

1 Videtur reſpondendum non poſſe applicare. Quia applicat vt delegatus Summi Pontificis; nam non applicat auctoritate propria, cum illa careat: neque aliqua auctoritate ordinaria, vt de ſe conſtat; vnde non alio modo applicare poteſt, quàm auctoritate Pontificis ſibi delegata.

2 Delegatio autem ſpirat morte delegantis. Cap. *Relatum*, Cap. *Gratum*, & Cap. *Licet. de Officio Delegati*, Et l. *Et quia ff. de Iuriſdict. om. iud.* vbi Gloſ. Bart. & alij. Item Gloſ. *in l. Venditor* §. 1. *ff. de Iud. etiam princip.*

3 Tenendum tamen eſt quòd etiam mortuo Pontifice, qui conceſſit Indulgentias, ſeu benedictiones applicandas, adhuc applicari poſſint, niſi antea ſint applicatæ, non ſecus ac ſi Pontifex viueret.

4 Ratio eſt; quia licet delegatio ſpiret morte delegantis, quando tamen eſt delegatio gratioſa, ſeu per modum gratiæ, quæ non ordinatur ad exercendam tantùm iuriſdictionem delegantis, ſed trahit ſecum etiam gratiam factam delegato, non ſpirat morte delegantis; quia tanquam acceſſorium ſequitur naturam principalis, nempe gratiæ. Gratia autem non expirat morte concedentis. Cap. *Si ſuper gratia. de Offic. & poteſt. Delegati in 6.*

5 In caſu autem noſtro principale eſt gratia, & acceſſorium eſt delegatio, quia Pontifex in tali conceſſione quod vt principaliùs concedit, ſunt benedictiones, quæ ſunt mera gratia; delegatio autem ad eas applicandas eſt acceſſorium; quia non datur propter ſe, ſed propter vſum gratiæ.

An conceſſio harum Indulgentiarum, ſeu benedictionum applicandarum coronis &c. ſit æquè certa, ac conceſſio aliarum Indulgentiarum, quæ fit Eccleſijs, Altaribus priuilegiatis, &c.

Deciſio CCCCXCIV.

SVMMARIVM.

1 *Benedictiones coronarum non videntur habere tantam certitudinem, quantam aliæ Indulgentiæ.*
2 *Conceſſio Indulgentiarum per benedictiones eſt certa, ſicut quæuis alia Indulgentia.*
3 *Conceſſio Indulgentiæ eſt certa, quando eſt ſecùndum mentem, & finem Chriſti.*
4 *Finis Chriſti in inſtituendo theſauro Eccleſiæ.*

5 *Alia*

5 *Alia cauſa impulſiua, alia cauſa finalis Indulgentiæ.*
6 *Menſura certitudinis, & efficacitatis conceſſionis Indulgentiarum eſt à cauſa finali.*

1 VIdetur ſtatim negatiuè reſpondendum; quia licet Pontifex ſit diſpenſator theſauri Eccleſiæ, debet tamen in diſpenſando prudenter ſe gerere: atque adeo ſi diſpenſet ſine cauſa, erit prodigus in diſpenſando, atq; diſpenſatio erit nulla; quia excedit limites commiſſionis, cum quibus eſt ipſi à Chriſto commiſſus theſaurus iſte plenus ſuorum meritorum; nam eſt commiſſus, vt prudenter, & rationabiliter diſpenſet. Hinc diſpenſatio ex leui cauſa non erit tam certa, ſicut diſpenſatio ex graui cauſa. Iſtæ autem benedictiones videntur concedi ex leui cauſa; præcipuè cum in magno numero conceduntur.

2 Vera tamen reſolutio eſt. Quòd ſtante facultate Pontificis ſupra theſaurum Eccleſiæ, tàm certa eſt conceſſio harum benedictionum, quàm certa ſit quæcunque alia Indulgentia concesſa Eccleſijs, altaribus priuilegiatis, &c. quocunque titulo.

3 Ratio eſt, quia tunc conceſſio cuiuſcunque Indulgentiæ certa eſt, ſeu certò ſortitur effectum conceſſionis, quando eſt ſecùndum mentem Chriſti, qui inſtituit hunc theſaurum plenum ſuis meritis: & tunc eſt ſecùndum mentem Chriſti, quando ordinatur ad eum finem, ad quem Chriſtus ordinauit theſaurum; quia tunc cum diſpenſatio theſauri fiat in ordine ad finem, pro quo eſt inſtitutus, tunc ſicut eſt idem finis inſtituentis, & diſpenſantis, ita etiam eſt eadem intentio; & proinde diſpenſatio eſt ſecùndum mentem, & intentionem Chriſti, quia diſpenſatur theſaurus pro fine illo, pro quo eſt inſtitutus, vt diſpenſaretur.

4 Finis autem inſtitutionis huius theſauri eſt prodeſſe viatoribus, & illis dare vnde pro pœna peccatis debita ſatisfaciant; quia ſicut Chriſtus mortuus eſt, vt ſatisfaceret pro peccatis, & pœnis illis debitis: ita nobis applicauit merita ſua, vt ijs vteremur ad huiuſmodi ſatisfactionem; & ideo manent in theſauro Eccleſiæ merita Chriſti nobis liberaliter applicanda etiam pro ſatisfactione pœnæ, ſicut liberaliter applicantur pro ſatisfactione culpæ. Quotieſcunq; autem Pontifex nobis concedit Indulgentias, aut benedictiones, illas in hunc finem concedit, vt per ipſas ſatisfaciamus pro pœnis debitis peccatis, atque adeo concedit ſecùndum mentem Chriſti.

5 Vt autem ſatisfaciamus rationi in oppoſitum. Aduertendum eſt quòd alia eſt cauſa impulſiua concedendi, & alia cauſa finalis ob quam conceduntur. Cauſa enim impulſiua eſt illa, quæ facit vt Pontifex hic & nunc intendat finem Indulgentiarum, atque ex tali intentione moueatur ad concedendas Indulgentias. Cauſa verò finalis eſt illa, ob quam conceduntur; quæ ſemper eadem eſt; quia ſemper Pontifex concedit in eum finem, vt habeant homines vnde ſatisfaciant pro pœnis debitis ſibi ob peccata. Cauſa verò impulſiua poteſt eſſe diuerſa; quia modo vna occurrit, modo alia; & non eſt finis Indulgentiæ, ſed occaſio conceſſionis: cum Pontifex ſumat ab ipſa occaſionem concedendi.

6 Menſura autem certitudinis, & efficacitatis conceſſionis non ſumitur ex cauſa impulſiua, ſed ex cauſa finali; quia cum finis ſit Principium agendi, debet actio menſurari per ipſum: cum enim exeat ab agente ex vi motionis finis, exit talis, qualis exigitur à fine, atque adeo ſecùndum menſuram illius. Hinc cum finis Indulgentiarum ſit ſemper idem, & ſit ille, pro quo ſunt inſtitutæ à Chriſto, nempe ſatisfactio pro pœnis debitis peccato, ſemper conceſſio ipſarum exiet à Pontifice ſecùndum eamdem menſuram, & conſequenter ſecùndum eamdem efficacitatem; nec obſtabit, quod cauſa impulſiua ſit leuis, vel grauis.

An mortuo Epiſcopo poſſit quilibet Confeſſarius abſoluere à reſeruatis eidem Epiſcopo.

Deciſio CCCCXCV.

SVMMARIVM.

1 *Reſeruatio caſuum per ſtatutum ſynodale durat mortuo Epiſcopo.*
2 *Etiam facta à ſolo Epiſcopo, ſecùndum aliquos.*
3 *Reſeruatio facta à ſolo Epiſcopo non durat ipſo mortuo.*
4 *Huiuſmodi reſeruatio, vt perſonalis, extinguitur cum perſona.*
5 *An reſeruatio ſit ablatio iuriſdictionis.*
6 *Voluntas tenens ligatam iuriſdictionem per reſeruationem extinguitur in morte Epiſcopi.*

1 POteſt Epiſcopus reſeruare ſibi caſus vel per ſtatutum ſynodale, vel, abſque ipſo, reſeruatione tantùm perſonali. Si caſus primo modo ſint reſeruati, durat reſeruatio etiam mortuo Epiſcopo; nam ſequitur naturam ſtatuti, quod non expirat morte alicuius; & ideo non poſſunt confeſſarij, niſi fortè habuerint ſpecialem facultatem, abſoluere à reſeruatis per ſtatutum.

2 Si verò non ſint peccata reſeruata per ſtatu-

tum, ſed ſimplici reſernatione. Præpoſit. *par. 3. de Sacram. Pœnit. quæſ. 9. de Reſeruat. Caſib. dub. 1. nu. 6.* adhuc tenet quòd ſimplices Confeſſarij non poſſint ab ipſis abſoluere, mortuo Epiſcopo; quia per reſeruationem aufertur inferiori iuriſdictio neceſſaria ad validitatem ſacramenti, nec per mortem Epiſcopi reſtituitur: cum ex nullo iure, aut ex aliquo ſolida ratione colligatur reſtitui.

3 Oppoſitum tenent plures alij: nempe, mortuo Epiſcopo, ceſſare reſaruationem, atque adeo poſſe quemlibet abſoluere à reſeruatis, qui habet iuriſdictionem abſoluendi ab alijs. Ita Sà *Verbo* Abſolutio *num.* 21. Sanchez *lib. 8. de Matrimon. diſp.* 28. *num.* 63. Facundez *in Precep. Eccleſ. par. 2. lib. 8. cap. 1. num.* 30. Diana *par. 6. tract. Miſcellan. reſol.* 42.

4 Et hæc opinio mihi certa videtur; Quia perſonalia ſequuntur perſonam, & ea extincta, extinguuntur; vt conſtat inductione in omnibus, quæ perſonalia ſunt; nam deficit fundamentum ipſorum, nimirum perſona, ſine quo non poſſunt ſubſiſtere. Huiuſmodi autem reſeruatio eſt perſonalis, cum non ſit facta per ſtatutum, ſed habet pro fundamento ſolam voluntatem Epiſcopi: quæ cum extinguatur cum Epiſcopo, ceſſant etiam omnia, quæ proueniunt à tali voluntate. Et proinde, quæ ſunt purè beneplacita extinguuntur morte concedentis Cap *Gratioſe. de Reſcriptis in 6.*

5 Ad id, quod affert Præpoſit. pro ſua ſent. Reſp. quòd reſernatio non eſt ablatio iuriſdictionis; quia iuriſdictio in ordine ad abſoluendum à peccatis eſt indiuiſibilis, ex eo quod habet idem obiectum formale indiuiſibile, nempe iudicium animæ in ordine ad offenſam Dei; vnde aut tota debet concedi, aut tota auferri. Sed eſt tantùm quædam ligatio iuriſdictionis conceſſæ, qua ligatur, ne poſſit exercere aliquem actum iudicij circa aliqua peccata.

6 Hinc autem fit, quòd ablato hoc vinculo remaneat iuriſdictio expedita in ordine ad omnia peccata: aufertur autem vinculum per id, quòd ceſſet voluntas Epiſcopi, qua iuriſdictio collata confeſſoribus tenebatur impedita: atque hæc voluntas extinguitur morte Epiſcopi. Vnde per mortem Epiſcopi non confertur neque reſtituitur confeſſarijs aliqua iuriſdictio, ſed quæ erat impedita, remanet expedita.

An reſeruatio Epiſcopalis ceſſet mortuo Epiſcopo, nedum reſpectu eorum, qui poſt mortem Epiſcopi incurrunt, ſed etiam reſpectu eorum, qui ipſo viuente incurrerunt.

Deciſio CCCCXCVI.

SVMMARIVM.

1 *Mortuo Epiſcopo non ceſſat reſeruatio reſpectu eorum, qui ipſo viuente incurrerunt, ſecundùm aliquos.*

2 *Cenſura contracta viuente Epiſcopo, non ceſſant morte ipſius.*

3 *Reſeruatio morte Epiſcopi extinguitur etiam reſpectu eorum, qui ipſo viuente contraxerunt.*

4 *Poteſtas iuriſdictionis reſpicit peccata, quando ſubijciuntur iudicio Confeſſarij.*

5 *Reſeruatio etiam in mandatis Viſitationis ceſſat morte Epiſcopi.*

6 *Reſeruatio in mandatis Viſitationis apud Regulares ceſſat morte reſeruantis.*

1 EAdem eſt ratio de reſeruatione caſuum, ac de reſeruatione cenſurarum Epiſcopalium. Et P. Diana *par. 6. tractat. Miſcel. Reſol. 41. ver. Notandum eſt.* Reſp. manere reſeruationem mortuo Epiſcopo reſpectu eorum, qui ipſo viuente incurrerunt in cenſuras Epiſcopales reſernatas, aut etiam in caſus reſeruatos. Et citat Facundez *par. 2. in Precept. Eccleſ. lib. 8. cap. 1. num. 31.* ita docentem ex Nauarr.

2 Sed quod docet Facundez ex Nauarr. eſt, quòd mortuo Epiſcopo ceſſant cenſuræ, ita vt non amplius contrahantur; ſi tamen ipſo viuente contractæ fuerint, & non fuerint relaxatæ, non ceſſant; quod eſt quid longè diuerſum: & eſt verum; quia cum cenſura contracta fuerit viuente Epiſcopo, tranſit in rem iudicatam, ſeu in factum; ex morte autem Epiſcopi non reſcinduntur quæ iam facta ſunt; ſed ſolùm ceſſant illa, quæ pendent ex eius voluntate; & ideo ſolùm ceſſant cenſuræ contrahendæ; quia hæ, quò ad effectum obtinendum, dependent ex ipſius voluntate.

3 Itaque dicendum eſt: Eum, qui contraxit cenſuram reſeruatam Epiſcopo, aut qui incurrit in caſum reſeruatum, poſſe abſolui mortuo Epiſcopo à quocunque confeſſario. Reſeruatio enim reſpicit iuriſdictionem confeſſariorum, quorum auctoritatem reſtringit. & veluti ligat, ne poſſit exercere circa quæcunque peccata; Ergo ſi tempore abſolutionis iuriſdictio eſt libera, poterit abſoluere etiam ab

ijs

4 Ijs peccatis, quę commiſſa ſunt, quando reſpectu ipſorum non erat libera iuriſdictio; quia poteſtas iuriſdictionis non reſpicit peccata, quando committuntur, ſed quando ſubijciuntu iudicio confeſſarij: quia eſt poteſtas iudicialis; & omnis poteſtas iudicialis reſpicit delicta ſolùm vt deducta ad iudicium; & ſe ipſam exercet eo pacto, quo poteſt ſe exercere quando ſubijciuntur ſententiæ iudicis. Sic confeſſarius, qui non habebat vllam iuriſdictionem quando commiſſa ſunt peccata, poteſt ab ijs abſoluete, quando poſtea eam accepit; quia tunc habet iuriſdictionem quando exercendum eſt iudicium.

5 Quod etiam intelligendum eſt, quando reſeruatio, ſiue cenſuræ, ſiue abſolutionis à peccatis facta eſt ab Epiſcopo in mandatis Viſitationis; quia huiuſmodi quoque mandata ſunt ab homine, & expirant morte mandantis, aut quando ceſſat quocumque modo officium ipſius. Vt notat Facundez *citatus*.

6 Imò omnis quoque reſeruatio facta in mandatis Viſitationis Regularium ſiue à Viſitatoribus, ſiue à Prouincialibus; vt notat Facundez *citatus*, ſiue, addo ipſe, etiam à Generali, ceſſat ceſſante quocunque modo officio mandantium, quia adhuc huiuſmodi mandata ſunt ab homine.

An etiam apud nos Clericos Regulares expiret reſeruatio extincta iuriſdictione reſeruantis.

Deciſio CCCCXCVII.

SVMMARIVM.

1 *Reſeruatio caſuum non videtur expirare apud nos Clericos Regulares ceſſante officio reſeruantis.*

2 *Ceſſat etiam apud nos.*

3 *Quæ non ceſſent apud nos Clericos Regulares ceſſantibus ſuperioribus.*

4 *Non eſt eadem ratio de ſtatutis, ſeu ordinibus, at de reſeruatione.*

5 *An extincta iuriſdictione Præpoſiti, manente Vicario ceſſet reſeruatio.*

1 NEgatiuè videtur reſpondendum per Decretum Capitulare, quod habetur *par.3. noſtror. Decret. cap.7. num.11.* in quo ſancitur, quòd ordinationes P. Generalis, ſeu Præpoſiti in ſua domo, maneant in ſuo robore, etiam ſi ceſſet officium Generalis, aut Præpoſiti, donec à Capitulo Generali, vel à ſucceſſore ſpeciatim abrogentur. Neque hoc decretum eſt contra ius commune; quia licet ſecundum ipſum quæ ſunt ab homine expirent abdicatione muneris, non tamen tollit quin habens facultatem condendi leges, poſſit ſtatuere, quòd ea, quæ ſunt ab homine, non extinguantur abdicatione muneris, ſed requiratur ſpecialis reuocatio

2 Sed dicendum eſt. Apud nos quoque Clericos Reg. Theatinos extincto munere, ſeu officio ceſſare quamcunque reſeruationem cuiuſcunque Superioris. quod etiam habet locum apud alios Regulares: ex generali regula, quòd ea, quæ ſunt ab homine extinguuntur morte ipſius, aut extinctione iuriſdictionis: Atque ita tenet Diana *par.3. tractat.2. Reſol.23.* Megal. *1. par. lib.1. cap.12. num.5.*

3 Neque obſtat decretum allatum; quia non loquitur de reſeruatione abſolutionis, neque de ijs, quæ concernunt regimen conſcientiæ, ſed de ordinibus, qui concernunt externum regimen. Quod patet ex ipſo decreto; nã vtitur nomine ordinationis; ordinatio autem, non dicit reſeruationem. Deinde loquitur de ijs, quæ vniuerſales ſunt, & ſpectant ad vnumquemque; vnde ſubdit *Et vnuſquiſque accuratè ſeruet*: reſeruatio autem caſuum non eſt ſeruanda

4 ab vnoquoque. Nec eſt facienda extenſio etiã ad reſeruationem; tum quia in reſeruatione non militat idem finis (nam finis talis Decreti eſt, ne ſi huiuſmodi ordinationes extinguerentur extinctione iuriſdictionis, cauſetur perturbatio; & continua variatio externi regiminis, quia ſatis frequentes ſunt: vnde externum regimen eſſet ſemper in continua fluctuatione.) Tum quia hoc decretum continet grauamen ſubditorum; & proinde ſequitur naturam odioſorum, quæ reſtringẽda ſunt, non verò laxanda; iuxta Regulam *Odia De reg. iur. in 6.*

5 Maior difficultas eſt. An quando extincta iuriſdictione Præpoſiti, & remanet eius Vicarius, tunc reſeruatio maneat in ſuo robore. Reſp. non manere; quia ſequitur iuriſdictionem Præpoſiti, vt effectus ipſius, à qua dependet in conſeruari; vnde ea extincta, extinguitur etiam reſeruatio. Nec obſtat, quòd iuriſdictio Præpoſiti maneat in Vicario; nam non manet cum eadem voluntate Præpoſiti: reſeruatio autem eſt effectus voluntatis coniunctæ cum iuriſdictione, ita vt immediatè dependeat à voluntate.

An liceat parentibus caſtrare filios ad conſeruandam vocem.

Deciſio CCCCXCVIII.

SVMMARIVM.

1 *Non licet, ſecùndum aliquos, parentibus caſtrare filios ob conſeruandam vocem.*
2 *Fundamenta huius opinionis.*
3 *Qui doceant licere.*
4 *Caſtratio non eſt intrinſecè mala.*
5 *Caſtratio eſt licita, quando agitur de maiori bono corporis.*
6 *Eſt licita etiam pro conſeruanda voce.*
7 *Vox eſt bonum corporis multis alij præferendum.*
8 *Excellentia vocis eſt magni facienda.*
9 *Caſtratio eſt licita ſecundũ ius Canonicum, quãdo ordinatur ad conſeruandum maius bonum.*
10 *Poteſt homo ordinare priuationem vnius membri ad conſeruationem alterius.*
11 *Quando ſe ipſum caſtrans ſit ſui homicida.*
12 *Cur lex ciuilis aliquando prohibuerit caſtrationem.*
13 *Quinam ſe caſtrantes reprehendantur in iure canonico.*
14 *An pro ſalute animæ liceat ſe caſtrare.*
15 *An Eunuchi ardentiùs inflammentur libidine.*

1 NEgatiuam ſententiam tradunt Turrecr. in Cap. *Si quis à medicis. in fine. diſtin.* 55. Præpoſit. *ibid. num.* 1. Geminian. *numer.* 2. Layman. *lib.* 3. *Theol. Moral. tract.* 3. *par.* 3. *cap.* 1. *aſſer.* 1. Tanner. 2. 2. *diſput.* 4. *quæſt.* 8. *dub.* 5. *num.* 101. qui tamen oppoſitam ſententiam probabilem putat. Chilinus *in ſum. verbo caſtratio* Glares *ſum. cenſur. verbo* Eunuchus Megal. *tom.* 2. *Prompt. verbo* Eunuchus *num.* 2. qui ver. *Et dato* ait caſtrationem eſſe intrinſecè malam. Diana *par.* 3. *tract.* 5. *Reſol.* 38. & *par.* 6. *tractat. Miſcellan. Reſol.* 35. *ver.* Sed quia.

2 Et pro hac ſententia plura adduci poſſunt, & Primò. Quod nemo eſt dominus ſuorum mẽbrorum, cum ſit tale dominium penes conditorem; vnde qui ſe ipſum caſtrat eſt ſui homicida: vt habetur ex Capite *Si quis abſcidit. diſt.* 55. Et Cap. *Si quis à medicis eadem diſtin.* damnatur, qui ſe ipſum caſtrat. Vnde iure ciuili ſub pœna capitali prohibetur caſtratio l. 1. *C. De eunuchis.* & l. *Cornelia.* §. *Planè ff. Ad legem Cornel. de ſic.* Secundò. Quia bonum, quod ſequitur ex caſtratione, nempe vt ſuauius canant in Eccleſijs non eſt tanti momenti, vt ob ipſum res à natura tam aliena ſuſcipiatur: cũ neque pro ſalute ſpirituali, aut periculo animæ vitando id ſit licitum. Tertiò. Quia ex caſtratione varia animæ pericula conſequuntur; quia tales ardentiùs libidine inflammantur, & impatientiſſimè ad concubitum feruntur. Vt notat etiam D. Baſil. *tract. de vera Virgin. circa finem.*

3 Oppoſitam ſentent. tradit Salon. 2. 2. *quæſt.* 65. *art.* 1. *controuer.* 2. *ver. Hinc ſequitur.* Quia cum vtile ſit bono communi Eccleſiarum habere eunuchos cantantes, poteſt bonum particulare eunuchi poſtponi bono communi Eccleſiarum.

4 Ego autem primo loco cenſeo non eſſe intrinſecè malum caſtrare aliquem, vt volebat Megalius; quem etiam ſequi videtur Diana. Nam ſi eſſet tale, nunquam eſſet licita caſtratio, neque etiam vrgente neceſſitate: ſicuti quia mendacium eſt intrinſecè malum, nunquam licet mentiri in quocumque caſu, neque etiam pro ſeruanda vita alicuius: vt etiam habetur in Cap. *Super eo De vſuris.* caſtratio autem eſt licita vrgente aliqua neceſſitate corporali: vt etiam colligitur ex Cap. *Si quis à Medicis.* ex Cap. *Eunuchus.* & ex Cap. *Si quis pro ægritudine. diſt.* 55. Vnde cum caſtratio non ſit intrinſecè mala, & ex obiecto, erit ex iis, quæ poſſunt cohoneſtari, quando fiant ex iuſta, atque rationabili cauſa.

5 Secundò puto quòd caſtratio ſit licita quotieſcunque agitur de maiori bono corporis, ſiuè in ordine ad conſeruandum totum corpus, ſiue in ordine ad cõſeruationem membri principalioris, ſiue in ordine ad expellendam aliquam infirmitatem: vt ſupponitur in Cap. *Ex parte. De corpore vitiat. ord. &c.* ita vt in tali caſu minus bonum corporis cedat maiori bono. Hoc enim eſt ſecùndum ius naturale, quod maius bonum debeat præferri minori: ita vt liceat corrumpere minus ad ſaluandum maius, quod periclitatur. Quod etiam locum habet in ipſo corpore humano: in quo minus principale membrum debet cedere principaliori; & ideo abſcinditur digitus, ne tota manus corrumpatur. In quo vtiliter geritur negocium corporis humani, & eiuſdem domini; quia eſt ſecùndum regulas rectæ rationis abiicere minus, vt conſeruetur maius. Vnde cum homini ſit commiſſa à Deo cura proprij corporis, licet non ſit dominus, poteſt tamen diſponere de membris ſuis in ordine ad maius bonum corporis; quia in hoc exercet munus ſibi à Deo commiſſum, & vtiliter gerit negocium Dei.

6 Tertiò infero ex dictis. Caſtrationem eſſe licitam pro conſeruanda voce, dummodo fiat conſentiente puero, & ſine periculo vitæ, vt contingit his temporibus ob caſtrantium peritiam; eo quòd fiat ob conſeruandum maius bonum corporis.

7 Vox enim eſt quoddam bonum corporis, quod

Digitized by Google

quod eſt ex natura ſua magni faciendum, vt pote proprium hominis, ordinatum ad manifeſtandos proprios conceptus. Et eſt bonum præferendum alijs membris minùs neceſſarijs; vnde quilibet eligeret potius eſſe ſine aliquo pede, aut manu, quam ſine voce. Imò comparando vocem ad inſtrumenta generationis, quilibet eligeret carere potius ijs inſtrumentis, quàm voce; quia ſic careret minori commodo. Vnde præferret quod eſt propriũ hominis rei, quæ conuenit etiam brutis: ſi quidem ipſa quoque habent ſua inſtrumenta generandi. Vnde vniuerſaliter illud membrum, ſeu illud bonum corporis eſt magis faciendum, ex quo plus commodi percipitur.

8 Hinc fit, quòd excellentia vocis in ordine ad cantum ſit magni facienda; tum quia eſt perfectio boni corporalis, quod pluribus mẽbris præfertur; tum quia ratione ipſius perſona redditur honorabilis etiam apud Principes; tum quia eſt ſufficiens, vt inde acquiratur nobilis ſubſtentatio vitæ: & plus commodi ab ipſa percipitur, quàm ex eo, quòd quis ſit habilis ad generandum. Vnde maius bonum cenſendum eſt quòd ſit excellentia vocis; quàm non eſſe caſtratum. Poterit igitur rationabiliter, & ſecùndum ius naturale excellentia vocis præferri vitilibus: & proinde adhiberi caſtratio, ne pereat excellentia vocis.

9 Quod confirmatur etiam ex Cap. *Ex parte de Corpore vitiatis ordinan. vel non ordinan.* ibi enim præſupponitur quòd caſtratio fuerit ex iuſta cauſa; quia fuit facta ob tollendum periculum imminentis lepræ; vnde cenſetur iuſta, quando ordinatur ad conſeruandum maius bonum. Sed etiam in caſu noſtro ordinatur ad conſeruandum maius bonum, ex quo percipitur maius commodum; erit ergo licita.

10 Neque argumenta in contrarium ſunt magni momenti. Vnde ad primum dicitur Quòd licet homo non ſit dominus ſuorum membrorum, ſpectat tamen ad ipſum cura proprij corporis: & ideo poteſt ordinare priuationem alicuius membri, ſeu boni corporalis ad conſeruationem maioris boni, atq; adeo caſtrationem ad conſeruationem vocis; quia in hoc rem vtilitet gerit. Atque hoc eſt ſecundum frequentem conſuetudinem, quæ interpretatur hoc licitum eſſe.

11 Cum autem dicitur, quod ſe caſtrans eſt ſui homicida, intelligi debet, quando per caſtrationem exponitur periculo vitæ: vt notat Gloſ. *in Cap. Si quis abſcidit Verbo* Homicida *diſt.* 55. vnde quando fit ſine periculo vitæ non erit ſui homicida.

12 Neque obſtat ius ciuile in primo argumento citatum. Quia modò non eſt in vſu, ex eo quòd ceſſauit finis illius legis; quia vt optimè aduertit Gomez de Ameſcua *lib. 1. de Poteſt. in ſe ipſum. cap. 4. num.* 8. & 11. quando fuit lata lex illa vigebat plurimùm conſuetudo ſe caſtrandi; quia nimirum Eunuchi erant in magno precio; ex quo ſequebatur quòd Reſpublica caperet magnum detrimentum; quia impediebantur generationes, quibus tunc indigebat; vnde vt obuiam iret huic malo, ſanciuit Imperator talem legem.

13 Quando autem ius canonicum reprehendit qui ſe caſtrant, intelligit de ijs, qui id faciunt abſque rationabili cauſa, & *Qui ſe, carnali vitio repugnare neſcientes, abſcindunt.* vt habetur in Cap. *Hi, qui. diſt.* 35. quia nimirum, cum poſſit homo per liberum arbitrium repugnare carnalibus concupiſcentijs, iuxta illud Geneſ. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*, non licet ei ſe caſtrare ob vitandas concupiſcentias. Hos igitur reprehundunt ſacri canones: non autem eos, qui ſe caſtrant ex rationabili cauſa.

14 Ad 2. Iam conſtat ex dictis, quomodo in caſu noſtro caſtratio ordinetur ad maius bonum. Et falſum eſt quòd non liceat ſuſcipere caſtrationem pro ſalute animæ, quando eſſet neceſſaria; quia tamen non eſt neceſſaria (nam omne periculum, quod immitet ex carne, vinci poteſt per liberum arbitrium) ideo non poteſt adhiberi caſtratio ad vitanda huiuſmodi pericula.

15 Ad 3. Neg. Eunuchos ardentiùs libidine inflammati: cum caſtratio adimat vires libidini. Vnde Canones prohibuerunt promoueri ad Clericalia, aut promotos in ijs adminiſtrare: quia iam vſus obtinuerat, quòd plures ſe caſtrarent, ne ſentirent concupiſcentias carnis. Quod ſi aliqui Eunuchi vehementius inflammantur, adhuc vehementiùs inflammarentur, ſi non eſſent tales; quia haberent in ſe maius incentiunm.

An licentia audiendi confeſſiones conceſſa ad beneplacitum expiret morte concedentis.

Deciſio CCCCXCIX.

SVMMARIVM.

1 *Licentia audiendi confeſſiones conceſſa ad beneplacitum expirat morte concedentis, ſecùndum aliquos.*
2 *Beneplacitum finitur morte concedentis.*
3 *Delegatio re integra expirat morte delegantis.*
4 *Licentia ad beneplacitum aùdiendi confeſſiones non expirat morte concedentis.*

5 *Gratia*

5 *Gratia iam facta, & perfectè conceſſa durat poſt mortem concedentis.*
6 *Gratia licentiæ audiendi confeſſiones eſt perfecta per id, quòd iuriſdictio acquiritur confeſſario.*
7 *Gratia ad beneplacitum non dependet in conſeruari à voluntate concedentis, ſed tantùm poteſt ab ipſo reuocari.*
8 *Quid ſignificet particula* Ad beneplacitum, *quando non eſt conſeruatiua conceſſionis.*
9 *Beneplacitum reſpiciens fauorem publicum non expirat morte concedentis.*
10 *Regulares habent iuriſdictionem pro audiendis confeſſionibus à Pontifice.*
11 *Quid praſtet approbatio Epiſcopi, qua approbat Regulares ad confeſſiones audiendas.*
12 *Quid in hac approbatione praſtet clauſula* Ad beneplacitum.
13 *Conceſſio iuriſdictionis confeſſarijs ſaecularibus non eſt per modum ſententiæ, licet approbatio ſit per modum ſententiæ.*
14 *An confeſſarius abſoluat nomine proprio, an verò nomine Epiſcopi.*
15 *Cur iuriſdictio Vicarij ſpiret mortuo Epiſcopo.*

1 QVod expiret morte concedentis tradunt Palud. *in 4. diſt. 17. quaſ. 4. ar. vlt. concluſ. 7. num. 25.* D. Antonin. *3. par. tit. 27. cap. 9. in fine.* Nauar. *cap. 27. Sum. Hiſp. num. 264.* Philiar. *de Offic. Sacerd. par. 2. lib. 2. cap. 24. in fine.* licet talis licentia ſit conceſſa etiam à Pontifice. Et idem videtur ſentire Torreblanca *lib. 14. Iuris ſpirit. pract. cap. 3. num. 10.*

2 Et videtur hęc ſententia habere firmiſſimum fundamētum. Nam beneplacitum finitur morte concedentis. l. 4. *ff. Locati.* l. *Centeſimis.* §. *Fin. ff. de Verbor. obligat.* l. *Vxor.* §. *Sceuola ff. de Legat. 3.* Et ex Cap. *Si gratioſè. de Reſcriptis in 6.* vbi Ancharan. *num. 6.* Franc. *num. 9.* Geminian. *numer. 3.* Gloſ. *in Cap. A nobis. Verbo* Non niſi. *de Sent. excom.* Gonzalez *ad Reg. 8. Cancel.* §. *1. in Proem. num. 9.* Couarun. *lib. 3. Variar. cap. 15. num. 2.* Felin. *in Cap. Ex litteris. num. 10. de Conſtit.* Rota *in Bononienſi Parochialis die 18. Martij 1613.* Coram Veroſpio apud Farinac. *deciſ. 489. num. 4.* & alij communiter. Vnde cum hæc licentia ſit ad beneplacitum Epiſcopi, expirabit morte ipſius.

3 Secundò. Ideo iuriſdictio delegata in contentioſis, rè integra, ſpirat morte delegantis, quia delegatus non habet iure proprio iuriſdictionem, nec per vſum eam fecit ſuam. hoc autem militat etiam in iuriſdictione quò ad forum conſcientiæ conceſſa confeſſarijs, quæ eſt iuriſdictio delegata. Vnde etiam iuriſdictio Vicarij expirat morte Epiſcopi, quia eſt ab ipſo participata; vnde ſpirabit etiam iuriſdictio confeſſariorum, cum ſit participata ab Epiſcopo, & ipſi ſint quaſi quidam Vicarij Epiſcopi.

4 Ac non expirare huiuſmodi licentias tenendum eſt cum Cardinal. *in Clement. Dudum verbo* Ac deinde *num. 2. notab. 5. De ſepult.* Boniſac. *ibid. verbo.* Etſi. *num. 6.* Gloſ. *ibid. verbo Conceſſerint* Henriquez *lib. 6. De pœnit. cap. 6. num. 7. & lib. 7. de Indulgent. cap. 21. num. 6.* Sayr. *tom. 1. Theſauri caſ. lib. 7. cap. 14. num. 7.* Graſſ. *1. par. deciſ. lib. 1. cap. 13. num. 40.* Vaſquez *3. par. quæſt. 93. de Pœnit. art. 3. dub. 5.* Ioann. à Cruce *De ſtatu Relig. lib. 2. cap. 3. dub. 1. conclu. 3.* Ochagauia *tract. 3. de Confeſ. quæſt. 36. num. 13.* Garzia *tom. 1. de Benefic. par. 6. cap. 2. num. 316.* Salas *De legib. diſp. 20. ſect. 17. in fine* Raguccio *in Lucer. Paroch. quæſt. 130. De Abſolut.* Sancio *diſp. 48. ſelect. de Sacram. num. 19.* Sà *verbo* Gratia. *num. 4.* vbi loquitur de facultate conceſſa abſoluendi à reſeruatis, de qua eſt eadem ratio. Gaſpare Hurtad. *De Sacram. diſput. 10. De Pœnit. Difficult. 4. ver. Addimus tamen.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 28. num. 72.* Palaus *par. 1. Theol. Mor. tractat. 3. diſp. 4. punc. 16. § 5. num. 5.* Alonſo Caranza *in Allegat. pro ordinib. Mendicant. ad Regem par. 2.* Et Suarez *diſp. 26. de Pœnit. ſect. 3. num. 9.* hanc opinionem probabilem putat. Et praxis eam confirmat; ſi quidem cōfeſſarij approbati ad beneplacitum continuant vbique exercitium audiendi confeſſiones, mortuo Epiſcopo.

5 Atque optima etiam ratione firmatur: quia nimirum Gratia iam facta, quæ eſt perfectè conceſſa ei, cui fit, independenter ab alio, cui facienda committatur, durat etiam poſt mortem concedentis, quamuis res ſit integra. Cap. *Si cui nulla De præbend. in 6.* quia nimirum non indiget aliquo alio ad ſui perfectionem: vt aduertit Gloſ. *ibid. notab. 1.* & tradunt Archidiacon. *ibid. circa finem ver. Secus facienda* Ancharan. Cap. *Si ſuper gratia num. 1. De offic. Deleg. in 6.* Beroius Cap. *Quoniam* Abbas *num. 12. De offic. Deleg.* Decius Cap. *Relatum in noua edit. num. 21. Eodem tit. & Rubr. De Conſtit. num. 41. in prima Lectura* Ripa *num. 50.* Riminald. *num. 129. in fine & num. 130.* Rebuſ. *in Concordatis Rubrica De mandatis Apoſt.* §. *verbo* Sui Pontificatus. *ver. Licet quidam Doctores.* Bal. *l. fin. num. 3. ver.* Sed pone Princep. *ff. De Conſtit. Princip. in prima lectura.* Roſel. *verbo* Gratia *init.* Sylueſt. *quaſt. 2.* Nauarr. *cap. 27. ſum. num. 253.* Gutierez *lib. 1. quæſt. Canon. cap. 15. num. 24.* Licentia autem audiendi confeſſiones eſt gratia facta, & perfecta: quia ſortitur totum ſuum effectum iuriſdictionis conceſſæ confeſſario ſtatim, ac tribuitur.

6 Nec obſtat, quòd ſit in ordine ad pœnitentes, iu quibus nondum eſt ſortita ſuum effectum; quia abſolutio pœnitentium non eſt effectus immediatus conceſſionis, ſed iuriſdi-

ctionis

ctionis conceſſæ, atque adeo gratiæ iam factæ; & ideo gratia eſt perfecta, & iam facta per id, quòd iuriſdictio ſit acquiſita confeſſario. Vnde in dicto Cap. *Si cui nulla De præbend. in 6.* dicitur facultatem conceſſam alicui conferendi beneficium non expirare morte concedentis, etiam ſi nondum contulerit.

7 Dices. Hoc eſſe verum de gratia, quæ abſolutè conceditur, non autem de illa, quæ conceditur ad beneplacitum; quia tunc licet perfecta ſit, ſequitur naturam beneplaciti. Sed hoc nihil obſtat; quia, cum gratia perfecta ſit, atque tranſierit in poſſeſſionem illius, cui eſt conceſſa, non requirit beneplacitum vt cauſam conſeruantem: ita vt debeat ceſſare ipſo ceſſante: ſicut requirit quando eſt gratia facienda; ſed iam ex ſe ſubſiſtit, nec requirit aliquem influxum à voluntate concedentis. Vnde particula *Ad beneplacitum* apposita conceſſioni nil aliud facit, niſi quòd ſeruat concedenti dominium ſupra gratiam conceſſam: ita vt poſſit ad libitum reuocari; atque adeo ſeruat locum, vt ſuccedere poſſit actus poſitiuus reuocationis; quia autem mors non eſt poſitiua reuocatio, ideo non expirat morte concedentis. Et hoc dicendum eſt, quia cum gratia non pendeat in conſeruari à beneplacito concedentis (quia iam eſt perfecta) non poteſt hæc particula *Ad beneplacitum* aliquid aliud operari, niſi conſeruare huiuſmodi dominium.

8 Vnde in ijs, quæ non pendent in conſeruari à beneplacito, ſeu voluntate concedentis, particula *Ad beneplacitum* apposita conceſſioni reſolui debet in Clauſulam *Donec reuocauero*: vt ſit conformis iuri communi: Vt notant Gloſ. in Cap. *Si delegatus. verbo.* Morte *De offic. Delegati in 6.* Bal. in Cap. *Si gratiosè de Reſcriptis in 6.* Anton. Gabr. *tom. 3. commun. opinion. lib. 6. tit. de præbend. concluſ. 1. num. 33.* Palaus *tom. 1. tract. 3. diſp. 4. punc. 16. §. 5. num. 5.* Alioquin quod ius commune facit durare poſt mortem, ipſa deſtrueret, & contrariaretur iuri communi.

9 Accedit etiam, quòd huiuſmodi *Beneplacitum* accipi poteſt tanquam reſpiciens fauorem publicum; quia licentia audiendi confeſſiones eſt pro commoditate diœceſis. *Beneplacitum* autem, quod reſpicit fauorem publicum, non facit quòd conceſſio *Ad beneplacitum* expiret morte concedentis; vt tradunt Decius *in l. Sufficit ff. de condition.* Maſcar. *de probat. concluſ. 188. num. 5. & 7.* Tiraquel. *tract. conuent. §. 2. Gloſ. 1. num. 39.* Nauarr. *De priuileg. Miſerabil. Perſonar. Priuileg. 131.* & loquentes de iudice creato *Ad beneplacitum.* Molina *De primogenit. Hiſpan. lib. 1. capit. 15. num. 14.* Vantius *De nullit. ex defectu iuris. Deleg. num. 104.*

10 Atque in Regularibus militat ſpecialis ratio. Nam ipſi habent iuriſdictionem in ordine ad audiendas confeſſiones à Summo Pontifice: vt conſtat ex priuilegijs ipſis conceſſis præſertim à Siſto IV. Ordini Prædicatorum in Bulla, quæ incipit: *Sedis Apoſtolicæ ſub die quinto Id. Iunij An. 1477.* & à Paulo III. Societati Ieſus *die 3. Iulij* 1545. in Bulla *Cum inter cunctas*; & à Paulo IV. in Bulla *Ex Clementi die 1. Iulij anno* 1556. Quibus priuilegijs non derogat Trident. *ſeſſ. 23. cap. 15. De Reformat.* vt optimè cum pluribus alijs notat Facundez *Præcept. 2. Eccleſ. lib. 7 cap. 2. numer. 15.* Sed ſolùm addit conditionem, quòd vt exerceant iuriſdictionem à Sede Apoſtolica acceptam, debeat præcedere approbatio idoneitatis facta ab Ordinario: vt etiam notat Lugo *diſp. 21. De pœnit. ſect. 3. num 53.*

11 Ex quo fit, quod approbatio Epiſcopi ſit ſolùm quædam declaratio per modum ſententiæ, qua declarat Regulares habiles ad audiendas confeſſiones, nec interueniat aliqua collatio iuriſdictionis. vnde quia ſententia eſt perpetua, ideo mortuo Epiſcopo non ſpirat facultas audiendi confeſſiones; quia Regulares illam habent à Pontifice per ſententiam Epiſcopi iudicantis eſſe habiles, & proinde gaudent iuriſdictione conceſſa à Pontifice ijs omnibus, quos Epiſcopi habiles iudicauerunt.

12 Vnde Clauſula *Ad beneplacitum* adhibita in approbationibus Regularium operatur ſolùm ſecundum capacitatem ſubiectæ materię; & facit non quòd habeant iuriſdictionem ad beneplacitum, ſed ſolùm approbationem, ſeu iudicium de idoneitate; Quod quidem poteſt eſſe *Ad beneplacitum*: quia cum idoneitas non ſolùm pendeat à doctrina, ſed etiam à moribus, qui mutari poſſunt, poteſt ſibi Epiſcopus relinquere locum, vt ipſum ſuſpendat, ſi fortè contingat mutatio in moribus: ratione cuius non poſſit ampliùs cenſere aliquem Regularem idoneum.

13 Et proinde non rectè Gaſpar Hurtad. *diſp. 10. De Sacram. Pœnit. difficil. 4. ver. Addimus tamen*, docet durare facultatem audiendi confeſſiones in ſæcularibus confeſſarijs, quia approbatio ſufficientiæ eſt per modum ſententiæ. Quia aliud eſt approbatio, aliud conceſſio iuriſdictionis; & licet approbatio ſe habeat per modum ſententiæ, non tamen conceſſio iuriſdictionis; & ideo conceſſa ad beneplacitum non poteſt perſeuerare poſt mortem Epiſcopi, quia ſit per modum ſententiæ.

14 Hinc ſolutum manet argumentum primum pro appoſita ſentent. Conſtat enim quomodo clauſula *Ad Beneplacitum* non faciat, quin duret facultas audiendi confeſſiones mortuo Epiſcopo. Ad 2. reſp. Confeſſarium non exercere iuriſdictionem abſoluendi nomine Epi-

ſcopi,

ſcopi, ſed abſoluit nomine proprio tanquam verus & proprius miniſter Chriſti; vnde poteſtas ipſius & iuriſdictio non eſt delegata; quia iuriſdictio delegata operatur nomine alterius: ſed eſt iuriſdictio ordinaria, conceſſa tamen ab Epiſcopo Sacerdotibus ſæcularibus, Regularibus verò à Pontifice. Et ideo non eſt eadem ratio, ac de iuriſdictione delegata. Nec, ſi eſſet delegata, procederet ratio, ob quam ſpirat in contentioſis re integra, morte delegantis; quia nimirum Delegatarius non fecit illam ſuam; nam in caſu noſtro confeſſarius ſtatim facit iuriſdictionem ſuam, quam accipit; tum quia eſt per modum gratiæ iam factæ in fauorem ipſius: vnde ſtatim acquirit ius; tum quia Sacerdos eſt proprius miniſter huius Sacramenti; vnde quando accipit Sacerdotium, accipit etiam poteſtatem abſoluendi à peccatis. & ideo quando illi tribuitur iuriſdictio, facit illam ſuam, tanquam aliquod complementum poteſtatis, quam habet.

15 Nec eſt eadem ratio de iuriſdictione Vicarij Epiſcopi; non enim ſpirat morte Epiſcopi, quia ſit participata ab ipſo: ſed quia Vicarius facit vnum & idem tribunal cum Epiſcopo; vnde etiam, ceſſat quò ad cauſas iam inceptas; quod non contingit in iuriſdictione delegata.

An Epiſcopus poſſit approbare Regulares ad audiendas cõfeſſiones cum limitatione.

Deciſio CCCCC.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus poteſt approbare Regulares ad confeſſiones audiendas cum limitatione, ſecundum aliquos.*

2 *Secundum alios non poteſt.*

3 *Poteſt Epiſcopus limitare licentiam iuxta ſcientiam confeſſarij Regularis.*

4 *An Regularis, qui non eſt ſimpliciter aptus pro omnibus perſonis, & locis, poſſit reprobari.*

5 *Poteſt Epiſcopus approbare Regulares ad tempus determinatum ſi ſcientia non ſit plenè ſufficiens.*

6 *An in approbatione poſſit adhiberi clauſula.* Ad beneplacitum, *ſi Regularis ſit plenè ſufficiens.*

7 *An, & quando approbatio* Ad beneplacitum *conceſſa Regularibus, poſſit reuocari.*

8 *Sententia poteſt ferri cum limitatione: ideo etiã approbatio confeſſarij Regularis.*

9 *Quando ius proprium poſſit vnicuique concedi cum limitatione.*

10 *Epiſcopi non poſſunt Regularibus confeſſarijs limitare iuriſdictionem quò ad loca, & perſonas.*

11 *Regulares confeſſarij habent iuriſdictionem independentem ab Epiſcopo.*

12 *An ratione ætatis poſſit Epiſcopus Regularem confeſſarium non approbare pro certis perſonis.*

1 POteſt limitatio contingere vel in ordine ad tempus, vel in ordine ad locum, vel in ordine ad certum genus perſonarum. Et poſſe abſolutè approbare cum limitatione ad tempus, loca, & perſonas docent Suarez *diſput.28.de Pœnit.ſect.7.num.19.* Facundez *Præcep.2.Eccleſ.lib.7.cap.2.nu.1.* Diana *3.par.trac.2.De aub. Regul. Reſol.25.*

2 Oppoſitum tradunt Vega *tom.1. ſum. capit.62.caſu 7.* Villalob. *in ſum.tom.1.tractat.9. difficul.53.num.2.* Portel. *in dub. Reg. verbo* Confeſ. *num.3.* Peyrin. *tom.1. de Relig. quæſt.1. cap.21. §.2.* Zanar. *in Direct. Theol. part.1. de Sacram. Pœnit.cap.24.* Lugo *diſp.21. De pœnit. ſect.3. §.1.num.60.* Quando nimirum Regularis eſt idoneus.

3 Vnde iuxta hanc poſteriorem ſententiam, quando Regularis non habet talem ſcientiam, vt ſufficiens ſit pro audiendis confeſſionibus cuiuſcunque generis perſonarum, poteſt Epiſcopus concedere licentiam limitatam ad loca, & perſonas, pro quibus ſolùm eſt ſufficienter inſtructus. Imò non poteſt abſolutè approbare. Ratio eſt, quia Epiſcopus fert iudicium de ſufficientia & idoneitate Regularis pro audiendis confeſſionibus: Ergo cum non poſſit iudicare, niſi prout res ſe habet, & ipſi innoteſcit, non poteſt abſolutè approbare eum, quem non cognoſcit ſufficientem pro omnibus locis, & perſonis: alioquin peccaret grauiter, quia faceret contra Decretum Concil. Trident. *ſeſſ.23.cap.15. De reformat.* vbi approbatio committitur Epiſcopo, ne qui idonei non ſunt audiant confeſſiones in perniciem animarum.

4 Sed quæres, An qui non eſt ſimpliciter aptus pro omnibus locis, & perſonis poſſit reprobari abſolutè: Reſp. poſſe reprobari; quia non tenetur Epiſcopus approbare cum limitatione; nam in approbando debet reſpicere munus, pro quo approbat, & conſiderare an qui præſentatur ſit aptus pro ipſo exercendo: vnde ſi non eſt abſolutè aptus, poteſt reijci. Et ideo Trident. *loco citato num. præcedenti* loquitur de approbatione abſoluta. Vnde cenſenda eſt gratia quando Epiſcopi concedunt approbationem limitatam ijs, qui abſolutè non ſunt apti: quam concedunt reſpicientes

potius

potius ad mentem, quam ad verba Concilij Tridentini. Sed neſcio, quàm expediens ſit approbare hoc pacto perſonas, quæ abſolutè approbari non poſſunt, maximè in tanta copia confeſſariorum Regularium.

5 Atque ob eamdem cauſam (nempe quia ſcientia Regularis non ſit plenè ſufficiens) poteſt Epiſcopus approbare ad tempus determinatum. Quod tunc contingere poteſt quando dubitatur, quòd Regularis non permaneat in illo ſtatu ſcientiæ, in quo eſt de præſenti, quia nimirum non benè illam poſſideat. Aut quia cenſeatur cum ſcientia illa, quam habet, poſſe quidem incipere exercere munus audiendi confeſſiones, indigeat tamen continuatione ſtudij ad munus proſequēdum. In his enim caſibus ſicut non poteſt ſimpliciter approbari, quia non eſt ſimpliciter habilis, & idoneus: ita poteſt approbari cum limitatione ad illud tempus, pro quo videtur ſufficiens, ad ſumendum nouum experimentum de doctrina ipſius.

6 Ruſſus. Non obſtante quòd Regularis ſit vndequaque ſufficiens, poteſt Epiſcopus adhibere clauſulam limitatiuam. *Ad beneplacitum*. ita vt approbatio cenſeatur non abſolutè facta, ſed iuxta beneplacitum. Ratio eſt, quia approbatio debet reſpicere idoneitatem confeſſarij in ordine ad tale munus: quæ non ſolum conſiſtit in doctrina ſufficienti, ſed etiam in bonis moribus; vnde qui eſſet vitæ ſcandaloſæ, non deberet approbari. Cum ergo, qui ratione morum modò eſt habilis, fieri poſſit quòd fiat inhabilis, poteſt Epiſcopus ſibi reſeruare locum in approbatione ad ſuſpendendam dictam approbationem. quod fit adhibendo clauſulam limitatiuam *Ad beneplacitum*.

7 Hinc autem fit, vt hoc obiter adnotemus, quòd approbatio conceſſa *Ad beneplacitum* non poſſit reuocari, aut ſuſpendi, niſi approbatus fiat talis, vt non deberet approbari, ſi de nouo eſſet approbandus; vnde neceſſe eſt quòd in ipſo fiat talis mutatio, aut ſecùndum mores, aut ſecùndum doctrinam, vt euadat inhabilis ad audiendas confeſſiones. Approbatio enim eſt per modum ſententiæ; quia Epiſcopus debet vt iudex iudicare de habilitate Regularis in ordine ad audiendas confeſſiones; vnde licet ſit facta ad beneplacitum, non poteſt retractari, niſi ea ſuccedant, quæ reddant ſententiam iniuſtam: alioquin manente ſententia iuſta, retractatio eſſet actus iniuſtitiæ.

8 Sed dices. Sententia debet ferri abſolutè: ſi igitur approbatio eſt per modum ſententiæ, non poteſt ferri ad beneplacitum. Imò quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt: vt habetur ex Regula *Quod ſemel De Regulis iuris in 6.* Reſp. aliud eſſe, quòd ſententia ſit abſoluta: & aliud, quòd ſit limitata: neque enim hæc duo inter ſe opponuntur; vnde poteſt ſententia eſſe abſoluta, & habere aliquam limitationem, cuius ſit capax ſecùndum ſubiectam materiam. Vnde approbatio quoque poteſt eſſe abſoluta & limitata ſimul, mediante clauſula *Ad beneplacitum*; quia eſt capax talis limitationis. Cum autem dicitur quòd ſemel placuit non poſſe ampliùs diſplicere: debet intelligi quamdiu manet in eodem ſtatu: ſecus autem ſi varietur ſtatus. Vnde ſolùm fit, quòd ſemel approbatus non poſſit reprobari quandiu manet cum eadem habilitate: ſecus autem ſi deficiat habilitas.

9 Quod ſi rurſus quis inſtet. Quòd regularis habilis dum petit approbationem, petit quod ſibi de iure debetur; quod autem eſt de iure debitum, debet à iudice abſolutè tribui, non autem cum aliqua limitatione. Reſp. id verum eſſe, quando ius non eſt amiſſibile: quando autem ius poteſt deficere, poteſt etiam, quod de iure tribuitur, concedi cum limitatione ad permanentiam iuris. Quia autem ius, quod habent Regulares ad approbationem pro audiendis confeſſionibus fundatur in habilitate, quæ deficere poteſt: ideo approbatio tribui poteſt *Ad beneplacitum*: vt nimirum deficiente iure ex defectu habilitatis, reuocari poſſit.

10 Quod autem ſpectat ad iuriſdictionem. Exiſtimo non poſſe Epiſcopos adhibere aliquam limitationem, niſi in ordine ad caſus, quos ſibi reſeruant: non autem in ordine ad perſonas, loca &c. & ſi adhibeant, facere contra iuſtitiam.

11 Regulares enim non accipiunt iuriſdictionem ab Epiſcopo, ſed illam habent à Summo Pontifice: vt oſtendimus deciſ. *præced. num.* 10. & etiam independens ab Epiſcopis: vt conſtat ex priuilegijs *ibid. citatis*. Et ſolùm per Concil. Trident. dependent ab Epiſcopo quò ad approbationem. Ergo non poteſt Epiſcopus limitare iuriſdictionem: alioquin iniuſtè ageret cum Regularibus, priuando illos iuriſdictione aliqua, quam iam habent: & conſequenter priuare iure ſuo.

12 Dices. Non limitare iuriſdictionem, ſed approbationem, quia approbat tantùm pro viris v.g. ex eo, quòd non iudicet idoneum pro mulieribus ratione ætatis. Sed hoc ſuſtineri non poteſt; quia Regularis habet iuriſdictionem in ordine ad omnia genera perſonarum, & conſequenter ius petendi approbationem in ordine ad omnia genera perſonarum; quæ conſequenter negari non poteſt, niſi ex iuſta cauſa, quæ ſcilicet ſit talis, vt non reddat idoneum: ætas autem non eſt ſufficiens, nec rationabilis cauſa, propter quam non poſſit appro-

bari

bari in ordine ad omnia genera perſonarum: Nam eo ipſo, quòd quis habet viginti quattuor annos, ſecùndum ius canonicum eſt capax beneficij parochialis, & ſi cœtera concurrant, eſt idoneus pro audiendis confeſſionibus quarumcunque perſonarum. Vnde Epiſcopus, qui ratione ætatis non iudicat aliquem idoneum, facit contra ius canonicum. Quia non putat idoneum eum, quem approbat ius canonicum, & ex irrationabili cauſa non approbat Regulares, qui iam ſecùndum ius canonicum, quò ad hanc partem ſunt approbati.

An teneamur pro proximo fideiubere.

Deciſio CCCCCI.

SVMMARIVM.

1 *Qui teneant adeſſe obligationem Charitatis ad fideiubendum.*
2 *Qui negent talem obligationem.*
2 *Fideiuſſores reprehenduntur.*
3 *Quando quis teneatur fideiubere.*
4 *Non adeſt obligatio fideiubendi etiam cum adeſt extrema neceſſitas, niſi quando non adeſt alius, qui velit, & poſſit.*

1 NOn teneri lege canonica, aut ciuili conueniunt omnes. Aliqui tamen volunt adeſſe obligationem ex naturali lege charitatis. Ita Abbas *diſp. 16. quæſt. 2. num. 2. ver. Quintus caſus* Archidian. in Cap. *Sicut. num. 2. 11. quæſt. 1.* Roman. *in l. Non ſolùm. ff. De nouis oper. nunt.* Ioan. de Sylua *tract. De iureiurando par. 3. num. 24. tom. 1. tract.* Qui volunt peccare, ſi non fide iubeat.

2 Sed hæc opinio ſic vniuerſaliter accepta falſa eſt; vnde Angel. *in l. In perſonam §. non ſolum. ff. De pactis.* Iaſ. *ibid. num. 3.* Alexan. *in l. Si conſtante. num. 14. ff. ſoluto matrimonio* Paulus *in dictam l. In perſonam. num. 2. ff. De pactis.* Curtius Iunior. *ibid. init.* reprehendunt fideiuſſores tanquam malè vtentes ſubſtantia propria, & exercentes actum potius diſſipationis; quod non eſſet verum, ſi charitatis lege teneremur fideiubere.

3 Itaque cum fideiuſſio non poſſit cadere ſub præcepto charitatis, niſi prout eſt quædam ſubuentio proximi, (quia non tenemur impendere noſtra in beneficium proximi, niſi quando agitur de ſubuentione ipſius) obligatio ad fideiubendum menſuranda eſt eadem menſura, qua menſuratur obligatio ſubueniendi. Hæc autem non obligat, niſi proximus ſit in extrema, aut graui neceſſitate conſtitutus; vnde nemo tenebitur pro alio fideiubere, niſi eum videat habere extremam, aut ſaltem grauem neceſſitatem fideiuſſionis; ſiquidem per actum fideiuſſionis obligat ſuã ſubſtantiam in beneficium proximi.

4 Rurſus. Vt adſit huiuſmodi obligatio, oportet quòd non adſit alius qui poſſit & velit fideiubendo ſubleuare hanc neceſſitatem: quia ſi aliunde ſubleuari poteſt, ego non teneor; cum charitas obliget ſolùm, quando aliunde neceſſitas ſubleuari non poteſt.

An fideiuſſor poſſit aliquid accipere pro actu fideiubendi.

Deciſio CCCCCII.

SVMMARIVM.

1 *Fideiubens poteſt aliquid accipere pro fideiuſſione.*
2 *Cui periculo ſe exponat fideiuſſor.*
3 *Quando fideiuſſor non timet periculum, non poteſt, ſecundum aliquos, aliquid accipere pro fideiuſſione.*
4 *Poteſt adhuc accipere, nulla habita ratione periculi.*
5 *Cur actus fideiubendi ſit precio æſtimabilis.*
6 *Quantum fideiuſſor poſſit accipere pro fideiuſſione.*

1 COmmuniter affirmatiuè reſpondent Ex l. *Si remunerandi. §. Marius ff. Mandati.* & l. *Hoc iure. §. Labeo. ff. De donat.* vbi Bartol. & Paulus, Decius *conſil. 7. num. 1.* Palat. Rub. *in Repet. Cap. Per veſtras. De Donat. §. 9. num. 10. & 11.* Barboſa *in l. 1. par. 3. num. 54 ff. ſoluto matrimonio* Auend. *par. 2. de exequend. mand. cap. 12. num. 22.* Couarruuias *lib. 3. Variar. cap. 2. nu. 6.* Petrus Maurus Aretin. *De fideiuſ. par. 2. ſect. 2. cap. 2. num. 10.* Mantica *de Tacitis, & ambig. par. 2. lib. 16. tit. 2.* Petrus Nauarr. *De reſt. lib. 3. cap. 2. num. 248.* Martinus Nauarr. *in Manual. cap. 17. num. 285.* Medina *De rebus per vſuram acquiſit. quæſt. 4. ad 1. princip.* Caietan. *2. 2. quæſt. 78. art. 2. ad 4.* Sotus *lib. 3. de Iuſt. & Iure quæſt. 1. artic. 2. ante reſp. ad 6.* Conrad. *De contract. quæſt. 40.* Molina *de Iuſt. & Iure diſp. 319. ver. Communis Doctorum* Naldus *verbo* Fideiuſſor. *num. 1.* Munnoz de Eſcobar. De ratiocin. *Computat. 16. num 6. & ſequent.*

2 Ratio

2 Ratio autem eſt, Quia Fideiuſſor ſe exponit periculo ſoluendi id, pro quo fideiubet, & ſubijcit creditori propria bona, imò & propriã perſonam; quia deficientibus bonis creditor habet actionem ad perſonam; & ideo ratione periculi, quod in ſe ſuſcipit, & ratione obligationis propriorum bonorum, & propriæ quoque perſonæ, poteſt aliquid accipere; cum hæc omnia ſint precio æſtimabilia, vt de ſe conſtat.

3 An autem, quando ab initio nullum adeſt, aut præuidetur periculum poſſe imminere ex fideiuſſione; vel quia fideiubens aſſecuretur, vel ex aliquo alio capite: poſſit nihilominus fideiubens aliquid recipere pro fideiuſſione. Negatiuè reſp. Gutierez *lib. 2. Tract. cap. 142. num. 4.* plures alios pro ſe referens; & tenent Doctores in l. *Periculi precium ff. De nautico fœnore.* Quia nimirum ceſſat cauſa iuſtificans acceptionem pro fideiuſſione.

4 At affirmatiuam ſententiam tenent Molina *citata diſp. 319. De Iuſt. & Iure. ver. Communis Doctorum.* Munnoz de Eſcobar *De ratiocinijs citata Comput. 16. num. 11. ver. Neque obſtat.* Quia vt ait ipſe, nulla tam ſufficiens, & efficax indemnitas ab initio præſtari poteſt, quę adhuc deficere non poſſit.

5 Sed ego exiſtimo, Quòd etiam ſi ab initiò heberet omnimodam certitudinem de indemnitate, & impoſſibile putaret omne damnum, quod ex fideiuſſione prouenire poſſet, adhuc tamen, nulla habita ratione periculi, poſſet aliquid accipere pro ipſo actu fideiubendi, quatenus fideiubere eſt aliquid precio æſtimabile; nam obligat bona, & perſonam, vt diximus *num. 2.* quod ſanè conſtat eſſe precio æſtimabile.

6 Quantum autem accipere poſſit: Hoc ponderandum eſt ex qualitate fideiuſſionis, & circumſtantijs, quæ concurrunt. nam primo conſideranda eſt quantitas, ſeu res, pro qua fideiubet; deinde tempus, pro quo ſe, & ſua bona obligat; periculum, quod ſubit, ſi adſit, & etiam qualitas perſonæ fideiubentis; quia cum ſe obligat, talis obligatio pluris, aut minoris facienda eſt, prout pluris, aut minoris æſtimatur perſona.

Titius mittit merces Paulo commiſſas eiuſdem diſpoſitioni: interim Franciſcus videns quòd Paulus eſt breui decocturus, ipſum rogat. vt ſibi ſatisfaciat de ſumma, quam debet. Paulus dat illi merces in commiſſione acceptas à Titio pro pignore: Paulus decoquit: Titius petit merces à Franciſco tanquam ſuas. Quæritur an Franciſcus teneatur reſtituere.

Deciſio CCCCCIII.

SVMMARIVM.

1 *Qui accipit in pignus à ſuo debitore merces alicuius tertij illi commiſſas, vt de ipſis diſponat, ſicut voluerit; ſi debitor cedat bonis, pignus reſtituendum videtur.*

2 *Non eſt reſtituendum.*

3 *Qui accipit merces in commiſſione, vt de ipſis diſponat, vt voluerit; ſi alteri tradat in pignus, cenſetur priùs eas emere pro ſe.*

4 *Intentio, quæ non poteſt ſtare ſine alia, ipſam arguit.*

5 *Pignus rei alienæ valet; ſi dominus ſciat, & diſſimulet.*

6 *Mandans conſentit omnibus, quæ mandatarius facit in virtute mandati.*

7 *Dictæ merces neque ſunt reſtituendæ, etiam ſi motiuum oppignorandi fuerit imminens præuiſio ceſſionis bonorum.*

8 *Quòmodo peccet oppignorans has merces, & inducens ad oppignorandum.*

1 Videtur ſtatim reſpondendum, Franciſcum teneri reſtituere merces Titio, quas à Paulo acceperat in pignus; Quia cum integræ maneant, & fuerit pignus rei alienæ, cenſetur adhuc manere ſub iure ſui domini; neque enim per id quòd tradatur in pignus res aliena, priuatur dominus ſuo dominio; & proinde dictæ merces reſtituendæ ſunt Titio vt vero domino.

2 Sed nihilominus tenendum eſt quòd Franciſcus non teneatur reſtituere Titio merces acceptas in pignus à Paulo: ſuppoſito quòd Titius eas commiſerit Paulo, vt de ipſis diſponeret, quomodo vellet, dummodo ubi correſponderet totum, quod retraheret. Et ſic in tali caſu iudicatum fuit paucis ab hinc menſibus Florentiæ à tribunali Mercatorum.

3 Ratio autem eſt; Quia ſtante commiſſione Titij, qua commiſit Paulo diſpoſitionem de mercibus tranſmiſſis ad libitum ſaciendam, poteſt Paulus eas emere nomine proprio, & ſe conſtituere debitorem Titij pro illis mercibus; non enim excluditur à generali mandato, quin poſſit ipſe eas tanquam emptor ſibi adiudicare: Dum ergo eas in pignus dat Franciſco, virtuali contractu ſe conſtituit emptorem mercium, atque adeo eas tanquam iam ſuas virtute emptionis conſtituit pro pignore; & proinde non poteſt Titius eas amplius repetere tanquam ſuas: quia iam tranſierant ſub dominium Pauli in virtute generalis mandati ipſius Titij.

4 Quod autem interueniat huiuſmodi emptio, qua Paulus cenſeatur emere merces Titij, colligitur ex eo, quòd Paulus illis vtitur tanquam re propria, dum illas oppignorat Franciſco intendens mediante pignore ſatiſfacere pro eo, quod ipſi debet: & conſignat pignus, vt poſſit ſe indemnem ſeruare; quæ intentio neceſſario requirit aliam intentionem ſaltem virtualem, qua intendat emere illas merces, & facere ſuas; quia ſolùm per id, quod ſuum eſt, poteſt Franciſcus indemnis ſeruari.

5 Præterea. Pignus rei alienæ valet ſciente domino id agi & diſſimulante *l. 2. C. ſi aliena res pign. data*, & docet Bart. *in l. Quædotis. nu. 23. ff. Soluto matrimonio.* Iaſ. *ibid. num. 80.* & notat Rota Genuenſ. *deciſ. 199. num. 1.* In caſu autem noſtro nedum eſt diſſimulatio Domini Mercium, quæ dantur in pignus, ſed etiam conſenſus: quia in mandato generali de diſpoſitione mercium ad libitum includitur etiam iſta diſpoſitio, qua iis vtatur pro pignore cum proprio creditore, conſtituendo ſe debito-
6 rem pro mercibus ipſi mandanti. Mandans autem conſentire cenſetur ijs omnibus, quæ fiunt à mandatario in virtute mandati. Vnde ceſſat ratio *num. 1.* in contrarium propoſita: quia iam merces illæ non ſunt ampliùs Titij, ſed tranſeunt ad alium dominum, vt conſtat ex dictis.

7 Atque hoc habet locum, etiamſi motiuum oppignorandi dictas merces pro debito ſit præuiſio imminentis ceſſionis bonorum: nam cum duret mandatum, poteſt adhuc mandatarius facere ſuas illas merces, & ſe conſtituere debitorem, & proinde tanquam proprias eas tradere in pignus debitori; vnde nullus alius actus interuenit, niſi iuſtitiæ, nempe emptionis ritè factæ, & oppignorationis: & ideo nulla conſurgit obligatio reſtituendi in eo, qui accepit pignus.

8 Poteſt tamen ex alio capite mandatarius peccare: nempe quia commutat merces cum precio incerto, imò etiam non ſoluendo: vt præſtat ſuum creditorem ipſi mandanti, in quo peccat contra fidelitatem; quia non exequitur mandatum fideliter, reſpiciendo vtilitatem mandantis, quam debet reſpicere. Et etiam peccat contra charitatem; quia vt ſubleuet à periculo ſuum creditorem, conſtituit mandantem in periculo certo, & euidenti amittendi precium dictarum mercium. Vnde etiam creditor mandatarij peccat, ſi ipſum inducat ad tradendas merces in pignus, quas habet in commiſſione; quia inducit ad peccandum.

An in impetratione Beneficij ſit neceſſarium exprimere verum valorem, aut ſufficiat exprimere taxatum.

Deciſio CCCCCIV.

SVMMARIVM.

1 *In impetratione beneficij debet, ſecundum aliquos, verus valor exprimi, quando beneficium non eſt conciſtoriale.*
2 *Non eſt neceſſe ipſum exprimere, ſed ſatis eſt exprimere taxatum.*
3 *Quando valor beneficij non eſt taxatus, debet verus valor exprimi.*
4 *An debeat exprimi verus valor, quando agitur de imponenda penſione.*

1 Videtur reſpondendum, neceſſarium eſſe exprimere verum valorem, nec ſufficere quòd exprimatur taxatum: vt impetratio non ſit ſubreptitia. Quia adeſt Regula Cancellariæ præcipiens, quòd verus valor exprimatur, alioquin futuram impetrationem ſubrepititiam. Vnde Gomez *in Reg. Cancel. Reg. de exprimendo vero valore quæſt. 10.* aſſerit quòd in Beneficijs conciſtorialibus, qualia ſunt Epiſcopatus, & Abbatiæ, ſufficit exprimere valorem taxatum; in beneficijs autem non Conciſtorialibus oportet exprimere verum valorem.

2 Sed tenendum eſt, quòd neque in iſtis requiritur expreſſio veri valoris, ſed ſufficiat exprimere taxatum. Quod docet Valerus *De different. vtriuſque. Fori verbo* Subreptio *Differ. 3.* Sic enim conſuetudo interpretatur regulam Cancellariæ, nec eſt maior ratio de beneficijs conciſtorialibus, quàm de non conciſtorialibus: quia regula æqualiter procedit de omnibus. Quod etiam ex eo confirmatur. Quia ſi valor beneficij eſſet minor taxato, & vt minor exprimeretur, non admitteretur talis expreſſio. Quod ſatis indicat quòd expreſſio de-

ſio debeat fieri iuxta valorem taxatum. Deinde talis taxatio facta eſt in ordine ad exprimendum valorem in impetratione; Ergo inſeruit pro regula expreſſionis, & indicat quòd Dataria velit impetrari beneficia ſub illa taxa valoris.

3 Quando verò valor beneficij non eſt taxatus, tunc verus valor exprimendus eſt; quia ſi non exprimeretur, committeretur ſubreptio; ceſſat enim tunc ratio, quæ militat quando valor eſt iam taxatus. Et de hoc regula ſupradicta Cancellariæ procedit.

4 An autem, quando agitur de imponenda penſione verus valor exprimi debeat; affirmat Valerus *citatus ver. Vnde tamen. in fine*, quia penſio commenſuratur vero valori. At quia, quando imponitur penſio, licet inquiratur verus valor, non tamen irritatur collatio beneficij, ſi non exprimatur; ideo qui impetrat, poteſt vti iure ſuo, & non exprimere verum valorem, quando videt quòd minor cenſetur, quàm reuera ſit; quia non adeſt vnde obligetur ad verum valorem manifeſtandum.

An Abbates debeant præcedere Generales Regularium, qui non ſunt Abbates.

Deciſio CCCCCV.

SVMMARIVM.

1 *Abbates, ſecùndum aliquos, præcedunt Generales Ordinum Regularium.*
2 *In quo fundet hanc præcedentiam.*
3 *Abbates nullo modo poſſunt præcedere Generales Ordinum.*
4 *Maior adminiſtratione, poteſtate, & iuriſdictione, præcedit minorem.*
5 *Generales Ordinum ſunt digniores Abbatibus.*
6 *Cur Cardinales præcedant Archiepiſcopos.*
7 *Generalatus eleuat ſupra Abbates.*
8 *Abbas Olimitanus diſcedit, vt relinquat locum Generalibus in Cappella Papæ.*
9 *Cur ius Canonicum ponat Abbatiam immediate poſt Epiſcopatum.*
10 *Ordo litteræ indicat ordinem præeminentiæ ſolùm inter nominatos.*
11 *Cur catalogus eorum, qui interfuerunt Concilio Trident. non faueat Abbatibus contra Generales in cauſa præcedentiæ.*
12 *Generales præferuntur Abbatibus in Concilio Lateranenſi.*
12 *Ordo ſeſſionis in Concilio, & Cappella Papæ non infert ordinem ſeruandum vbique.*
13 *Generales in Cappella Pontificia præcedunt Protbonotarios, & Abbates.*

1 RESp. affirmatiuè Tamburinus *De Iure Abbat. diſput. 24. quæſt. 3. num. 2.* Mantiquez *tractat. de præced. quæſt. 1. num. 25.* & afferttur à Tamburino Iacobat. *lib. 1. de Concil. tit. de ordine ſedendi, circa finem. ver. Poſt præmiſſos.* Qui tamen loquitur ſecùndum veterem conſuetudinem, quando nondum erant Generales Ordinum Regularium, vt infra explicabimus.

2 Aſſerunt pro fundamento; Quia Abbatia eſt in priori dignitatis gradu poſt Epiſcopatum, vt colligitur ex pluribus locis iuris Canonici: præſertim ex Cap. *Si quis deinceps. 16. quæſt. 17.* Deinde Paulus III. & Pius IV. *in Bullis celebrat. Concilij.* Poſt Epiſcopos hortantur Abbates, & ad Concilium inuitant. Imò & in Catalogo eorum, qui interfuerunt Concilio Tridentino, Abbates ponuntur ante Generales Ordinum.

3 Sed oppoſitum omnino tenendum eſt tanquam verum, et indubitatum, atque praxi ipſa confirmatum. Et deſumitur ex doctrina Gloſſæ in Cap. *Statuimus verbo* Conſueta. *ver. Maioritas de Officio Delegati in 6.* Geminiani in Cap. *Epiſcopus. num. 2. diſtin. 17.* Abb. *conſil. 21. num. 1. lib. 1.* Menoch. *conſil. 51. num. 6. & 56.* Dec. *conſil. 161. num. 2. ver. Septimò iſta concluſio.* Loſtreyl. *in Paraph. Feud.* in Cap. *Omnes. Ver. Confirmantur prædicta.* Caſſan. *in Catal. Gloriæ Mundi par. 4. conſid. 52. ver. Octauò conſideratur.* Gama *deciſ. 1. num. 52.* Peregr. *conſil. 74. num. 20. lib. 1.* & aliorum: quatenus docent quòd ille præfertur, qui habet maiorem poteſtatem, adminiſtrationem, & iuriſdictionem.

4 Vnde pro hac deciſione formatur ratio. Maior adminiſtratione, poteſtate, & iuriſdictione debet præcedere minorem. Argum. Ex Cap. *Ad hæc. De officio Archidiacon.* & ex Auth. *Conſtit. Nouel. 81. §. Et generaliter ver. Et nobiliores*: vbi etiam Gloſſa *eodem verbo Et nobiliores*. Generales autem Regularium ſunt maiores adminiſtratione, iuriſdictione, & poteſtate Abbatibus, quia præſunt toti Religioni, & habent plenam adminiſtrationem ipſius: Abbates autem habent ſolum adminiſtrationem vnius monaſterij.

5 Deinde dignior debet præcedere minùs dignum, Cap. *Epiſcopus 2. diſt. 95.* & tradunt communiter cum Gloſ. *Inſtitut. De bonor. poſſeſſ. §. Aliam*. Generales autem ordinum Regularium ſunt digniores Abbatibus Monaſteriorum; quia non præſunt negocijs vnius tantùm Monaſterij, ſed totius Religionis, atque adeo pluribus, & maioribus. Qui autem præſt pluribus, & maioribus negocijs de iure eſt di-

gnior Cap. *Per ſingulas* 2. (*auſa* 9. *quæſt.* 3. & *Auth. Nouel.* 15. *De defenſ. Ciuit.* §. *Nos igitur in fine.*

6 Quo argumento vſus eſt etiam Eugen. IV. *Epiſt. ad Henricum Cantuarienſem Archiepiſcopum* pro ſtabilienda præcedentia Cardinalium in ordine ad Archiepiſcopos, ait enim. *Quis etiam non videat, Cardinalatus dignitatem Archiepiſcopali maiorem eſſe dignitate? quia cum illa priuata vnius patriæ præſit vtilitati, iſta publicæ totius populi Chriſtiani; illa vnam dumtaxat regit Eccleſiam; iſta cum Sede Apoſtolica vniuerſas.* Ex quibus cõſtat, quomodo Abbatia ſit minor dignitas Generalatus, atque adeo quod Generales vt in maiori dignitate conſtituti debeant præcedere Abbates.

7 Rurſum. Generalis, qui etiam ſit Abbas, præcedet omnes Abbates, etiam illos, quos vt Abbas non præcedebat. Ergo non præcedit ratione Abbatiæ, ſed Generalatus, qui ſuperadditur Abbatiali dignitati. Vnde dignitas Generalatus eleuat Abbatem ſupra alios Abbates: quod non poſſet præſtare, niſi eſſet maior dignitas. Si autem eſt maior dignitas, in quocunque ponatur, illum eleuabit ſupra omnes Abbates.

8 Denique facit, quod refert Concelatus *opuſ. de Præcedent. num.* 65. ex libro *Diariorum* Franciſci Mucantij, nimirum quod cum eſſet orta controuerſia inter quemdam Abbatem Oliueranum habentem vſum mitræ, & Generales Ordinum de præcedentia in Cappella Pontificia, Generales non interfuerunt amplius Cappellæ, donec diſcedente Abbate debitum ſibi locum obtinuerunt.

9 Ad id quod *num.* 2. affertur in oppoſitum, Reſp. textum Cap. *Si quis deinceps* 16. *quæſt.* 17. loqui de dignitatibus, quas ſolebant Eccleſiaſtici de manu laicorum accipere; inter quas non erat Generalatus, quia nondum monaſteria erant vnita ſub vno communi capite, ſed quodlibet ſuo tantùm ſuperiori locali parebat; vnde cum tunc non fuerit Generalatus, nec conſuetum fuerit talem dignitatem accipi de manu laicorum, nihil mirum ſi Abbatia immediatè ponatur poſt Epiſcopatum. Et ob eamdem rationem (nimirum quia tunc non aderat dignitas Generalatus) in cęteris text. Abbatia ponitur immediate poſt Epiſcopatum.

10 Ad id, quod ſecundo loco affertur: nimirum Paulum III. & Pium IV. *in Bulla indictionis Concilij Tridentini* poſt Epiſcopos ſtatim hortari Abbates, Reſp. nihil ex hoc colligi pro oppoſita ſententia. Nam ordo litteræ oſtendit tantùm ordinem præeminentiæ inter eos, qui in eadem littera nominantur; non autem quò ad eos, qui non nominantur. Vnde non bene inferretur, quòd Abbates debeant præcedere omnes Prælatos curiæ Romanæ, qui ſunt poſt Epiſcopos, eo quòd in dictis Bullis immediatè inuitantur poſt Epiſcopos. Generales autem in illis Bullis non inuitantur ad Concilium, nec nominantur. Quod ſi fuiſſent inuitati, nominati fuiſſent ante Abbates, tanquam digniores.

11 Nec iuuat quòd in Catalogo eorum, qui Concilio interfuerunt, ponantur Abbates ante Generales ordinum; quia non eſt Catalogus auctoritatiuè confectus: & proinde non dat illi ordini aliquam auctoritatem. Addo tamen. Quod in Concil. Lateranenſi *ſub Leone X. ſeſſ.* 12. Abbates deſcribuntur poſt Generales Ordinum Regularium. Vnde aut ex hac deſcriptione nullum argumentum ſumi poteſt, aut non magis pro vna parte, quàm pro alia.

12 Imò, Ex ordine ſeſſionis in Concilio Generali, & in Cappella Pontificia non poteſt inferri maior dignitas, & præcedentia in alijs locis, vt benè notat Concelatus *in quæſt. de Præcedent. num.* 59. *& ſequent.* cum Iacobat. *lib.* 1. *de Concil. cap.* 1. *num.* 113. *&* 114. & Rota *in Aſſiſien. ſedis* 27. *Febr.* 1589. *quæ eſt deciſ.* 865. *num.* 7. *par.* 4. *diuer.* Vnde Epiſcopi aſſiſtentes præcedunt Oratores etiam Imperatoris, non autem extra dictam Cappellam. Pœnitentiarij Baſilicæ Sancti Petri præcedunt Auditores Rotæ, non tamen extra Cappellam.

13 Sed attendendo etiam ordinem Cappellæ Pontificiæ, Generales præcedunt Abbates: iuxta id, quod colligitur ex Cæremoniali *lib.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 1. *De ordine ſedendi in Cappella Papæ* §. *In Cappella autem.* vbi cùm facta ſit mentio Generalium Ordinum ſimul cum alijs Prælatis; Prothonotarijs, & Abbatibus tribuitur vltimus locus in ordine. concluditur enim *Sed Prothonotarij & Abbates ſolent habere proprium locum vltimum in ordine.* Quod notat etiam Concelatus *ſupracit.*

An ſponſalia contracta ſub conditione, ſi *Papa diſpenſauerit*, in ſecundo conſanguinitatis gradu, aut in alio impedimento dirimente, ſint valida.

Deciſio CCCCCVI.

SVMMARIVM.

1 *Sponſalia contracta ſub conditione, ſi Papa diſpenſauerit, non valent, ſecundum aliquos.*

a *Super*

2 *Super re, quæ à commercio eximitur, non contrahitur obligatio.*
3 *Diſpenſatio gratioſa, quæ per ſolum principem fieri poteſt, habetur pro impoſſibili.*
4 *Actus inualidus ab initio non retrotrahitur.*
4 *Non oritur obligatio à facto iure improbato.*
5 *Sponſalia ſub conditione, ſi* Papa diſpenſauerit, *valent ſecundum alios.*
6 *Sponſalia, & matrimonium ſunt diuerſi contractus, & de diuerſa materia.*
7 *Sponſalia ſunt prohibita, & conceſſa, vt quid acceſſorium ad prohibitionem, vel conceſſionem matrimonij.*
7 *Quomodo in hoc caſu conſideranda ſponſalia.*
8 *Sponſalia ſub conditione, ſi* Papa diſpenſauerit *valent.*
9 *Talia ſponſalia ſunt in ordine ad matrimonium licitum.*
10 *Quomodo talia ſponſalia ſint licita & in poteſtate contrahentium.*
11 *Votum peregrinationis ad terram ſanctam eſt validum, licet peregrinatio prohibita.*
12 *Votum Epiſcopi ingrediendi Religionem eſt validum, licet non poſſit impleri ſine facultate Pontificis.*
13 *Sponſalia ſub conditione ſi* Papa diſpenſauerit *non prohibentur venire in contractum.*
14 *Contractus conditionatus non clauditur niſi adueniente conditione: & ſufficit quòd res poſſit tunc venire in contractum.*
15 *Sponſalia conditionata inducunt naturam matrimonij, vt ſtat ſub conditione.*
16 *Actus inualidus ab initio retrotrahitur, ſi dependeat à conditione futura.*
17 *Sponſalia ſub conditione, ſi* Papa diſpenſauerit, *non reprobantur à iure.*

1 NEgatiuè reſpondent plures Doctores. Innocent. in Cap. *ſuper eos. in princip. de condit. appoſit.* Cardin. *ibid. num.* 2. Ancharan. *num.* 7. Prob. *ad Monac. in Cap. vnic. num.* 11. *De ſponſalib. in* 6. Alexand. de Næuo *in dict. Cap. ſuper eo. num.* 13. *& ſequentib.* Hoſtienſ. *num.* 1. Ioan. Andr. *verbo Aſſenſum* Boich. in Cap. *Fin. num.* 2. *ver. Aut eſt talis Eodem tit. de condition. appoſitis* . . . . . Addit ad Dec. *in l. Ea quæ. num.* 64 *ff. De reg. iur.* Tell. *ad l.* 22. *Tauri num.* 18. Syluester *in ſum. verbo* Matrimon. 3. *quæſt.* 9. Roſel. *verbo* Matrimon. 5. *quæſt. vlt.* Aſtenſ. *lib.* 18. *ſum. tit.* 3. *De Modo contrahendi ſponſalia* Victoria *ſum. de Matrimon. num.* 258. Viual. *in Candelab. par.* 1. *De Sacram. Matrimon. num.* 55. Cucchus *lib* 5. *Inſtit. maior. tit* 11. *De Sacram. Matrimon. num.* 56. Loares *De Matrimon dub.* 12. Villalob. *verbo* Matrimonium *num.* 40. Mazient. *lib.* 5. *Recopil. tit.* 6. *lib* 6. *Gloſ.* 5. *num.* 2. Veracruz 1. *par. ſpecul. art.* 19. *ver. Quòd ſi quæris* Ledeſma 2. 4. *quæſt.* 45. *artic.* 1. Sotus *in* 4. *diſt* 29 *quæſt.* 2. *art.* 1. Petrus de Ledeſma *quæſt* 47. *De Matrim. num.* 5. *dub* 2. qui hanc ſententiam probabilem putat Henriquez *lib.* 12. *ſum. cap.* 10. *num.* 4. Atque hanc ſententiam frequenter ſequitur Rota *coram Seraphino deciſ.* 1156. Mantica *deciſ.* 201. *num.* 4. Lodouiſio *deciſ.* 410. Coccino *deciſ.* 374. *num.* 6. *&* 7. & in Vlixiponenſi *Matr.* 11. *Iunij* 1613. *coram Cardinali Sacrato*, & in Colibrienſi *ſponſalium.* 26. *Octob.* 1616. *Coram Burato.*

2 Prob. autem. Si res à commercio eximitur, ſuper ea non contrahitur obligatio, & contracta extinguitur, l. *Inter ſtipulantem* 81. §. *Sacram ff. De verborum obligat.* nec reuiuiſcit impedimento ceſſante. l. *continuus* 137. §. *Cum quis. ff. eodem*. Vnde cum non poſſint fieri huiuſmodi ſponſalia, nec etiam adueniente conditione diſpenſationis Pontificiæ ſubſiſtent; quia contractus & ſtipulatio non ſecundum rationem futuri temporis, ſed ſecundum præſentis æſtimari debet; vt notat Glo. *in dict. l. Continuus. verbo Natura.*

3 Deinde. Euentus diſpenſationis non facit, vt liceat contrahere ſuper illicito, & impoſſibili. Cum autem talis diſpenſatio poſſit fieri ſolum per pontificem, habetur contractus pẽdens ab ipſa pro impoſſibili; quia diſpenſatio quæ fieri poteſt per ſolum Principem habetur pro impoſſibili l. *Apud Iulianum* §. *fin. ff. De legat. primo* Anchar. in Cap. *Super eo. num.* 7. *De condit. appoſit.* Præſertim ſi vt mera gratia dependeat à voluntate Principis Tiraquell. *De retract. lignag.* §. 3 2. *num.* 59. talis autem diſpenſatio eſt mera gratia.

4 Denique. Vt actus retrotrahatur, oportet quòd potuerit intercedere ab initio l. *Si is, qui pro emptore ff. De vſucapt.* Talia autem ſponſalia non potuerunt eſſe ab initio, quando fuerunt facta; vnde nec adueniente diſpenſatione ſubſiſtere poſſunt: præſertim, quia ex facto à iure improbato non poteſt oriri obligatio l. *Cum lex. ff De fideiuſſor.* talia autem ſponſalia à iure improbantur.

5 Oppoſitam tamen ſententiam, nempe valere huiuſmodi ſponſalia, tenent Butr. in Cap. *Super eo. num.* 8. *De condition. appoſitis* Gaſpar de Calderin. *ibid. num.* 5. *ver. Tamen opinio.* Zacharias *Ad Abbat. eodem cap. verbo Diſpenſauerint.* Dec. *in l. Ea, quæ ratione ff. De regulis iuris* Iaſon *in l. Apud Iulianum.* §. *Conſtat. num.* 11. *ff. De leg. primo.* Viuius *par.* 2 *com. opin.* 487. *opin. num.* 3. *ver. In contrarium* Boer. *deciſ.* 263. Couarun. *in Epitome de ſponſal. par.* 2 *cap.* 3. *num.* 8. Nauarr. *lib.* 4. *tit. De ſponſalib. conſil.* 15. *num.* 2. *ver. Tertius caſus.* iuxta primam editionem, & iuxta ſecundam *conſil.* 5. *num.* 3. *De conſanguinit.* Clar. *lib.* 5. *Recept. ſentent. verbo* Inceſtus. *ver. Sed quid* Angles *in Florib. par.* 1. *quæſt.* 2. *de Matrimon. condit. art. vnic. dub* 3. Lopez 2.

par. Inſtruct. cap. 42. de Matrimon. Philiae. *ſum. parn. de offic. Sacer. cap. De ſponſalib.* Tabiena *verbo* Sponſalia *quæſt. 8. num. 9.* Armilla *num. 11.* Veractux *Appen. ad ſpecul. Coniug. ſuper artic. 19. de condit.* Bartholomæus de Ledeſma *de Matrimonio dub.* 25. Petrus de Ledeſma *quæſt. 47. de Matrim. art. 5. dub 2. concluſ. 3.* qui tamen probabilem putat oppoſitam ſent. Sanchez *lib. 5. de Matrim. diſp. 5. num. 13.* Pontius *lib. 3. de Matrim. cap. 15. num. 4.* Angel. *verbo* Matrimonium 3. *impedim. 3. num. 4.* Adrian. *in 4. quæſt. 3. de Matrim. dub. 10.* Ochagau. *tract. 3. de Sacram. Matrim. quæſt. 21. nu. 5.* Facundez *lib. 9. in 9. Præcept. Decalog. cap. 5. nu. 9.* Coninch. *tom. 2. de Sacram. diſp. 29. de Matrimon. dub. 2. num. 33.* Mercerus *3 par. quæſt. 43. ſupplemen. art. 3. circa 8. cauſam diſſol. ſponſalia quæſito 2.* Ioan. Præpoſitus *3. par. quæſt. 9. de Matrim. dub. 3. num. 25.*

9 Atque ab hac poſteriori ſententia exiſtimo non eſſe recedendum. Quam vt explicemus, aduertendum eſt, Quòd licet eodem modo ſe habeant, ſeruata proportione, ſponſalia & matrimonium: vt tradit Couarr. *in Epitome de ſponſal. par. 1. cap. 3.* Differunt tamen in hoc, quòd Matrimonium fit per verba de præſenti, & ſponſalia per verba de futuro. quod non eſt aliud, quàm non contrahere contractu Matrimoniali, ſed tantum promittere ſe contracturum. Vnde cum ſponſalia dicant aliquem actualem contractum, ex quo conſurgit aliqua obligatio, oportet quòd id, quod venit in contractum in ſponſalibus, ſit quid diuerſum ab eo, quod venit in contractum Matrimonij; & proinde non erit mutua traditio corporum, quæ venit in contractum Matrimonij, ſed obligatio propriæ voluntatis ad exercendum contractum Matrimonij: & conſequenter erunt diuerſi contractus habentes diuerſam materiam.

7 Quia tamen ſponſalia ſequuntur Matrimonium, vt acceſſorium ſuum principale, ideo cenſentur conceſſa vel prohibita prout Matrimonium eſt conceſſum vel prohibitum. Eſt tamen aduertendum quòd cum ſponſalia non reſpiciant Matrimonium de præſenti, ſed de futuro, & ſint in ordine ad ipſum, debent conſiderari, prout reſpiciunt ſtatum futurum Matrimonij: atque etiam Matrimonium debet attendi ſecundum ſtatum, non quem habet de præſenti, ſed quem habiturum eſt de futuro. Vnde ſponſalia in ordine ad Matrimonium, cui eſt ſuperuentura affinitas in gradu prohibito, antequam contrahatur, erunt prohibita, quia ſunt in ordine ad Matrimonium prohibitum: quamuis non ſit prohibitum pro illo tempore, in quo fiunt ſponſalia. Vnde ſi quis promitteret ducere Lauram, ſi priùs Laura fiat eius affinis in ſecundo gradu, quāuis tunc non ſit affinis, erunt ſponſalia prohibita.

8 Ex hoc autem deducitur quòd ſponſalia inter eos, qui aliquo conſanguinitatis, aut affinitatis gradu prohibentur contrahere, ſunt valida, appoſita conditione, ſi *Papa diſpenſauerit*, ita vt adueniente conditione diſpenſationis incipiant obligare, non ſecus ac cæteri contractus conditionati adueniente conditione appoſita.

9 Ratio eſt, Quia huiuſmodi ſponſalia reſpiciunt Matrimonium licitum; quia licet de ſe ſit prohibitum, ex diſpenſatione tamen fit licitum: & ſponſalia non ordinantur quomodocunque ad ipſum, ſed vt ſtat ſub diſpenſatione, atque adeo vt licitum. Et ratione conditionis ſuſpenditur obligatio, quam inducunt vſque ad tempus, quo impletur conditio; vnde ſponſalia, prout inductiua obligationis, habent tractum veluti ſucceſſiuum, quo durant quouſque ponitur conditio, atque adeo quouſque Matrimonium fit licitum. Vnde cum non ſolùm reſpiciant Matrimonium vt licitum, ſed etiam vt contractus inductiuus obligationis non terminetur, niſi quando Matrimonium fit licitum, conſequenter ipſa quoque erunt licita; Quia in tantum non eſſent licita, in quantum ordinarentur ad Matrimonium illicitum.

10 Deinde. Vnicuiq; licet obligare propriam voluntatem, ad faciendum omne id, quod eſt in ipſius poteſtate, & licitè poteſt facere: cum in hoc nulla interueniat prohibitio, neque ex natura rei, neque à iure: & ſi ſe obligat, tenet obligatio: & ſi ſe obligat conditionatè, poſita conditione conſurgit obligatio, quæ antea erat veluti ſuſpenſa. In caſu autem noſtro contrahentes huiuſmodi ſponſalia obligant id, quod eſt in propria poteſtate, & de quo diſponere poſſunt, nempe propriam volūtatem, qua nil aliud eſt magis in noſtra poteſtate; & illam obligant ad contractum licitum, nempe ad Matrimonium licitum ex diſpenſatione: & ita ſe obligant, vt velint obligationem valere, ſi Matrimonium fiat licitum, & non valere, ſi non fiat licitum; hoc enim operatur conditio oppoſita, *ſi Papa diſpenſauerit*, Vnde cum in hoc contractu nihil prohibitum interueniat, nec materia ipſius ſuberabatur contractui, non video cur huiuſmodi ſponſalia non ſint valida, & obligent adueniente conditione.

11 Quod etiam confirmari poteſt exemplo voti: quod importat quemdam contractum, quo homo ſe obligat Deo. Peregrinatio enim ad terram ſanctam eſt illicita, quia eſt prohibita ſub cenſura a Pontifice; & tamen, ſi quis voueat talem peregrinationem ſub conditione, ſi obtinuerit licentiam à Pontifice, votum non eſt irritum, ſed obligat ad executionem obtenta licentia; imò obligat ad petendam licentiam, & eſt reſeruatum Pontifici; & tamen

contra

contra hoc æquè militant rationes, quæ afferuntur contra validitatem ſponſalium in caſu noſtro: cum omnea ex eo ducantur, quòd matrimoninm tale non eſt de ſe licitum tempore ſponſalium.

12 Sic etiam ingreſſua in Religionem abſque licentia Pontificis non eſt licitua Epiſcopo Cap. *Niſi eum pridem in fine de Renun.* & Cap. *Licet. ver. Illa. de Regul.* & tamen ſi antequam obtineat licentiam, voueat ingreſſum in Religionem, tenet votum, & obligatur ad petendam licentiam, & ea obtenta ingredi Religionem; vt tradunt communiter Palud. *in 4. diſt.* 38. *quaeſt.* 4. *art.* 2. *num.* 21. Suppl. Gabr. *quaeſ.* 1. *art.* 5. *poſt* 3. *concluſ. ver. primò Epiſcopus.* Caiet. *in Sum. verbo* votum. *Cap. de quattuor condition. &c.* §. *Imperfectio autem ætatis* Tabiena *verbo* votum 5. *quaeſt.* 1. *num.* 2. Syluester *verbo* votum 3. *quaeſt.* 1. D. Antonin. 2. *par. tit.* 11. *cap.* 2. §. 6. *verſ. primò ergo* Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 16. *quaeſt.* 2. Sayr. *lib.* 6. *Clauis Regia cap.* 5. *num.* 24. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 3. *de voto cap.* 4. *num.* 8. Sanchez *lib.* 5. *in Decal. cap.* 25. *num.* 36. Non obſtante quòd materia tempore voti ſit illicita; quia nimirum non reſpicit ipſam vt illicitam, ſed vt licitam ex facultate Pontificis. Vnde nec in caſu noſtro obſtabit, quod matrimonium ſit illicitum; quia conditio appoſita facit vt ſponſalia ipſum reſpiciant vt licitum.

13 Ad ea autem, quæ in oppoſitum afferuntur, & ad primum Reſp. Verum quidem eſſe, quòd non contrahitur obligatio ſuper re, quæ prohibetur venire in commercium; nec ſublata probibitione conſurgit obligario; quia contractua requirit validitatem, quando exercetur, & tunc debent contrahentes poſſe ſe obligare: alioquin valet regula iuris, quod non *Firmetur tractu temporis, quod ab initio fuit irritum*. Sed hoc non contingit in caſu noſtro; quia vt vidimus *num.* 10. nihil venit in contractum, quod ſit prohibitum venire; quia fit contractus ſuper obligatione ad contrahendum legitimo contractu matrimoniali; & proinde illa ſponſalia non ſunt prohibita, quia coniunguntur cum matrimonio, facto licito ex diſpenſatione.

14 Deinde quando exercetur aliquis contractus, ſufficit ſi res, ſuper qua contrahitur, poſſit venire in commercium, quando clauditur contractua, & inducitur eius perfecta obligatio. Sponſalia autem ſub conditione, & quilibet alius contractus conditionatua non clauditur, nec eiua perfecta obligatio inducitur, niſi quando ponitur conditio; quia ea eſt conditionis natura, vt ſuſpendat valorem actus, & protrahat vſq. ad euentum conditionis l. *Si rem meam.* 31. & l. *Si quis* 57. & l. *Si quis ita* 63. *ff. De verbor. obligat.* & l. *Cum in ſecundo. ff. De iniuſto rupto eſt teſtamento*, & ex cap. *ſuper eo. De conditionib. appoſitis*, & tradunt Bal. *in Rub. C. De inſtit. & ſubſtit. ſub condit. facien.* Abbas *in cap. conſtitutus de Reſcriptis*.

15 Ad id, quod *num.* 3. ſecundo loco affertur; Reſp. Diſpenſationem quidem habendam pro impoſſibili, cum ſit mera gratia, & dependeat à ſolo Pontifice; vnde ex hoc fit, quòd matrimonium, quod requirit talem diſpenſationem, non ſit licitum, & habeatur pro impoſſibili: atq. adeo, quod etiam ſponſalia abſoluta in ordine ad ipſum ſint illicita. Quia tamen in caſu noſtro non ſunt abſoluta, ſed conditionata, & reſpiciunt matrimonium, vt poſſibile, & licitum ex diſpenſatione Pontificis, ita vt non aliter inducant obligationem, quam in ordine ad ipſum vt tale: & quia ipſorum obligatio ſuſpenditur vſq. ad tempus, in quo matrimonium ſit licitum, ideo ipſa quoq. licita ſunt. Alioquin nec votum Epiſcopi de ingrediendo Religionem eſſet licitum, quia dependet ab euentu diſpenſationis, quæ à ſolo Pontifice ex gratia concedi poteſt.

16 Quando autem tertio loco dicitur, quod actus non retrotrahitur, quando ab initio non potuit intercedere. Valet de actu, qui ex natura ſua debet ſtatim ſortiri ſuum effectum, non autem de eo, qui habet ex natura ſua valorem ſuſpenſum, & veluti tractum ſucceſſiuũ, vt eſt actus dependens à conditione futura, qua exiſtente ſtatim habet valorem, & retrotrahitur ad tempus, quo primò incœpit l. *Qui balneum ff. qui potiores &c.* vbi Alexan. *in l. ſi filius ff. De verborum oblig.* Raph. *ibid.* Bar. *in l. Quoties in fine ff. De noua, & inconſi.* & *in l. ſi ſponſus* §. *ſi maritus ff. de donat. inter vir. & vxo.* Et ſimiliter etiam deſumitur ex *l.* 1. §. 1. *Ad Sillan.* Quamuis propriè nec talia actus retrotrahatur; quia habet ſucceſſiuam durationem; nec ab initio ſit inualidus: quia ab initio habet valorem, ſed ſuſpenſum, expectantem conditionem. Imo obligat ad petendam diſpenſationem.

17 Neq. huiua modi ſponſalia important factum à iure reprobatum, vt ibid ſupponitur; quia ius reprobat tantum ſponſalia quatenus reprobat matrimonium; vnde cum hæc ſponſalia non ſint in ordine ad matrimonium reprobatum, nec ipſa erunt reprobata: præſertim cum ipſorum contractus non cenſeatur perfectus quouſq; aduenit conditio diſpenſationis, & matrimonium ſit abſolutè licitum.

An Beatus electus in protectorem ab aliqua Ciuitate debeat præcedere Canonizatum electum ab eadem ciuitate in poſteriori tempore.

Deciſio CCCCCVII.

SVMMARIVM.

1 *Beati non poſſunt modò eligi in Patronos ex Decreto ſacræ Congregat.*

2 *An hoc decretum retrotrahatur, & num. 9.*

2 *Canonizatio tribuit maiorem dignitatem.*

3 *Beatificatus priùs electus in patronum præcedit canonizatum poſterius electum.*

4 *Prior in tempore potior eſt in iure.*

5 *Qui priùs dignitatem acquirit eſt dignior in eodem ordine.*

6 *Honor ex electione in patronum menſurandus ex voluntate eligentis.*

7 *Maior dignitas in aliquo loco cedit minori.*

7 *Eccleſia in cultu externo ſanctorum non menſurat ſanctitatem.*

8 *Cur Cardinales in Congregation. ſedeant ſecundum ordinem promotionis.*

9 *Sancti patroni in munere patronatus debent ſeruare ordinem electionis.*

10 *Sanctus canonizatus non præcedit in omnibus non canonizatum.*

1 CAſus ſolum contingere potens quòad Beatos, tantum qui ante *annum* 1630. electi ſunt; nam modo non poſſunt amplius Beati non canonizati eligi in protectores; ita prohibente Decreto *Sacræ Congregationis Rituum edito de ordine ſanctiſſimi. die 23. Martij eodem anno* 1630.

2 Videtur igitur debere præcedere Canonizatum, quamuis electus fuerit in poſteriori tempore; nam prædictum decretum non ſolum continet nouam conſtitutionem, ſed etiam eſt declaratiuum; & proinde retrotrahitur ad præterita. Deinde quia canonizatio tribuit maiorem dignitatem: quia facit quòd ab vniuerſali Eccleſia titulo Sanctorum colatur: maior autem dignitas debet præcedere minorem.

3 Tenendum tamen eſt quòd debeat canonizatum præcedere, qui tantum eſt beatificatus, ſi prius electus fuerit. Et ita cenſuit ſacra Rituum congregatio *in cauſa B. Andreæ Auellini noſtræ Congreg.* Cum enim electus fuerit nono loco à Ciuitate Neapolitana in Patronum, et poſtea vndecimo loco poſt aliquod tempus elegerit eadem Ciuitas ſanctam Patritiam, ac S. Franciſcum de Paula, fuit inſtatum nomine ipſorum apud ſacram Congregationem, vt ipſis nonus locus tanquam canonizatis concederetur; ſed dicta ſacra Congregatio *die 28. Februarij anni* 1626. declarauit nonum locum prædictum deberi B. Andreæ Auellino.

4 Facit pro hac deciſ. vulgare axioma iuris, *Prior in tempore, potior eſt in iure l. potior ff. qui potior in pignore habeantur* cap. *qui prior. de Regulis iuris in* 6. cap. *Si pro te.* cap. *Tibi qui gratiam. De deſcriptis eodem lib.* & tradunt Decius *Conſil.* 214. *num.* 1. & *Conſil.* 689. *num.* 1. & 2. Paul. Caſtrenſ. *Conſil.* 37. *num.* 29. & *Conſil.* 40. *num.* 6. *lib.* 3. Afflic. *Deciſ* 306. *num.* 3. Surdus *De aliment. tit.* 1. *quaſt.* 94. *num.* 15. Nauar *Conſil.* 5. *num.* 2. *De maior. & obedient.* Et ratio eſt: quia ius, quod de nouo alicui acquiritur, eſt merum ius abſq; iniuſtitia: & ideo non debet eſſe præiudiciale alteri; eſſet autem, ſi præualeret contra ius alteri acquiſitum: quia ipſum deturbaret de loco, quem iam acquiſiuit, & poſſidet. Vnde cum in caſu noſtro Beatus ſit prior in tẽpore, eſt etiam potior in iure.

5 Rurſus; qui prius dignitatem, vel munus obtinuit, cenſetur dignior in ſerie, & ordine, quem conſtituit illa dignitas, vel officium. 1
cap. *fin. Diſt.* 17. cap. *Statuimus* vbi *Gloſa verbo* primum locum *De maior, & obed.* cap. *Epiſcoporum diſt.* 74. & cap. *vlt. diſt.* 75. & l. 1. *ff. de albo ſcribendo l. fin. ff. De fide inſtrum.* & l. 3. *C. de tyronib.* Et tradunt Bald. *in l. cum quid. ff. ſi certum petat.* Bar. Alex. Iaſon. Soccin. *ibid.* Io. Andr. *in cap. ſi gratioſè* 5. *De reſcriptis in* 6. Io. de Lign. *in cap. capitulum ſanctæ Crucis de reſcriptis* Innocent. *in cap. ſtatuimus. ver. Item nota de maior. et obed.* Felin. *ibid. num.* 5. Io. Montan. *De auctor. Magni conſil. num.* 8. Cephal. *Conſ.* 644. *n.* 5. Franc. Marzar. *Cõſ.* 26. *n.* 13. Hieronym. Gratus *Conſil.* 116. *num.* 5. *vol.* 2. Rebuf. *tract. nominat. quaſt.* 21. *num.* 4. & 5. Portius *Inſtit. de honor. poſſeſ. num.* 12. Marin. Frecc. *tract. de feudis tit. Quis ſit Dux num.* 41. & alij. Cum igitur beatus prius obtinuerit dignitatem, ſeu munus patroni, erit dignior in ordine patronorum.

6 Deinde licet electio in patronum ſupponat ſanctitatem electi, non tamen pertinet ad ſanctitatem, ſed eſt ipſi extrinſeca, & conſiſtit in quadam deuotione eligentis, & honore ab ipſo exhibito; vnde cum ſit res arbitraria dependens à voluntate aliena, non eſt in hoc honore attendenda dignitas ſanctitatis, ſed voluntas conferentis honorem; quia quando aliqui ſunt capaces alienius iuris, quod dependet ab arbitrio alterius, arbitrium conferentis ius eſt menſura iuris collati. Vnde quando ciuitas confert ius, Et honorem patroni alicui Beato, & tribuit priorem locum reſpectu canonizati, debet talis ordo ſeruari; cum menſura talis ordinis non ſit ſanctitas, ſed arbitrium eligentis.

7 Quod

7 Quod etiam praxi ipſa confirmatur: Nam Epiſcopus promotus ad Cardinalatum poſt Clericum, quamuis dignior ſit Clerico, ſedet tamen poſt ipſum: quia eſt poſteriori loco promotus. Sic etiam Epiſcopus ſedens in Capitulo cum Canonicis, ſedet in loco, quem obtinet vt Canonicus, non in loco, quem habet vt Epiſcopus; quia ibi habetur ratio tantum Canonicatus, vt tradunt Gloſ. *in Cap. A collatione de appellat. in 6.* Francus, & Geminian. *ibid.* Vnde cum inter protectores habeatur ratio tantum electionis in patronum, debet ſeruari ordo electionis. Sic etiam ab Eccleſia vniuerſali ſolent minùs digni in Sanctitate magis honorari. Sic feſtum Sancti Laurentij, & Sanctorum Innocentium celebratur cum octaua, cum tamen feſta Apoſtolorum non celebrentur; Feſta aliquorum Summorum Pontificum celebrantur ſub ritu ſimplici, aut ſemiduplici, cum tamen non ſint minores in ſanctitate aliquibus Confeſſoribus, & Virginibus, quorum officia celebrantur ſub ritu duplici. Sic etiam feſtum Sancti Franciſci in vrbe eſt de præcepto, non tamen feſtum Sancti Benedicti, Sancti Dominici, &c. Et proinde non valet ſemper, quod in quocunq; cultu dignior Sanctitate debeat præferri.

8 Dices. Quando aliquis Cardinalis adſcribitur de nouo alicui Congregationi, tenet in ipſa locum ſibi debitum, habito reſpectu temporis ſuæ promotionis, præcedens antea adſcriptos, ſed in poſteriori tempore ad Cardinalatum promotos; Ergo etiam canonizatus electus in patronum præcedet non canonizatum, etiamſi priùs electum. Reſp. eſſe diſparem rationem. Quia Cardinales interueniunt in Congregationibus vti Cardinales ad exercendum munus Cardinalatus: non autem acquirunt per talem adſcriptionem nouam dignitatem, aut nouum gradum: & ideo ſeruant ordinem promotionis. At quando Sanctus eligitur in patronum, acquirit nouum gradum in externo cultu; & ideo habetur ratio prioritatis acquiſitionis. Imo ſicuti Cardinales in Congregationibus ſeruant ordinem promotionis, quia exercent munus Cardinalatus: ita etiam quando Patroni exercent munus patroni, vt quando ipſorum ſtatuæ deferuntur in proceſſionibus, debent ſeruare ordinem electionis in patronum.

9 Ad primum Reſp. illud decretum Congregationis nequaquam eſſe declaratiuum, atq. adeo nec retro trahi, quia expreſsè habet quòd *Impoſterum* ſeruari debeat; vnde extenditur tantum ad tempus futurum, & tacitè approbat, quæ antea facta erant.

10 Ad 2. Licet canonizatio tribuat maiorem dignitatem ſanctitatis, non tamen ſequitur quòd in omnibus debeat canonizatus præcedere non canonizatum. Sic officium purè beati celebratur ſub ritu duplici ab ijs, quibus conceſſum eſt, a quibus tamen non celebratur aliorum canonizatorum, ſed celebratur plurium ſub ritu ſimplici, & plurium ſub ſemiduplici; quia in hoc non habetur ratio præeminentię ſanctitatis, ſed cultus externi pendentis ab arbitrio colentis; vnde cum electio patronorum ſit cultus externus pendens à voluntate eligentis, habenda eſt ſolum ratio voluntatis eligentis.

An Princeps abſque violatione iuris Gentium punire poſſit Oratores apud ſe reſidentes, & eos qui ſunt de ipſorum comitatu, & familia, ſi delinquant.

Deciſio CCCCCVIII.

SVMMARIVM.

1 *Legati Sacroſancti ſunt iure Gentium, & immunes ab omni iniuria.*
2 *Etiam eorumdem ſocij, & qui ſunt de ipſorum familia.*
3 *Non poſſe puniri à Principe, apud quem reſident, ſi delinquant docent nonnulli ex quibuſdam exemplis.*
4 *Legati puniri poſſunt à Principe, apud quem reſident, ſi committant ſcelera præſertim atrociora; nec obſtat ius Gentium.*
4 *Ius Gentium mutuò obligat per modum contractus.*
5 *Ius Gentium non magis extenditur, quàm exigat finis ipſius.*
6 *Quomodò ſit quid magnum, Legatos eſſe immunes; ſed non quando delinquunt.*
7 *Ex fine omnis directio, & obligatio voluntatis ad operandum.*
8 *Quanta debeat eſſe immunitas Legatorum iuxta exigentiam finis, ob quem ius Gentium illam concedit.*
9 *Concurrente iure naturali defenſionis, cedit ius Gentium.*
10 *Princeps eſt miniſter Dei.*
Legati ipſi ſubijciuntur, vt exequutori legis naturalis, & iuris gentium.
11 *Princeps habet ius ſupra alios Principes & eorum Legatos in ordine ad vindicandam, & propulſandam iniuriam.*
12 *Princeps tenetur ratione proprij officij punire quoſcunque qui damnum, aut iniuriam inferunt.*
13 *Etiamſi ſit Princeps Eccleſiaſticus,*

14 Cur

14 *Cur Princeps non poſſit remittere Legatum puniendum ad eum, à quô eſt miſſus: & ſi remittat cenſeatur condonare pœnam.*

15 *Cur aliqui Principes remiſerint liberos Legatos delinquentes.*

16 *Exempla Principum, qui Legatos delinquentes punierunt.*

17 *Cur ſit diuerſa ratio de Legatis Pontificis, & ipſorum familia: & cur ratione delicti non ſubijciantur Principi, apud quem reſident.*

1 LEgati ſemper iure Gentium ſacroſancti habiti ſunt, etiam apud hoſtes, & immunes ſeruati ab omni vi, & iniuria, & habiti cum omni ſecuritate. Et ſi quis tale ius violaſſet, tradebatur ijs puniendus, a quibus Legati miſſi erant. l. *ſi quis ff. de legationib.* & l. *Sanctum ff. de rer. diuiſ.* & cap. *ius gentium diſt.* 1. & tradunt Bart. *in l. conuentionum in fine ff. de Pact.* & in l. 1. *init. ver. circa hanc legem quæro ff. ad leg. Iuliam.* Gondiſal. *tract. de Legato par.* 2. *quaſ.* 5. *num.* 10. *tom.* 2. *Tract.* Laudens *tract. item de Legatis. quæſt.* 5. & 28. *tom.* 5. *Tract.* Franciſcus Vayee *de Legat. cap.* 4. vnde violatio Legatorum eſt iuſta cauſa indicendi bellum, vt tradunt communiter Theologi, & ſolet ad praxim reduci. Vnde Dauid quoq; 2. *Reg.* 10. intulit bellum Ammonitis, quia Legatos violauerant.

2 Quod etiam extenditur ad Socios, & eos, qui ſunt de familia Legatorum, vt notat Bald. *in l. Adminiſtrantes* §. *eorum ff. de excuſat. tutor.* Bart. *in l.* 2. § *Legatis ff. de iud.* Et habet locum regula illa, quòd *Acceſſorium ſequitur principale.* Neq; hoc in dubium ab aliquo reuocatur.

Solùm difficultas eſt. Quantum hoc ius Gentium, quòd Legatis dat immunitatem, extendatur: Et an ita reddat immunes, vt non poſſint puniri à Principe, apud quem reſident, ſi delinquant; ita vt ſi puniat, violet ius Gentiũ.

3 Et poſſet quis opinari quòd violet ius Gentium, exemplo Romanorum, qui vt debitam immunitatem ſeruarent Legatis, & ipſorum familiæ, ſi quis deliquiſſet, relinquebant puniendum ijs, à quibus miſſus fuerat. Sic cùm Legati Tarquiniorum Regum concitaſſent iuuentutem ad ſeditionem, punitis proditoribus, Legatos incolumes dimiſerunt. Liuius *lib.* 2. Similiter etiam Legatos Volſcorum, qui ſub ſpecie legationis exploratum venerant, liberos dimiſerunt. Dion. Halicarnas. *lib.* 6. Scipio liberaliter excepit Legatos Carthaginenſium, etiamſi Carthaginenſes Legatos Romanorum violaſſent. Polib. *lib.* 15. *Hiſt.* Atq; cum ijdem Carthaginenſes conieciſſent in vincula Legatos Romanorum, Hanno Dux ipſorum non detrectauit legationem, confiſus quòd Romani propriam virtutem oſtentarent: vnde incolumis ſeruatus eſt, ſicuti ſibi perſuaſerat. Valer. Max. *lib.* 6. *de fide publica.* Imò etiam apud Chriſtianos Principes, ſi quis de familia Oratoris delinquit, relinquitur puniendus ipſi Oratori, vt contigit apud Venetos Oratori Ferrerio, qui familiarem ſuum cædis reum in ſuis ædibus publicè ſuſpendi fecit. Item Legatus Hiſpanus, qui coniurauerat in Regem Angliæ, liber fuit dimiſſus, vt tradit Albericus Gentilis *lib.* 2. *de Legat. cap.* 18. Deinde Legati Pontificis, & tota ipſorum familia gaudet hoc priuilegio; cur ergo non gaudebunt Oratores Principum ſæcularium, & eorumdem familia? Vnde Kirchneus *lib.* 2. *cap.* 2. tenet non poſſe puniri Legatum, etiamſi moliatur contra Rempublicam. Et ex parte Grot. *lib.* 2. *de iure Belli cap.* 18. *num.* 4. qui tamen concedit poſſe Legatos ad auertenda pericula detineri, & etiam, ſi vim intentent, occidi.

4 Dicendum tamen eſt ius Gentium non ſuffragari Oratoribus, aut familiæ ipſorum, quominus à Principe, apud quem reſident, puniri poſſint, ſi commiſerint aliqua delicta, præſertim atrociora contra ius naturale, aut ius Gentium. Et Principem eos punientem nullo pacto violare ius gentium, aut aliam legem: Et ita tenent Vayer *citato tract. de Legat. cap.* 9. Chriſt. *in Colleg. Polit. exercit.* 11. *num.* 43. & *quæſt.* 10. *eiuſd. Exercit.* Fridericus de Marſelaer *lib.* 2. *de Legat. Diſsert.* 13. 14. 15. Germonius *lib.* 3. *de Legatis cap.* 3. *nu.* 6. & 7. Conrzen *lib.* 10. *Polit. cap.* 7. §. 4. Conradus Brunus *lib.* 4. *de Legation. cap.* 5. Farinacius *in Prax. Crimin. quæſt.* 112. *num.* 174. Timplerus *lib.* 3. *Polit. cap.* 4. *quæſt.* 4. *in fine.* Paſchal. *de Legat. cap.* 66. & 67. Arniſæus de iure Maieſt. *lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 12. qui etiam alios citat. Et ſequitur ex communi doctrina, quòd inito contractu, ſi aliqua partium ab ipſo diſcedat, altera quoque remanet immunis ab obligatione per ipſum inducta. Vnde cùm ius Gentium fundetur in voluntate Gentium in ipſum conſentientium; atq; adeò obligatio ipſius oriatur veluti ex quodam contractu. l. *Omnes populi. ff. de inſtit. & iur.* & *Inſtit. de iur. natur. gent. & ciuil.* §. *ius autem*, & D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 95. *art.* 4. *ad* 1. Si quis diſcedit ab hoc conſenſu violando tale ius in præiudicium alterius, is quoque remanet liber, nec amplius tenetur ſeruare tale ius in fauorem violatoris. Et ideò ſi Legatus violat committendo delicta contra ius naturale, & ius Gentium, non tenetur Princeps ipſi ſeruare ius Gentium.

5 Et hoc ratione efficaciſſimè conuincitur. Quia ius gentium protegit Legatos, & immunes reddit intra terminos legationis; non autem reddit immunes à pœna, ſi delictis, &

cri-

criminibus excedant terminos Legationis; quia ius quodlibet, & quælibet lex non extenditur magis, quàm exigat finis. cap. *fin. de præben.* & l. *in aqua ff. de acquir. rer. domin.* cùm ſit medium ordinatum ad ipſum aſſequendum: & finis det rationem legi, quæ eſt anima ipſius, vt de communi tradit Iulius Clar. 3. *ſent.* §. *fin. quæſt.* 76. *nu.* 1. Immò ratio legis, & finis idem ſunt, vt tradit Bart. *in l. cùm mulier, init. ff. ſolut. matrim.* Et lex non eſt aliud, quàm ipſa ratio legis, vt Abb. *in cap. finali de reſcript.* Bald. *in l. non dubium. de legib.* vbi etiam cæteri, & in l. *cùm ratio ff. de bonis damnat.* Et proinde ſecundum menſuram finis, & rationis eſt accipiendum quodlibet ius. Finis autem, & ratio iuris Gentium concedentis Oratoribus immunitatem, & ſecuritatem eſt, vt poſſint liberè fungi munere legationis, quæ etiam inter hoſtes neceſſaria eſt; & ideò non debet magis extendi, quàm exigat iſte finis. Hic autem finis non exigit, vt ſint immunes à pœna, ſi delinquant; ſed ſolum, vt ſeruentur immunes ab omni iniuria.

6 Quòd ſi dicas, Legatos eſſe immunes ab omni iniuria, & vi, non eſſe aliquod magnum, aut aliquid præcipuum. Ius autem Gentium concedere aliquid ipſis ſpeciale. Reſpondeo hoc eſſe quid magnum, & præcipuum, quòd etiam inter hoſtes ſecuri ſint, & non tanquàm hoſtes, ſed vt amici excipiantur: atq; ſi inter amicos oriatur bellum, Legati adhuc ſecuri ſint, nec habeantur tanquàm aliqui ex hoſtibus. Et quòd vt repræſentantes perſonam Principis non debeant ſubijci imperio, & legibus Principis: non autem quòd impunè poſſint delinquere contra Rempublicam; quia ius Gentiũ nõ concedit, quod eſt contra ius naturale.

7 Quod etiam confirmari poteſt ex communi doctrina Theologorum, qua vtitur D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 10. *art.* 1. *in corpore.* Quòd nimirùm finis in moralibus ita ſe habeat, ſicut ſe habent prima principia in ſpeculatiuis: nam ſicut principia ſunt veluti fontes, ex quibus fluit omnis cognitio ſcientifica; ita etiam fines ſunt quædam principia, ex quibus deriuat omnis directio, & obligatio voluntatis in ordine ad operandum, quatenùs ratio dictat, & præſcribit, quid ſit agendum, vel non agendum iuxta menſuram, & exigentiam finis, qui primò mouet ad operandum: ſicuti ergo ex principijs ſpeculatiuis non poteſt deduci aliqua veritas, quæ in ipſis non contineatur; ita nec ex fine poteſt deriuare aliqua præſcriptio, aut obligatio operandi, quæ non ſit iuxta exigentiam ipſius; cùm moueat tantùm ſecundùm ſuam exigentiam.

8 Hinc ius Gentium non poteſt præſcribere maiorem immunitatem Oratoribus, & ijs, qui ſunt de ipſorum comitatu, quàm poſſit deriuare ex fine, à quo emanat talis obligatio. Finis autem, qui mouet Gentes ad habendos Oratores pro ſacroſanctis, non eſt alius; quàm illa communicatio, quæ fit inter ipſas medijs Oratoribus. Hic autem finis nullam aliam exigit immunitatem pro Oratoribus, niſi vt liberè poſſint accedere, & recedere; & munere ſuo fungi abſque periculo: & quòd defendantur, & conſeruentur immunes ab omni iniuria; non autem quòd poſſint impunè delinquere, quia hoc non ſpectat ad munus Oratoris.

9 Deinde quando concurrunt duo iura, debet minus principale cedere principaliori: ſic ius humanum cedit diuino: & quando ſibi videntur contraria, debet minùs principale, & quod ex alio deriuat, ita accipi, & reſtringi, vt non contrarietur principaliori; quæ eſt communis doctrina tam Theologorum, quàm Iuris peritorum. In caſu autem noſtro concurrit pro Oratoribus, & ipſorum comitatu ius Gentium concedens immunitatem, & ſecuritatem: & pro Principe, quando Oratores delinquunt, vel aliqui ipſorum, ius naturale, quò non ſolùm poteſt, ſed etiam debet ſeipsũ defendere, vt caput neceſſarium pro conſeruatione Reipublicæ; ac etiam proprium corpus ciuile, nempe Rempublicam ipſam contra omnes, qui damnum, aut iniuriam inferunt; ita vt non ſinat Rempublicam in aliquo damnificari: Ergo cùm omnes qui delinquunt, inferant damnum, & iniuriam, in tali caſu ius naturale aſſiſtit Principi; & ideò concurrente Iure Gentium pro Oratoribus, & ipſorum comitatu, cùm non poſſit contrariari iuri naturali, à quo deriuat, dicendum eſt, quòd non ſuffragatur Oratoribus, & comitatui, quando delinquunt.

10 Præterea Princeps eſt imago Dei, & Miniſter ipſius in terris gerens eius vices, vt rectè Seneca *de Clement. cap.* 1. & 19. & Plutarchus *in Comment. ad Princip. indoct.* Bald. *in Auth. habita. 6. notab. C. ne filius pro patre*, & docet hoc ipſum Apoſtolus *ad Roman.* 13. & habetur etiam 1. *Petri* 2. Atq; eſt etiam executor legum, præſertim naturalis, & iuris Gentium: vnde à Seneca. 1. *de Ira cap.* 5. dicitur *Legum Præſeſ.* Ab Apoſtolo dicitur portare gladium, quia vt miniſter Dei eſt vindex in iram ei, qui malum operatur: Ergo cùm Legati ſubijciantur iuri naturali, & iuri Gentium, ſubijciuntur etiam illi, qui eſt à Deo conſtitutus Exequutor horum iurium, atq; adeò Principi, apud quem reſident in ordine ad huiuſmodi iura, quæ non ſunt localia, ſed omnium communia; & quorum quilibet Princeps in ſua ditione eſt executor quoad omnes ijsdem iuribus ſubiectos. Qui enim ſubijcitur legi, ſubijcitur etiã exequutoribus, & Miniſtris ipſius in quocunq; loco, in quo retineat talem ſubiectionẽ.

11 Quod

11 Quod ampliùs confirmari poteſt; nam Princeps habet ius ſupra alios Principes, & quoſcunque exteros in ordine ad propulſandam iniuriam, aut acceptam vindicandam, vt notant Victoria *Relect. 6. de Iure Belli num. 19.* qui ait hoc eſſe nedum de iure Gentium, ſed etiam de iure naturali; quia ſine hoc non poſſet orbis conſeruari: Omnia autem neceſſaria pro conſeruatione orbis ſunt de Iure naturali. Bannes 2. 2. *quæſt. 40. artic. 1. dub. 1. ver. quartò probatur, & dub. 2. ver. Tertiò notandum eſt.* Lorca *ſect. 3. de Charitate diſput. 12. ver. vindicatio verò.* Sylnius *quæſit. 1. ver. Dicas. Princeps .n.* Hurtadus *diſput. 169. De Fide, Spe, &c. §. 41.* Quod etiam anteà tradiderat Caietanus circa *eumdem artic. §. Ad euidentiam auctoritatis*, & inſinuauerat D. Thomas, *eodem artic. in corpore*, & conſentiunt communiter. Hinc enim naſcitur ius bellandi contra alios Principes: & deſumitur etiam ex cap. *Dominus 23. quæſt. 2.* ex D. Auguſtino *Lib. 83. quæſtionum*: & ex illo *ad Roman. 13.* Non *enim ſine cauſa gladium portat; Dei enim miniſter eſt vindex in iram ei, qui malum agit.* Vnde ſequendo ius naturale defendendi ſeipſum, & ſua habet ius ſupra alios Principes, qui iniuriam inferunt: ergo à fortiori habet etiam ius ſupra ipſorum Legatos, quando Reipublicæ inferunt damna, aut iniuriam: non obſtante, quòd perſonam Principis repræſentent, & tanquàm læſus poteſt ab ipſis repetere debitam ſatisfactionem, & punire, quando hoc exigit debita ſatisfactio: & hoc pacto nedum ſequitur ius naturale, ſed etiam ius Gentium; quia, vt ait Seneca *3. de benefic. cap. 14.* Æquiſſima *vox eſt, & ius gentium præſeferens. Redde quod debes.*

12 Atque non ſolùm poteſt Princeps punire Legatos ad ſe miſſos, & Principes ipſos; ſed etiam tenetur ratione proprij officij, quo obligatur Rempublicam defendere, & in omnibus quantum poteſt inuiolatam ſeruare; vt notat Anſel. *de Similitudin. cap. 4.* & D. Thomas *2. 2. quæſ. 40. ar. 2. in corpore.* cum D. Auguſtino. Vnde ſecùndum Senecam *tract. de Benefic. cap. 16.* debet ſemper bonum publicum reſpicere; & iuxta Tullium *2. de Legib.* debet habere pro ſuprema lege *Salutem populi*, ad quam omnia dirigat, & ſit ipſa menſura omnium agendorum: & ſecùndum Auguſtinum *ſerm. 49. in Appendice tom. 10.* vitam profundere pro populo. Ex quo fit, quòd ſi negligat in re graui vlciſci, & punire lædentes Rempublicam, quando poteſt, & expedit, mortaliter peccet, quia non ſatisfacit proprio muneri.

13 Hoc autem nedùm habet locum in Principe ſeculari, ſed etiam in Eccleſiaſtico: quia ipſe quoque non minùs, quàm ſecularis tenetur implere munus ſuum, & conſeruare Rempublicam indemnem vndequaq; quantum ipſi poſſibile eſt: & proinde ipſe quoque obligatur in conſcientia vindicare iniurias Reipublicæ, & populorum. Cap. *ſcire vos oportet 23. quæſt. 8.* Et ideo licet, vt Chriſti imitator, debeat, ſicuti Patres docent, præſeferre humilitatem, manſuetudinem, & alias huiuſmodi virtutes, nec curare inanes apices honoris: hoc tamen ſolùm verum eſt, quando id non pugnat cum executione proprij muneris, nec impedit ea, ad quæ Princeps in conſcientia tenetur; quale eſt propulſare, & vindicare iniurias à quocunque illatas Reipublicæ: quia tunc non exerceret actus virtutis; ſed eſſet negligens, puſillanimis, contemptor proprij muneris, & iniuſtus; quia non redderet, quod debet Reipublicæ. Et idem dicendum eſt de ijs, qui aſſiſtunt Principi in adminiſtranda Republica: quia ſicuti participes ſunt regiminis, ita etiam ſunt participes eiuſdem obligationis.

14 Neq; dicas, poſſe Principem his omnibus obuiam ire, tradendo Legatum delinquentem puniendum proprio Principi: quia cùm ipſe habeat ius puniendi, non tenetur alteri hoc ius cedere. Tum quia fieri poteſt, quòd Legatus cum conſenſu proprij Principis peccet in Rempublicam, & ſit ſimul cum ipſo reus; vnde tunc effugeret pœnam, & daretur locus Principibus, vt poſſent impunè per Legatos in Rempublicam delinquere, & orirentur plures occaſiones bellorum. Tum quia Princeps inſtans de pœna Legati apud Principem, à quo miſſus eſt, recurreret ad ipſum, vt ad Superiorem: vnde ſe illi ſubijceret tanquàm Iudici, à quò peteret ſibi iuſtitiam miniſtrari pro iniuria, aut damno ſibi illato, quod derogat Maieſtati ipſius, & iuri quod habet in Legatum ratione delicti. Vnde ſi remittit, cenſetur illi, quantum eſt de ſe, condonare pœnam; quia non debet præſumi, quòd recurrat ad Externum Principem, vt ad Iudicem.

15 Quæ autem in contrarium allata ſunt, nullius ſunt ponderis: nam ex facto non conſurgit lex. Quia Principes illi non dimiſerunt liberos Legatos, qui deliquerant, quaſi non poſſent punire: ſed vel ob gratificandum Principibus, à quibus miſſi fuerant, vel ob oſtendendam magnanimitatem; vel quia cenſuerunt ſic expedire, vel ob aliquam aliam cauſam; vt contingit, quando etiam proprijs ſubditis delinquentibus parcunt. Ex quo tamen non licet inferre, quòd non poſſint punire. Vnde de Legatis Tarquiniorum notat Liuius *ibi citatus*, quòd cenſuerunt Romani *commiſiſſe, vt hoſtium loco eſſent*, & nihilominus voluiſſe ipſis ſeruare ius Gentium, quod ſeruare non tenebantur. Sic etiam Hanno Dux Pœnorum ſimul cum Carthaginenſibus cognoſcebat,

bat, poſſe Romanos iniuriam ſuorum Legatorum vindicare in Legatis, quos ipſi mitterent: quia tamen Hanno multùm fidebat magnanimitati Romanorum ſe obtulit Legationi. Atque eodem modo accipienda ſunt quæcunque alia exempla, etiam recentiora, quæ noſtris temporibus vidimus. Nec ex eo quòd aliquis Legatus operam ſuam interpoſuerit, ne Principes punirent Legatos, aut eos, qui erant de ipſorum comitatu; inferri poteſt, quòd ſenſerit eſſe contra ius gentium, ſi puniret. Quis enim dicat, quòd qui intercedit apud Regem, ne aliquem puniat, ſentiat, quòd Rex violet iuſtitiam, ſi puniat? Sed quòd cenſuerint ſic expedire ob aliquos fines ſpeciales, quibus mouebantur habita ratione circunſtantiarum, quæ tunc occurrebant.

16 Nec deſunt apud Hiſtoricos exempla Principum, qui Oratores delinquentes punierint. Legati Darij Perſarum Regis ad Regē Amintam occiſi ſunt, eò quòd impudicitius ſe geſſiſſent cum Regis concubinis. Iuſtin. *in Breuiar. lib. 7.* Caſſander capite mulctauit Remadem Legatum Athenienſium, quia innitarat Antigonum ad occupandum Regnum Macedoniæ. Legati Philippi Regis in vincula coniecti ſunt, eò quòd Romanum Prætorem fefellerint. Liuius *lib. 3. ſecundi Belli Punici*. Subijciam etiam verba Friderici de Marſelaer *citata Exercitatione* 14. Loquens enim de Iuſtiniano Imperatore ait. *Ad Legatos ſuos Bizantinos reſcribit. Tandiu ius non violandorum Legatorum ſeruandum eſſe, quoad ipſi ius legationis, honeſtatemq; ſeruauerint. Nimirum qui iure aliquo abutitur, eiuſdem patrocinio indignus eſt.* Et ſtatim ſubdit. *Erat Matriti Legatus venetorum, qui aduerſus Iuſtitiæ adminiſtros & ſatellites, miſſos auctoritate publica, familiam ſuam inſtigauit, & violentam eſſe iuſſit. Facilè lædi potuerunt, qui oppugnari non ſolent, & quibus reſiſti piaculum eſt. Res in iudicium venit, & in reos ſententia partim capitis, partim fuſtigationis lata eſt. Rex autem, vt clemens eſſet, & plus legationi, quàm Legato deferret, ſupplicio paulò pòſt omnes exemit. Sed vt oſtenderet eximendos non fuiſſe, ad Principes Chriſtianos mox ſcripſit, ſe nolle, Legatos ſuos immunitate muneris iuſtitia ſanctiores eſſe; quando legibus eorum regni conueniri, & condemnari poſſent; ſi quando facinus quodpiam ab officio, aut mandato ſibi impoſito alienum commiſſent.* Vnde cùm exempla ſuppetant pro vtraque parte, vt notat etiam Grotius *citato lib. 2. de iure belli cap. 18. nu. 4.* & ratio validiſsimè oſtendat, quòd delinquentibus ius gentium non ſuffragetur; cur non ſunt accipienda exempla pro altera parte, non vt à iure Gentium profecta, ſed ex alijs motiuis?

17 De Legatis autem Pontificis non eſt eadem ratio: quia hi per Sacros Canones, vt pote Eccleſiaſtici, exempti ſunt à poteſtate Principis ſæcularis: & cùm intra ipſius ditionem erigāt proprium Tribunal, pertinet ad ipſos recognoſcere de delictis familiæ; vt iam a ſummis Pontificibus declaratum eſt. At Oratores ſæculares non habent hanc exemptionem, nec faciunt Tribunal; quia nec à proprio Principe hoc eis concedi poteſt, cùm non exerceat iuriſdictionem in alieno Territorio; nec à Principe, apud quem reſident, conceſſum eſt, vt clarè conſtat. Quare ratione Legationis non magis immunes ſunt Legati Pontificis, quàm Legati aliorum Principum: Sed aliunde habent maiorem immunitatem, &c.

An Oratores ſubijciantur legibus Loci, in quo ſunt, ita vt ſi eas non ſeruent, puniri poſſint à Principe, apud quem reſident.

Deciſio CCCCCIX.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſuadeat Legatos ſubijci legibus proprijs Principis, apud quem reſident.*
2 *Non ſubijcitur.*
3 *Lex afficit per ſe primò communitatem, deinde ſingulos vt membra corporis politici.*
4 *Oratores non ſunt membra Communitatis, vbi reſident.*
5 *Lex ligat tantùm ſubiectos.*
6 *Quando Oratores teneantur ſeruare leges proprias Loci, vbi reſident.*
7 *Oratores ſe habent mortuo modo, & vt extranei in Communitate apud quam reſident.*
8 *Teſtamenta, contractus, &c. Oratorum ſunt valida etiam ſi non ſeruentur in ipſis leges Loci, aut proprij Principis, à quo ſunt miſſi.*

1 QVod ſubijciantur legi naturali, & iuri gentium, vtpote qui in ipſum conſenſerunt, conſtat ex dictis Deciſ. *præcedenti*, vnde nunc ſolùm quæritur an ſubijciantur legibus, quæ ſunt propriæ loci, in quo degunt, vt pote ſancitæ pro adminiſtratione illius Reipublicæ, aut regni, in quo reſident. Et videtur reſpondendum, quod ſubijciantur; quia, dum ſunt in territorio Principis, ſunt intra terminos iuriſdictionis ipſius: et ideo cum lex obliget iuxta terminos iuriſdict. legiſlatoris obligat omnes, qui ſunt in territorio, atq; adeo ipſos et Oratores; quia lex per ſe primò fertur pro Communitate, ad cuius bonum dirigitur; & proinde pro omnibus, qui ſunt in territorio,

rio, tanquam pro illis, qui debent ſeruare illum ordinem, quo regitur illud territorium. Et ſicuti; qui eſt extra territorium non obligatur legibus territorij, licet alioquin ſit ſubditus: ita etiam obligabitur legibus territorij, dum eſt intra ipſum, licet alioquin non ſit ſubditus: & poterit puniri, quia fiet etiam in hoc ſubditus, ratione delicti commiſſi intra territorium. Et proinde Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 2. de Feſtis cap. 14. & lib. 3. de Legib. cap. 33. num. 3. & ſequentib.* cum pluribus alijs, quos locis citatis allegat, docet etiam, Aduenas teneri legibus loci, per quem tranſeunt.

2 Sed quicquid ſit, an Aduenæ teneantur legibus loci: Alia eſt ratio de perſonis priuatis, ac de Oratoribus: cum ſint perſonæ publicæ. Vnde tenendum eſt, non eſſe ſubiectos legibus ſpecialibus quibuſcumque (extra ius naturale, & Gentium) quibus Princeps regit ſuam Communitatem. Et proinde, ſi non ſeruent, non poſſe puniri. Et hoc ſolùm concludit Hugo Grotius *lib. 2. de Iure Belli cap. 18. num. 4.* dum vult aſſerere immunitatem Oratorum à poteſtate Principis, apud quem reſident. Ait enim *Quare omnino ita cenſeo placuiſſe Gentibus, vt communis mos, qui quemuis in alieno territorio exiſtentem eius loci territorio ſubijcit, exceptionem pateretur in legatis, vt qui, ſicut fictione quadam habentur, pro perſonis mittentium (Senatus faciem ſecum attulerat, auctoritatem Reipublicæ, ait de Legato quodam M. Tullius Philip. 8.) ita etiam fictione ſimili conſtituerentur quaſi extra territorium; vnde & ciuili iure populi, apud quem viuunt, non tenentur.* Hæc Grotius. Nec diſſentient Auctores alij Deciſ. *praced. num. 4.* collati; quia tantum volunt, quòd Orator puniri poſſit à Principe ſi delinquat non ſeruans terminos legationis; atq; adeo ſi delinquat contra ius naturale, aut ius Gentium, offendendo Rempublicam, aut eius membra.

3 Et hoc optima ratione ſtabilitur; Quia leges feruntur pro communitate, & ratione communitatis deſcendunt ad ſingulos, vt ad partes illius communitatis. Vt habetur in l. *Iura 2. ff. de legibus*, & Cap. *Duæ ſunt. 19. quaſt. 2.* Vnde lex eſt influxus quidem capitis in membra corporis politici, quò mouentur ad terminum boni communis. Et ideò ſicut influxus capitis non ſe extendit extra membra corporis, ita nec lex extra membra corporis ciuilis. Legati autem non ſunt membra corporis politici, & proinde nec pars communitatis.

4 Vnde materialiter ſunt in territorio, & non formaliter vt pars communitatis. Quod ex eo patet, quia non debent in operando ſequi motum Principis, apud quem reſident, ſed motū Principis, à quo miſſi ſunt. Hinc tractant cum Principe apud quem reſident tanquam alieni & pars alterius communitatis: atq; conantur procurare commodum, & vtilitatem ſui Principis, non autem communitatis, apud quam degunt: imò contra ipſam agunt, ſeruatis debitis regulis, in commodum proprij Principis. Ex quibus ſatis conſtat quòd non ſunt membra communitatis, apud quam reſident, ſed alterius: & ideo obligatio legum illius communitatis non ſe extendit ad ipſos.

5 Deinde. Tota obligatio legis fundatur in ſubiectione: & proinde obligatio legis non extenditur extra territorium Principis; quia cum extra ipſum non extendatur iuriſdictio, non reperit extra ipſum ſubiectionem. Vnde Cap. 2. *De conſtitut. in 6.* habetur *Extra territorium ius dicenti non paretur impunè.* Et idem habetur l. *vlt. ff. De iuriſd. omn. iud.* & tradunt Doctores communiter in *eadem loca.* & Suarez cum communi *lib. 3. de legib. cap. 32. num. 3. & ſequentib.* plures alios citans. Oratores autem non ſubijciuntur Principi, apud quem reſident, & proinde nec legibus ipſius; quia repræſentant perſonam alterius Principis omnino exempti à iuriſdictione, & nomine ipſius reſident, atq; agitur cum ipſis, tanquam ſi ageretur cum perſonis mittentium, atq; tanquam cum liberis, & ab omni ſubiectione exemptis.

6 Hæc tamen doctrina limitanda eſt. Vt ſolùm locum habeat quando ex non obſeruantia legum, non ſequitur damnum communitati. Nam ſi ſequeretur damnum notabile, tunc teneretur illas ſeruare ex alio capite; nempe quia ex vi legis naturalis tenetur amare proximum ſicut ſeipſum, atq. adeò tenetur vitare damnum ipſius, quantum fieri poteſt. Vnde tunc leges ciuiles Principis, apud quē Orator reſidet, licet reſpectu ipſius non haberent vim coactiuam, haberent tamen vim directiuam, quam ex obligatione legis naturalis teneretur ſequi.

7 Hinc ſolutum manet, quod in oppoſitum *num. 1.* allatum eſt; Nam licet Oratores ſint intra territorium Principis, apud quem reſident, ſunt tamen ibi tantùm mortuo modo; quia non animantur vt membra politici corporis influxu directiuo, nec mouentur ad illum finem, quem ſpectat regimen principis: & propterea ibi exiſtunt tanquam extranei, & nullo pacto ſpectantes ad communitatem; quia ibi exiſtunt vt repræſentantes aliam communitatem in perſona Principis, à quo miſſi ſunt.

8 Ex quibus deducitur, quòd teſtamenta, contractus, & alia ſimilia valida erunt, etiam ſi non fuerint in ipſis ſeruatæ leges loci, ſi quæ ſunt de iure communi ad validitatem concurrant; nam cum non ſubijciatur legibus loci, non tenetur eas ſeruare, & in ſuis actionibus ſequi earumdem præſcriptionem, & conſe-

quenter

quentes nec habent hæ leges vim auferendi ab ipſis eam validitatem, quam alioquin habent. Et hoc verum eſt ſiue in teſtamentis, contractibus, & alijs huiuſmodi ſeruet Legatus leges proprij Principis, à quò eſt miſſus; ſiue ſeruet ſolum leges communes omnium Gentium, & ea quæ ex natura rei neceſſaria ſunt; nam his ſeruatis habent ex natura rei ſuam validitatem, nec requiritur forma præſcripta à Principe, apud quem reſidet, cum non ſubijciatur legibus ipſius, vt iam diximus: nec forma præſcripta à legibus proprij Principis; quia hę non habent vim extra territorium.

An Oratores ſubijciantur legibus, & edictis Ordinariorum loci, & Synodi Diœceſani.

Deciſio CCCCCX.

SVMMARIVM.

1 *Oratores non ſubijciuntur legibus aut edictis Diœceſanis, aut ordinariorum loci, vbi reſident.*
2 *Aduenæ non ſubijciuntur legibus loci.*
3 *Oratores ſe habent vt aduenæ, nec ſunt de communitate vbi reſident.*
4 *Nec etiam ſiunt pars communitatis ſpiritualis talis Diœceſis.*
5 *Oratores ſunt de externo corpore ciuili.*
6 *Oratores gaudent ijſdem immunitatibus, & priuilegijs, quibus gaudet Princeps, à quo mittuntur.*
7 *Oratores ſubijciuntur tantum iuri communi.*
8 *Legati, Nuncij. Reſidentes Ciuitatum ſubiectarum ad Principem eximuntur à legibus ordinarij loci, & Diœceſanis.*

1 DE hoc dubio nihil reperio apud Doctores eius tamen Deciſio valde neceſſaria eſt quia pertinet ad ea, quæ pertinent ad conſcientiam. Itaq. Puto Legatos, ſeu Oratores non ſubijci legibus, aut edictis Ordinariorum, ſiue etiam Synodi Diœceſani. Et hoc deſumitur ex eorum doctrina, qui putant, Aduenas non ſubijci legibus loci; quod eſt probabiliſſimum. Et traditur à Paludano *in 4. diſt. 5.*
2 *quæſt. 4. art. 3. num. 24.* Palatio *diſp. 8. poſt 6. concluſ. ver. At vero.* Syluestro *verbo* Ieiunium. *num. 7. verſ. ſi autem transeat.* Medina 1.2. *quæſt. 96. art. 5. §. Dubitatur præterea* Altero Medina *C. De ieiunio. quæſt. 10.* Ledeſma 2. *p. 4. quæſt. 17. art. 3. §. Tertiò dico.* Azor *tom. 1. lib. 5. cap. 11. quæſt. 3.* Rodriquez *tom. 1. qu. Regul. quæſt. 68. art. 4.* Layman *lib. 1. Theol. moral. tract. 4. cap. 12. num. 4.* Sayro *lib. 3. Clauis Regiæ cap. 4. num. 15.* Bonacina *diſp. 1. de Legib. quæſt. 1. punc. 6. num. 48.* Sanchez *lib. 3. de Matrimon. diſp. 18. num. 6. & lib. 1. Sum. cap. 12. num. 38.* qui etiam plures alios citat; vnde eſt ſententia valde communis.

3 Legati autem ſe habent tanquam aduenę, nec contrahunt domicilium, quamuis longo tempore permaneant in loco, vbi reſident; ſi quidem ad contrahendum domicilium, oportet quòd contrahens fiat pars communitatis: quoniam domicilium quod trahit ſecum ſubiectionem ad caput, trahit etiam communicationem cum cæteris membris in eodem corpore ciuili. Oratores autem nunquam ſiunt pars illius communitatis, apud quam reſident; tum quia degunt ibi nomine alterius communitatis repræſentantes caput ipſius, atq. adeò vt extra communitatem apud quam reſident: alioquin non poſſent in propria perſona ſubſtinere diſtinctã communitatem, ſicuti ſubſtinent tum quia non poſſunt eſſe pars communitatis, niſi ſiant membra corporis ciuilis, & non poſſunt eſſe membra, niſi vt etiam dicebamus Deciſ. *præced. num. 3. & 4.* ita in corpore ciuili compaginentur, vt ſiant aliquid de poſſeſſione capitis, & teneantur ſequi motum, & influxum illius. Quod non conuenit Oratoribus.

4 Neq. dicas fieri partem communitatis ſpiritualis, licet non ſiant communitatis ciuilis; quia communitas ſpiritualis particularis Diœceſis fundatur in communitate ciuili; nam eſt communitas eorum, qui ſunt de tali loco in ordine ad ſpiritualia; & proinde communitates ſpirituales huiuſmodi habent ſuas diſtinctiones a locis: & aduenæ non ſiunt de communitate ſpirituali, quia non ſiunt de ciuili.

5 Deinde. Ideo Oratores non ſiunt pars communitatis ciuilis, quia ſemper ſunt aliquid de externo corpore ciuili; ita vt munus, quod gerunt, non ſinat eos ab ipſo ſeiungi; nam ſunt veluti Vicarij ipſius: ſi quidem vices gerunt Principis, aut Reipublicæ, cuius ſunt Legati. Ob eamdem igitur cauſam non poterunt incorporari communitati ſpirituali: quia ipſorum munus, cum non ſinat ſeiungi à proprio corpore politico, facit quòd ſemper ſint tanquam exteri, qui non poſſunt incorporari neq. communitati ſpirituali.

6 Accedit etiam, quòd cum Oratores repræſentent perſonam Principis (vnde nihil dicunt, & tractant niſi nomine ipſius: et proinde qui eos honorant, aut lædunt, Principem honorare, aut lædere cenſentur) ſicut Princeps non ſubijcitur iuriſdictioni Epiſcopi, aut Synodi illius loci, in quo eius legatus reſidet, ita neq. ſubditur Legatus: cum obſtet ſubie-

ctioni

ctioni repræſentatio perſonæ Principis, quæ facit quòd fruatur priuilegijs Principis, & tanquam acceſſorium ſequatur naturam principalis. Atq. cum ſit ſubrogatus in locum Principis qui per ſeipſum accedere non poteſt ad tractandum cum alio Principe, ſubrogatur etiam in eaſdem immunitates, & priuilegia. Quia ſubrogatus in locum alterius gaudet ijſdem priuilegijs, quibus ille fruitur, in cuius locum eſt ſubrogatus. l. *Decernimus. C. De aquæductu. lib.* 11. vbi Bar. & l. *Comperimus C. De prox. ſacror. ſcriti lib.* 12. & l. *Maior. §. penult. ff. De procur.* vbi Bal. & tradit Tiraquel. *De iure primogen. quæſt.* 40. *num.* 43. *&* 110.

7 Ex quibus fit. Quòd Oratores non ſubijciantur aliquibus legibus Diœceſanis, aut quibuſcunq; decretis, ſtatutis, edictis localibus; ſed tantùm ſoli iuri communi. Non enim ſubijciuntur ijs, quæ vigent in loco, vbi reſident, vt iam conſtat ex dictis; neq. ijs, quæ ſancita ſunt pro loco, à quo profectus eſt; quia non obligant extra territorium, & ideo adeſt ſolùm ius commune, cui ſubijciantur.

8 Sed difficultas eſt, An quæ hactenus dicta ſunt de exemptione Oratorum a legibus, & ſtatutis Ordinarij, ſeu Diœceſanis habeant locum etiam in Legatis, Nuntijs, ſeu Reſidentibus, quos ciuitates ſubiectæ mittunt ad Principem. Reſp. affirmatiuè nam adhuc militat eadem ratio; quia nimirum repreſentant magiſtratum, ſeu communitatem, cuius nomine reſident apud Principem, quæ eſt exempta à iuriſdictione Ordinarij loci, vbi reſident; & proinde retinent eamdem exemptionem, nec poſſunt incorporari communitati ſubiectæ; quia ratione muneris manent incorporati alteri communitati, quam in ſeipſis repreſentant ab ea communitate apud quam degunt; quod fieri non poſſet, niſi ſecùndum proprias perſonas ſeorſim, & extra illam communitatem manerent.

F I N I S.

INDEX RERVM NOTABILIVM.

A

Abbas.

Vide Generalis Regularium.

DIgnitas Abbatis eadem eſt in omnibus. Deciſ. 35. num. 1.
Qualiter Abbas ſit ſponſus Eccleſiæ. Deciſ. 35. num. 4.
Abbates ſecundum aliquos præcedunt Generales Ordinum Regularium. Deciſ. 505. num. 1.
In quo fundent hanc præcedentiam. Deciſ. 505. num. 2.
Abbates nullo modò poſſunt præcedere Generales Ordinum. Deciſ. 505. num. 3.
Abbas Olivetanus diſcedit, ut relinquat locum Generalibus in Capella Papæ. Deciſ. 505. num. 8.
Cur ius Canonicum ponat Abbatiam immediatè poſt Epiſcopatum. Deciſ. 505. num. 9.
Cur catalogus eorum, qui interfuerunt Concilio Tridentino non faueat Abbatibus contra Generales in cauſa præcedentiæ. Deciſ. 505. num. 11.

Abbas Regularis.

DIgnitas Abbatis non eximit Regulares à ſubiectione Superiorum ceſſante adminiſtratione. Deciſ. 35. num. 2.
Nec etiam ſi Abbatia ſit ſecularis. Deciſ. 35. num. 3.
Regularis factus Abbas, etiam ſi Abbatia ſit ſecularis non mutat ſtatum ſubſtantialiter. Deciſ. 35. num. 6.
Poſſunt hi Abbates eximi à ſubiectione Superiorum per priuilegium. Deciſ. 35. num. 7.
Qui doceant ſubijci Epiſcopo loci. Deciſ. 36. num. 1.
Ius Monachi ad Monaſterium extinguitur, quando fit Abbas. Deciſ. 36. num. 2.
Abbas dimiſſa Abbatia ſubditur Monaſterio. Deciſ. 36. num. 3.
Modò ſubditur Generali Ordinis. Deciſ. 36. num. 4.
Abbas depoſitus caſtigandus ſecundum regulam intra Monaſterium. Et qui ſponte dimittit Abbatiam, habet ius ad Monaſterium. Deciſ. 36. num. 5.
Abbas Regularis dimiſſa Abbatia ſeculari ſubditur Generali. Deciſ. 36. num. 6.
Monachus factus Abbas non amittit ius, quod habet ad Monaſterium, ſed nobilius acquirit. Deciſ. 36. num. 7.
Eadem ratio de Abbate Regulari dimiſſa Abbatia ſeculari, ac de Regulari degente extra clauſtra. Deciſ. 37. num. 1.
Abbas Regularis dimiſſa Abbatia ſeculari non poteſt manere extra clauſtra abſq; ſpeciali licentia. Deciſ. 38. num. 2.
Non debet præſumi tacita licentia. Deciſ. 38. num. 3.
Dimiſſa Abbatia ſeculari non durat exemptio regularis à ſuis Superioribus. Deciſ. 38. num. 4.

Abbatis Regularis Bona.

SI Abbas Regularis dimiſſa Abbatia moriatur extra clauſtra, quæ acquiſiuit pertinent ad Cameram Apoſtolicam. Deciſ. 37. num. 2.
Qui doceant Abbates Regulares acquirere toti Religioni. Deciſ. 39. num. 1.
De facto ſtandum ſtatutis Religionis quoad talem acquiſitionem. Deciſ. 39. num. 3.
Si Abbas non emiſit profeſſionem nomine ſpecialis Monaſterij, acquirit toti Religioni. Deciſ. 39. num. 4.
Si emiſit profeſſionem nomine ſpecialis Monaſterij, acquirit illi Monaſterio. Deciſ. 39. num. 5.
Limitatur, niſi aliter diſponant ſtatuta Religionis. Deciſ. 39. num. 6.
Cui acquirat, ſi talis Abbas ſit ex Clericis Regularibus Theatinis. Deciſ. 39. num. 8.

Abiuratio.

ABiuratio non habet locum, ubi ſaltem non eſt ſuſpicio de hæreſi. Deciſ. 475. num. 3.

Ablutio.

GVttula aquæ non ſufficit pro ablutione. Deciſ. 73. num. 2.
In quo conſiſtat ablutio: & an ſufficiat guttula acquæ. Deciſ. 73. num. 4.

Accuſatio.

PActum, vel iuramentum non accuſandi valet ſecundum aliquos quoad præterita. Deciſ. 462. num. 2.
Pactum non valet, ſed tantum iuramentum, in cauſa tamen ciuili ſecundum alios. Deciſ. 462. num. 2.

Valet, quando non adeſt præceptum, aut conſilium de accuſando, aut denunciando: ſecus quando adeſt. Deciſ. 462. num. 3.
Tale pactum, aut iuramentum nunquàm valet, vtpote impeditiuum maioris boni. Deciſ. 462. num. 4.
Accuſatio, & denunciatio ordinantur ex natura ſua ad bonum communitatis. Deciſ. 462. num. 5.

Actio Iudicialis.

QVando actio competat læſo contra Commendantem. Deciſ. 120. num. 1.
Quilibet poteſt in iudicio repetere, quod ſibi ex iuſtitia debetur. Deciſ. 120. num. 2.
Dolus adhibitus in commendatione dat actionem læſo, ſi probari poſſit. Deciſ. 120. num. 3.

Actus.

EXercens actum licitum vtitur iure ſuo. Deciſ. 452. num. 2.
Actus ſit illicitus, ſi damnum alterius per ſe ex ipſo ſequatur. Deciſ. 452. num. 4.
Actus inualidus ab initio non retrotrahitur. Deciſ. 506. num. 4.
Actus inualidus ab initio retrotrahitur, ſi dependeat à conditione futura. Deciſ. 506. num. 16.

Acu pingere.

***Vide* Feſto die quæ liceant.**

PRobabile eſt, quòd acu pingere non ſit opus ſeruile. Deciſ. 148. num. 3.
Acu pingere eſt proprium ingenuarum fœminarum. Deciſ. 148. num. 4.
Acu pingere oſtentat ingenium. Deciſ. 148. num. 5.
Cur acu pingere eximatur ab operibus ſeruilibus. Deciſ. 148. num. 6.

Aduena.

ADuenæ non ſubijciuntur legibus loci. Deciſ. 510. num. 2.

Aduocatus Conciſtorialis.

ADuocati Conciſtoriales non poſſunt ſibi eligere Confeſſarios. Deciſ. 115. num. 1.
Aduocati Conciſtoriales non ſunt exempti. Deciſ. 115. num. 1.
Non ſunt ſuperiores, nec habent iuriſdictionem Eccleſiaſticam. Deciſ. 115. num. 2.
Neque ſunt Prælati. Deciſ. 115. num. 5.

Aequiuocatio.

VErba æquiuocationem continentia poſſunt æquiuocè vſurpari ſecundum communem acceptionem. Deciſ. 445. num. 5.

Affines.

***Vide*, Sepulchrum qui poſſint eligere.**

Agaſones.

***Vide*, Opus ſeruile, quatenus licitum in die feſto.**

DVcere beſtias eſt opus ſeruile. Deciſ. 292. numero 7.

Agricola.

***Vide* Opus ſeruile, Quatenus licitum in die feſto.**

Altaris conſecratio.

ALtare non manet conſecratum ex eo quòd in ipſo celebretur. Deciſ. 45. num. 1.
Altare conſecratur ex eo quòd in ipſo celebretur. Deciſ. 45. num. 3. & 4.
Altare ſanctificatur per id, quod in ipſo celebratur. Deciſ. 45. num. 7.
Licet peccet mala fide celebrans in altari non conſecrato, adhuc tamen manet conſecratum. Deciſ. 45. nu. 10.
Altare non poteſt ſecundùm aliquos conſecrari ſine reliquijs ſanctorum. Deciſ. 46. num. 1.
Horum fundamentum. Deciſ. 46. num. 2.
Qui doceant poſſe conſecrari ſine reliquijs. Deciſ. 46. num. 3.
Nullum præceptum habetur de ponendis reliquijs in conſecratione Altaris. Deciſ. 46. num. 4.
Conſuetudo ponendi reliquias in conſecratione altaris non obligat. Deciſ. 46. num. 6.
Confirmatur ex miſſalibus antiquis. Deciſ. 46. num. 7.
Præceptum ſeptimi Canonis VII. Synodi de ponendis reliquijs in conſecratione altaris ceſſauit. Deciſ. 46. n. 8.
Conſecrans altare ſine reliquijs ſecundùm aliquos peccat. Deciſ. 47. num. 1.
Non peccat. Deciſ. 47. num. 2.
Qui doceant in conſecratione Altaris ponendum eſſe Corpus Chriſti Euchariſticum, ſi non adſint reliquiæ. Deciſ. 48. num. 1.
Non eſt ponendum, Deciſ. 48. num. 2.
Quomodo inualuerit contraria opinio ponendi Euchariſtiam in conſecratione Altaris. Deciſ. 48. num. 7.
Litteræ Apoſtolicæ circa ponendam Euchariſtiam in conſecratione altaris. Deciſ. 48. num. 8.
In qualibet die poteſt conſecrari altare. Deciſ. 49. nu. 1.
An altare poſſit conſecrari in tribus vltimis ferijs hebdomadæ maioris. Deciſ. 49. num. 3.
An conſecrans in illis tribus vltimis ferijs peccaret, Deciſ. 49. num. 4.
An liceat conſecrare altaria in maximis ſolemnitatibus. Deciſ. 49. num. 5.

Altaris Execratio.

ALtare amittit conſecrationem, ſi menſa ſeparetur ab inferiori ſtructura. Deciſ. 40. num. 1.
Altare ſiue motum, ſiue confractum amittit conſecrationem. Deciſ. 40. num. 2.
Separatio menſæ altaris à ſtipite eſt quadam fractio. Deciſ. 40. num. 3.
Si menſa ſit ſeorſim conſecrata non execratur, ſi remoueatur à ſtipite. Deciſ. 40. num. 4.

Nec

Nec item ſi mobiliter coniungatur inferiori ſtructuræ. Deciſ. 40. num. 5.
Nec item ſi inferior ſtructura ſit lignea. Deciſ. 40. nu. 6.
Altare integrum motum de loco ad locum non amittit conſecrationem. Deciſ. 41. num. 2.
Quæ motio deſtruat conſecrationem altaris. Deciſ. 41. num. 3.
Altare non amittit conſecrationem, ſi deſtruatur paries, cui eſt compaginatum. Deciſ. 42. num. 1.
Etiamſi paries ſubſtentet altare. Deciſ. 42. num. 2.
Altare amittit conſecrationem, ſi remoueantur lapides inferiores tangentes menſam. Deciſ. 43. num. 1.
Alij limitant, vt non amittat, quando non ſunt principales. Deciſ. 43. num. 2.
Solum amittit conſecrationem, ſi aliqua columna ſubſtentans remoueatur. Deciſ. 43. num. 3.
Non amittit conſecrationem, niſi tot lapides amoueantur, vt amittat formam. Deciſ. 43. num. 4.
Quando ratione inferioris ſtructuræ altare amittat formam. Deciſ. 43. num. 5.
Quocunque lapide amoto ſi inferior ſtructura poteſt ſubſtentare menſam, altare non amittit conſecrationem. Deciſ. 43. num. 6.
Remota vna columna, ſi aliæ poſſunt ſuſtentare altare, manet conſecratum. Deciſ. 43. num. 7.
Si frangatur, vel remoueatur ſigillum, altare amittit conſecrationem. Deciſ. 44. num. 1.
Item ſi menſa enormiter frangatur. Deciſ. 44. num. 2.
Menſa fracta in cornibus, etiamſi in illis fiat conſecratio, non execratur. Deciſ. 44. num. 5.
Si talis ſit fractio, vt altare appareat veluti dirutum, execratur. Deciſ. 44. num. 6.
Menſa in duas partes diuiſa, dummodò localiter non ſeparetur, non execratur. Deciſ. 44. num. 7.
Secus ſi ambæ, aut altera tantum localiter moueantur, etiamſi quæ manet fixa poſſit capere Calicem, & hoſtiam. Deciſ. 44. num. 8.
Execratio Altaris non eſt afferenda, niſi quando ponitur à iure. Deciſ. 51. num. 6.

Altaris Fractio.

QVa ſit enormis fractio ex aliorum ſententia. Deciſ. 44. num. 3.
Illa eſt enormis fractio, quæ tollit formam altaris. Deciſ. 44. num. 4.

Altare Portatile.

QVot modis fieri poſſit Altare portatile ex duobus lapidibus. Deciſ. 50. num. 1.
Altare portatile non poteſt conſtare ex duobus lapidibus ex aliquorum ſententia. Deciſ. 50. num. 2.
Altare portatile conſtare poteſt ex duobus lapidibus. Deciſ. 50. num. 3.
Et qui claudi, & aperiri poſſunt ad inſtar libri. Deciſ. 50. num. 4.
Qui etiam inter ſeipſos coniungantur immediatè. Deciſ. 50. num. 5.
Qui etiam coniungantur amouibiliter. Deciſ. 50. num. 6.
Conſuetudo faciendi Altare portatile ex vno tantum lapide non obligat. Deciſ. 50. num. 7.
Pluralitas lapidum in altari portatili non eſt contra Myſterium. Deciſ. 50. num. 8.

Altaris Portatilis execratio.

ALtare portatile amittit conſecrationem, ſi tollatur ſigillum, aut enormiter frangatur. Deciſ. 51. nu. 1.
Quando amittat, dum lapis remouetur à capſula. Deciſ. 51. num. 2.
Amittit ſecundum aliquos, ſi lapis remoueatur à capſula, etiamſi ſigillum ſit in ſolo lapide. Deciſ. 51. n. 3.
Horum fundamentum. Deciſ. 51. num. 4.
Remotio lapidis à capſula non tollit conſecrationem Altaris portatilis. Deciſ. 51. num. 5.
Pars lignea non eſt pars altaris, Deciſ. 51. num. 7.
Licet lapis conſecretur, vt affixus ligno, non tamen conſecratur lignum, etiamſi lapis non poſſit capere Hoſtiam, & Calicem. Deciſ. 51. num. 8.
Altare portatile ſi frangatur in quatuor cornibus amittit conſecrationem ſecundum aliquos. Deciſ. 52. nu. 1.
Non amittit. Deciſ. 52. num. 2.
In conſecratione Altaris totus lapis conſecratur: vnde manet conſecratus, quandiu poteſt inſeruire. Deciſ. 52. num. 3.

Altaris portatilis vſus.

REgulares Miſſionarij poſſunt vti Altari portatili in quolibet decenti loco. Deciſ. 53. num. 1.
Erga Regulares Miſſionarios ceſſat auctoritas Epiſcoporum: nec poſſunt eos impedire, ne celebrent in quolibet decenti loco in altari portatili. Deciſ. 53. n. 2.
Epiſcopi vti poſſunt Altari portatili. Deciſ. 55. num. 1.
Tridentinum quoad hoc non innouat aliquid. Deciſ. 55. num. 2.
Secundum aliquos non poſſunt Epiſcopi extra Diœceſim vti altari portatili. Deciſ. 56. num. 1.
Secundum alios poſſunt vti: & an hoc ſit probabilius. Deciſ. 56. num. 2.
Tridentinum non prohibet Epiſcopis ne celebrent in Altari portatili. Deciſ. 56. num. 3.
Quoad vſum Altaris portatilis Epiſcopus extra propriam Diœceſim non ſubijcitur alteri Epiſcopo. Deciſ. 56. num. 4.
Priuilegium, quo Epiſcopi poſſunt celebrare in Altari portatili, non eſt reuocatum à Trident. Deciſ. 56. num. 5.

Amentes.

Vide Stultus.

AMentes non obligantur legibus: nec faciunt contra leges. Deciſ. 309. num. 2.

Amicitia, Amicus.

Vide, Sepulturam qui poſſint eligere.

AMicitia præponderat coniunctioni ſanguinis. Deciſ. 396. num. 2.
In quo amicitia præponderet coniunctioni ſanguinis. Deciſ. 396. num. 8.

Anima.

QVomodo procedendum, quando agitur de diſpendio animarum. Deciſ. 222. num. 4.

Aqua turulenta.

AQua turulenta non eſt habenda pro aqua. Deciſ. 80. num. 2.
Talis aqua non eſt apta ad abluendum: vnde nec ad verificanda verba baptiſmi. Deciſ. 80. num. 3.

Arbiter.

NEmo in caſu proprio poteſt eſſe arbiter. Deciſ. 357. num. 3.
Arbiter poteſt recuſari vt ſuſpectus. Deciſ. 357. num. 4.

Archiepiſcopus.

ARchiepiſcopi non habent, ſecluſa appellatione, iuriſdictionem in ſubditos ſuffraganeorum. Deciſ. 57. num. 4.

Archipresbyter.

PLebani, Decani, Archipresbyteri ſunt Prelati. Deciſ. 106. num. 1.
Plebani, Decani, Archipresbiteri non poſſunt eligere Confeſſarium non approbatum. Deciſ. 106. num. 1.
Niſi tamen habeant annexam curam animarum. Deciſ. 106. num. 2.
Quod valet etiam poſt Concilium Tridentinum. Deciſ. 106. num. 3.
Qui teneant hanc ſententiam. Deciſ. 106. num. 4.
Quinam Archipresbyteri poſſint ſibi eligere Confeſſarium. Deciſ. 106. num. 5.

Arduum.

CAute in arduis procedendum. Deciſ. 222. num. 3.
Etiam in arduis vni tantum ſolet committi iudicium. Deciſ. 222. num. 16.

Artifex.

Vide, Opus ſeruile; quatenus licitum in die feſto.

ARtifices non ſunt præſumendi, quod perficiant opera in die feſto, niſi ex vrgenti motiuo. Deciſ. 290. n. 6.

Aſſeſſor.

ASſeſſor aſſiſtit tantum Iudici, qui ſolus habet auctoritatem iudicandi. Deciſ. 367. num. 5.

Auctoritas.

Vide Doctoris Auctoritas.

CVr præſumendum ſit, quod auctoritas Recentiorum melius fundetur. Deciſ. 364. num. 3.
Auctoritas non creſcit intenſiue ex pluralitate Doctorum. Deciſ. 367. num. 3.

Audientia.

IVdex ſecundum iuris titulo poteſt denegare audientiam ex iuſta cauſa. Deciſ. 482. num. 1.
Iudex ratione officij tenetur dare audientiam, & petens habet ius ad ipſam. Deciſ. 482. num. 2.
Iudex etiam ſecundum conſcientiam poteſt denegare audientiam ex iuſta cauſa. Deciſ. 482. num. 3.
Iuſta cauſa ſatis, vt Iudex non teneatur dare audientiam. Deciſ. 482. num. 4.
Recurſus ad Tribunal indubitanter eſt iuſta cauſa denegandi audientiam. Deciſ. 482. num. 5.
Iudex licet poſſit, non tamen tenetur negare audientiam: nec pars acquirit ius ad denegationem. Deciſ. 482. num. 6.
Quanam ſit cauſa iuſta denegandi audientiam. Deciſ. 482. num. 7.
Iudex negans audientiam videtur dare ius parti, vt non poſſit amplius ipſa mutata concedere. Deciſ. 483. n. 1.
Ex denegata audientia nullum ius acquiritur parti, vt arbitrio Iudicis non poſſit amplius concedi. Deciſ. 483. num. 2.
Denegatio audientiæ non eſt in fauorem partis, ſed ipſius Iudicis. Deciſ. 483. num. 3.

Auditor Cameræ Apoſtolicæ.

AVditor Cameræ poteſt ſibi eligere Confeſſarium, item Theſaurarius, item Clerici Cameræ, & omnes qui habent iuriſdictionem fori contentioſi. Deciſ. 108. num. 3.

Auditor Rotæ, & Locumtenens.

AVditores Rotæ Romanæ poſſunt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum, ſicut Prælati exempti. Deciſ. 111. num. 1.
Auditores Rotæ habent iuriſdictionem in foro externo. Deciſ. 111. num. 2.
Locumtenentes Auditorum Rotæ Romanæ poſſunt ſibi eligere Confeſſarium; gaudent priuilegijs Referendariorum. Deciſ. 111. num. 3.

Auocatio Cauſarum.

PRælatus Regularis auocans ad ſe cauſam ab inferiori abſque ratione, peccat mortaliter. Deciſ. 61. nu. 5.
Sententia Suarez, an contra iuſtitiam peccet Superior auocans cauſam ab inferiori irrationabiliter. Deciſ. 62. num. 1.
Peccat contra Iuſtitiam Superior, qui irrationabiliter auocat ad ſe cauſas ab inferioribus. Deciſ. 62. num. 2.
Auocatio cauſæ ab inferiori Iudice Regulari ad Superiorem eſt valida: etiamſi fiat ſine cauſa. Deciſ. 63. num. 1.
Niſi contineat intolerabilem errorem contra bonos mores. Deciſ. 63. num. 2.
Auocatio ſine cauſa ſemper eſt nulla. Deciſ. 63. numero 3.
Superiores maiores regulares non habent iuriſdictionem ad auocandas cauſas ſine cauſa. Deciſ. 63. num. 4.
Spectat ad bonum regimen Religionis, quod cauſæ non auocentur ſine cauſa. Deciſ. 63. num. 7.

Præ-

Prelatus non debet audiri, antequàm ab ipſo auocetur cauſa, & quare. Deciſ. 64. num. 1.
Superior Prelatus Regularis non poteſt auocare cauſas ab inferiori per modum iudicij. Deciſ. 64. num. 2.
Quinam actus ſit auocatio cauſe facta à Prelato Regulari Superiori. Deciſ. 64. num. 3.
Prelatus Superior Regularis non tenetur exprimere rationem, ob quam cauſam auocet. Deciſ. 65. n. 2.
Cur Prelatus Superior non debet aſſignare rationem auocationis cauſarum. Deciſ. 65. num. 5.
Iuſtitia auocationis ſufficit, ſi conſtat auocanti. Deciſ. 65. num. 6.

Auocare ad ſe cauſas qui poſſint.

MEtropolitani non poſſunt ad ſe auocare cauſas pendentes coram Ordinarijs. Deciſ. 57. num. 1.
Generales poſſunt auocare ad ſe cauſas pendentes coram Inferioribus Prelatis. Deciſ. 57. num. 3.
Prouinciales poſſunt ad ſe auocare cauſas Prelatorum Inferiorum ſubditorum. Deciſ. 59. num. 1.
Viſitatores Theatinorum poſſunt ad ſe auocare cauſas Prelatorum localium. Deciſ. 60. num. 1.
Superior maior non poteſt ſine cauſa auocare ad ſe cauſas pendentes coram Minoribus. Deciſ. 61. nu. 1.

Auocationis Effectus.

AVocata cauſa cum decreto irritante, acta inferioris Iudicis ſunt nulla, etiam auocatione ignorata. Deciſ. 66. num. 1.
Cur decretum irritans non ſinat talia acta eſſe valida. Deciſ. 66. num. 2.
Si auocatio fiat ad inſtantiam partis cum decreto irritante ante intimationem, adhuc acta inferioris Iudicis ſunt nulla. Deciſ. 67. num. 1.
Sunt tamen valida, ſi pars nolit uti auocatione. Deciſ. 67. num. 2.
Quomodo non obſtante irritatione poſſint talia acta eſſe valida. Deciſ. 67. num. 3.
Acta Iudicis inferioris per decretum irritans ad inſtantiam partis cauſa auocata, veluti ſuſpenduntur vſque ad intimationem, vel renunciationem decreti. Deciſ. 67. num. 4.
Quando intimatur auocatio, acta Iudicis inferioris incipiunt haberi, vt inualida. Deciſ. 67. num. 5.
Auocatio ex motu proprio abſque clauſula irritante adhuc inualidat acta Iudicis inferioris facta ante intimationem ſecundùm aliquos. Deciſ. 68. num. 1.
Non inualidat ſecundùm alios, & hoc eſt probabilius. Deciſ. 68. num. 2.
Quid in auocatione cauſarum operetur motus proprius. Deciſ. 68. num. 3.
Cur motus proprius non conferat auocationi vim inualidandi acta ante intimationem Deciſ. 68. num. 4.
Per quamcumque notitiam certam auocationis ceſſat iuriſdictio ſecundùm aliquos. Deciſ. 69. num. 1.
Auocatio vt tollat iuriſdictionem, requirit notitiam publicam. Deciſ. 69. num. 2.
Ante ſolemnem intimationem auocationis, nec in conſcientia tenetur Iudex abſtinere ab exercenda iuriſdictione. Deciſ. 69. num. 5.
Valent acta quouſque exhibeatur ſolemniter auocatio, quando fit ad inſtantiam partis. Deciſ. 70. num. 1.
Auocatio ad inſtantiam partis dependet ab ipſa in operari. Deciſ. 70. num. 2.
Oppoſita ſententia. Senſus cap. vt noſtrum, de appellat. *quod non valeant facta poſt auocationem completam. Deciſ. 70. num. 3.*
Notificatio auocationis facta à Iudice ſuperiori inferiori Iudici non reddit acta nulla, ſi ſit auocatio ad inſtantiam partis. Deciſ. 70. num. 4.
Quouſque pars exhibet auocationem factam ad ſui inſtantiam, poteſt Iudex procedere in cauſa. Deciſ. 70. num. 5.

Aucupari

Vide, Venari.

B

Baptiſmus.

BAPTIZATIO vix poteſt cauſare, aut accelerare mortem. Deciſiones. 421. numero 1.

Baptiſmi materia proxima

Vide Ablutio.

BAptiſmus ſaluatur in ablutione paſſiua. Deciſ. 71. num. 3.
Que ablutio requiratur ad Baptiſmum. Deciſ. 73. nu. 5.
Ad Baptiſmum ſufficit digitis aqua intinctis tergere infantem. Deciſ. 75. num. 1.
Ablutio ſaluatur, ſi baptizandus tergatur digitis aqua intinctis. Deciſ. 75. num. 2.
Talis modus baptizandi poteſt adhiberi in priuato baptiſmo. Deciſ. 75. num. 3.

Baptiſmi materia remota.

GLacies, & nix eſt materia ſufficiens baptiſmi, ſi reſoluatur, antequam recipiatur in corpore baptizandi. Deciſ. 71. num. 2.
Glacies, & nix ſunt materia ſufficiens pro baptiſmo, etiamſi in ſolo corpore baptizandi reſoluantur. Deciſ. 71. num. 4.
Calor baptizandi liquefaciens niuem, aut glaciem reddit materiam aptam, vt inſtrumentum aſſumptum à baptizante. Deciſ. 71. num. 5.
Glacies, nix, grando, pruina etiam non liquefacte poſſunt in extrema neceſſitate adhiberi pro materia baptiſmi ſub conditione ſecundùm aliquos. Deciſ. 72. num. 1.
Nullo pacto poſſunt adhiberi. Deciſ. 72. num. 2.
Nix glacies, &c. nullo pacto poſſunt abluere, niſi liquefiant. Deciſ. 72. num. 3.
Neceſſitas non poteſt cogere ad adhibendam niuem, glaciem, &c. in baptiſmo abſque liquefactione. Deciſ. 72. num. 4.
Guttula aque non ſufficit ſecundùm aliquos pro materia baptiſmi. Deciſ. 73. num. 1.
Guttula aqua ſufficit, vt ſit materia baptiſmi ſecundùm alios. & an id probabilius ſit. Deciſ. 73. n. 3.

In extrema neceſſitate licet miniſtrare baptiſmum cum ſola guttula aqua. Deciſ. 74. num. 1.
In tali caſu baptizans poteſt ſe conformare cum opinantibus, quod guttula ſufficiat. Deciſ. 74. num. 2.
Poteſt in tali caſu conferri baptiſmus abſolutè. Deciſ. 74. num. 3.
Aqua ex ſale reſoluta ſecundum aliquos non eſt ſufficiens materia baptiſmi. Deciſ. 76. num. 1.
Secundum alios eſt ſufficiens. Deciſ. 76. num. 2.
Probabile eſt, quod non ſit materia ſufficiens. Deciſ. 76. num. 3.
Probabile eſt etiam, quòd ſit materia ſufficiens. Deciſ. 76. num. 4.
Quomodò ſi adhibeatur, aſſumatur ut materia certa. Deciſ. 76. num. 5.
Humores, ſeu aqua expreſſa ex floribus, herbis, &c. non ſunt materia apta pro baptiſmo. Deciſ. 77. n. 1.
Quomodo in extrema neceſſitate ſecundum aliquos poſſint adhiberi. Deciſ. 77. num. 2.
Nullo pacto adhiberi poſſunt Deciſ. 77. num. 3.
Quomodò adhibens hos humores peccaret. Deciſ. 77. num. 6.
Baptiſmus in extrema neceſſitate ſecundum aliquos non poteſt conferri cum humore ſtillante ex arboribus. Deciſ 78. num 1.
Secundum alios poteſt conferri. Deciſ. 78. num. 3.
Poteſt urgente neceſſitate adhiberi pro materia in baptiſmo. Deciſ. 78. num. 5.
Præſumitur humoris huius uſus in caſu neceſſitatis ſecundum intentionem Eccleſiæ. Deciſ. 78. num. 6.
Quomodo in tali caſu poſſit baptiſmus conferri ſub conditione. Deciſ. 78. num. 7.
Baptiſmus confici poteſt in lixiuio. Deciſ. 79. num. 1.
Alia quoque aqua alterata per infuſionem herbarum ſufficiunt pro baptiſmo. Deciſ. 79. num. 3.
Baptiſmus priuatus in lixiuio, & dictis aquis alteratis non contrahit peccatum. Deciſ. 79. num. 4.
Quando baptiſmus poſſit confici in aqua lutulenta. Deciſ. 80. num 1.
An aqua lutulenta ſit apta baptiſmo. Deciſ. 80. num. 4.
Aqua lutulenta quando, & quomodo poſſit adhiberi in baptiſmo. Deciſ. 80. num. 5.
Vrgente neceſſitate poteſt conferri baptiſmus cum materia dubia. Deciſ. 81. num. 1.

Baptiſmus priuatus, & ſolemnis.

QVid ſeruari debeat in priuato baptiſmo. Deciſ. 75. num. 4.
Qui omittit ſupplere cæremonias omiſſas in priuato baptiſmo, non peccat mortaliter ſecundum aliquos Deciſ. 431. num. 1.
Conſuetudo declarat eſſe mortale cæremonias non ſupplere. Deciſ. 431. num. 4.

Baptiſmum reiterans.

CHriſtianus ſe fingens infidelem, & petens iterum baptizari ob commodum temporale, debet abiurare de vehementi. Deciſ. 475. num. 1.
Probabilius eſt non debere ullo modo abiurare. Deciſ. 475. num. 2.
Finis rebaptizationis ob commodum temporale tollit ſuſpicionem de hæreſi. Deciſ. 475. num. 4.

Baptizans.

BAptizans ſi cauſet, aut acceleret mortem, non fit irregularis. Deciſ. 421. num. 2.
Cur non fiat irregularis. Deciſ. 421. num. 3.
Baptizans etiam ſi putet ſe peccare in baptizando, quia poteſt ſequi mors, non fit irregularis, ſi ſequatur. Deciſ. 421. num. 5.
Etiamſi mors prævideatur ſequutura, ſi ſit præter intentionem, non contrahitur irregularitas. Deciſ. 421. num. 6.

Barbitonſor.

Vide, Opus ſeruile: quatenus licitum in die feſto.

COnſuetudo, quòd Barbitonſor accedat ad tondendum in die feſto ad locum, in quo non reſidet, eſt tolerabilis. Deciſ. 289. num. 9.
Qui petit tonſuram in die feſto à Barbitonſore, non peccat mortaliter. Deciſ. 289. num. 10.
An qui ſcit Barbitonſorem exceſſurum paruitatem materię, poſſit tonſuram petere. Deciſ. 289. n. 11. &c.

Beatus non Canonizatus.

BEati non poſſunt modò eligi in Patronos ex Decreto Sacræ Congregationis. Deciſ. 507. num. 1.
An hoc Decretum retrotrahatur. Deciſ. 507. num. 3. & num. 9.
Beatificatus prius electus in Patronum præcedit Canonizatum poſterius electum. Deciſ. 507. num. 3.

Benedictio cum Indulgentia.

Vide Indulgentia.

Beneficium.

QVomodò pacta prohibita in beneficialibus. Deciſ 293. num. 10.
Cum aliqui ſibi inuicem beneficia reſignant, non ſolum commutantur perſonæ ſub beneficijs, ſed etiam beneficia in perſonis. Deciſ. 208. num. 6.
Qui eleemoſynas erogauit ignorans ſe teneri ad reſtitutionem fructuum beneficij, quando cognoſcit obligationem, poteſt facere compenſationem. Deciſ. 455. num. 1.
Qui facit eleemoſynam, quando tenetur reſtituere fructus beneficij, habet voluntatem interpretatiuam reſtituendi, & quomodò. Deciſ. 455. num. 3.
In impetratione beneficij debet ſecundùm aliquos verus valor exprimi; quando beneficium non eſt Conſiſtoriale. Deciſ. 510. num. 1.
Non eſt neceſſe ipſum exprimere, ſed ſatis eſt exprimere taxatum. Deciſ. 510. num. 2.
Quando valor beneficij non eſt taxatus, debet verus valor exprimi. Deciſ. 510. num. 3.
An debeat exprimi verus valor beneficij, quando agitur de imponenda penſione. Deciſ. 510. num. 4.

Beneficiorum fructus.

Vide, Eccleſiæ Bona.

Beneplacitum.

BEneplacitum finitur morte concedentis. Deciſ. 499. num. 2.
Gratia, vel beneplacitum non dependet in conſeruari à voluntate concedentis: ſed tantum poteſt ab ipſo reuocari. Deciſ. 499. num. 7.
Quid ſignificet particula ad beneplacitum, quando non eſt conſeruatiua conceſſionis. Deciſ. 499. num. 8.
Beneplacitum reſpiciens fauorem publicum non expirat morte concedentis. Deciſ. 499. num. 9.

Bona Patrimonialia.

BOna patrimonialia ſequuntur perſonam. Deciſ. 128. num. 4.

Bonum.

ESt ſecundum rationem eligere minus bonum. Deciſ. 5. num. 11.
Cooperari bono eſt de iure naturæ. Deciſ. 255. num. 6.
Quod iuſtè conſequitur ex aliquo bono, non eſt malum; etſi alteri incommodum. Deciſ. 206. num. 10.
Bonum particulare debet cedere bono communi. Deciſ. 425. num. 5.

Bonus.

QVilibet bonus præſumitur, niſi probetur malus. Deciſ. 369. num. 6.

C

Canonizatio. Canonizatus.

CAnonizatio tribuit maiorem dignitatem. Deciſ. 507. num. 2.
Sanctus Canonizatus non præcedit in omnibus non canonizatum. Deciſ. 507. nu. 10.

Capella.

Vide Oratorium.

EPiſcopus poteſt deputare Capellam in proprio Palatio, in qua poſſit celebrari. Deciſ. 55. num. 3.
In quibus Domibus Tridentinum prohibeat Capellas, ſeu Oratoria, in quibus celebretur. Deciſ. 55. num. 4.
Regulares poſſunt erigere Capellas in ſuis Grangijs, & ibi celebrare. Deciſ. 175. num. 5.
Concilium Tridentinum non prohibet, quin erigantur Capella in Grangijs Regularium. Deciſ. 155. num. 2.
Externi poſſunt celebrare in Capellis erectis intra Monaſteria Regularium. Deciſ. 180. num. 1.
Quomodò priuilegium erigendi Capellas intra Monaſteria ſit perſonale, ſeu Religionis, & locale. Deciſ. 180. num. 2.

Capellanus.

Vide Miſſa celebranda in determinato loco.
Teſtamentum minùs ſolemne.

CApellanus tenetur inſeruire Eccleſiæ, non autem debet ſibi vſurpare ius in ipſa. Deciſ. 430. num. 3.

Cardinalis.

CArdinales Epiſcopi, aut Legati non poſſunt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum a proprio Ordinario ſecundum aliquos. Deciſ. 85. num. 1.
Declaratio ſacræ Congregationis ſuper hoc. Deciſ. 85. n. 2. Et quomodò accipienda. num. 7.
Poſſunt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum a proprio ordinario. Deciſ. 85. num. 3.
Cardinales Epiſcopi, aut Legati non ſubduntur Ordinarijs loci. Deciſ. 85. num. 4.
Cardinales non Epiſcopi non poſſunt ſecundum aliquos ſibi eligere Confeſſarium non approbatum a proprio Ordinario. Deciſ. 93. num. 1.
Poſſunt eligere. Deciſ. 93. num. 2.
Hac facultas illis conuenit ex cap. final. de Pœnitent. *Deciſ. 93. num. 3.*
De iure Ordinario poſſunt Cardinales ſibi eligere Confeſſarium. Deciſ. 93. num. 5.
Iuriſdictio Cardinalium inſtar Epiſcopalis confirmatur conſuetudine, etiam in ordine ad propriam familiam. Deciſ. 93. num. 6.
Cardinales poſſunt eligere pro familia Confeſſarium non approbatum. Deciſ. 94. num. 1.
Cardinales ſunt Ordinarij ſuæ familiæ. Deciſ. 94. nu. 2.
Cardinales ſunt Prælati vniuerſales incorporati Summo Pontifici. Deciſ. 94. num. 3.
Qui ſunt de familia Cardinalium, de ipſorum licentia poſſunt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum ab Ordinario. Deciſ. 95. num. 1.
Quomodò debeant eſſe de familia, vt gaudeant hac facultate. Deciſ. 95. num. 2.
Quomodò hac facultas eligendi Confeſſarium debeat Cardinalis concedere familiaribus. Deciſ. 95. num. 3.
Poteſt Cardinalis concedere vniuerſalem facultatem eligendi quemcunq; ex certo genere. Deciſ. 95. nu. 4.
An Confeſſarius electus à familiari Cardinalis poſſit extra domum Cardinalis audire eius Confeſſionem. Deciſ. 95. num. 5.
Cur Cardinales præcedant Archiepiſcopos. Deciſ. 505. num. 6.
Cur Cardinales in Congregationibus ſedeant ſecundum ordinem promotionis. Deciſ. 507. num. 8.

Caſtratio.

NOn licet ſecundum aliquos parentibus caſtrare filios ob conſeruandam vocem. Deciſ. 498. num. 1.
Fundamenta huius opinionis. Deciſ. 498. num. 2.
Qui doceant licere. Deciſ. 498. num. 3.
Caſtratio non eſt intrinſecè mala. Deciſ. 498. num. 4.
Caſtratio eſt licita, quando agitur de maiori bono corporis. Deciſ. 498. num. 5.
Eſt licita etiam pro conſeruanda voce. Deciſ. 498. nu. 6.
Caſtratio eſt licita ſecundum ius Canonicum, quando ordinatur ad conſeruandum maius bonum. Deciſ. 498. num. 9.

Quid

Quòd ſeipſum caſtrans ſit ſui homicida. Deciſ. 498. num. 11.

Cur lex Ciuilis aliquando prohibuerit caſtrationem. Deciſ. 498. num. 12.

Quanam ſe caſtrantes reprehendantur in iure Canonico. Deciſ. 498. num. 13.

An pro ſalute animæ liceat ſe caſtrare. Deciſ. 498. n. 14.

Caſuum reſeruatio.

Reſeruatio caſuum per ſtatutum Synodale durat mortuo Epiſcopo. Deciſ. 495. num. 1.

Et facta à ſolo Epiſcopo ſecundum aliquos. Deciſ. 495. num. 2.

Reſeruatio facta à ſolo Epiſcopo non durat ipſo mortuo. Deciſ. 495. num. 3.

Huiuſmodi reſeruatio vt perſonalis extinguitur cum perſona. Deciſ. 495. num. 4.

An reſeruatio ſit ablatio iuriſdictionis Deciſ. 495. nu. 5.

Mortuo Epiſcopo non ceſſat reſeruatio reſpectu eorum, qui ipſo viuente incurrerunt ſecundum aliquos. Deciſ. 496. num. 1.

Voluntas tenens ligatam iuriſdictionem per reſeruationem extinguitur in morte Epiſcopi. Deciſ. 495. n. 6.

Reſeruatio morte Epiſcopi extinguitur etiam reſpectu eorum, qui ipſo viuente contraxerunt Deciſ. 496. n. 3.

Reſeruatio etiam in mandatis viſitationis ceſſat morte Epiſcopi. Deciſ. 496. num. 5.

Reſeruatio in mandatis viſitationis apud Regulares ceſſat morte reſeruantis. Deciſ. 496. num. 6.

Reſeruatio caſuum non videtur expirare apud nos Clericos Regulares ceſſante officio reſeruantis. Deciſ. 497. num. 1.

Ceſſat etiam apud nos. Deciſ. 497. num. 2.

Non eſt eadem ratio de ſtatutis, ſeu ordinibus, ac de reſeruatione. Deciſ. 497. num. 4.

An extincta iuriſdictione Prępoſiti manente Vicario, ceſſet reſeruatio. Deciſ. 497. num. 5.

Catholicus.

Quando Catholicus dicens ſe eſſe Catholicum cenſeatur profiteri ſuam fidem. Deciſ. 466. num. 5.

Cauſa.

Putans ſe habere ſufficientem cauſam non tenetur inquirere, an ſit ſufficiens. Deciſ. 306. num. 3.

Cauſa Iudicialis.

Quomodo per inceptionem cauſæ partes conſentiant in Iudicem. Deciſ. 350. num. 6.

Poſt concluſionem cauſæ non datur locus probationibus. Deciſ. 352. num. 2.

Quæ probationes non habeant locum poſt concluſionem cauſæ. Deciſ. 352. num. 6.

Quæ probationes excludantur ratione concluſionis cauſæ. Deciſ. 352. num. 9.

Cenſura.

Cenſura non contrahitur niſi effectu ſequuto. Deciſ. 374. num. 3.

Cenſura contracta viuente Epiſcopo non ceſſant morte ipſius. Deciſ. 496. num. 2.

Ceſſio.

Ceſſio mediante pretio eſt venditio. Deciſ. 210. numero 2.

Ceſſio rei Eccleſiaſticæ vltra triennium requirit beneplacitum Apoſtolicum. Deciſ. 210. num. 3.

Charitas.

Charitas non obligat ad media, quæ certum eſt non eſſe media. Deciſ. 77. num. 5.

Quod eſt ſecundum regulas charitatis, & iuſtitiæ vniuerſalis non poteſt eſſe contra iuſtitiam particularem. Deciſ. 206. num. 7.

Chorea

Vide Torneamenta.

Chorea, & alij ſimiles ludi recreant etiam animos exercentium. Deciſ. 151. num. 5.

Chori obligatio quoad horas Canonicas.

Vide Surdus.

Non ſatisfacit obligationi chori, qui non attendit, quando officium cantatur cum muſica. Deciſ. 408. num. 1.

Quando officium cantatur cum Muſica, qui ſunt de choro obligantur ſolum aſſiſtere. Deciſ. 408. num. 2.

Qualis debeat eſſe hæc aſſiſtentia. Deciſ. 408. num. 3.

An voluntaria diſtractio, & confabulatio impediat, quin aſſiſtens ſatisfaciat choro, quando officium cantatur cum muſica. Deciſ. 408. num. 4.

Confabulatio in tali caſu poteſt deſtruere moralem aſſiſtentiam, & eſſe peccaminoſa. Deciſ. 408. num. 5.

Qui non ſtat in choro aſſiſtentium non ſatisfacit obligationi chori, cùm officium cantatur muſicaliter. Deciſ. 408. num. 6.

Quando in tali caſu aſſiſtens choro poſſit percipere diſtributiones. Deciſ. 408. num. 7.

Chori Præfectus.

Chori præfectus peccat ſecundum aliquos, ſi omittat caſtigare defectus. Deciſ. 82. num. 1.

Quid præſtare debeat Chori Præfectus ratione ſui officij. Deciſ. 82. num. 2.

Chori Præfectus tenetur dirigere orationem chori. Deciſ. 82. num. 3.

Quando peccat venialiter, & quando grauiter. Deciſ. 82. num. 4.

Non tenetur corrigere defectus, qui committuntur extra recitationem. Deciſ. 82. num. 5.

Debet prouidere, ne turbetur oratio publica. Deciſ. 82. num. 6.

Ad quid teneatur Præfectus Chori Regularium. Deciſ. 82. num. 7.

Chori præfectus peccat, ſi abſit à Choro tempore diuini officij

officij ſecundum Trullench. Deciſ.83. num. 1.
Niſi gratis inſeruiat, aut cum exiguo emolumento. Deciſ. 83. num. 2.
Chori præfectus etiam abſens poteſt dirigere recitationem chori. Deciſ.83. num. 3.
Chori Præfectus ſi non timeat de aliquo inconuenienti, poteſt abeſſe à choro. Deciſ.83. num. 4.
Tenetur præcauere etiam errores leues. Deciſ.83. n. 5.
Si præfectus chori non impediat recipientes diſtributiones iniuſtè, tenetur ad reſtitutionem ſecundum Trullench. Deciſ.84. num. 1.
Etiamſi nullum ſtipendium percipiat intuitu officij. Deciſ. 84. num. 2.
Peccat mortaliter, ſi non moneat diſtributores de iniuſta perceptione; ſi modo ad ipſum ſpectet regulare diſtributiones. Deciſ.84. num. 3.
Non tamen tenetur ad reſtitutionem. Deciſ.84. num. 4.
Nec ad reſtitutionem partis ſtipendij. Deciſ.84. num. 5.
Quando teneatur etiam ad reſtitutionem diſtributionum. Deciſ.84. num. 6.
Præfectus chori interrogatus tenetur ex iuſtitia manifeſtare eos, qui non poſſunt percipere diſtributiones. Deciſ.84. num. 8.

Cibus.

Vide Potus.

DVplex acceptio cibi, & potus. Deciſ.313. num. 1.
Cibus, & potus debet eſſe aptus conuerti in ſubſtantiam viuentis. Deciſ.313. num. 2.
Inſuper debet ordinari ex natura ſua in cibum humanum. Deciſ.313. num. 3.
Ex eo quòd terra ſumatur cum delectatione, non arguitur, quòd ſit cibus. Deciſ.315. num. 3.
Paruitas materiæ facit, quòd cibus, & potus non ſe habeant moraliter per modum cibi, aut potus. Deciſ. 335. num. 12.

Ciuis, Ciuitas.

CIuium nomine veniunt, qui ſunt de Territorio. Deciſ.196. num. 5.
Quando nomine Ciuitatis comprehendantur etiam Ruſtici. Deciſ.196. num. 7.

Clericus.

QVis ſit Deo dicatus non poteſt venire appellatione Clerici, vel Monachi. Deciſ.424. num. 3.
Clerici debent impedire irreuerentiam Eccleſiæ. Deciſ. 470. num. 2.

Clericalis Status.

Vide Monachalis Status.

PRinceps ſæcularis non poteſt exigere à ſubditis iuramentum de aliquo oneroſo ſtatus Clericalis, ſi eos contingat fieri Clericos. Deciſ.279. num. 10.

Collegium.

Vide Communitas.

QVot requirantur ad conſtituendum Collegium. Deciſ.253. num. 1.
Cur pauciores requirantur ſecundum ius Canonicum, quàm ſecundum ius ciuile. Deciſ.253. num. 2.
Poteſt in vno tantum reſidere tota Collegij poteſtas. Deciſ.253. num. 7.

Commendans.

COmmendans non tenetur ad damnum tertij in foro externo, ſi bona fide proceſſit ſecundum aliquos. Deciſ.123. num. 1.
Secundum alios tenetur. Deciſ.123. num. 2.
Quomodò læſus poſſit habere actionem in Commendantem. Deciſ.123. num. 4.
Quomodò commendans debeat interpretari ſuam commendationem. Deciſ.124. num. 6.
Quando commendans teneatur deſiſtere à Commendatione. Deciſ.124. num. 7.
Peccatum commendantium. Deciſ.127. num. 9.

Commendatio.

Vide Actio iudicialis: Princeps.

Poteſt petere, quando alter, qui facit petere, communicat in egeſtate. Deciſ. 195. num. 3.
Quid ſi ille, qui facit pro ſe petere, non communicat in egeſtate, ſit tamen in ſtatu pauperi. Deciſ. 195. num. 4.
Qui eſt in ſtatu pauperi, poteſt petere mutuum à Monte Pietatis nomine proprio, & poſtea cedere alteri. Deciſ. 195. num. 5.
Quomodo etiam ex alio titulo poſſit petere quis mutuum, vt alteri det. Deciſ. 195. num. 6.
Vtens iure ſuo in petendo mutuo à Monte pietatis non facit alicui iniuriam, ſicut nec qui facit eum vti. Deciſ. 195. num. 8.
Mons inſtitutus pro ciuibus poteſt etiam forenſibus mutuari, ſi ſuperſit pecunia. Deciſ. 196. num. 1.
Poteſt indifferenter mutuari pauperibus Ciuitatis, & Suburbij. Deciſ. 196. num. 2.
Mons inſtitutus pro ciuibus cenſetur inſtitutus etiam pro forenſibus Territorij. Deciſ. 196. num. 4.
Quid ſi Mons ſit inſtitutus non pro ciuibus, ſed pro pauperibus Ciuitatis. Deciſ. 196. num. 6.
Mons pietatis inſtitutus pro ciuibus non poteſt mutuari ijs, qui tantum in ſpiritualibus ſubijciuntur ciuitati. Deciſ. 197. num. 1.
Mons pietatis poteſt mutuari ijs, qui ſubijciuntur in temporalibus Ciuitati, licet non in ſpiritualibus, ſi ſit inſtitutus pro ſolis Ciuibus. Deciſ. 197. num. 3.
Mons pietatis pro pauperibus loci inſtitutus non poteſt mutuari aduenis pauperibus, dum ibi manent. Deciſ. 205. num. 1.
Si tamen mutuatio non ſit in præiudicium pauperum loci, poteſt mutuari. Deciſ. 205. num. 2.

Mons pietatis ad quos pertineat.

MOns pietatis pertinet ad Communitatem temporalem. Deciſ. 197. num. 2.
Qui dicant, Dominium Montis eſſe apud Communitatem pauperum. Deciſ. 202. num. 1.
Non eſt apud fundatorem, nec apud Rempublicam. Deciſ. 202. num. 2.
Qui dicant, Non eſſe apud aliquem. Deciſ. 202. num. 3.
Non eſt apud Communitatem pauperum. Deciſ. 202. num. 4.
Quodnam ius acquirat collectio pauperum ad Montem pietatis. Deciſ. 202. num. 5.
Dominium Montis pietatis eſt apud Rempublicam. Deciſ. 202. num. 7.
Quomodò Dominium Montis pietatis ſit translatum in Rempublicam. Deciſ. 202. num. 9.

Montis pietatis pecuniæ in quos vſus poſſint conuerti.

REſpublica non poteſt ad libitum conuertere in alios vſus pecuniam Montis pietatis. Deciſ. 203. num. 1.
An ex graui cauſa poſſit conuertere in alios vſus proficuos Communitati. Deciſ. 203. num. 2.
Quanam ſit grauis cauſa, ob quam pecunia Montis pietatis poſſit conuerti in alios vſus. Deciſ. 203. num. 5.
Mons pietatis poteſt exponere negociationi pecunias, quæ ſuperſunt mutuationi. Deciſ. 204. num. 1.
Ex pecunijs, quæ ſuperſunt, poteſt mutuari non pauperibus, & exigere compenſationem damni emergentis, ex eo quod illas non exponat negociationi. Deciſ. 204. num. 2.

Mors.

MOrti proximus cenſetur verum dicere. Deciſ. 444. num. 3.
Non licet deſiderare mortem alicuius ob commodum temporale ſecundum Nauarram & alios. Deciſ. 474. num. 1.
Licet deſiderare mortem naturalem. Deciſ. 474. numero 2.
Quodnam ſit obiectum huius deſiderij: & quomodo ſit bonum. Deciſ. 474. num. 3.
Mors ſolum, vt eſt ſecundum diſpoſitionem diuinam in tali caſu deſideratur. Deciſ. 474. num. 4.
Quomodò non anteponatur commodum temporale vitæ proximi. Deciſ. 474. num. 5.

Monopolium.

CVr licitum ſit Monopolium contra Monopolium. Deciſ. 251. num. 6.

Mulierum Communitas.

MVlieres incipientes viuere in Communitate non obligantur conſuetudinibus introductis abſque Superiorum approbatione. Deciſ. 415. num. 6.

Muliones.

Vide Agaſones.

Multorum Collectio.

QVomodo ſingula, quæ non poſſunt, multa collecta iuuent. Deciſ. 158. num. 22.

Mutuans, Mutuum.

PRiuata perſona poteſt aliquid exigere à Mutuatarijs ſi mutuando patiatur damnum. Deciſ. 182. nu. 12.
Non debent gratis ſuſcipi onera annexa mutuationis. Deciſ. 182. num. 13.
Lucrum in mutuo quomodò poſſit fieri licitum ex declaratione Pontificis. Deciſ. 183. num. 19.
Cur lucrum ex mutuo ſit iniuſtum. Deciſ. 184. num. 1.
Nolle mutuari, niſi mutuatarius ad aliquid ſe obliget, an liceat. Deciſ. 184. num. 22.
In mutuo poteſt quilibet ſe indemnem ſeruare. Deciſ. 186. num. 5.
Onus ſeruandi pignora ſuſcipitur à mutuante in gratiam mutuatariorum, Deciſ. 189. num. 6.

N

Narratiua.

NArratiua facit, vt intelligantur conceſſa omnia narrata. Deciſ. 183. num. 7.
Narratio & præmium demonſtrant cauſam finalem. Deciſ. 184. num. 9.

Nouum.

AN ſtatim ac aliquid eſt nouum, ſit reijciendum. Deciſ. 184. num. 23.

Nox.

DImidium mediæ noctis non poteſt mathematicè menſurari. Deciſ. 338. num. 8.
Cur Eccleſia non poſſit nos obligare, vt in ſumendo dimidio noctis nos conformemus horologijs. Deciſ. 338. num. 9.
Exigua pars temporis poſt mediam noctem poteſt computari pro media nocte. Deciſ. 338. num. 10.
Comeſtio continuata per modicum tempus poſt mediam noctem trahit ad diem antecedentem illud modicum temporis. Deciſ. 338. num. 11.

Nox Natiuitatis Domini.

IN nocte Natiuitatis duas non anticipat pro Capella Papæ. Deciſ. 311. num. 5.
Si adeſſet talis anticipatio, poſſet alius in eodem loco celebrare. Deciſ. 311. num. 6.
Poteſt Sacerdos celebrare in nocte Natalis, etiamſi paulò ante comederit. Deciſ. 344. num. 6.

O

Obligatio.

FInis eſt menſura obligationis. Deciſ. 266. num. 7.
Obligatio coarctata ad locum non obligat per ſe primo perſonas, ſed ratione loci. Deciſ. 307. num. 2.
Obligatio faciendi aliquid in tali loco non tollit ius ſe transferendi in alium locum. Deciſ. 308. num. 5.
Obligatio eſt accipienda ſecundum ſubiectam materiam Deciſ. 206. num. 11.
Qui ſuſcipit obligationem, ſuſcipit ſecundum menſuram intentionis obligantis. Deciſ. 428. num. 3.
Quæ fiunt ex mera libertate, nunquam inducunt obligationem, etſi frequentia ſint. Deciſ. 490. num. 3.
Non oritur obligatio à facto iure improbato. Deciſ. 506. num. 4.

Odor.

Vide Suffitus. Ieiunium naturale.

ODor & ſuffitus reſtaurant corpus. Deciſ. 319. numero 2.
Odor, & ſuffitus deferunt ſecum tenuiſſimas partes ſubſtantiæ, quæ ſe nobis communicant. Deciſ. 319. numero 3.
Odor, & ſuffitus nec eſt cibus, neque potus. Deciſ. 319. num. 5.

Officij Diuini recitatio.

QVinam ſint graues, & quinam leues errores commiſſi in recitatione officij. Deciſ. 83. num. 6.
Qui multo tempore voluit paginas, vt quærat pſalmos, dum recitat diuinum officium, non ſatisfacit. Deciſ. 446. num. 1.
Probabilius eſt, quòd ſatisfaciat. Deciſ. 446. num. 2.
Vacans rei non impedienti attentionem debitam, & ſimul recitans officium ſatisfacit. Deciſ. 447. num. 1.
Talis vacatio non tollit aliquid, quod ſit præceptum. Deciſ. 447. num. 2.
Eſt tamen contra decentiam recitationis. Deciſ. 447. num. 3.
An ſit peccatum irreuerentiæ. Deciſ. 447. num. 4.
Quæ ex habitu fiunt, non impediunt ſatisfactionem in recitando officium diuinum. Deciſ. 447. num. 5.
Omittens recitare officium per octo, aut decem dies in anno: immò etiam per vnum, tenetur ad reſtitutionem fructuum. Deciſ. 454. num. 1.
Quando Pius V. aſſignet reſtitutionem fructuum ex omiſſione officij. Deciſ. 454. num. 2.
Qui per vnum, aut duos dies omittit officium in anno non tenetur ad reſtitutionem. Deciſ. 454. num. 3.
Nec qui per octo, aut decem. Deciſ. 454. num. 4.
An hæc opinio ſit probabilis. Deciſ. 454. num. 5.
Quid contra ipſam faciat. Deciſ. 454. num. 6.

Omiſſio, Omittens.

OMittens cum debito non omittendi tenetur reſarcire damnum inde ſequens ſecundum aliquos Deciſ. 453. num. 1.
Horum fundamenta ex iure Canonico. Deciſ. 453. numero 2.
Omittens impedire damnum, quod tenetur impedire, facit contra officium ſuum. Deciſ. 453. num. 3.
Omittens cum debito non omittendi non tenetur reſarcire damnum inde ſequens. Deciſ. 453. num. 4.
Quando damnum ſequens ex omiſſione ſit reſarciendum. Deciſ. 453. num. 6.
Omittens paſcere fame pereuntem eſt homicida. Deciſ. 453. num. 10.

Quando

Digitized by Google

Quando omiſſio eſt contra officium debitum ex iuſtitia inducit obligationem reſarciendi damnum ſequens. Deciſ. 453. num. 12.

Operans.

QVomodo quiſque debeat in operando ſequi propriam conſcientiam. Deciſ. 22. num. 6.
Cur quiſque cenſeri debeat rectè operari, quando actio poteſt eſſe bona. Deciſ. 481. num. 3.

Operatio conformis rationi.

OPeratio conformis rectæ rationi eſt perfectè ſecundum regulas prudentia. Deciſ. 25. num. 3.
Principia particularia operandi, & operationes debent ſubordinari principijs vniuerſalibus. Deciſ. 30. numero 6.
In humanis operationibus rarò reperitur certitudo quoad eſſe morale. Deciſ. 34. num. 6.

Operationis honeſtas.

OPeratio eſt licita, quando eſt conformis regulis rationis. Deciſ. 5. num. 4.
Operatio contra proprium iudicium, ex alieno tamen prudenti, eſt honeſta. Deciſ. 21. num. 2.
Vnde ſumatur laudabilitas operationis. Deciſ. 25. num. 5.

Opinio aliena.

Vide Opinionis Electio.

ALiena opinio etiam minùs probabilis eſt recta menſura operandi. Deciſ. 15. num. 2.
Quomodo poſſit deponi dubium circa opiniones aliorum. Deciſ. 19. num. 2.
Poteſt quis cenſere probabilem alienam ſententiam ex principijs extrinſecis, etiamſi oppoſitum putet firmari argumento inſolubili. Deciſ. 21. num. 5.
Cum iudicio de falſitate alienæ opinionis poteſt ſtare iudicium, quod ſit recta menſura operandi. Deciſ. 22. num. 4.
Quando aliena opinio poſſit præſumi probabilis. Deciſ. 22. num. 9.

Opinio approbata à Doctore.

QVi plures opiniones refert, approbat vltimo loco relatam. Deciſ. 6. num. 1.
Cur opinio vltimo loco relata cenſeatur approbari. Deciſ. 6. num. 2.
An quando Doctor eſt merus Compilator cenſeatur approbare opinionem vltimo loco relatam. Deciſ. 6. num. 3.
Non omnes Doctores inclinant ad æquitatem, & ideò cenſendi ſunt approbare opinionem vltimo loco relatam, etiam ſi ſit rigida. Deciſ. 7. num. 1.
Quando Doctor cenſeatur approbare opinionem priori loco relatam. Deciſ. 7. num. 2.
Quænam particula oſtendunt Doctorem non approbare opinionem vltimo loco relatam. Deciſ. 7. num. 3.
Opinio vltimo loco relata, vt prorſus aliena, non cenſetur approbari. Deciſ. 7. num. 4.

Opinio Benignior.

Vide Opinio Rigida.

OPinio benignior eſt præferenda rigidæ. Deciſ. 9. num. 2.
Benignior opinio eſt ſecundum charitatem: rigida ſecundum iuſtitiam. Deciſ. 9. num. 3.
Lex charitatis exigit cum proximo adhibendam eſſe opinionem benigniorem. Deciſ. 9. num. 4.
Etiam reſpectu ſui ipſius. Deciſ. 9. num. 5.

Opinio Communis.

Vide Opinionis electio, opinio probabilis.

OPinio communis relinquit locum probabilitati opinionis oppoſitæ. Deciſ. 360. num. 6.

Opinio Probabilis.

AN ex opinionibus probabilibus, vna magis, quàm alia accedat ad veritatem. Deciſ. 5. num. 8.
Non obſtante dubio qualibet opinio probabilis eſt recta menſura operandi. Deciſ. 16. num. 3.
Valet etiam quoad iudicium particulare. Deciſ. 17. numero 4.
Non ſtatim ac cenſetur opinio recta menſura operandi ex auctoritate, cenſetur etiam probabilis intrinſecè. Deciſ. 22. num. 5.
Poteſt quis ſibi perſuadere opinionem eſſe probabilem, etiamſi ſibi talis non appareat. Deciſ. 23. num. 4.
An vna opinio probabilis faciat magis certum, quod Deus non offendatur, quàm alia. Deciſ. 359. num. 4.
Quando res à cæteris non agitatur, ſufficit vnus Doctor ad conſtituendam opinionem probabilem. Deciſ. 360 num. 1.
Poteſt talis Doctor alijs conſulere ſuam opinionem. Deciſ. 360. num. 2.
An quando res eſt agitata à paucis, ſufficiat vnus Doctor ad faciendam opinionem probabilem. Deciſ. 360. num. 4.
An quando communiter contrarium ſentiunt. Deciſ. 360. num. 5.
Poteſt vna opinio eſſe ſpeculatiuè, & non practicè probabilis ſecundum plures. Deciſ. 362. num. 1.
Opinio quæ eſt ſpeculatiuè probabilis, eſt talis etiam practicè. Deciſ. 362. num. 2.
Quando opinio eſt ſpeculatiuè probabilis, poteſt indicare intellectus, quòd poſſit applicari ſecundum rectam rationem ad menſurādam operationem. Deciſ. 362. num. 5.
Quando in reducenda opinione ad praxim adeſt aliquod inconueniens, nec etiam ſpeculatiuè eſt probabilis. Deciſ. 362. num. 6.
Cæteris paribus eſt probabilior opinio veterum, quàm recentiorum ſecundum aliquos. Deciſ. 364. num. 1.
Cæteris paribus eſt probabilior opinio recentiorum. Deciſ. 364. num. 2.
Cur aliquæ opiniones improbabiles modo ſint probabiles, & è contra. Deciſ. 364. num. 4.
In rebus Canonicis probabilior opinio Canoniſtarum: in ijs, quæ ad animam probabilior opinio Theologorum.

rum. Deciſ. 366. num. 1.
Quando opinio Canoniſtarum cenſenda ſit probabilis. Deciſ. 366. num. 4.
Doctor tradens opinionem ſolum vt probabilem, non facit probabilem ſecundum Breſſerum. Deciſ. 367. num. 1.
Facit probabilem. Deciſ. 367. num. 2.
Opinio quæ poteſt reijci vt falſa ex vno motiuo, poteſt eſſe probabilis ex alio. Deciſ. 367. num. 5.
Quæ opinio ſit in ſe probabilis. Deciſ. 367. num. 6.
An opinio, quæ eſt intra ordinem probabilitatis, poſſit tradi, vt vera. Deciſ. 367. num. 7.
Opinio vnius Doctoris obiter tradita ſecundum plures non eſt probabilis. Deciſ. 368. num. 1.
Eſt probabilis ſecundum alios, quando Doctor non ſolet diſputare, ſecus ſi ſemper diſputet. Deciſ. 368. num. 2.
Abſolutè ſecundum alios eſt probabilis. Deciſ. 368. num. 3.
Compilatores aliquid obiter tradentes, non faciunt opinionem probabilem. Deciſ. 368. num. 4.
Quando obiter dictum à Doctoribus ſuam ſententiam proferentibus ſit probabile. Deciſ. 368. num. 5.
Si ab ipſis ſupponatur vt verum, habendum eſt pro probabili. Deciſ. 368. num. 6.
Item ſi pro ipſo inſinuent aliquam rationem. Deciſ. 368. num. 7.
Quando doctrina obiter tradita non ſit habenda pro probabili. Deciſ. 368. num. 8.
Quodnam iudicium ferendum de probabilitate doctrinæ Summiſtarum. Deciſ. 368. num. 9.
Doctor ſingularis antiquus non facit opinionem probabilem, quando oppoſita habetur pro certa. Deciſ. 369. num. 1.
Doctor ſingularis modernus ſecundum aliquos non facit opinionem probabilem in eodem caſu. Deciſ. 369. num. 2.
Quando Doctor ſingularis modernus faciat opinionem probabilem, etiamſi oppoſita habeatur pro certa. Deciſ. 369. num. 3.
Per quid Doctor det probabilitatem opinioni. Deciſ. 369. num. 4.
Quid ſufficiat, vt opinio ſit probabilis, quando oppoſita habetur pro certa. Deciſ. 369. num. 5.
Doctor ſingularis non facit opinionem probabilem contra communem. Deciſ. 370. num. 1.
Valet, ſi Doctor non conſiderauit motiua in oppoſitum. Deciſ. 370. num. 2.
Oppoſitum dicendum, ſi conſiderauit motiua in oppoſitum, & ſit vir conſideratus. Deciſ. 370. num. 3.
Huius iudicio poſſunt etiam docti acquieſcere, Deciſ. 370. num. 4.
Doctor ſingularis non debet moueri ex aliquo affectu, vt faciat opinionem probabilem. Deciſ. 371. num. 1.
Doctor non debet eſſe audax, & præceps, vt ſingularem opinionem faciat probabilem. Deciſ. 371. num. 4.
Inſuper debet eſſe verſatus, & peritus in illa materia, in qua ſingulariter opinatur. Deciſ. 371. num. 5.
An ſufficiat quod ſit Doctoratus in quacunque vniuerſitate. Deciſ. 371. num. 6.
Vt faciat ſingularem opinionem probabilem debet eſſe aptus ad profitendum in illa materia. Deciſ. 371. num. 7.
Cur requiratur talis aptitudo. Deciſ. 371. num. 8.
An licentiatus tantum poſſit facere ſingularem opinionem probabilem. Deciſ. 371. num. 9.
An ſcholaris poſſit tribuere probabilitatem opinioni ſingulari. Deciſ. 371. num. 10.
Opinio ſingularis typis edita habet maiorem probabilitatem, quam ſi non eſſet edita. Deciſ. 372. num. 1.
Quid proſit approbatio Doctorum opinioni, quam typis edendam approbant. Deciſ. 372. num. 2.
Solum ſi ſint docti, teſtantur de probabilitate. Deciſ. 372. num. 3.

Opinio magis probabilis.

QVomodo opinio magis probabilis poſſit fieri non eligibilis. Deciſ. 30. num. 5.

Opinio minùs probabilis.

OPinio minùs probabilis eſt menſura operandi conformis rectæ rationi. Deciſ. 5. num. 5.
Eſt certum quòd ſequens opinionem minus probabilem, rectè operetur. Deciſ. 5. num. 7.
Opinio minus probabilis non eſt minùs bonum rationis. Deciſ. 5. num. 12.
In opinione minùs probabili ſemper obiectum eſt conforme rectæ rationi. Deciſ. 5. num. 15.
Opinio probabilis non excludit formidinem. Deciſ. 17. num. 3.
Eadem ratio pro opinione minus probabili militat pro tempore mortis, ac extra ipſum. Deciſ. 27. num. 2.
An opinioni minùs probabili poſſit intellectus aſſentiri non ſimpliciter; ſed vt probabili. Deciſ. 365. numero 2.
Quomodò poſſit intellectus putare opinionem minùs probabilem veram, ac etiam oppoſitam. Deciſ. 365. num. 6.

Opinio cum infimo gradu probabilitatis.

OPinio cum minimo gradu probabilitatis eſt verè probabilis. Deciſ. 20. num. 7.
Licet eam ſequi, etiam in comparatione probabiliſſimæ. Deciſ. 20. num. 8.
Nullum periculum peccati in ſequenda hac opinione. Deciſ. 20. num. 9.

Opinionis Probabilitas.

RAtio reddit probabilem, & eligibilem opinionem. Deciſ. 1. num. 3.
Quando præualeat præſumptio in fauorem opinionis Doctorum. Deciſ. 1. num. 5.
In quo conſiſtat probabilitas opinionis. Deciſ. 362. num. 3.
Non poteſt ex facto cuiuſcunque ſumi probabilitas opinionis. Deciſ. 363. num. 1.
Neq; ex facto Doctoris pij, & timoratæ conſcientiæ. Deciſ. 363. num. 2.
Ex facto plurium Religioſorum probatæ vitæ ſumitur probabilitas opinionis. Deciſ. 363. num. 3.
Ex frequenti etiam facto ſæcularium perſonarum timoratæ conſcientiæ. Deciſ. 363. num. 4.
Ex facto etiam frequenti perſonarum alicuius profeſſionis. Deciſ. 363. num. 5.

Item

Item ex facto Iudicum. Deciſ. 363. num. 6.
Motiuum opinionis eſt menſura probabilitatis ipſius. Deciſ. 367. num. 4.

Opinio reprobata.

OPinio non ſufficienter reprobata poteſt etiam acceptari. Deciſ. 361. num. 1.
Præſertim ſi reprobantes fateantur argumenta contraria habere magnam vim. Deciſ. 361. num. 2.
Poteſt quis conuenire probabilitatem opinionis reprobatæ. Deciſ. 361. num. 3.

Opinio Rigida.

POteſt quis peccare contra charitatem, quia ſequatur opinionem rigidiorem. Deciſ. 9. num. 6.

Opinio tuta, & minùs tuta.

QVomodò vna opinio poſſit dici magis tuta, quam altera. Deciſ. 32. num. 1.
Quomodò opinio probabilior poſſit eſſe minùs tuta. Deciſ. 32. num. 2.
Opinio probabilis minùs tuta, adhuc eſt conformis rectæ rationi. Deciſ. 32. num. 7.
Ex probabilibus vna opinio eſt tutior altera ſecundum aliquos. Deciſ. 359. num. 1.
Ex probabilibus vna opinio non eſt tutior altera. Deciſ. 359. num. 2.
Quid ſit opinionem eſſe tutam, & quomodò conueniat cuicumque probabili. Deciſ. 359. num. 3.
An ratione obiecti poſſit vna opinio eſſe tutior altera. Deciſ. 359. num. 5.
Vnde proueniat ſecuritas opinionis. Deciſ. 359. num. 6.

Opinionis Electio.

Vide, Opinionum Concurſus. Opinionum appoſitio. Conſulere.

NOn eſt attendenda multitudo Doctorum in electione opinionis. Deciſ. 1. num. 1.
Quomodò ſe gerere debeat, qui non poteſt iudicare de motiuis alicuius opinionis, & eiuſdem probabilitate. Deciſ. 1. num. 4.
Si tamen ſit firma ratione munita. Deciſ. 2. num. 5.
Qui non poteſt opiniones expendere, debet alios conſulere. Deciſ. 2. num. 7.
Vnius opinio poteſt communi præferri. Deciſ. 2. num. 1.
Qui doceant hoc eſſe licitum in caſu noſtro. Deciſ. 2. numero 3.
Quando id habeat locum ſecundum aliquos. Deciſ. 2. num. 2.
Abſolutè vnius opinio poteſt communi præferri. Deciſ. 2. num. 4.
Tam indoctus, quam doctus poteſt ſequi opinionem celebris Auctoris contra Communem. Deciſ. 2. numero 8.
Non poſſe eligi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, qui doceant. Deciſ. 5. num. 1.
Fundamentum huius opinionis. Deciſ. 5. num. 2.
Qui doceant poſſe eligi minùs probabilem, relicta probabiliori, quorum opinio eſt ſequenda. Deciſ. 5. num. 3.
Iudicium quo iudicamus poſſe eligi opinionem minùs probabilem eſt æquè certum ac iudicium, quo iudicamus poſſe eligi probabiliorem. Deciſ. 5. num. 9.
Qui ſequitur opinionem minùs probabilem non diſcedit à ratione, ſed operatur ſecundum ipſam. Deciſ. 5. num. 10.
An ſequens opinionem minùs probabilem claudat ſibi viam ad veritatem. Deciſ. 5. num. 13.
Quomodò intelligendus textus circa electionem opinionis ex cap. Capellanus. De ferijs. *Deciſ. 5. num. 16.*
Poſſumus ſequi opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori Rotæ. Deciſ. 8. num. 7.
Poteſt formari iudicium practicum, quod liceat ſequi opinionem minùs probabilem relicta probabiliori Rotæ. Deciſ. 8. num. 9.
Quid dicendum de eo, qui poteſt opinionem expendere, & non expendit. Deciſ. 10. num. 1.
Sequens opinionem, quam non expendit, excuſatur, ſi poſtea reperiat falſam. Deciſ. 10. num. 2.
Cur talis opinio prudenter eligatur. Deciſ. 10. num. 3.
Excuſatur etiam ab ijs, quæ ſunt annexa opinioni falſæ, ſi quis eam non expendendo ſequatur modo prædicto. Deciſ. 10. num. 4.
Si tamen talis opinio non ſit contra legem aliquam. Deciſ. 10. num. 5.
Qui ſequitur opinionem alicuius Doctoris, non tenetur eam expendere. Deciſ. 10. num. 6.
Expendendo opinionem debet in eligendo habere rationem probabilitatis. Deciſ. 11. num. 1.
Opinio procedens cum diſtinctione, & limitatione eſt præferenda. Deciſ. 11. num. 2.
Præferenda opinio diſtinguentis non diſtinguenti, quando ambæ ſunt eiuſdem Doctoris. Deciſ. 11. num. 6.
Inhærens probabilitati debet præferre opinionem meliorem, quando Doctor eſt varius. Deciſ. 12. num. 1.
Opinio ex profeſſo tradita præfertur aliter traditæ. Deciſ. 12. num. 2.
Ex opinionibus contrarijs ex profeſſo traditis ab eodem, quænam præferatur. Deciſ. 12. num. 3.
Opinio fuſius tradita præfertur opinioni ab eodem ſtrictius traditæ. Deciſ. 12. num. 4.
Opinio tradita in pluribus locis præfertur opinioni ab eodem traditæ in paucioribus. Deciſ. 12. num. 5.
Opinio ad inſtantiam partis, poſtponitur opinioni ab eodem alias traditæ. Deciſ. 12. num. 6.
Opinio illa præferenda, cui plures Regulæ ex prædictis fauent. Deciſ. 12. num. 7.
Quænam ex his regulis præualeat, quando ſunt ſibi contrariæ. Deciſ. 12. num. 8.
Poteſt quis operari modò ſecundum vnam opinionem, modò ſecundum oppoſitam. Deciſ. 13. num. 6.
Poteſt quis operari ſecundum vtramlibet opinionem æquè probabilem; etiamſi non ſe determinet ad ſentiendum ſecundum alteram tantum. Deciſ. 14. num. 1.
Sic operans ſemper operatur cum conformitate ad rectam rationem. Deciſ. 14. num. 3.
Dubitans ſpeculatiuè de aliqua opinione, non poteſt ex motiuo intrinſeco ſecundum ipſam operari. Deciſ. 14. num. 6.
Poteſt quis contra propriam opinionem ſequi alienam, ſiue magis, ſiue minùs probabilem. Deciſ. 15. num. 1.
Excogitans nouam opinionem meliùs fundatam, adhuc poteſt ſequi alienam. Deciſ. 15. num. 3.
Etiamſi non deponatur propria opinio probabilior. Deciſ. 15. num. 4.

Si

Digitized by Google

Si quis putaret eſſe probabilius, non poſſe ſequi opinionem minùs probabilem, adhuc poſſet illam ſequi. Deciſ. 15. num. 5.
Dubius circa opiniones oppoſitas probabiles, non poteſt eas ſequi ſecundum aliquos. Deciſ. 16. num. 1.
Poteſt tamen illas ſequi. Deciſ. 16. num. 2.
Vt dubius de opinione poſſit illam ſequi, quodnam indicium requiratur. Deciſ. 16. num. 4.
Non licet ſequi opinionem probabilem cum formidine ſecundum aliquos. Deciſ. 17. num. 1.
Etiamſi formido ſit magna, poſſum ſequi opinionem probabilem. Deciſ. 17. num. 5.
Probabilitatem opinionis debere eſſe euidentem, vt poſſit amplecti, qui doceant. Deciſ. 18. num. 1.
Non eſt neceſſe, vt probabilitas opinionis ſit euidens, vt quis eam ſequatur. Deciſ. 18. num. 2.
Electio opinionis poteſt fieri ſecundum aliam opinionem probabilem. Deciſ. 18. num. 3.
Euidentia probabilitatis opinionis non obligat ad ſui electionem: Sed relinquit, vt poſſit eligi oppoſita opinio, quæ eſt probabilis, licet non euidenter. Deciſ. 18. num. 4.
Quomodò hoc ſit intelligendum. Deciſ. 19. num. 2.
Primus caſus, in quo licet ſequi opinionem, quæ habet minimum gradum probabilitatis. Deciſ. 20. num. 1.
Alter caſus, in quo licet ſequi opinionem, quæ habet minimum gradum probabilitatis. Deciſ. 20. num. 3.
Qui doceant non eſſe licitum ſequi opinionem, quæ habet minimum gradum probabilitatis. Deciſ. 20. numero 5.
Qui doceant abſolutè licere: quæ item ſententia an tenenda. Deciſ. 20. num. 6.
Poſſumus operari ſecundum alienam opinionem, licet ex principijs intrinſecis putemus falſam. Deciſ. 21. num. 1.
Doctus in operando poteſt ſe gerere vt rudis, & ſequi alienam ſententiam. Deciſ. 21. num. 3.
Si quis habeat euidentiam de falſitate alienæ opinionis, non poteſt illam ſequi. Deciſ. 21. num. 4.
Vt quis ſequatur alienam opinionem, quam putat falſam, debet ſecundum quoſdam deponere iudicium de falſitate. Deciſ. 22. num. 1.
Fundamenta huius opinionis. Deciſ. 22. num. 2.
Non eſt neceſſe, vt deponat iudicium de falſitate; vt quis poſſit ſequi alienam opinionem, quam putat falſam. Deciſ. 22. num. 3.
An ſi quis ſibi perſuadeat propriam opinionem eſſe certam, poſſit adhuc ſequi alienam oppoſitam. Deciſ. 22. num. 8.
Si aliquam opinionem non puto probabilem, non poſſum eam ſequi; ſi ab vno tantum Doctore tradatur, qui doceant. Deciſ. 23. num. 1.
Quando poſſim illam ſequi. Deciſ. 23. num. 2.
Indoctus conſulens Doctorem poteſt ſequi eius ſingularem opinionem; imò etiam doctus. Deciſ. 23. numero 5.
Non debet putare ſe peccaſſe, quando quis cognoſcit ſe amplexum pro probabili, quod non erat tale. Deciſ. 24. num. 4.
Conſultius, & laudabilius eſt ſequi opiniones probabiliores ſecundum Breſſerum. Deciſ. 25. num. 1.
Non eſt conſultius, niſi per accidens ratione ſubiectæ materiæ. Deciſ. 25. num. 2.
Non eſt laudabilius ſequi opinionem magis probabilem, niſi ratione ſubiectæ materiæ. Deciſ. 25. num. 4.
An in electione opinionis minùs probabilis ſit aliqua inordinatio. Deciſ. 25. num. 7.
Communis ſententia: an liceat ſemper ſequi opinionem minùs probabilem. Deciſ. 26. num. 1.
Quædam diſtinctio in hoc adhibenda per quam opinio modo eſt menſura operandi, modò obiectum operationis. Deciſ. 26. num. 2.
Semper licet ſequi opinionem minùs probabilem. Deciſ. 26. num. 3.
Ratio ob quam poteſt amplecti opinio minùs probabilis, ſemper valet in quacunque materia. Deciſ. 26. numero 5.
Quando non licet ſequi opinionem minùs probabilem, eſt, quia tranſit in obiectum, & non adeſt probabilis opinio, quod vt obiectum poſſit amplecti. Deciſ. 26. num. 6.
Et tempore mortis licet ſequi opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori. Deciſ. 27. num. 1.
Amplectens opinionem minùs probabilem, non curat minùs propriam ſalutem, quam ſi amplecteretur probabiliorem. Deciſ. 27. num. 3.
Poteſt Diſcipulus ſequi opinionem Magiſtri, nihil inquirendo de probabilitate. Deciſ. 28. num. 1.
Non ſufficit reperiri opinionem in libris alicuius Doctoris, vt poſſit amplecti. Deciſ. 29. num. 1.
Non ſufficit ſecundum alios, quando Doctor eſt antiquior. Deciſ. 29. num. 2.
Quando ſufficiat. Deciſ. 29. num. 3.
Sufficit tantum, quando attenditur ſola auctoritas. Deciſ. 29. num. 4.
Ad vitandum malum poſſumus ſequi opinionem, quæ habet minimam probabilitatem. Deciſ. 30. num. 1.
Aliquando tenemur ſub mortali ſequi talem opinionem. Deciſ. 30. num. 2.
Cur ratione charitatis teneamur ſequi talem opinionem. Deciſ. 30. num. 3.
Quando non obſtante damno quod ſequitur, poſſimus ſequi probabiliorem opinionem. Deciſ. 30. num. 4.
Non adeſt obligatio ſequendi opinionem, quæ fauet poſſeſſioni. Deciſ. 31. num. 1.
Opinionem tutiorem eſſe amplectendam, qui doceant. Deciſ. 32. num. 3.
Poſſe amplecti opinionem minùs tutam, quando eſt magis probabilis, alij docent. Deciſ. 32. num. 5.
Poſſumus ſemper amplecti opinionem minùs tutam, ſi verè ſit probabilis. Deciſ. 32. num. 6.
Sequi opinionem minùs tutam, probabilem tamen, non eſt ſe exponere alicui periculo. Deciſ. 32. num. 9.
An vir indoctus poſſit ſequi opinionem Doctoris vnius, ſi non percipiat probabilitatem; quando res à cæteris non agitatur. Deciſ. 360. num. 3.
An ſufficiat, quòd opinio appareat probabilis amplectenti, licet non appareat alijs. Deciſ. 361. num. 5.
Quam eligere debeat concurrente opinione veterum, & recentiorum, qui neſcit ponderare probabilitatem. Deciſ. 364. num. 5.
Qui poteſt ponderare rationes, non magis Theologis ſtare debet, quam Canoniſtis, aut è contra, in eligenda opinione. Deciſ. 366. num. 3.
Quando Theologi verſati ſunt inter Canones, ſemper opinio ipſorum præferenda eſt. Deciſ. 366. num. 5.

Opinio-

Opinionum oppoſitio.

INtellectus non poteſt habere contradictoria iudicia, & ideò nec ſecundum aliquos amplecti quis oppoſitas opiniones. Deciſ. 13. num. 1.
Poteſt quis amplecti vnam opinionem ex medio intrinſeco, & oppoſitam ex medio extrinſeco. Deciſ. 13. num. 2.
Poteſt quis amplecti opiniones oppoſitas; vtramque etiam ex medio intrinſeco. Deciſ. 13. num. 3.
Quando vna opinio eſt euidenter probabilis, etiam oppoſita poteſt eſſe probabilis. Deciſ. 18. num. 5.
Intellectus non poteſt aſſentiri vtrique Opinioni, quando oppoſita eſt probabilior. Deciſ. 365. num. 1.
Poſſumus vtrique opinioni aſſentiri in ſuo gradu. Deciſ. 365. num. 3.
Aſſenſus opinatiui circa opiniones oppoſitas non ſunt oppoſiti. Deciſ. 365. num. 4.
An quia intellectus ſit potentia neceſſaria, impediatur, quin poſſit opinionibus oppoſitis aſſentiri. Deciſ. 365. num. 5.

Opinionum concurſus.

SEntentia vnius quoad momenta rationum, aliquando communi præponderat. Deciſ. 2. num. 6.
Vnius opinio in ijs quæ ſunt iuris humani poteſt communi præferri. Deciſ. 3. num. 1.
Poſſe etiam in ijs, quæ ſunt iuris diuini. Deciſ. 3. num. 2.
In ijs, quæ ſunt iuris diuini vnius opinio habere poteſt, vnde communi poſſit præferri. Deciſ. 3. num. 4.
Opinionem gloſſæ eſſe præferendam communi, qui doceant. Deciſ. 4. num. 1.
Opinio gloſſæ non eſt communi præferenda. Deciſ. 4. numero 2.
Opinio contra gloſſam poteſt præferri: quia etiam minus probabilis poteſt præferri probabiliori. Deciſ. 4. numero 4.
Si vna ſententia eſt certa, oppoſita eſt manifeſtè falſa. Deciſ. 9. num. 1.
Dubietas de exceſſu probabilitatis vnius opinionis ſuprà aliam, non tollit quin ſecundum vtramque poſſimus operari. Deciſ. 14. num. 4.
Deceptio poteſt habere locum tam ex parte vnius opinionis, quam ex parte oppoſitæ. Deciſ. 361. num. 7.
Quid dicendum, quando concurrit opinio Canoniſtarum & iuriſtarum. Deciſ. 366. num. 6.
Opinio tradita in Conſilio Deciſiuo præualet traditæ in Conſilio ad inſtantiam partis. Deciſ. 371. num. 2.
Niſi fortè Conſilium ad inſtantiam partis ſit in ordine ad regulandam conſcientiam. Deciſ. 371. num. 3.

Opus ſeruile & non ſeruile.

Vide Feſto die, quæ opera licita. Feſti Sanctificatio.

OPus non ſeruile non fit ſeruile etiamſi ordinetur ad ſuſtentationem vitæ. Deciſ. 143. num. 10.
Modus, quo exercetur actio, ſequitur actionem: ideò ſi actio non eſt ſeruilis, nec etiam modus. Deciſ. 144. num. 11.
Quodnam eximendum ſit ab opere ſeruili. Deciſ. 148. num. 4.
Labor corporis eſt indifferens reſpectu operis ſeruilis, & non ſeruilis. Deciſ. 151. num. 4.
Exercere opus ſeruile in die feſto, etiam per iocum, eſt peccatum. Deciſ. 151. num. 6.
Cur ſeruilia opera prohibita in die feſto. Deciſ. 284. num. 6.
Rarò opus ſeruile poteſt eſſe medium neceſſarium ad vitandum otium. Deciſ. 299. num. 4.
Opus ſeruile non deſinit eſſe ſeruile ex eo quòd ordinetur ad vitandum peccatum. Deciſ. 299. num. 9.
Opera ſeruilia à pluribus exercita non continuantur, quia ordinantur ad idem lucrum. Deciſ. 302. nu. 4.

Opus ſeruile quatenus licitum in die feſto.

Vide Feſto die, quæ opera licita. Item feſti ſanctificatio.

NEceſſitas reddit licitum opus ſeruile in die feſto. Deciſ. 284. num. 1.
Cur qualibet neceſſitas reddat licitum opus ſeruile in die feſto. Deciſ. 284. num. 2.
Minus requiritur, vt poſſit quis exercere ſeruilia in die feſto, quàm vt excuſetur ab audienda miſſa. Deciſ. 284. num. 5.
Quæ neceſſitas reddat licitum opus ſeruile. Deciſ. 284. num. 7.
Praxis confirmat traditam regulam de neceſſitate reddente licitum opus ſeruile. Deciſ. 284. num. 10.
Quomodo conſuetudo interpretetur legem de non exercendis operibus ſeruilibus in die feſto. Deciſ. 284. num. 12.
Ceſſatio magni lucri extraordinarij non facit licitum opus ſeruile in die feſto ex aliquorum opinione. Deciſ. 285. num. 1.
Facit licitum ex aliorum ſententia. Deciſ. 285. num. 2.
Extenſio cap. Licet de ferijs, ad alia opera ſeruilia. Deciſ. 285. num. 3.
Quod concedit Pontifex in dicto cap. quoad piſcationem, non poteſt extendi ad alia opera ſeruilia. Deciſ. 285. num. 4.
Opera ſeruilia ratione pietatis ſunt licita in die feſto ex aliquorum ſententia. Deciſ. 286. num. 1.
Iudicialia prohibita in feſtis licita ſunt ratione neceſſitatis, aut pietatis. Deciſ. 286. num. 2.
Seruilia non ſunt licita in feſto ratione pietatis. Deciſ. 286. num. 3.
Cur finis pietatis non poſſit honeſtare ſeruilia in die feſto. Deciſ. 286. num. 4.
Non licet arguere ex eo quod ratione pietatis ſint licita iudicialia in feſtis, ſint etiam licita ſeruilia. Deciſ. 286. num. 6.
Opera ſeruilia concernentia ornatum Eccleſiæ ſunt licita ex cauſa in die feſto. Deciſ. 287. num. 1.
Secus ſi potuerint anticipari, tunc enim fiunt cum peccato veniali. Deciſ. 287. num. 2.
Aut fiunt cum peccato mortali, aut cum nullo peccato. Deciſ. 287. num. 3.
Aut totam rationem ſeruitutis amittunt, aut nullam. Deciſ. 287. num. 4.
Sunt licita abſolutè; quia ſunt pars diuini cultus. Deciſ. 287. num. 5.
A fortiori ſunt licita opera ſeruilia, quæ fiunt cum diuino cultu, vt pulſare Campanas. Deciſ. 287. num. 8.

Licet

Licet in die feſto lauare vaſa ſacra, corporalia &c. Deciſ. 288. num. 1.

Barbitonſores tondendo in die feſto non peccant mortaliter ſtante paruitate materiæ. Deciſ. 289. num. 1.

Secluſa paruitate materiæ non excuſari ratione conſuetudinis, qui doceant. Deciſ. 289. num. 2.

Excuſantur ſi adſit vera conſuetudo. Deciſ. 289. num. 3.

Quomodo etiam ratione damni poſſint excuſari. Deciſ. 289. num. 4.

Non poſſunt excuſari ratione ceſſantis lucri, niſi ex hoc ſequatur damnum. Deciſ. 289. num. 5.

Qui ad tonſuram accedunt in die feſto, præſumuntur impediti in alijs diebus: ideo excuſantur Barbitonſores. Deciſ. 289. num. 6.

In quibus non habet locum impedimentum, habet locum ad excuſandum paruitas materiæ. Deciſ. 289. numero 7.

Artifices non excuſantur conſuetudine, ſi in die feſto perficiant opera pro illa die inſeruientia. Deciſ. 290. num. 1.

Excuſantur, ſi veſtes eſſent neceſſariæ pro congruenti ſtatu in illa die. Deciſ. 290. num. 2.

Aut ſi ſint neceſſariæ ad decentiam ſtatus. Deciſ. 290. num. 3.

Excuſantur etiam, ſi timeant notabile incommodum. Deciſ. 290. num. 4.

Item ſi timeant acerbas reprehenſiones, & iniurias. Deciſ. 290. num. 5.

Licet in die feſto laborare in ijs, quæ inſeruiunt publicæ lætitiæ, aut pro aliquo Principe honorando. Deciſ. 291. num. 1.

Etiam ſi ſpectacula poſſint differri, licet in ijs laborare in die feſto. Deciſ. 291. num. 3.

Etiam in ordine ad comœdias, licet priuatas, licet laborare. &c. Deciſ. 291. num. 4.

Quomodo cenſenda ſit licita protractio horum operum in diem feſtum. Deciſ. 291. num. 5.

Muliones poſſunt cum beſtijs onuſtis, & rhedis iter facere in die feſto. Deciſ. 292. num. 1.

Id ſit licitum ob damnum quod ſequeretur, ſi non iter facerent. Deciſ. 292. num. 2.

Qui negant poſſe incipere iter. Deciſ. 292. num. 3.

Excuſantur, qui id ex officio præſtant. Deciſ. 292. numero 4.

Eadem eſt ratio de his, ac de ceteris. Deciſ. 292. num. 5.

Quomodo Pater Diana excuſet Muliones incipientes iter in die feſto. Deciſ. 292. num. 6.

Excuſantur Muliones deferentes in die feſto neceſſaria pro illa, aut ſequenti die. Deciſ. 292. num. 8.

Item qui habent beſtias, & currus deuehendis mercibus deſtinatos. Deciſ. 292. num. 9.

Quomodo etiam poſſint omnes excuſari. Deciſ. 292. num. 10.

Licet in die feſto ducere beſtias non onuſtas. Deciſ. 292. num. 11.

Qui negant Piſtores excuſari, qui abſque graui neceſſitate in feſto laborant in ſua arte. Deciſ. 293. num. 1.

Conſuetudo contraria huic doctrinæ. Deciſ. 293. num. 2.

Conſuetudo interpretatur legem: vnde prædicti Piſtores excuſantur. Deciſ. 293. num. 3.

Excuſantur etiam in locis, vbi non eſſet talis conſuetudo, & quomodo. Deciſ. 293. num. 4.

Licet molere in die feſto, ſi molendinum aqua, aut vento agitetur. Deciſ. 294. num. 1.

Secus ſi opera beſtiarum moueatur. Deciſ. 294. num. 2.

Qui doceant id abſolutè non licere. Deciſ. 294. num. 3.

Qui vero id abſolutè concedant ratione conſuetudinis. Deciſ. 294. num. 4.

Conſuetudo non poteſt in hoc excuſare. Deciſ. 294. num. 5.

Excuſat neceſſitas, & quanta debeat eſſe. Deciſ. 294. num. 6.

Licet in feſto molere, quando Molendina vento, aut aqua voluuntur. Deciſ. 294. num. 7.

Quando id liceat etiam cum molendina voluuntur opera beſtiarum. Deciſ. 294. num. 8.

Coctio calcis, laterum &c. continuari poteſt in die feſto. Deciſ. 295. num. 1.

Solam coctionem vitri poſſe continuari ſecundum alios. Deciſ. 295. num. 2.

Qualibet ex his coctionibus poteſt inchoari, & continuari. Deciſ. 295. num. 3.

Damnum quod exurgeret, reddit licitam continuationem. Deciſ. 295. num. 4.

Item facit licitam etiam inceptionem. Deciſ. 295. numero 5.

Quid faciendum, quando neceſſitas coquendi non eſt euidens. Deciſ. 295. num. 6.

Neceſſitas ſubſtentandi ſeipſum, & familiam reddit licita ſeruilia in feſto. Deciſ. 296. num. 1.

Quando notabiliter læderetur ſtatus, neceſſitas facit licita opera ſeruilia in die feſto. Deciſ. 296. num. 3.

Pater poteſt laborare in feſto, vt ſeponat dotem filiæ. Deciſ. 296. num. 5.

Item etiam filia familias pro acquirenda dotali ſupellectili. Deciſ. 296. num. 6.

Quando ſerui poſſint in feſto reficere proprias veſtes. Deciſ. 296. num. 7.

Agricolæ ratione neceſſitatis laborare poſſunt in feſto. Deciſ. 297. num. 1.

Extra neceſſitatem ex conſuetudine quadam minuta ſeruilia ſunt licita Agricolis. Deciſ. 297. num. 3.

Quid faciendum agricolis, quando neceſſitas eſt dubia. Deciſ. 297. num. 3.

Quando cenſendum ſit adeſſe neceſſitatem laborandi in feſto. Deciſ. 297. num. 4.

Quæ conſideranda ſint in expendenda hac neceſſitate. Deciſ. 297. num. 5.

Tempore ſementis adeſt vt plurimum neceſſitas laborandi in feſto. Deciſ. 297. num. 6.

Excuſantur ſubditi exercentes ſeruilia in feſto, ne incurrant damnum. Deciſ. 298. num. 2.

An qui ſingulis diebus conducuntur, excuſentur ſi ex imperio Conductoris exerceant ſeruilia. Deciſ. 298. num. 3.

An ad euitandam indignationem ſuperiorum poſſint ſubditi exercere ſeruilia in feſto. Deciſ. 298. num. 4.

An, ſi non excuſentur Domini, excuſentur famuli Barbitonſorum tondentes in die feſto. Deciſ. 298. num. 8.

Puellas poſſe in die feſto laborare ad vitandum otium ex quorumdam ſententia. Deciſ. 299. num. 1.

Quanam id ſuadeant Deciſ. 299. num. 2.

Solum habet locum hæc doctrina, quando laborare eſt medium neceſſarium. Deciſ. 299. num. 3.

Bona fides poteſt excuſare laborantes in feſto ad otium vitandum. Deciſ. 299. num. 7.

Non poteſt præſumi benigna permiſſio Eccleſiæ, quòd Puellæ laborent in feſto ad vitandum otium. Deciſ. 299. num. 8.

Faciens

Facient exerceri ſeruilia à pluribus pro eo tempore tantum, pro quo non peccant, nec ipſe peccat. Deciſ. 301. num. 1.
Facere laborare plures in die feſto modico tempore ob lucrum videtur mortale. Deciſ. 302. num. 1.
Re vera non eſt mortale, quia lucrum non facit mortale, quod ex ſe non eſt tale. Deciſ. 302. num. 2.
Plures ſinguli pro modico tempore ſi laborent in eodem opere continuò toto die feſto videntur peccare mortaliter, ſicut & qui eos facit laborare. Deciſ. 303. num. 1.
Reuera non peccant, qui laborant. Deciſ. 303. num. 2.
Si plures laborent ſimul in eodem opere ſeruili pro modico tempore, non peccant mortaliter. Deciſ. 303. num. 3.
Nec qui facit eos laborare, ſiue ſimul, ſiue ſucceſſiuè. Deciſ. 303. num. 4.
In hoc caſu non interuenit notabilis contrarietas ad præceptum. Deciſ. 303. num. 5.
Habens intentionem exercendi ſeruilia pro modico tempore ſingulis feſtis non excuſatur à mortali. Deciſ. 304. num. 1.
Rectius dicitur excuſari, quia illa modica non faciunt vnam notabilem materiam prohibitam. Deciſ. 304. num. 2.
Exercens ſeruilia pluribus vicibus in eodem feſto, licèt ſingulis modico tempore, peccat mortaliter. Deciſ. 305. num. 1.
Si excuſaretur à mortali, finis præcepti fruſtraretur. Deciſ. 305. num. 1.
Non peccat, qui putans habere legitimam cauſam exercet ſeruilia, licet non habeat. Deciſ. 306. num. 1.
In tali caſu bona fides tollit intentionem contrariam præcepto, etiam indirectam. Deciſ. 306. num. 2.
Conferens ſe de loco, vbi celebratur feſtum, ad locum, vbi non celebratur, poteſt exercere ſeruilia. Deciſ. 307. num. 1.
Qui ſe transfert de loco, in quo eſt dies feſtus, ad locum, in quo non eſt, vt ibi laboret, videtur peccare. Deciſ. 308. num. 1.
Tenendum tamen, quòd non peccet. Deciſ. 308. num. 2.
Licet imponere amentibus opera ſeruilia in diebus feſtis. Deciſ. 309. num. 1.
Imponens amentibus in diebus feſtis opera ſeruilia non facit exerceri prohibita. Deciſ. 309. num. 3.
Non eſt neceſſe, vt ſint perpetuo amentes, ſed ſufficit ſi ſint pro illo tempore, pro quo exercent. Deciſ. 309. num. 4.
Qui negent poſſe imponi infideli opera ſeruilia in die feſto. Deciſ. 310. num. 1.
Licet imponere infideli opera ſeruilia in die feſto exercenda. Deciſ. 310. num. 2.

Opus ſeruile prohibitum in die feſto.

P*Rohibitio operum ſeruilium in die feſto non obligat cum diſpendio magni lucri extraordinarij. Deciſ. 285. num. 5.*
Plus incommodi eſt ex omiſſione magni lucri extraordinarij, quam ex comeſtione ciborum coctorum præcedenti die. Deciſ. 285. num. 6.
Nemo excuſatur, ſi in feſto exerceat ſeruilia in contemptum fidei. Deciſ. 298. num. 1.
Quomodo opus ſeruile ſit contra præceptum ſanctificandi feſta. Deciſ. 301. num. 3.
Exercitium operis ſeruilis vnius nō eſt contra præceptum, vt obligat alterum; ſed tantùm vt obligat exercentem. Deciſ. 303. num. 6
Prohibitio ſeruilium eſt affixa ſingulis diebus feſtis: & in nouo die adeſt noua prohibitio. Deciſ. 304. numero 3.
Modica exercitia ſeruilia in eodem die continuantur in contrarietate ad præceptum, licet tempore disiuncta. Deciſ. 305. num. 2.
Cur opera ſeruilia iumentorum ſint prohibita in die feſto. Deciſ. 310. num. 5.

Operis ſeruilis paruitas materiæ excuſans à mortali in die feſto.

I*N exercitio operis ſeruilis in die feſto paruitas materiæ non pertingit ad integram horam. Deciſ. 300. num. 1.*
Integra hora ſecundum alios eſt paruitas materiæ. Deciſ. 300. num. 2.
Minus quam duæ horæ conſtituit paruam materiam ex aliorum opinione. Deciſ. 300. num. 3.
Et duas horas eſſe paruam materiam tradunt alij. Deciſ. 300. num. 4.
Tres horæ quoque conſtituunt paruitatem materiæ. Deciſ. 300. num. 5.
Illa eſt parua materia, quæ non tollit, quin dies cenſeatur moraliter conſecratus Deo. Deciſ. 300. num. 6.
Tertia pars non tollit, quin dies ſit moraliter conſecratus Deo. Deciſ. 300. num. 7.
Hæc tertia pars debet ſumi de eo tempore, quod ſolet inſumi in opere ſeruili. Deciſ. 300. num. 8.

Orator.

Vide Legatus.

Oratorium.

Vide Capella.

O*Ratorium priuatum eſt ſolùm cultui priuato dicatum. Deciſ. 165. num. 7.*
Si Oratorium priuatæ Domus habet ingreſſum publicum, poteſt Epiſcopus dare licentiam, vt in ipſo celebretur. Deciſ. 173. num. 1.
Oratorium habens ingreſſum omnibus patentem, eſt publicum. Deciſ. 173. num. 2.
An in Oratorio priuatæ Domus habente publicum ingreſſum poſſit celebrari ianuis clauſis. Deciſ. 173. num. 3.

P

Pactum.

P*Actum de obiecto honeſto eſt licitum; ſi alias non immutet naturam obiecti, vt numero ſequenti. Deciſ. 225. num. 8.*
Quando annexa ſpiritualibus ſint obiectum pacti. Deciſ. 226. num. 8.

Parochia.

Rector vnius Parochialis non poteſt ſe immiſcere in ijs, quæ ſunt alterius Parochialis. Deciſ. 477. num. 3.

Parochus.

Qui affirment, & qui negent poſſe Parochos ſibi eligere Confeſſarium. Deciſ 105. num. 1.
Parochi ſecundum ius commune poſſunt ſibi eligere confeſſarium. Deciſ. 105. num. 4.
Poſt Tridentinum poſſunt eligere approbatum à quocunque ordinario. Deciſ. 105. num. 5.
Poſſunt etiam non approbatum ab Ordinario. Deciſ. 105. num. 6.
Parochi appellantur Prælati in iure. Deciſ. 105. num. 2.
Non tamen ſunt exempti. Deciſ. 105. num. 3.
Parochi ſecundum aliquos poſſunt inſeruire Epiſcopo in Officio Vicarij, viſitationis &c. Deciſ. 463. num. 1.
Non poſſunt inſeruire. Deciſ. 463. num. 2.
Declarationes Sacræ Congregationis ſuper hac materia. Deciſ. 463. num. 3.
Parochi non debent relinquere munus proprium, vt alteri inſeruiant. Deciſ. 463. num. 4.
Poſſunt Epiſcopo inſeruire Parochi in his muneribus per illos duos menſes, qui ipſis conceduntur à Tridentino. Deciſ. 463. num. 5.
Si itemſimul poſſint reſidere, & hæc munia exercere. Deciſ. 463. num. 6.

Parochi Reſidentia.

Parochus non reſidet, ſi maneat in vrbe, & Parochia diſtet ſolum per tria, aut quatuor milliaria. Deciſ. 464. num. 1.
Nec ſatisfacit debito reſidentiæ, etiamſi crebrò accedat ad Eccleſiam Parochialem. Deciſ. 464. num. 3.
Parochus parum diſtans ab ambitu parochiæ cenſetur reſidere ſecundum aliquos. Deciſ. 465. num. 1.
Oppoſitum declarauit ſacra Congregatio. Deciſ. 465. num. 2.
Eſſe quocunque modo extra Parochiam impedit reſidentiam neceſſariam pro munere Parochi. Deciſ. 465. num. 3.
Reſidentia quoad permanentiam localem extra Parochiam non admittit paruitatem materiæ. Deciſ. 465. num. 4.
An peccet mortaliter Parochus, ſi per quindecim dies abſit à reſidentia vltra tempus conceſſum. Deciſ. 473. num. 2.

Particula.

Quid operetur particula, Tu cogita, *quando Doctor plures opiniones retulit. Deciſ. 6. num. 5.*
Quid ſignificet particula, omnes & ſinguli. *Deciſ. 136. num. 8.*
Particula, quaſi, *aliquando proprietatem ſignificat. Deciſ. 267. num. 8.*
Particula, omnis, *reſtringitur ad idoneos. Deciſ. 426. num. 2.*

Paruitas Materiæ.

Quando habeat locum paruitas materiæ. Deciſ. 335. num. 10.
Paruitas materiæ in tempore celebrationis, in ætate requiſita ad matrimonium, ad ordines, ad egreſſum, & ingreſſum clauſuræ. Deciſ. 338. num. 13.
Quindecim dies ſunt parua materia reſpectu totius anni. Deciſ. 473. num. 3.

Pater.

Vide, Sepulchum qui poſſint eligere.

Quæ conueniunt Patri vero, conueniunt etiam ficto, quando militat eadem ratio. Deciſ. 386. num. 2.
Pater poteſt filio impuberi facere teſtamentum, & ſubſtituere in bonis maternis. Deciſ. 380. num. 2.

Patria Poteſtas.

Patria poteſtas non habet locum in electione Sepulturæ. Deciſ. 389. num. 4.
Eſt tantum poteſtas ciuilis, & temporales. Deciſ. 389. num. 5.

Patronus.

Vide, Beatus.

Honor ex electione in Patronum menſurandus eſt ex voluntate eligentis. Deciſ. 507. num. 6.
Sancti Patroni in munere Patronatus debent ſeruare ordinem electionis. Deciſ. 507. num. 8.

Peccatum.

Peccatum materiale an fugiendum ſecundum regulas prudentiæ. Deciſ. 25. num. 6.
Manifeſtare peccatum proprium cum complacentia eſt malum ratione complacentiæ. Deciſ. 466. num. 3.
In aliquibus peccatis non attenditur materia, ſed formalis diſſonantia ad rectam rationem. Deciſ. 478. nu. 3.
Licet vti peccato alterius, cum eſt ad ipſum paratus, ad aliquod bonum. Deciſ. 247. num. 8.

Pecunia.

Vide Moneta.

Pecunia præſens & magis commoda, & magis æſtimabilis. Deciſ. 184. num. 4.
Quod quis ſe priuet pecunia, & potentia ad lucrandum per ipſam eſt pretio æſtimabile. Deciſ. 184. num. 8.
Quomodo hoc non ſit prætenſus titulus, ſed realis. Deciſ. 184. num. 9.
An pecunia poſſit locari. Deciſ. 184. num. 13.
Pecunia poteſt conſiderari, vt mors. Deciſ. 184. num. 14.
In quo conſiſtat locatio, & quomodo pecunia locari poſſit. Deciſ. 184. num. 16.
Priuare ſe pecunia, & conſequenter facultate eam conuertendi in vſus lucroſos eſt pretio æſtimabile. Deciſ. 184. num. 18.
An poſſit percipi lucrum ex eo, quod quis ſe priuet hac facultate, dum in alium transfert pecuniam. Deciſ. 184. num. 19.
Lucrum ex hac translatione quomodo iuſtum. Deciſ. 184. num. 20.
An, quando venit principaliter in conſiderationem grauamen

tamen ex carentia pecuniæ, poſſit aliqua fieri compenſatio. Deciſ. 184. num. 21.
